SEBASTIANI GIRIBALDI

Ex Clericis Regularibus Barnabitis
Congregationis S. Pauli

OPERA MORALIA

PARS SECUNDA

DE SACRAMENTIS.

Additis in Nuperrima hac Editione pluribus suis signanter locis distributis ex Edictis, Decretis, seu Institutionibus, atque Bullis SS. D. N.

BENEDICTI XIV.

STUDIO ET LABORE

ANTONII GIANDOLINI

SACERDOTIS VENETI,

OPUS

Non minus Confessariis perutile, quam Parochis necessarium.

TOMUS SECUNDUS.

BONONIÆ. CIↃIↃCCLX.

Sed prostat

VENETIIS

Apud NICOLAUM PEZZANA.

TABULA
TRACTATUUM, CAPITUM, DUBIORUM,
ET
BULLARUM,

Quæ in hac Secunda Parte Voluminis Secundi continentur.

TRACTATUS PRIMUS.

De Sacramento Pœnitentiæ.

CAPUT I.

De Quidditate, & necessitate Sacramenti Pœnitentiæ.

Dubium I. *An detur Sacramentum Pœnitentiæ a Christo Domino institutum.* fol. 1

Dub. II. *Quid sit Sacramentum Pœnitentiæ, & quænam illius partes.* 2

Dub. III. *An Sacramentum Pœnitentiæ sit medium necessarium ad salutem.* 3

Dub. IV. *In quo conveniant, & differant Virtus, & Sacramentum Pœnitentiæ.* ibid.

CAPUT II.

De Materia remota Sacramenti Pœnitentiæ.

Dub. I. *Quænam sit materia remota Pœnitentiæ.* 4

Dub. II. *Quænam sit materia necessaria Sacramenti Pœnitentiæ, & quænam sufficiens.* ibid.

Dub. III. *An peccata dubia sint materia necessaria Sacramenti Pœnitentiæ.* 5

Dub. IV. *An peccatum confessum, ut dubium, debeat iterum in Confessione explicari, si postea cognoscatur esse certum.* 6

Dub. V. *An faciens Confessionem generalem teneatur manifestare omnia peccata, etiam alias confessa, & hæc distinguere a nondum confessis.* 7

CAPUT III.

De forma Sacramenti Pœnitentiæ.

Dub. I. *Quænam sit forma Sacramenti Pœnitentiæ.* 8

Dub. II. *Quem sensum habeant illa verba,* Absolvo te. 9

Dub. III. *Utrum Sacerdos possit illis verbis* Absolvo te *absolvere a peccatis, & censuris.* ibid.

Dub. IV. *An forma Pœnitentiæ dari possit modo deprecativo; ubi de aliis mutationibus hujus formæ.* 10

Dub. V. *Utrum absolutio Sacramentalis dari possit sub conditione.* ibid.

Dub. VI. *An licite dari possit absolutio sub conditione de præterito, vel de præsenti.* 11

Dub. VII. *Utrum absolutio Sacramentalis possit valide conferri absenti.* ibid.

CAPUT IV.

De Contritione, prout est materia proxima Sacramenti Pœnitentiæ.

Dub. I. *An, & qualis Dolor requiratur ad Sacramentum Pœnitentiæ.* 12

Dub. II. *An Dolor requisitus ad Sacramentum Pœnitentiæ debeat esse supernaturalis, vel sufficiat naturalis.* 13

Dub. III. *An sit necessaria Contritio, vel sufficiat Attritio ad Sacramentum Pœnitentiæ.* ibid.

Dub. IV. *An Attritio sufficiat etiam in articulo mortis.* 14

Dub. V. *Qualis debeat esse Attritio sufficiens ad Sacramentum Pœnitentiæ.* ibid.

Dub. VI. *An, & quomodo Attritio necessaria ad Sacramentum debeat esse universalis de omnibus peccatis.* 15

Dub. VII. *An dari possit Sacramentum Pœnitentiæ validum, & informe.* 16

Dub. VIII. *An, & quomodo Dolor debeat Confessionem præcedere.* 17

Dub. IX. *De Dolore requisito in Confessione venialium.* 18

Dub. X. *De proposito non peccandi requisito in hoc Sacramento.* 21

CAPUT V.

De Confessione Sacramentali.

Dub. I. *Quid sit Confessio Sacramentalis, & a quo instituta.* 21

Dub. II. *De præcepto Divino Confessionis.* ibid.

Dub. III. *Quo tempore obliget Divinum præceptum Confessionis.* 22

Dub. IV. *De præcepto Ecclesiastico Confessionis.* 25

Dub. V. *Quas personas obliget preceptum annuæ Confessionis.* ibid.

Dub. VI. *Quo tempore obliget præceptum Ecclesiæ Confessionis annuæ.* 26

Dub. VII. *Per quam Confessionem impleatur preceptum Ecclesiasticum annuæ Confessionis.* 27

CAPUT VI.

De Confessionibus, & Qualitatibus Confessionis.

Dub. I. *Quas Conditiones debeat habere Confessio.* 28

Dub. II. *An Confessio debeat fieri voce, vel possit etiam fieri per nutus, signa, & scripturam.* ibid.

Dub. III. *An, & quomodo Confessio debeat esse secreta.* ibid.

Dub. IV. *An Confessio vitietur ex fine malo.* 29

Dub. V. *Quomodo Confessio debeat esse sine mendacio.* ibid.

CAPUT VII.

De Integritate Confessionis.

Dub. I. *De examine præmittendo pro integritate Confessionis.* 30

Dub. II. *An, & quomodo Confessio debeat esse integra quoad species peccatorum.* ibid.

Dub. III. *An, & quomodo debeat in Confessione explicari numerus peccatorum.* 31

Dub. IV. *An sit explicanda species, & numerus peccatorum venialium.* ibid.

Dub. V. *Qualis sit distinctio, & unitas numerica peccatorum.* 32

Dub. VI. *Quomodo multiplicentur numero peccata per interruptionem.* ibid.

CAPUT VIII.

De Circumstantiis Peccatorum.

Dub. I. *An sint necessariò confitendæ Circumstantiæ notaliter aggravantes intra eamdem speciem.* 33

Dub. II. *De circumstantia* Quis. 35

§. I. *De Circumstantia Voti.* ibid.

§. II. *De Circumstantia Virginitatis.* 36

§. III. *De aliis Circumstantiis ex parte operantis.* ibid.

§. IV. *De Circumstantia Scandali.* 37

§. V. *An debeat in Confessione explicari Consuetudo peccandi.* 38

Dub. III. *De Circumstantia* Quid. ibid.

§. I. *De Furto.* ibid.

§. II. *De Odio, Contumeliis, & Detractionibus.* ibid.

§. III. *De Jactantia, & Consilio dato.* 39

§. IV. *de Blasphemia, & Hæresi.* ibid.

§. V. *De Peccatis Luxuriæ.* 40

§. VI. *De Cogitationibus venereis.* 41

§. VII. *An possit, & debeat in Confessione manifestari Complex, & Socius peccati.* 42

Dub. IV. *De Circumstantia* Ubi. 43

Dub. V. *De Circumstantia* Quibus auxiliis. 45

Dub. VI. *De Circumstantia* Cur. ibid.

Dub. VII. *De Circumstantia* Quomodo. 46

Dub. VIII. *De Circumstantia Quando.* ibid.
Dub. IX. *An debeat in Confessione explicari effectus secutus, vel sufficiat explicare caussam datam.* ibid.

CAPUT IX.

De Confessione non integra.

Dub. I. *Quænam caussæ excusent ab Integritate materiali Confessionis.* 48
Dub. II. *Quænam sint observanda circa Confessionem non integram.* 49
Dub. III. *An possit absolvi Infirmus, qui solum in genere confitetur, se commisisse peccata.* ibid.
Dub. IV. *An possit Infirmus absolvi, qui Confessarium petiit, aut signa pœnitentiæ dedit in absentia Sacerdotis.* 50
Dub. V. *An possit absolvi Moribundus sensibus destitutus, qui nec Confessionem petiit, nec signa doloris dedit.* 51

CAPUT X.

De Occasionibus peccatorum vitandis.

Dub. I. *An possit absolvi, qui est in occasione proxima peccandi.* 52
Dub. II. *Quid dicendum de Confessario, Chirurgo, & aliis, quibus officium est occasio peccandi.* 53
Dub. III. *An possit absolvi Pœnitens antequam ejiciat Concubinam.* 54
Dub. IV. *De absolutione danda, seu differenda Recidivo, qui habet consuetudinem peccandi.* 55

CAPUT XI.

De Confessione invalida, & repetenda.

Dub. I. *Quando Confessio peccatorum sit repetenda propter invaliditatem provenientem ex parte Pœnitentis.* 56
Dub. II. *An sit invalida, & repetenda Confessio facta ab excommunicato, antequam absolvatur ab excommunicatione.* 57
Dub. III. *Quando Confessio sit invalida, & repetenda propter defectum Confessarii.* ibid.
Dub. IV. *Qualiter Confessio invalida sit repetenda.* 58

CAPUT XII.

De Satisfactione Sacramentali.

Dub. I. *An possit homo condigne satisfacere Deo pro pœna temporali relicta post remissionem culpæ.* 59
Dub. II. *Quid sit satisfactio Sacramentalis, & quem effectum habeat.* ibid.
Dub. III. *An peccet Pœnitens, si pœnitentiam adimpleat in peccato mortali, & an illa tunc habeat suum effectum.* 60
Dub. IV. *An Confessarius teneatur Pœnitentiam imponere, & quando debeat illam imponere.* 61
Dub. V. *Quanta, & qualis pœnitentia sit injungenda.* 62
Dub. VI. *De Pœnitentiis in particulari.* 63
Dub. VII. *An teneatur Pœnitens impositam pœnitentiam acceptare, eamque sub mortali adimplere.* 64
Dub. VIII. *Quando, & quomodo sit implenda pœnitentia.* 65
Dub. IX. *Quisnam possit injunctam pœnitentiam mutare.* 66
Dub. X. *De caussis excusantibus ab executione pœnitentiæ.* 67

CAPUT XIII.

De Ministro Sacramenti Pœnitentiæ.

Dub. I. *An solus Sacerdos sit Minister in hoc Sacramento.* 70
Dub. II. *An omnis Sacerdos possit valide absolvere a peccatis.* 73
Dub. III. *An quilibet Sacerdos possit absolvere a quolibet peccato, & censuris in articulo mortis.* 74
Dub. IV. *An quilibet Sacerdos, etiam non approbatus, possit absolvere extra casum necessitatis a peccatis venialibus, & mortalibus alias Confessis.* 75
Dub. V. *Quisnam sit ordinarius Minister hujus Sacramenti.* 76
Dub. VI. *Quisnam sit proprius Parochus Vagorum, Itinerantium, & nullum, vel plura habentium Domicilia.* 78
Dub. VII. *Quisnam habeat Jurisdictionem delegatam.* ibid.
Dub. VIII. *An, qui habet jurisdictionem delegatam, possit eam alteri subdelegare.* 79
Dub. IX. *An jurisdictio delegata exspiret per mortem concedentis, aut per ejus cessationem ab Officio.* 80
Dub. X. *An Error communis cum titulo, aut sine titulo colorato tribuat Jurisdictionem.* ibid.
Dub. XI. *An sufficiat Jurisdictio dubia, seu tantum probabilis ad ministrandum hoc Sacramentum.* 81
Dub. XII. *De aliis modis, quibus delegatur Jurisdictio.* 82
Dub. XIII. *Quinam possint eligere sibi Confessarium.* 83

CAPUT XIV.

De Approbatione in Confessario requisita.

Dub. I. *An sit necessaria Episcopi approbatio ad audiendas Confessiones, & quid illa sit.* 84
Dub. II. *An omnes, etiam Doctores, & Magistri in Theologia, necnon Prælati Regulares debeant per examen approbari.* 85
Dub. III. *An approbatio ab Episcopo negari, seu limitari possit.* 86
Dub. IV. *An approbatio semel data possit revocari, & an possit quis iterum examinari.* 87
Dub. V. *An semel approbatus in una Diœcesi censeatur ubique approbatus.* 90
Dub. VI. *An Sacerdos approbatus ab Ordinario cum limitatione, ad Confessiones Virorum, & non Mulierum, possit virtute Jubilæi, aut Bullæ eligi ab omnibus.* ibid.
Dub. VII. *An tempore Jubilæi possint Moniales eligere quemlibet Confessarium ex approbatis ab Ordinario.* 91
Dub. VIII. *An Parochus possit ubique terrarum Fidelium Confessiones audire absque alia Episcopi approbatione.* 92
Dub. IX. *A quonam Ordinario debeat Confessarius esse approbatus.* 93
Dub. X. *An Regulares possint audire Sæcularium confessiones sine licentia suorum Prælatorum.* 94
Dub. XI. *An pro Confessione Regularium sufficiat approbatio, & licentia Prælati Regularis.* ibid.

CAPUT XV.

De casibus Reservatis.

Dub. I. *An, & quinam possint casus reservare.* 95
Dub. II. *Quænam peccata possint reservari.* 97
Dub. III. *An peccata possint reservari cum censura, aut sine illa.* 99
Dub. IV. *Quænam peccata sint reservata in Diœcesi Bononiensi.* ibid.
§. I. *Blasphemia hæreticalis.* ibid.
§. II. *Adoratio, & Invocatio Dæmonis expressa &c.* 103
§. III. *De aliis speciebus Superstitionis.* 104
§. IV. *Quinam incidant in hunc Casum.* 105
§. V. *Homicidium voluntarium, non solum quoad Committentes, sed etiam quoad Consulentes.* ibid.
§. VI. *Incestus in primo, vel secundo gradu Consanguinitatis.* 106
§. VII. *Quinam incidant in hunc Casum reservatum.* 107
§. VIII. *Obscœnitates, aliave crimina cum Monialibus, &c.* 108
§. IX. *Constitutio fictitii Patrimonii, &c.* ibid.
§. X. *Scandalosa solutio Quadragesimæ sine licentia, &c.* ibid.
§. XI. *An possit aliquando Confessarius absolvere Socium Criminis.* 109
Dub. V. *An ignorantia excuset a reservatione incurrenda.* 110
Dub. VI. *An, & a quo possit Peregrinus absolvi a reservatis.* 111
Dub. VII. *An Episcopus, ejusque Vicarius Generalis ligetur reservatione.* ibid.

CAPUT XVI.

De Potestate Absolvendi a Casibus reservatis.

Dub. I. *Quisnam possit absolvere a Casibus reservatis.* 112
Dub. II. *Quomodo sit intelligenda facultas delegata pro absolutione a reservatis.* ibid.
Dub. III. *An facultas absolvendi a reservatis pro una vice, extendatur ad peccata commissa post petitam, & obtentam facultatem.* 113
Dub. IV. *An Superior possit facultatem concedere, ut subditus absolvatur cum onere, ut postea coram illo compareat.* ibid.
Dub. V. *An possit Superior absolvere solum a peccatis reserva-*

servatis, & pro reliquis remittere pœnitentem ad Confessarium inferiorem. 114
Dub. VI. An licite possit Confessarius pœnitentem absolvere a non reservatis, & ipsum remittere ad Superiorem pro reservatis. ibid.
Dub. VII. An per Confessionem factam coram Prælato tollatur reservatio circa peccata oblita. 115
Dub. VIII. An, & quatenus quilibet Confessarius possit a peccatis reservatis absolvere in casu necessitatis. 116
Dub. IX. A quibus casibus possint Prælati Regulares absolvere suos Subditos. ibid.
Dub. X. An possint aliquando Confessarii Regulares absolvere Religiosos ejusdem Ordinis a casibus reservatis. 117
Dub. XI. An, & quatenus Regulares absolvere possint Sæculares a Casibus Reservatis. 118

CAPUT XVII.

De Officio, & Obligatione Confessarii.

Dub. I. De Bonitate requisita in Confessario. 120
Dub. II. De Scientia requisita in Confessario. ibid.
Dub. III. De Obligatione, quam habet Parochus audiendi suorum Subditorum Confessiones. 124
Dub. IV. An Confessarius teneatur Pœnitentem interrogare. ibid.
Dub. V. An Confessarius debeat admonere Pœnitentem, qui per ignorantiam est in statu malo. 125
Dub. VI. An Confessarius teneatur sequi opinionem probabilem Pœnitentis. 126
Dub. VII. De obligatione supplendi defectus in Confessione audita forte commissos. ibid.

CAPUT XVIII.

De Sigillo Confessionis.

Dub. I. Quid sit Sigillum, & qualis ejus obligatio. 127
Dub. II. Quinam teneantur ad Sigillum Confessionis. 128
Dub. III. Quænam Confessio inducat obligationem Sigilli. ibid.
Dub. IV. Quænam cadant sub Sigillo Confessionis. 129
Dub. V. Qualiter licitum sit Confessario loqui de auditis in Confessione. ibid.
Dub. VI. Qualiter sit licitus usus notitiæ habitæ in Confessione. 130

CAPUT XIX.

De Confessariis Sollicitantibus.

Dub. I. Plura præmittuntur circa obligationem denuntiandi Confessarios sollicitantes ad turpia. 131
Dub. II. Quænam Personæ sint denuntiandæ. 132
Dub. III. An sit denuntiandus Confessarius, qui sollicitatus a femina in Confessione, Sollicitationi consensit. ibid.
Dub. IV. Quisnam dicatur sollicitare ante, vel post Confessionem. 133
Dub. V. An sit denuntiandus Confessarius, qui sollicitat pœnitentem in Confessionario extra occasionem Confessionis. ibid.
Dub. VI. An in dubio Sollicitationis Confessarius sit denuntiandus. 133
Dub. VII. An Laicus, qui fingit se Confessarium, & sollicitat feminam bona fide confitentem sit denuntiandus. 134
Dub. VIII. De Caussis excusantibus a denuntiatione. 135
Dub. IX. An Persona sollicitata possit absolvi ante factam Denuntiationem. ibid.

CAPUT XX.

De Indulgentiis.

Dub. I. Quid, & quotuplex sit Indulgentia. 136
Dub. II. Quisnam possit Indulgentias concedere. 137
Dub. III. De caussa requisita ad valorem Indulgentiarum. 138
Dub. IV. De Requisitis ex parte recipientis Indulgentias. ibidem.
Dub. V. De Opere injuncto pro Indulgentia consequenda. 139
Dub. VI. An, & quatenus sit necessaria Confessio pro consecutione Indulgentiæ. 140
Dub. VII. De Eleemosyna, & Jejunio requisito pro consecutione Jubilæi. ibid.
Dub. VIII. De Oratione, & Visitatione Ecclesiæ. 142
Dub. IX. Qualiter Indulgentia possit applicari Defunctis. 143
Dub. X. De Cessatione Indulgentiæ. 144

CAPUT XXI.

De Jubilæo.

Dub. I. Quid sit Jubilæum, & quomodo accipiatur. 146
Dub. II. De Operibus exequendis pro consecutione Jubilæi. 147
Dub. III. An, qui lucratus est Jubilæum in prima hebdomada, possit iterum in Secunda lucrari, & a casibus reservatis absolvi. 148
Dub. IV. An, qui fuit absolutus a reservatis, & obtinuit commutationem Votorum intuitu Jubilæi, peccet si postea Opera non exequatur, & reincidat. ibid.
Dub. V. An, transacto tempore Jubilæi, possit adhuc quis absolvi a reservatis. 149
Dub. VI. An absolutio a censuris reservatis, & permutatio Votorum fieri possit a Confessario extra Sacramentum Pœnitentiæ. 150
Dub. VII. An possit absolvi, qui spe futuri Jubilæi commisit peccata reservata. ibid.
Dub. VIII. An valida sit absolutio ab Excommunicatione, aliisque censuris data, non satisfacta Parte. 151

TRACTATUS OCTAVUS.

De Sacramento Extremæ Unctionis.

CAPUT UNICUM.

De Natura, Caussis, & Effectibus hujus Sacramenti.

Dub. I. De Natura, & Institutione hujus Sacramenti. 152
Dub. II. De Materia remota hujus Sacramenti. 153
Dub. III. De Materia Proxima hujus Sacramenti. 156
Dub. IV. De Forma hujus Sacramenti. 158
Dub. V. De Ministro hujus Sacramenti. 159
Dub. VI. De Subjecto suscipiente hoc Sacramentum. 161
Dub. VII. De Effectibus hujus Sacramenti. 167

DE POENITENTIA.

Bulla I. Adversus Confessarios, qui Pœnitentes ad turpia sollicitant. 169
Bulla II. Facultates Majoris Pœnitentiarii, & Officii Pœnitentiariæ. 170
Bulla III. Contra non promotos ad Sacrum Presbyteratus Ordinem Missam celebrantes, aut Sacramentales Confessiones excipientes. 174
Bulla IV. De Indultis Apostolicis eligendi Confessarium ab Ordinario approbatum pro absolutione a Criminibus, aut Censuris reservatis. 175
Bulla V. Super Constitutione, quæ incipit: Sacramentum Pœnitentiæ adversus sollicitantes. 177
Bulla VI. Decretum ad Constitutionem XX. & XXI. ibid.
Bulla VII. De Pœnitentiariæ Apostolicæ Officialibus, eorumque muneribus. 178
Bulla VIII. Litteræ jam editæ adversus Confessarios exquirentes a Pœnitentibus Complicum nomina confirmantur, & Pœnæ in delinquentes statuuntur, cum præfinitione ordinis procedendi in hujusmodi caussis. 182
Bulla IX. Litteræ jam editæ adversus Confessarios exquirentes a Pœnitentibus Complicum Nomina, confirmantur, & ampliantur. 184
Bulla X. Super designatione Confessariorum Extraordinariorum pro Monialibus. ibid.
Bulla XI. Tribunali Sanctæ Inquisitionis in Portugaliæ, & Algarbiorum Regnis adjudicatur cognitio Pertinentiæ caussarum contra Confessarios exquirentes a Pœnitentibus complicum nomina cum denegatione absolutionis: eaque in re delinquentes etiam sine suspicione pravi dogmatis eidem Inquisitionis Officio denuntiari jubentur. 188
Bulla XII. Assignatio annuæ præstationis favore Collegii Pœnitentiariorum Basilicæ Lateranensis. 189
Bulla XIII. Sequitur declaratio præcedentis Constitutionis. 190
Bulla XIV. De officio Scriptorum Sacræ Pœnitentiariæ Apostolicæ. 191
Bulla XV. Jubilæum Universale initio Pontificatus indictur. 192
Bulla XVI. Indulgentiæ, seu relaxationes centum dierum de injunctis, seu debitis Pœnitentiis pro recitantibus flexis genibus singulis Feriis sextis quinquies Orationem Dominicam, & toties Salutationem Angelicam, ad sonum Campanæ, hora tertia post Meridiem, in memoriam Passionis, & Agoniæ Domini Nostri Jesu Christi. 193
Bulla XVII. Revocatio communicationis Indulgentiarum inter Confratres B. M. V. de Monte Carmelo, & Tertiarios S. Francisci alias a Clemente XII. concessæ. ibid.

Bulla XVIII. *Jubilæum pro Christi-fidelibus Italiæ, & Insularum adjacentium Divinam opem implorantibus pro pace inter Principes Christianos, & aliis Catholicæ Ecclesiæ necessitatibus.* 194
Bulla XIX. *Jubilæum pro Italia, & Insulis adjacentibus concessum extenditur ad Regnum Galliæ.* 195
Bulla XX. *De Jubilæi concessione pro Regno Galliæ, a cujus Indulgentiæ beneficio excluduntur Refractarii.* ibidem.
Bulla XXI. *Christi-fideles Indulgentias visitantibus Ecclesiam concessas, etiam sanctissima Eucharistia non exposita, lucrantur: & de frequenti ejusdem Sanctissimæ Eucharistiæ expositione.* 196
Bulla XXII. *Indulgentia tam docentibus, & addiscentibus Methodum orationis mentalis, quam ipsam orationem mentalem peragentibus concessa.* 197
Bulla XXIII. *Ampliatur Episcopis facultas impertiendi benedictionem cum Indulgentia Plenaria Fidelibus in mortis articulo constitutis, etiam per alios, tam in Civitatibus, quam in Diœcesibus, ab ipsis subdelegatos.* ibid.
Bulla XXIV. *De præparatione ad annum Jubilæi Universalis, ac præsertim de reparandis Ecclesiis Urbis.* 201
Bulla XXV. *Indictio Universalis Jubilæi Anni Sancti Millesimi septingentesimi quinquagesimi.* 203
Bulla XXVI. *Suspensio Indulgentiarum, & Facultatum vertente anno Universalis Jubilæi Millesimo Septingentesimo Quinquagesimo.* 205
Bulla XXVII. *De præparatione ad annum Universalis Jubilæi. Epistola Encyclica ad omnes Patriarchas, Archiepiscopos, atque Episcopos.* 206
Bulla XXVIII. *Pænitentiariis in Basilicis, & Ecclesiis Urbis pro anno Jubilæi deputatis, & Confessoriis a Cardinali Urbis Vicario designandis, facultates eodem anno exercendæ conceduntur: adjectis opportunis monitis, & declarationibus.* 212
Bulla XXIX. *De quæstionibus, & Controversiis olim excitatis circa opera injuncta pro Jubilæi acquisitione, & circa facultates concessas, earumque usum, quæ per præcedentes Constitutiones sublatæ fuerunt. Epistola Encyclica ad Pænitentiarios, & Confessarios pro anno Sancto in Urbe deputatos.* 216
Bulla XXX. *Portæ Sanctæ quatuor Basilicarum aperiendæ denuntiantur: ad Ostiensis, Lateranensis, & Liberianæ Basilicæ Portas Pontificio nomine recludendas deputantur tres Cardinales Legati.* 230
Bulla XXXI. *Indulgentiæ Jubilæi anni Sancti 1750. pro Monialibus, Oblatis, Tertiariis &c. necnon Anachoretis, Eremitis, Infirmis, & in Carcere, aut Captivitate detentis conceduntur.* 231
Bulla XXXII. *Regulares Apostatæ ad suos Ordines cum pœnarum condonatione revocantur.* 233
Bulla XXXIII. *Ad claudendas Portas Sanctas in exitu anni Jubilæi deputantur tres Cardinales de Latere Legati in Consistorio secreto Feria 2. die 7. Decemb. anno 1750.* 234
Bulla XXXIV. *Extensio Universalis Jubilæi in Urbe celebrati anno 1750. ad Universum Catholicum Orbem.* ibid.
Bulla XXXV. *De Jubilæi extensione ad Universum Catholicum Orbem Epistola Encyclica ad omnes Patriarchas, Archiepiscopos, & Episcopos, aliosque locorum Ordinarios gratiam, & Communionem Sedis Apostolicæ habentes.* 236
Bulla XXXVI. *Nova concessio, & præfinitio Indulgentiarum pro Fratribus, & Sororibus Tertii Ordinis Sæcularis S. Francisci Assisiensis.* 239
Bulla XXXVII. *Basilicæ Lateranensis Indulgentiæ confirmantur; illæ vero, quæ Ecclesiis ipsius filiabus, seu ipsi aggregatis hactenus communicatæ fuerunt, suspenduntur, & interim eisdem aliæ Indulgentiæ, & gratiæ spirituales conceduntur, seu respective communicari permittuntur.* 241
Bulla XXXVIII. *Indulgentiarum nova concessio pro Personis Sæcularibus Utriusque sexus tam Tertio Ordini S. Francisci de Paula adscriptis, quam Cordigeris ejusdem Sancti Funiculum benedictum deferentibus.* 243

DE EXTREMA UNCTIONE.

Bulla unica.

DE Dogmatibus, & Ritibus ab Italo-Græcis tenendis, atque servandis. 245

TRACTA-

TRACTATUS SEPTIMUS
DE SACRAMENTO POENITENTIÆ.

POEnitentia non modo Virtus est, sed etiam facta est Sacramentum per Christum in Lege Nova, ut eam diligentius, & avidius colerent Christiani post Baptismum lapsi, essetque ipsis secunda tabula post naufragium, de qua proinde agemus sub consideratione Sacramenti, peracta jam consideratione Virtutis. Pluribus solet a Patribus vocari nominibus: dicitur enim *Reconciliatio* a principali effectu, quem habet reconciliandi Deo peccatorem: *Absolutio*, quia peccatorem absolvit a peccatis: *Confessio*, propter necessariam peccatorum Confessionem: *Exomologesis* græce, quod idem est, ac latine Confessio. Unde Tertullianus *de Pœnitentia c.* 12. dicit, peccantibus adhuc esse in exomologesi secunda subsidia.

CAPUT I.

De Quidditate, & Necessitate Sacramenti Pœnitentiæ.

DUBIUM I.

An detur Sacramentum Pœnitentiæ a Christo Domino institutum?

Etiamsi erratum sit diversimode circa Sacramentum Pœnitentiæ, tres tamen videntur principaliores errores; primus negantium, esse lapsis post Baptismum in Ecclesia ullam reconciliationem Sacramentalem, quem errorem docuerunt Hæretici Montanistæ, & Novatiani ex D. Hieronymo *epist.* 54. *ad Marcellam*, ex S. Cypriano *lib.* 2. *epist.* 4. quem postea errorem sequuti sunt Jacobitæ ex Valdensi *tom.* 2. *de Sacramentis cap.* 131. & ex eodem Joannes VVicleffus, & Joannes Hus, negantes esse verum Sacramentum. Secundus error est, concedentium quidem lapsis post Baptismum reconciliationem sacramentalem, sed asserentium, hanc non differre a Sacramento Baptismi; volunt enim, a sola Baptismi renovata memoria remitti peccata post Baptismum commissa. Ita Melanthon, Kemnitius, & ante illos Lutherus, ut refert, & confutat Bellarminus *lib.* 1. *de Pœnitent. cap.* 11. & 12. Tertius est aliorum, qui, convicti ex Scriptura, & Patribus, admittunt novum Sacramentum Pœnitentiæ, sed illud constituunt in sola absolutione, absque necessitate confessionis. Ita Melanthon apud Bellarminum *loco citato*.

2. Sed de fide certissime tenendum est, dari in Ecclesia verum, & proprium Pœnitentiæ Sacramentum a Christo Domino institutum, & a Baptismo distinctum. Ita definitum fuit in Conciliis Constantiensi *sess.* 15. contra errores Joannis Hus, in Florent. in Litteris Unionis, & magis expresse in Trident. *sess.* 14. *can.* 1. ubi habetur: *Si quis dixerit, in Ecclesia Pœnitentiam non esse vere, ac proprie Sacramentum pro Fidelibus, quoties in peccata labuntur, ipsi Deo reconciliandis, a Christo Domino institutum; anathema sit*, quibus verbis tria definit Concilium. Esse in Ecclesia institutum a Christo Sacramentum, in quo Fidelibus baptizatis remittuntur peccata: Ministros in hoc Sacramento habere potestatem ea peccata tollendi: & toties posse illud Sacramentum iterari, quoties contigerit baptizatos in peccata labi. Colligitur etiam talis potestas aperte ex illo Jo. 20. *Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta sunt*; non enim poterat Christus clarioribus verbis potestatem hanc Ecclesiæ Pastoribus relictam exprimere.

3. Ratio desumi potest ex suavi providentia divina, quæ providit Ecclesiæ in omnibus necessitatibus; quapropter sicut providit medium Baptismi, quo tollerentur peccata omnia ante ipsum commissa; ita congruum valde fuit, ut daretur medium, quo tollantur peccata post Baptismum commissa; eadem enim est necessitas ex parte peccatoris utriusque remedii, & merita infinita Christi utrumque videbatur exigere. Unde merito scribit Leo Papa ad Theodorum: *Multiplex misericordia ita lapsibus subvenit humanis, ut non solum per Baptismi gratiam, sed etiam per Pœnitentiæ medicinam spes vitæ reparetur æternæ, ut qui regenerationis donum violassent, proprio se judicio condemnantes ad remissionem criminum pervenirent.*

4. Quod Pœnitentia sit verum Novæ Legis Sacramentum facile patet, quia Pœnitentia est signum sensibile gratiæ justificantis a peccato actuali, tum ex parte Pœnitentis, quatenus actibus Contritionis, Confessionis, & Satisfactionis significat peccatum a suo corde recessisse, tum ex parte Sacerdotis, qui absolvendo significat a Deo remitti peccatum; ergo est verum Sacramentum Novæ Legis, cum sit signum, & caussa gratiæ: tum quia, ut argumentatur Catechismus Romanus *de Sacram. Pœnit. n.* 12. sicut Baptismus Sacramentum est, quia peccata omnia, ac præsertim originale delet: ita Pœnitentia, quæ peccata omnia post Baptismum commissa tollit, vere, & proprie erit Sacramentum.

5. Esse autem Sacramentum distinctum a Baptismo, habetur ex Trident. *sess.* 14. *can.* 2. Deinde, quia illa dici debent distincta Sacramenta, quæ habent partes essentiales, effectus, & fines omnino distinctos; sed hujusmodi sunt Pœnitentia, & Baptismus, quia iste constat ablutione tamquam materia, illisque verbis: *Ego te baptizo, &c.* tamquam forma tollit peccatum originale, & actualia ante illud commissa, totamque pœnam illis debitam, estque institutum, ut nos primo in Christo generet; Pœnitentia vero quæ constat actibus Pœnitentis, & absolutione Sacerdotis, tamquam ex partibus essentialibus, & remittit solummodo peccata actualia post Baptismum commissa, & ut plurimum partem pœnæ dumtaxat, non primo nos generat Christo, sed acceptam in Baptismo gratiam, & per subsequens peccatum amissam recuperat; ergo cum habeant partes essentiales, effectus, & fines omnino distinctos, debent dici distincta Sacramenta; secus nullum esset signum distinguendi Sacramenta inter se. Adde, quod data a Christo Apostolis *Joan.* 20. non est potestas baptizandi, aut remittendi peccata per Baptismum, quæ jam supponebatur data *Joan.* 4. sed esset nova potestas diversa remittendi peccata; ergo cum sit Sacramentum, debet esse Sacramentum diversum.

6. Quoad tempus talis institutionis dico, fuisse hoc

Sacramentum institutum *Joan.* 20. quando Christus post Resurrectionem dedit Apostolis potestatem peccata remittendi, & retinendi, ut expresse habetur in Trident. *sess.* 6. *cap.* 14. & *sess.* 14. *cap.* 1. illis verbis: *Dominus autem Sacramentum Pœnitentiæ tunc præcipue instituit, cum a mortuis excitatus insufflavit in Discipulos suos, dicens: Accipite Spiritum S. quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta sunt*; quibus verbis videtur indicari, alias fuisse inceptum, nimirum quando Christus *Matth.* 18. dixit Apostolis: *quæcumque alligaveritis super terram*; & in nocte Cœnæ, quo tempore illos ordinavit Sacerdotes, & de futuro Ecclesiæ statu, & de Sacramentis, vel a se hactenus institutis, vel instituendis instruxit. Ratio est, quia essentia Sacramenti Pœnitentiæ consistit in Confessione, & Absolutione; sed utriusque institutio habetur ex loco citato *Joan.* 20. nam ibi datur potestas absolvendi, & consequenter potestas cognoscendi, & judicandi de peccatis, & hæc necessario involvit confessionem peccatorum, quæ proinde tunc fuit instituta. Hæc potestas *Matth.* 18. fuit solum Apostolis promissa, non data, vel etiam fuit illis data potestas ferendi sententiam, & censuras in foro externo contra rebelles, ut ex Divo Thoma notat Gonettus *disp.* 1. *art.* 2. §. 3. *num.* 40.

7. Dices: Apostoli ordinati sunt Sacerdotes in ultima Cœna ante Christi Domini mortem ex Trident. *sess.* 22. *cap.* 1. *& can.* 2. ergo tunc acceperunt potestatem remittendi peccata per absolutionem Sacramentalem; nam hæc potestas maxime propria est Sacerdotum, & pertinet ad potestatem Ordinis; & conf. nam Trident. *sess.* 23. *cap.* 15. ait, Presbyteros in sua Ordinatione absolvendi a peccatis potestatem accipere; ergo tunc etiam fuit institutum hoc Sacramentum. Adde, quod si solum *Joan.* 20. data fuit Apostolis potestas remittendi peccata, sequeretur S. Thomam, tunc absentem, non accepisse talem potestatem.

8. Resp. illas duas potestates divisim Apostolis fuisse datas diversis temporibus, aperte colligitur ex Trident. *sess.* 22. *cap.* 1. ubi ait, semper Catholicam Ecclesiam intellexisse, & docuisse, Christum Dominum in ultima Cœna ante Passionem Sacramentum Eucharistiæ instituisse, & Apostolos Sacerdotes instituisse, cum illis dedit suum Corpus, & Sanguinem sub speciebus panis, & vini, & eorum in Sacerdotio successoribus, ut offerrent præcepit dicens: *Hoc facite in meam commemorationem*. Quod magis explicat *can.* 2. ubi ait anathema dicenti illis verbis, *Hoc facite*, Christum Dominum non instituisse Apostolos Sacerdotes; & *sess.* 14 *c.* 1. dicit, quod Christus Dominus *Joan.* 20. insufflavit in Discipulos dicens: *Accipite Spiritum Sanctum*, tam insigni facto, & tam perspicuis verbis universorum Patrum consensum semper intellexisse a Christo Domino potestatem remittendi, & retinendi peccata Apostolis, & eorum legitimis in Sacerdotio successoribus communicatam: ex quibus verbis patet, divisim utramque potestatem datam esse Apostolis, & eorum successoribus.

9. Ad conf. resp. Presbyteros in sua Ordinatione accipere utique potestatem absolvendi a peccatis, quia in tota actione, qua nunc ordinantur Sacerdotes, utramque potestatem accipiunt: potestatem quidem consecrandi, seu in Corpus Christi Domini verum per illa verba: *Accipe potestatem offerendi Sacrificium, &c.* & potestatem absolvendi, seu in Corpus Christi Domini mysticum per illa verba. *Accipe Spiritum Sanctum, quorum remiseris, &c.* non sequitur tamen, quod non sint potestates distinctæ, & separabiles; & de facto, si Parochus ab Episcopo ob malum deficiens accepit tantum primam potestatem, non poterit subditos absolvere defectu potestatis alterius, quæ proinde deberet suppleri. Ad id quod additur, dico, datam fuisse talem potestatem D. Thomæ absenti per Spiritum Sanctum, sicut aliis Apostolis, ut notat Palaus *punct.* 4. *num.* 6.

DUBIUM II.

Quid sit Sacramentum Pœnitentiæ, & quænam illius partes?

10. POEnitentia, sicut alia omnia Sacramenta, considerari potest, ac definiri aut physice per suas partes physice constituentes, aut metaphysice, prout est signum efficax internæ sanctitatis, cujus partes sunt genus & differentia; in hac ultima consideratione definiri potest: *Signum sensibile, & efficax gratiæ per se inditaliter remissivæ peccati post Baptismum commissi.* Per primas particulas convenit Pœnitentia cum aliis Sacramentis, quæ sunt signum sensibile, & efficax gratiæ; per reliquas particulas differt ab aliis, cum nullum aliud Sacramentum sit institutum per modum judicii emendativi, ut patet discurrenti per singula Sacramenta.

11. Pœnitentia vero physice considerata definiri potest; *Sacramentum Novæ Legis consistens in actibus Pœnitentis, & Sacerdotis legitime absolventis, a Deo institutum per modum judicii emendativi ad remissionem peccatorum post Baptismum commissorum*: seu brevius: *Sacramentum reconciliationis post Baptismum in actibus Pœnitentis, & Sacerdotis absolutione consistens.* Colligitur ex D. Thoma 3. *part.* *q.* 84. *art.* 1. *ad* 3. & ex Trident. *sess.* 14. *c.* 3. & tradunt Auctores communiter, Bonacina *disp.* 5. *q.* 2. *punct.* 2. Palaus *disp. unic. punct.* 4. Ant. a Spiritu S. *tract.* 5. *disp.* 1. *sect. unic. num.* 10. & alii, quos affert, & sequitur Franc. a Jesu M. *de Pœnit. cap.* 2. *punct.* 1. Per primas particulas convenit Pœnitentia cum reliquis Sacramentis, a quibus differt per hoc, quod sit per modum judicii emendativi in actibus Pœnitentis, & absolutione Sacerdotis consistens.

12. Hinc facile assignantur partes essentiales hujus Sacramenti Pœnitentiæ, ratione quarum constituatur in ratione signi caussativi gratiæ. Dico enim, substantialiter componi ex actibus Pœnitentis, Contritione, Confessione, & Satisfactione, tamquam ex materia proxima, & ex absolutione Sacerdotis, tamquam ex forma. Ita expresse definitur in Florent. *in Decreto Unionis*, & in Trident. *sess.* 14. *cap.* 3. ubi primo dicit, quod illa verba, *Absolvo te, &c.* sunt forma hujus Sacramenti; & infra subdit: *Sunt autem quasi materia hujus Sacramenti ipsius Pœnitentis actus, nempe Contritio, Confessio, & Satisfactio, qui quatenus in Pœnitente ad integritatem, ad plenam, & perfectam remissionem, ex Dei institutione requiruntur, hac ratione pœnitentiæ partes dicuntur*, quod idem habetur *can.* 4. Ratio est, quia hoc Sacramentum est institutum per modum judicii, ut docetur a Trident. *eadem sess.* 14. *cap.* 2. *&* 5. Judicium autem necessario includit accusationem Rei, & sententiam Judicis tamquam formæ perficientis, & complentis negotium in accusatione inchoatum; cum autem hoc judicium sit voluntarium institutum ad salutem peccatoris, requiritur, ut ipsi peccata displiceant, & cum dolore recitentur, & per confessionem manifestentur, & tandem, quia judicium non est undequaque perfectum, nisi a Judice pœna infligatur ob commissum delictum, idcirco imponitur satisfactio, & profertur sententia absolutionis a Judice; & sic Sacramentum hoc includit tres actus Pœnitentis tamquam materiam proximam, & absolutionem tamquam formam.

13. Dices: materia præsupponitur formæ; sed satisfactio non præsupponitur absolutioni, quæ est forma hujus Sacramenti, sed potius eam sequitur; ergo non est materia proxima hujus Sacramenti.

Resp. materiam se habentem per modum partis essentialis, utique præsupponi ad formam, non vero si se habeat per modum partis integralis, ut patet cum per nutritionem, & augmentationem novæ partes regenerantur viventi: satisfactio autem non est pars essentialis, sed integralis, & in humanis executio mulctæ sequitur sententiam Judicis; vel dicas, præcedere satisfactionem quamdam in voto, & præparationem animi, qua Pœnitens paratus sit pœnam aliquam subire pro peccatis commissis: siquidem in hoc judicio non intervenit mera peccatorum indulgentia, sed quædam adjuncta est vindicatio, de cujus ratione est, ut Reus paratus sit pœnam aliquam subire, si a Judice imponatur, & hæc præparatio animi, ac voluntas satisfaciendi erit pars essentialis Sacramenti, executio vero satisfactionis erit pars integralis.

14. Dices: illud omne, quod intrinsece, & substantialiter componit Sacramentum Pœnitentiæ, caussat gratiam remissivam peccati; sed hoc non præstat nisi absolutio. Si enim actus Pœnitentis caussarent gratiam, Pœnitens diceretur seipsum justificare, conferre sibi gratiam, sibi remittere peccata, & se ipsum absolvere, sicque esset Minister hujus Sacramenti non minus, quam Sacerdos; ideo enim Sacerdos dicitur absolvere Pœnitentem, quia per suum actum producit gratiam remissivam peccati; sed Pœnitens etiam per suum actum gratiam produceret remissivam peccati; ergo similiter absolveret, quod tamen est omnino absurdum.

15. Resp. Actus Pœnitentis hoc Sacramentum componentes, non minus producere gratiam, & tollere peccatum, quam tollat absolutio; non inde tamen sequitur, quod Pœnitens absolvat se ipsum, remittat sibi peccatum, vel etiam sit Minister hujus Sacramenti, quæ omnia conveniunt soli Ministro pronuntianti formam. Rationem affert Suarez, & cum eo Leander. *disp.* 1. *qu.* 3. quia actus Pœnitentis non producunt gratiam, nisi prout elevantur a Sacerdote per potestatem clavium, ut sint pars Sacramenti. Sed non videtur sufficiens, quia illi actus Pœnitentis tam elevant absolutionem ad rationem Sacramenti, quam absolutio elevat actus Pœnitentis; ideo enim absolutio elevat illos actus, quia sine absolutione nihil illi facerent; sed pariter absolutio nihil faceret sine actibus Pœnitentis; ergo reciproca est elevatio. Ratio ergo est, quia Sacerdos non ideo tantum dicitur absolvere, remittere peccata, & ministrare Sacramentum, quia caussat gratiam remissivam peccati, sed quia illam producit per modum Judicis, id est tamquam habens potestatem a Christo concessam cognoscendi caussam Pœnitentis, & post illius cognitionem peccata remittendi: ad quod non sufficit, quod caussetur gratia, sed eo speciali modo caussari debet, quod non convenit actibus Pœnitentis. Inde Minister dicitur conficere, & conferre hoc Sacramentum, quia post cognitam caussam sententiam pronuntiat tamquam Judex, & quia ponit formam tamquam partem principalem; sicut Agens naturale dicitur producere totum, etiamsi solam formam producat, & Statuarius dicitur efficere statuam, licet solam formam artificialem introducat.

16. Dices: in aliis Sacramentis actus suscipientis non

sunt partes Sacramenti, v. g. in Sacramento Eucharistiæ intentio, & manducatio non sunt partes Sacramenti; in Extrema Unctione est necessaria Attritio, quæ tamen non est pars Sacramenti: ita similiter in Sacramento Pœnitentiæ actus Pœnitentis non sunt pars illius. Sed contra disparitas est, quia hoc Sacramentum est institutum per modum judicii, actus autem Pœnitentis sunt de conceptu quidditativo judicii, non sic in reliquis Sacramentis; v. g. Eucharistia est cibus, qui non includit necessario manducationem, nec intentionem manducantis: in Baptismo Attritio est solum dispositio per accidens requisita, cum possit sine illa ministrari; similiter in Extrema Unctione, quæ de genere suo est solum præparatio ad luctam.

17. Dices: illud non est pars hujus Sacramenti, quod non est de conceptu quidditativo judicii; sed hujusmodi non est dolor; ergo non est pars Sacramenti, maxime quia dolor non est sensibilis, quod requiritur ad rationem Sacramenti. Sed contra dico, Sacramentum istud essentialiter esse judicium reconciliativum, quod essentialiter importat dolorem de offensis, qui licet secundum se non sit sensibilis, redditur tamen sensibilis per ipsam confessionem, quod sufficit.

18. Si quæras: *Quasnam partes importet in recto Sacramentum Pœnitentiæ?* Breviter dico, hoc Sacramentum essentialiter, & in recto importare actus Pœnitentis, & absolutionem Sacerdotis; nam ex illis partibus fit signum sensibile gratiæ sanctificantis, & remittentis peccata, & in hoc non potest esse dissidium, nisi in modo loquendi, & explicandi hujusmodi concreta. Nec est difficile assignare tria illa, quæ ad omnia Sacramenta requiruntur a Theologis, quod nimirum sit res tantum, Sacramentum tantum, res, & Sacramentum simul. Siquidem Confessio, & Absolutio est Sacramentum tantum, quia significat, & non significatur: Gratia est res tantum Sacramenti, quia significatur, & non significat: res Sacramenti simul, & Sacramentum est internus dolor, qui significat gratiam, & significatur per externam confessionem.

D U B I U M III.

An Sacramentum Pœnitentiæ sit medium necessarium ad salutem?

19. RESpond. Sacramentum Pœnitentiæ in re, vel in voto esse in Lege Nova necessarium necessitate medii lapsis in peccatum mortale post Baptismum: loquimur hic de necessitate medii, quia de necessitate præcepti, sive Divini, sive Ecclesiastici, dicemus infra suo loco. Ita tenent Catholici omnes, & colligitur ex Concilio Trident. *sess.* 14. *c.*2. ubi habetur: *Est hoc Sacramentum Pœnitentiæ lapsis post Baptismum ad salutem necessarium, ut nondum regeneratis ipse Baptismus:* at Baptismus est necessarius necessitate medii, vel in re, vel in voto, ut supra dictum est *tr.*2. *cap.*1. ergo etiam Pœnitentiæ Sacramentum est necessarium in re, vel in voto lapsis post Baptismum. Ratio etiam est, quia illud dicitur necessarium necessitate medii, sine quo salus obtineri non potest; sed in Lege Nova sine Pœnitentiæ Sacramento in re, vel in voto salus obtineri non potest ab iis, qui post Baptismum in peccatum lethale sunt lapsi; ergo est illis hoc Sacramentum necessarium necessitate medii. Minor constat ex Trident. *sess.* 14. *can.* 6. & 7. ubi dicitur anathema neganti, Confessionem Sacramentalem, vel a Christo Domino institutam esse, vel ad salutem necessariam; & *sess.* 6. *can.* 29. habetur: *Si quis dixerit, posse hominem post Baptismum justitiam amissam sine Sacramento Pœnitentiæ recuperare; anathema sit.* Conf. ex eo, quod primarius effectus hujus Sacramenti est necessarius ad salutem necessitate medii, qui ex Trident. *locis citatis* est remissio peccatorum post Baptismum, sine qua nemo potest consequi salutem; ergo & ipsum Sacramentum erit necessarium ad salutem necessitate medii; qualis namque necessitas est, effectus talis est, & causæ propriæ illius. Ita tenent Auctores communiter cum D. Thoma 3. *part. quæst.* 84. *art.* 5. Suarez, Nugnus, Coninch, Valentia, Reginaldus, & alii, quos affert, & sequitur Bonacina *disp.* 5. *q.* 2. *part.* 3. Leander *disp* 3. *quæst.* 5. Franciscus a Jesu Maria *cap.* 2. *punct.* 3.

20. Non est autem necessarium hoc Sacramentum necessitate medii in re susceptum, sed sufficit, quod recipiatur vel in re, vel in voto, ut tradunt communiter Doctores, & colligitur ex Trident. *sess.* 14. *cap.* 4. ubi justificationem tribuit Contritioni, ut involvit votum Confessionis, & patet etiam ratione, quia non est magis, aut aliter necessarium hoc Sacramentum, quam sit necessarium Adultis Sacramentum Baptismi; sed istis hoc non est necessarium necessitate medii ad salutem, nisi sub disjunctione vel in re, vel in voto; ergo idem dicendum est de Sacramento Pœnitentiæ, ita tamen, ut si Sacramentum postea possit realiter suscipi, omnino necesse sit, cum non aliter Contritio in Lege Nova peccatum dimittat, quam per ordinem ad hoc Sacramentum realiter suscipiendum, quod explicat Filliucius *cap.* 2. *num.* 47. Bonacina *punct.* 3. *nu.* 3. & Suarez *disp.* 17. *sect.* 3. exemplo illius, qui rem aliquam emit non soluto integro pretio, quia venditor habuit ei fidem de reliquo; hic enim emptor assequitur tum dominium, & potestatem rei emptæ, sed cum obligatione solvendi postea integrum pretium cum poterit: ita similiter Contritio, quæ continet votum Sacramenti, peccata dimittit, sed cum ordine ad futuram Confessionem, quasi ad futuram integram solutionem; unde per Contritionem justificatus, tenetur postea confiteri, si possit.

21. Si quæras: *An hujusmodi votum debeat esse explicitum?* Dico sufficere votum implicitum, inclusum in ipsa Contritione perfecta. Colligitur ex Trident. *sess.* 14. *cap.* 4. ubi dicitur, per Contritionem perfectam hominem Deo reconciliari, & hanc reconciliationem non esse adscribendam Contritioni sine voto Sacramenti Pœnitentiæ, quod in illa includitur; sed votum inclusum in Contritione est tantum virtuale, & implicitum, non formale, & expressum; posita siquidem institutione, qua Christus Dominus instituit hoc Sacramentum tamquam medium necessarium ad salutem, Contritio est virtuale desiderium talis medii; est enim virtuale desiderium recedendi a peccato, & consequendi salutem per media divinitus ordinata, sicut etiam est virtuale propositum servandi omnia præcepta, quorum transgressio impedit salutem; & conf. quia Contritio per tale votum implicitum sufficienter dicit ordinem ad claves sine voto explicito, quod non est necessario connexum cum Contritione; si quis enim conteratur de peccatis, prout sunt offensa Dei summe dilecti, vere justificatur, etiamsi nihil cogitet de Confessione facienda, quæ potest memoriæ non occurrere; ergo ad justificationem, quæ fit per Contritionem, non est necessarium votum explicitum, & formale confitendi suo tempore, sed sufficit virtuale, & implicitum; & ita contra Canum tenent Doctores communiter, Alensis, Ricardus, Adrianus, Suarez, quos refert & sequitur Filliucius *supra nu.* 49. S. Thomas, Navarrus, Valentia, Pesantius, & alii, quos sequitur Bonacina *supra num.* 8.

22. Dices: si ad justificationem impii sufficit votum implicitum Pœnitentiæ inclusum in Contritione sequitur non magis esse necessarium votum Pœnitentiæ, quam cujusque alterius operis præcepti, jejunandi, audiendi Sacrum &c. nam in Contritione implicite includitur votum implendi omnia præcepta. Sed contra resp. negando sequelam; licet enim utrumque votum Pœnitentiæ, & observantiæ præceptorum implicite includatur in Contritione, hæc tamen dicitur justificare, prout continet votum Sacramenti Pœnitentiæ, non prout continet votum observandi alia præcepta, quia Sacramentum Pœnitentiæ est a Christo Domino institutum tamquam medium necessarium ad salutem lapsis post Baptismum, sine quo proinde non potest haberi salus, qua ratione non est necessaria observantia aliorum præceptorum, cum non sint per se instituta ad remittenda peccata, sicut est institutum Sacramentum Pœnitentiæ: ac proinde Contritio justificat, prout includens votum Pœnitentiæ, quia ut sic includit votum medii per se necessarii ad justificationem, illiusque vicem gerit: non justificat, prout includit votum observandi alia præcepta, quia prout sic includit votum rei præceptæ, at non votum medii per se essentialiter requisiti.

23. Dices: Contritio non est deterioris conditionis, nec minoris virtutis, & efficaciæ in Lege Nova, quam fuerit in Lege Veteri; sed in Lege Veteri justificabat independenter a Sacramento Pœnitentiæ; ergo etiam nunc justificat independenter a tali Sacramento. Sed contra resp. in Lege Veteri non fuisse institutum Sacramentum Pœnitentiæ tamquam medium necessarium ad remissionem peccatorum consequendum, proinde poterat Contritio justificare independenter a tali Sacramento, cujus votum non erat adhuc in Contritione inclusum; at in Lege Nova, cum Sacramentum sit institutum tamquam medium necessarium, Contritio includit votum talis Sacramenti, & per ordinem ad illud justificat.

D U B I U M IV.

In quo conveniant, & differant Virtus, & Sacramentum Pœnitentiæ.

24. PLura sunt, in quibus inter se conveniunt Virtus, & Sacramentum Pœnitentiæ; sicut plura sunt, in quibus differunt. Primo enim conveniunt in eo, quod tam Virtus, quam Sacramentum ordinetur ad destructionem peccati, ut proinde idem habeant objectum materiale, nempe peccatum actuale, ut destruendum, & vitæ emendandæ propositum, & utraque est necessaria ad illius destructionem, si peccatum sit mortale, quod de via ordinaria sine pœnitentia remitti non potest, ut proinde jure utraque dicatur secunda tabula post naufragium: deperdita enim gratia, & innocentia per peccatum mortale, nullum aliud remedium est evadendi naufragium, resurgendi a peccato, & recuperandi gratiam, & Dei amicitiam, quam Pœnitentia, sive ut Virtus, sive ut Sacramentum, ut patet ex supradictis. Secundo utraque requirit idem subjectum, nempe Hominem adultum. Tertio potest sæpius utraque iterari, non solum circa idem peccatum, quod sæpe sæpius potest utiliter detestari per virtutem pœnitentiæ, aut in dolorosa Confessione manifestari, & absolvi; sed etiam circa alia, & diversa peccata, quæ post Contritionem, & Confessionem successive committuntur.

25. Differunt primo in eo, quod Pœnitentia virtus est in genere actus, seu habitus interni, & non est necessario sensibilis, sed tota consumari potest in actibus internis; & si prodeat in externum, hic non est virtus, nisi ut pendet ab interno: at Sacramentum est in genere signi sensibilis, sicut omnia alia Sacramenta, & consistit in actibus exterioribus Sacerdotis, & Pœnitentis, ut supra dictum est. Secundo differunt in eo, quod Pœnitentia Virtus comparatur ad Pœnitentiam Sacramentum, tamquam pars ad totum; componitur enim Sacramentum ex actibus Pœnitentis, & absolutione Sacerdotis, quia cum sit institutum per modum judicii, debet in eo intervenire accusatio, & vestificatio ex parte Pœnitentis, tamquam Rei per externam accusationem, & internam detestationem; & sententia ex parte Sacerdotis, tamquam Judicis per absolutionem complentis judicium, & sic detestatio, quæ est actus virtutis, est pars Sacramenti superaddentis absolutionem Sacerdotis. Tertio differunt in modo caussandi gratiam, quia ut Virtus gratiam caussat per modum dispositionis, & ex opere operantis, ut Sacramentum caussat ex opere operato, & in genere caussæ efficientis, sive physicæ, sive moralis. Quarto differunt in origine, & antiquitate; nam ut Virtus habuit originem ab ipso Mundi exordio, quando peccatum grassari cœpit, & exercuit suos actus in primo humani generis Parente: Sacramentum vero fuit a Christo Domino institutum in Lege Nova, præcipue *Jo.* 20. quando Christus post Resurrectionem insufflavit in Discipulos, dicens: *Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiseritis, & quorum retinueritis peccata, &c.* & ex tunc cœpit esse necessarium, ut supra dictum est.

CAPUT II.

De materia remota Sacramenti Pœnitentiæ.

DUBIUM I.

Quænam sit materia remota Pœnitentiæ.

MAteria Sacramenti Pœnitentiæ duplex est: alia proxima, alia remota. Materia proxima est illa, ex qua constituitur Sacramentum, tamquam ex parte simul cum absolutione Sacerdotis, & hujusmodi sunt tres actus Pœnitentis, Confessio, Contritio, & Satisfactio, ex qua integratur materia proxima Sacramenti, & dicitur materia, ex qua componitur Sacramentum. Materia remota sunt peccata, quæ per Sacramentum Pœnitentiæ sunt destruenda, & delenda, & dicuntur materia circa quam, sicut lignum dicitur materia ignis. Porro peccata vel sunt originalia, vel actualia, vel sunt venialia, vel mortalia, & hæc vel sunt alias confessa, & legitime absoluta, vel numquam confessa, & absoluta: insuper peccata vel possunt esse commissa ante Baptismum, vel post Baptismum, vel in ipsa susceptione Baptismi. De his omnibus potest esse difficultas: *utrum sint materia hujus Sacramenti sive necessaria, sive sufficiens?*

2. Resp. materia remota Sacramenti Pœnitentiæ sunt omnia, & sola peccata actualia commissa post Baptismum: ita communiter Doctores omnes. Ratio est, quia materia remota alicujus Sacramenti dicitur illa, circa quam versatur materia proxima; sed actus Pœnitentis, qui sunt materia proxima, versantur circa peccata, tamquam circa materiam destruendam; nam Contritio est dolor peccati, Confessio est accusatio peccati, Satisfactio est pœna peccati, sicut absolutio Sacerdotis est remissio peccati; ergo peccata sunt materia remota Sacramenti Pœnitentiæ. Deinde cum hoc Sacramentum sit institutum per modum judicii emendativi, illa erit materia hujus Sacramenti, quæ erit materia judicii; sed materia remota judicii sunt crimina delinquentis; ergo materia remota hujus Sacramenti sunt peccata Pœnitentis, non utique materia, ex qua componitur, vel in qua subjectatur, sed materia circa quam, seu contra quam operatur hoc Sacramentum eam destruendo; sicut panis, & vinum sunt materia Eucharistiæ: & sicut morbi dicuntur materia medicinæ.

3. Dices: in reliquis Sacramentis materia simul cum forma concurrit ad producendam gratiam; ergo si peccata essent materia hujus Sacramenti, deberent concurrere ad producendam gratiam, quod tamen est absurdum. Sed contra dico, materiam permanentem inseparabiliter connexam cum materia proxima, utique concurrere ad caussandam gratiam, cujusmodi est aqua in Baptismo, non vero materiam destruendam, quæ non perseverat; sed destruitur per Sacramentum: sic panis non caussat gratiam in Sacramento Eucharistiæ, nec peccata in Sacramento Pœnitentiæ.

4. Dixi, *peccata actualia post Baptismum commissa*, quia nec peccatum originale, nec peccata actualia ante Baptismum commissa sunt materia hujus Sacramenti, quod pro solis baptizatis institutum est. Ratio desumpta ex Trident. *sess.* 14. *cap.* 1. & 2. est, quia sola peccata hominis subditi Ecclesiæ, & sub ipsius jurisdictione existentis, sunt materia Sacramenti Pœnitentiæ, quod est institutum per modum judicii; judicium autem supponit jurisdictionem, & sic Ecclesia per Sacramentum Pœnitentiæ non judicat, nisi de peccatis subditorum, & eorum, qui intra ipsam sunt, juxta illud 1. Corint. 5. *Quid mihi de his, qui foris sunt, judicare.* Sed solus homo baptizatus est subditus Ecclesiæ, quia Baptismus est prima janua, per quam homo Ecclesiam ingreditur; ergo solum peccata hominis baptizati sunt materia hujus Sacramenti. Conf. ex eo, quod Pœnitentia communiter dici solet secunda tabula, sicut Baptismus prima tabula; si autem posset per ipsam homo liberari a naufragio etiam peccati originalis, & aliorum peccatorum ante Baptismum, non esset cur prima tabula dici non posset. Ita tenent Doctores communiter, quos affert Bonacina *quæst.* 3. *punct.* 1. *num.* 4.

5. Dices: facile contingere potest, Sacramentum Baptismi suscipi sine debita dispositione, immo cum obice, quo casu non remittit peccatum originale, nec actualia præcedentia, quæ tamen remittuntur postea per Sacramentum Pœnitentiæ; ergo hoc Sacramentum potest remittere peccata commissa ante Baptismum. Sed contra dico, etiam in dato casu peccatum originale, & actualia præcedentia remitti per Baptismum, qui reviviscit, posita pœnitentia: ita quod Sacramentum utrumque suum habeat effectum in eodem instanti: Baptismus quidem in ordine ad peccata præcedentia, & Pœnitentia in ordine ad subsequentia.

6. Restat difficultas de peccatis commissis in ipsa susceptione Baptismi: de quibus nonnulli affirmant, peccatum fictionis, seu indignæ susceptionis Baptismi, debere remitti per Sacramentum Pœnitentiæ; reliqua vero peccata, odii, luxuriæ, vel alterius speciei, quæ forte committuntur in ipsa susceptione Baptismi, negant esse materiam Pœnitentiæ; sed volunt pertinere ad Baptismum, & per illum remitti. Ita Cajet. 3. *part. quæst.* 69. *art.* 10. Petrus Soto *lect.* 4. *de Baptismo*, Diana *part.* 3. *tract.* 4. *resol.* 14. & apud ipsum Cabrera *de Sacrament. quæst.* 69. Sylvius 3. *part. quæst.* 69. *art.* 10. Joan. de la Crux, Villalobos, & Nugnus.

7. Alii e contra affirmant, non solum peccatum fictionis, & indignæ susceptionis, sed omnia peccata tunc commissa, & existentia in instanti terminativo Baptismi, esse materiam Confessionis subsequentis, & sic debere omnia a Pœnitente postea confiteri. Ita Madernus hic *q.* 4. *art.* 1. & de Sacramentis in communi *qu.* 3. *art.* 12. Lugus *disp.* 16. *sect.* 1. Valentia 3. *part. disp.* 4. *qu.* 4. *punct.* 2. Francisc. a Jesu M. *cap.* 4. *punct.* 1. *n.* 15. & apud ipsum Aravio, Ledesma, Durandus, & alii, quia eadem ratio militat de istis peccatis existentibus in instanti terminativo susceptionis Baptismi, ac de fictione, quæ est indigna susceptio Sacramenti, cum & illa impediant gratiam baptismalem; ergo si fictio tollitur per Sacramentum Pœnitentiæ, & est illius materia remota, hoc idem dicendum de aliis peccatis concomitantibus Baptismum.

8. Verum hæc difficultas potius est speculativa, quam practica; nam in praxi omnia peccata tunc commissa, sive sint indignæ susceptionis, sive odii, luxuriæ, aut alterius speciei, debent in sequenti Confessione explicari, tamquam materia illius necessaria, quia nemo scire potest, an voluntas illa peccaminosa duraverit aliquo instanti post Baptismum, vel terminaverit cum ipso Baptismo, vel aliquo instanti ante, & sic peccatum illud saltem ut dubium debet explicari in sequenti Confessione, secundum malitias proprias talis peccati. Ita Doctores communiter, Lugus, & Madernus *supra*, Suarez *disp.* 28. *sect.* 3. Leander *disp.* 1. *q.* 8.

9. Speculative loquendo, utraque opinio potest esse probabilis, licet magis placeat secunda, quia peccata, quæ committuntur in ipsa susceptione Baptismi, vera sunt peccata Hominis Christiani, pro tali instanti habentis Characterem, & subditi clavibus, & sic pertinent ad Judices Ecclesiæ. Nec obstat, talia peccata esse concomitantia, non subsequentia Baptismum, cujusmodi debent esse peccata, quæ sunt materia remota pœnitentiæ; nam hæc peccata, licet concomitentur Baptismum, quoad infusionem Characteris, præcedunt tamen natura gratiam, quam impediunt; quare sicut fictio, & indigna susceptio Baptismi, quia impedit gratiam baptismalem, dicitur pertinere ad pœnitentiam: ita similiter alia peccata concomitantia, cum & ipsa impediant gratiam baptismalem, debent & ipsa pertinere ad Sacramentum Pœnitentiæ, tamquam materia illius.

DUBIUM II.

Quænam sit materia necessaria Sacramenti Pœnitentiæ, & quænam sufficiens?

10. REspond. 1. peccata mortalia post Baptismum commissa, & nondum confessa, sunt materia necessaria Sacramenti Pœnitentiæ: peccata vero jam rite confessa, non sunt materia necessaria, sed sufficiens. Prima pars est de fide definita in Concil. Trident. *sess.* 14. per varia capita, maxime *cap.* 5. & *cap.* 7. Ratio est, quia peccata mortalia post Baptismum commissa sunt peccata hominis baptizati, & subditi Ecclesiæ, & quæ a Sacerdotibus absolvi possunt, & debent, cum ad illa præsertim tollenda institutum sit hoc Sacramentum; dicuntur autem talia peccata materia neces-

necessaria, quia tolli non possunt, nisi per hoc Sacramentum, vel per ordinem ad illud, sic qui justificatur per Contritionem perfectam, vel per actum dilectionis: retinet obligationem subjiciendi huic Sacramento talia peccata, ut dictum est *cap. præcedenti*, de necessitate talis Sacramenti.

11. Secunda pars est certa ex usu, & consuetudine Ecclesiæ; & quia, ut ait Benedictus XI. in Extrav. Inter cunctas de Pœnitentiis: *Una absolutio liberat ab obligatione ulterius*; & sic peccata semel confessa, & rite absoluta, non sunt amplius materia necessaria hujus Sacramenti: quod si Confessio fuisset invalida, tunc essent materia necessaria, & iterum subjicienda clavibus, ut per se patet: Quod vero sint materia sufficiens, constat ex consuetudine Fidelium, peccata semel confessa pluries clavibus subjicientium, & ex definitione Benedicti XI. asserentis: *salubrem esse talem Confessionem*. Ratio est, quia Christus non limitavit potestatem absolvendi ad unum actum, siquidem in secunda, & tertia Confessione eorumdem peccatorum, quamvis sit eadem numero materia remota, variatur tamen materia proxima, nempe dolor, & hoc sufficit, ut simul cum forma constituatur novum Sacramentum, ut patet in Baptismo, qui per novas ablutiones in eadem aqua potest sæpius dari. Adde, quod secunda absolutio, per ordinem ad secundam confessionem ejusdem peccati confessi, potest habere novum effectum, confert enim augmentum gratiæ, & remissionem partis pœnæ temporalis relictæ post primam absolutionem: ad distinctionem formæ Sacramenti Eucharistiæ, quæ non potest iterari super eamdem numero hostiam, quia totum, quod per Sacramentum fieri potest, semel factum est; & ita tenent Doctores omnes.

12. Dices: in aliis Sacramentis non potest super eamdem materiam forma iterari, neque enim potest eadem hostia bis consecrari; ergo neque in Sacramento Pœnitentiæ super eadem peccata, quæ sunt materia, potest iterari absolutio, quæ est forma. Sed contra: antecedens rerum est de materia proxima, non de remota, ut patet in Baptismo, in quo potest eadem aqua, quæ est materia remota Baptismi, in administratione plurium Baptismorum adhiberi: Ita etiam peccata, quæ sunt materia remota Sacramenti Pœnitentiæ, possunt pluries Sacramento subjici, & semper resultabit novum Sacramentum, propter novam, & diversam numero materiam proximam, & formam. Nec timendum est, quod forma absolutionis super peccata jam remissa, aut inutiliter, aut falso proferatur: non inutiliter, quia habebit pro effectu augmentum gratiæ, & diminutionem pœnæ: non falso, tum quia sensus illorum verborum: *Ego te absolvo a peccatis*, talis esse potest, tibi confero gratiam remissivam peccatorum, si adsint, tum quia in toto rigore salvari potest secunda peccati remissio: peccatum enim semel remissum, potest iterum, atque iterum proprie, rigoroseque remitti; ut explicari potest in reconciliatione humana, in qua potest quis iterum, atque iterum petere, & obtinere remissionem offensæ: item in foro humano, in quo potest Reus in pluribus Tribunalibus per plures sententias ab eodem crimine vere absolvi.

13. Hinc sequitur, nullam adesse necessitatem explicandi in secunda, & tertia confessione numerum, aut circumstantias eorumdem peccatorum, quamvis melius sit aliquod in particulari semper explicare, & inde poterit, habens plura hujusmodi peccata mortalia, aliqua confiteri, & alia reticere, ut cum Soto, Reginaldo, Victoria, tradit Bonacina *disp.* 5. *q.* 3. *punct.* 2. *n.* 11. poterit etiam aliqua confiteri hodie, & alia cras distinctius confessionibus, sive confessiones fiant uni, & eidem Sacerdoti, sive diversis, quia nimirum sunt materia voluntaria, non necessaria. Bonacina *ibidem*, Leander *disp.* 2. *quæst.* 35.

14. Resp. 2. Peccata venialia non sunt materia necessaria Sacramenti Pœnitentiæ, sed tantum sufficiens, est de fide definita in Trident. *sess.* 14. *c.* 5. ubi id probat, quia Sacramentum Pœnitentiæ est Sacramentum reconciliationis lapsis a gratia, per peccatum autem veniale non amittitur gratia; & quia peccatum veniale remitti potest pluribus modis, cum peccatum mortale commissum post Baptismum non possit tolli, nisi per Sacramentum Pœnitentiæ, vel in re, vel in voto. Sunt autem materia sufficiens, quia, ut habet Trident. *ibidem*, recte, utiliter, citraque omnem præsumptionem dici possunt in confessione, ut patet ex piorum hominum usu, esto sine culpa taceri, & multis aliis modis expiari queant.

15. Hinc sequitur, Pœnitentem non teneri in confessione manifestare peccata venialia, & posse unum confiteri, & alia reticere, si voluerit, quia non sunt materia necessaria, sed solum sufficiens. Ita Navarrus, Coninch, Valentia, Henriquez, Reginaldus, Suarez, quos affert, & sequitur Bonacina *q.* 3. *punct.* 1. *n.* 6.

16. Dixi, *peccatum veniale non esse materiam necessariam necessitate Sacramenti*; quia de jure Divino nemo tenetur confiteri venialia, ut patet ex Trident. *supra*, potest tamen esse materia necessaria alia necessitate, v. g. ex voto, ex promissione, aut præcepto Ecclesiastico; nam potest Ecclesia præcipere confessionem venialium, non quidem directe faciendo, ut talis materia, quæ ex se non est necessaria, sit simpliciter necessaria ad Sacramentum; ad hoc enim eadem requiritur potestas, quæ ad Sacramenti institutionem; sed indirecte, quatenus præcipere potest usum Sacramenti, v. g. annuam Confessionem, vel certis temporibus, ita ut qui non habeant conscientiam mortalis, tunc præceptum illos obliget ad confessionem venialium, ob finem secundarium utilitatis nostræ, & cultus Divini, & tunc sufficeret dicere unum veniale; non enim tunc posset Ecclesia præcipere confessionem omnium venialium, quia tale præceptum esset nimis onerosum. Ita Suarez, Navarrus, Vasquez, Reginaldus, quos affert, & sequitur Bonacina *n.* 8. Layman *tract.* 6. *c.* 5. Lugus *disput.* 15. *n.* 129. Candidus *disquis.* 24. *art.* 4. *dub.* 2. *p.* 11. Diana *part.* 8. *tract.* 1. *resol.* 15.

DUBIUM III.

An Peccata dubia sint materia necessaria Sacramenti Pœnitentiæ?

17. Dubium duplex est: aliud *positivum*, aliud *negativum*. Dubium positivum contingit, quando pro utraque parte dantur rationes probabiles, quibus prudenter moveri potest intellectus ad illis assentiendum, & dicitur etiam *dubium opinativum*: &, proprie loquendo, non dicitur dubium, sed judicium probabile. Dubium negativum, quod proprie dubium est, contingit, quando pro neutra parte dantur rationes moventes, vel si quæ dantur rationes, & conjecturæ, ita enervantur a rationibus alterius partis, ut intellectus prudenter moveri non possit ad assensum alterutrius, sed anceps manet, & suspensus; & hoc aut potest versari circa factum: *an peccatum commiseris*, *vel non*: *an pravæ cogitationi consenseris*, *vel non*: & vocatur *dubium facti*; vel circa prohibitionem, ut certus, te fecisse talem actionem, te esse furatum, te pravæ cogitationi consensisse, dubitas: *an sit peccatum mortale*, *seu veniale*: *an habueris*, *vel non habueris sufficientem advertentiam*; vel certus te commisse peccatum mortale, dubitas, *an fueris illud confessus*; *vel non*; & dicitur *dubium juris*. His suppositis

18. Resp. in dubio positivo, quando nimirum quis probabiliter judicat, se peccasse in tali materia, nec fuisse confessum, tale peccatum est materia confessionis, sed non necessaria. Ratio est, quia, quando dantur diversæ opiniones probabiles, liberum est unicuique sequi quam voluerit; sed in casu posito dantur opiniones probabiles de tali peccato, *an sit commissum*, *vel non*: *an sit confessum*, *vel non*; ergo liberum tibi est sequi utramque opinionem: & inde si sequaris opinionem asserentem, te peccasse mortaliter, nec fuisse confessum, jam tale peccatum, si est mortale, evadit materia necessaria confessionis: si autem sequaris opinionem asserentem, illud non esse peccatum, vel jam te fuisse confessum, non teneris illud confiteri, quia opinio probabilis, sicut in aliis materiis, ita in præsenti, sufficit ad observandum præceptum. Et ita tenet Bonacina *disp.* 5. *quæst.* 5. *sect.* 2. *punct.* 2. §. 3. *diff.* 4. Diana *part.* 3. *tract.* 4. *resol.* 107. Lugus *disp.* 16. *n.* 58. Filliucius *c.* 4. *n.* 108. Sanchez, Suarez, Facundez; quos sequitur Leander *disp.* 5. *quæst.* 28.

19. Major difficultas est in dubio negativo, sive facti, sive juris, ut si dubitas: *peccatum commisisse*, *vel non*, *aut illud fuisse mortale*, *an veniale*, *an tenearis illud confiteri sub dubio*: in quo maxime discrepant Doctores. Prima Sententia tenet, peccata dubia non esse materiam necessariam confessionis, adeoque nullam adesse obligationem confitendi peccatum illud, quod post debitum examen dubium manet, *an fuerit*, *vel non fuerit commissum*; vel si constat fuisse commissum, dubitatur, *an fuerit mortale*, *aut veniale*. Ratio est, quia ex Tridenr. *sess.* 14. *cap.* 5. Pœnitens nihil aliud confiteri tenetur, quam peccata mortalia, quorum post diligentem sui discussionem conscientiam habet; sed peccatorum, de quibus dubitat, conscientiam non habet; siquidem conscientia, in ordine ad certam obligationem, importat notitiam scientificam, certam, & determinatam, juxta illud Divi Bernardi *lib.* 1. *de Conscientia cap.* 8. *Conscientiam esse quasi cordis scientiam*; at dubium non est notitia certa, & scientifica, cum ignoretur, an sit commissum. Item ex eodem Trident. nihil aliud a Pœnitentibus exigitur, quam ut postquam quisque diligentius se se excusserit, & conscientiæ suæ latebras exploraverit, ea peccata confiteatur, quibus se Dominum, & Deum suum mortaliter offendisse meminerit, sed qui tantum habet dubium de peccato, non meminit se Deum offendisse; nam illud verbum *meminerit*, idem videtur importare, quod agnoverit determinate, seu determinato assensu judicaverit. Denique Trident. *eodem cap.* 5. *& can.* 7. explicans peccata necessario confitenda, tantum exprimit peccata mortalia quoad speciem, & numerum, & circumstantias mutantes speciem, & nihil prorsus dicit de peccatis dubiis; ergo quia non sunt materia necessaria; secus defecisset Concilium in assignanda materia necessaria. Et sic Theologi satis communiter asserunt, circumstantias aggravantes non esse materiam necessariam confessionis, quia Concilium de his nihil dixit, sed tantum de mutantibus speciem: ita cum nihil dixerit de peccatis dubiis, non sunt censenda materia necessaria confessionis.

20. Ratio etiam est, quia in dubio delicti nemo cogendus est sententiam subire, & pœnam. 2. Quia melior est conditio possidentis suam libertatem in tali dubio nega-

tivo;

tivo; sed Pœnitens est in possessione suæ libertatis, quia liber est ab obligatione confessionis peccati, de quo non constat, sed dubitatur modo dicto; ergo per tale dubium supervenicns non est obligandus. 3. Quia in dubiis aliorum præceptorum, & obligationum possessio semper stat pro libertate; sic qui dubitat de voto emisso, vel de debito contracto, ad nullam solutionem tenetur, & qui dubitat, an fecerit contra legem habentem annexam excommunicationem, non tenetur se habere pro excommunicato; ergo neque tenetur confiteri, qui dubitat se mortaliter peccasse, quia in utroque casu possessio stat pro libertate dubitantis, estque semper melior conditio possidentis suam libertatem. Et ita tenent Caramuel in *Theolog. moral. lib. 3. c. 1. disp. 4. num.* 1481. & in *Theolog. fundam. n num.* 1902. ubi plures affert Auctores. Eamdem confirmat Layman *lib. 1. tract. 1. cap. 5. §. 4. n. 37.* licet non audeat aliquid determinare. Coninch *disp. 7. de Pœnitent. dub. 8. concl.* 2. Marchant. *in Trib. Sacrament. tract. 4. tit. 6. quæst. 5.* Ferrantin. *de Scandalo quæst. 77.* & alii, quos citat, & sequitur Antonius a Spiritu Sancto *disp. 5. sect. 2. nu.* 270.

21. Verum non est recedendum a communi Sententia docente, peccata dubia esse necessario in Confessione manifestanda sub dubio, & talia peccata esse materiam necessariam confessionis, sive dubium sit facti, sive juris. Ita, præter innumeros alios Antiquiores, & Recentiores, Reginaldus, Henriq. Valentia, Emanuel Sà, Nugnus, Suarez, Navarrus, Azorius, Sanchez, quos citat, & sequitur Bonacina *supra n. 1. & de Euchar. disp. 4. q. 6. par. 1. n.* 12. Averla *quæst. 50. de Confess. sect.* 3. Diana pluribus in locis *part. 3. tract. 4. resol. 60. part. 4. tract. 3. resol. 5. part. 10. tract. 12. resol. 2. & part. 11. tract. 8. resol.* 44. Lugus *disp. 16. n.* 63. Leander *disp. 5. q. 25. & 26.* Homobonus *in consult. casuum Conscient. vol. 2. part. 5. resol.* 131. & aliis citatis, Bossius *part. 2. Moral. tit. 1. §* 48. Madernus *q. 4. art. 3.* ubi *n. 9.* asserit, opinionem contrariam non esse probabilem, utpote contra torrentem Scholasticorum, sensum, & praxim totius Ecclesiæ.

22. Ratio desumitur ex voluntate, & ordinatione Christi instituentis hoc Sacramentum, & obligantis Fideles ad confitenda peccata omnia mortalia, etiam de quibus dubitant; quæ institutio, & ordinatio constat ex communi sensu, & praxi totius Ecclesiæ, cujus initium non agnoscitur, & creditur ab ipsis Apostolis emanasse, qui vim, & obligationem in hujus Sacramenti institutione inclusam melius percipere potuerunt; omnes namque Fideles de hujusmodi peccatis se accusant, nec aliter satisfacere suæ obligationi existimant. Eamdem veritatem satis indicat Concil. Trident. *sess. 14. cap. 5. & can. 7.* ubi excipit a necessitate confitendi sola peccata venialia; & dum ait: *oportere a Pœnitentibus omnia peccata mortalia, quorum conscientiam habent, in Confessione recenseri*, supponere videtur, peccata mortalia dubia esse necessario confitenda; nam ea, de quibus Pœnitens dubitat, dicitur ea habere in conscientia, habere de iis remorsum conscientiæ, & habere de iis conscientiam dubiam; conscientia siquidem non est solum notitia certa, & scientifica, sed etiam dubia, cum dividatur communiter conscientia in certam, erroneam, dubiam, & probabilem; & inde qui dubitat de peccato mortali, licet non habeat peccatum certum, habet dubium in sua conscientia, habet remorsum conscientiæ, & non potest absolute dicere: *nihil mihi conscius sum*: item dicitur illorum meminisse, & illorum habere notitiam sub dubio. Conf. quia præscindendo ab institutione Sacramenti, tenetur homo conteri de peccato dubio non solum in mortis articulo, ne exponatur periculo damnationis æternæ, sed etiam in vita, quoties tenetur conteri de aliis peccatis certis, ut possit redire in gratiam, & amicitiam Dei; ergo posita institutione Sacramenti, tenetur Fidelis peccatum dubium confiteri sacramentaliter: illud enim, quod est materia Contritionis, est etiam materia Confessionis, nec remittitur, nisi per ordinem ad claves; ergo si peccatum dubium est materia Contritionis, est etiam materia necessaria Confessionis.

23. Hinc facile patet responsio ad ea, quæ ex Concilio afferebantur pro sententia opposita; nam peccata dubia vere sunt in conscientia, & illorum dicitur Pœnitens meminisse: per quod verbum Concilium voluit solum excludere mortalia inculpabiliter oblita, non peccata dubia, cognita ut talia, ut patet ex contextu. Nec defecit Concilium in assignanda materia necessaria, cum universaliter dicat, esse confitenda omnia peccata mortalia, quorum post diligentem discussionem quis habet conscientiam. Ad primam rationem, quod in dubio nemo sit cogendus subire sententiam, & pœnam, dico, id esse verum in judicio sæculari, ordinato ad punitionem, non autem in judicio sacramentali, ordinato ad salutem, & medicinam animæ: ita præcipiente Christo, & imponente obligationem, peccata etiam dubia confitendi. Ad secundam dico, hominem non privari sua libertate ob rationem tantum dubiam, sed propter dubium speculativum, quod secum affert certitudinem practicam circa obligationem confitendi. Ad tertiam, Pœnitentem non possidere suam libertatem, quia constat, latam esse legem obligantem ad peccata dubia confitenda. In dubio voti, & aliorum præceptorum possessio stat pro dubitante, quia suam libertatem possidet, quousque constet de voto, & obligatione. In nostro casu possessio stat pro lege Confessionis obligante ad peccata dubia confitenda, ut patet ex communi Doctorum Sententia, ex praxi, & usu totius Ecclesiæ, & ex Trident. *supra*; & inde, qui scit se habere peccata dubia, non dubitat de præcepto, & lege Confessionis, licet dubitet de peccatis.

24. Dices: qui dubitat, peccatum esse reservatum, non tenetur adire Superiorem; ergo neque qui dubitat peccatum esse commissum, vel esse mortale, non tenetur adire Confessarium pro absolutione. Sed contra: obligatio confitendi peccata dubia provenit ex voluntate Christi sufficienter nobis manifestata, per usum, & praxim totius Ecclesiæ, ac Doctorum consensum: reservatio peccatorum provenit a voluntate Superiorum, de qua in dubio sufficienter non constat. Deinde reservatio peccatorum est odiosa Pœnitenti: Confessio vero non est odiosa, sed favorabilis, & medicinalis, cum cedat in salutem animæ, quam liberat a peccatis: odiosa vero sunt restringenda, & favorabilia amplianda.

25. Hinc sequitur, a fortiori teneri ad Confessionem, qui certus se peccasse mortaliter, dubitat se fuisse confessum, quia tunc possessio stat pro debito certo confessionis, a quo quis non liberatur per dubiam solutionem. Excipiuntur tamen scrupulosi, qui etiam in manifeste licitis dubitant, an peccaverint, vel sint peccatum semel commissum confessi, quibus proinde suaderi debet, ne umquam confiteantur aliquod, nisi de quo certo illis constet, quod sit peccatum, & non sint confessi, quamvis sibi videantur habere judicium probabile non fuisse confessos, ut cum aliis docet Bossius *part. 2. Moral. tit. 1. n* 1759. ubi ex Sanchez, Sancio, Bonon, & Emanuele Sà notat, scrupulosum non debere fateri, nisi quæ potest jurare esse mortalia, & se numquam ea fuisse confessum. Excipiuntur etiam illi, quibus diu post patratum peccatum suboritur aliquod dubium, quia si soliti sunt integram, & exactam facere Confessionem, dubium postea subortum non est prudens.

26. Adverte hic, peccata dubia debere in Confessione manifestari ut dubia, non ut certa; nam manifestari debent, prout sunt in conscientia: si autem sunt in conscientia dubia, debent sub dubio explicari, estque mendacium grave, & peccatum ex genere suo mortale, illa manifestare ut certa, quia variaretur judicium Confessarii. Sæpe tamen excusat a mortali, immo etiam a veniali, simplicitas, & bona fides Pœnitentis, existimans melius esse se accusare, quam excusare, ut notat Bossius *loc. cit. n.* 1763.

27. Advertunt etiam Doctores communiter, cum peccato dubio adjungendum semper esse in Confessione peccatum aliquod certum, saltem veniale, ut sic evitetur periculum faciendi Sacramentum invalidum, ut cum aliis tradit Suarez *in 3. part. disp. 18. sect. 1. n.* 12. Quod si haberi non possit materia certa propter oblivionem, instantem necessitatem, aut aliud impedimentum, non debet Confessarius absolute, & simpliciter tradere absolutionem, sed dumtaxat conditionate, pensata qualitate necessitatis, quod procedit in dubio facti, *an peccatum sit commissum, vel non sit commissum*: si enim dubium versetur circa quantitatem peccati, *an peccatum, quod certe constat fuisse commissum, sit mortale, an veniale*: vel dubium sit, *an fuerit alias confessum, vel non*, tunc poterit impendi absolutio sine ulla conditione, quia jam datur materia certa sufficiens, sive illa sit peccatum mortale, sive veniale, ut bene doceat Thomas Sanchez *lib. 1. Summæ cap. 10. n.* 70. Candidus *disquis. 24. art. 4.* & alii.

DUBIUM IV.

An peccatum confessum ut dubium debeat iterum in Confessione explicari, si postea cognoscatur esse certum.

28. Certum est, Pœnitentem, qui bona fide confessus est peccatum ut certum, si postea incipiat dubitare, *an vere illud commiserit*, non teneri illud iterum confiteri, ut dubium; nam qui confessus est, & directe absolutus a delicto certo, multo magis censetur absolutus a dubio. Similiter, qui bona fide majorem numerum peccatorum expressit, non tenetur iterum manifestare minorem numerum, si inveniat se minus peccasse, quia in majori numero continetur, & absolutus est minor. Difficultas est: *an peccatum confessum ut dubium, iterum debeat manifestari in Confessione ut certum, si postea cognoscatur esse certum*, in quo discrepant Doctores.

29. Prima Sententia docet, Pœnitentem, qui confessus est peccatum ut dubium, si, facta majori diligentia, postea inveniat esse certum, debere iterum in Confessione manifestare ut certum. Ratio est, quia peccatum debet manifestari in Confessione, prout est in conscientia Pœnitentis; sed prædictum peccatum, quod ante erat dubium, jam est in conscientia Pœnitentis ut certum, qua ratione non fuit subjectum clavibus, sed solum ut dubium; ergo debet iterum in Confessione manifestari ut certum. Conf. quia si ab initio peccatum illud fuisset in conscientia certum, debuisset tamquam certum in Confessione explicari; cessante igitur ignorantia, & bona fide, quæ excusabat a Confessione, resurgit obligatio confitendi illud certum, quæ obliga-

obligatio prius fuerat per accidens impedita, seu suspensa. Adde, quod peccatum illud incertum, quando postea scitur ut certum, notabiliter variat judicium Confessarii, & transfert illud de materia non necessaria Sacramenti, in materiam necessariam. Ita tenent Sanchez *lib.1. Summ. c.* 10.*n.69.* Turrianus *de Pœnit. qu.9. art.2. disp.29. dub.6.* Hurtadus *disp.9. de Pœnit. diff.7.* Diana *part.3. tract.4. resol.91. part.9. tract.3. resol.6. & part.10. tract.16. resol.78.* Addit Sanchez, hoc non procedere, quando Pœnitens integre fassus est peccatum, quod fecit, dubitat tamen, an esset mortale; quamvis enim Confessor simili dubio teneretur, non est tamen illud peccatum iterum confitendum, si Pœnitens, aut Confessor postea cognoscat illud esse mortale, quia jam plene fuit in Confessione illud peccatum manifestatum, nec aliqua occurrit nova circumstantia manifestanda, nec requiritur ad valorem Confessionis, ut Pœnitens, aut Confessor determinate sciant, peccatum confessum esse mortale.

30. Secunda Sententia, quam satis probabilem judicio, negat, esse obligationem iterum manifestandi in Confessione tamquam certum peccatum, quod fuit manifestatum ut dubium, si, cessante dubio, cognoscatur esse certum. Ratio est, quia peccatum illud in prima Confessione explicatum ut dubium, prout erat in conscientia Pœnitentis, vere fuit subjectum clavibus, in ordine ad obtinendam absolutionem, si forte fuit commissum, fuitque a Sacerdote absolutum, non indirecte, sed directe sub conditione implicita, si fuit peccatum; ergo non videtur necessaria alia Confessio, quamvis postea constet fuisse certo commissum, quia peccatum semel directe absolutum, non est amplius materia necessaria Confessionis, ut colligitur ex Trident. *sess.* 14. *cap.5.* & docent communiter Doctores.

31. Conf. ex communi Sententia, si Pœnitens se accusat, decies circiter, plus, minusve pejerasse, & postea certo cognoscat undecies, vel duodecies pejerasse, non tenetur illas duas vices iterum exponere in Confessione, quia illa duo peccata fuerunt in præcedenti Confessione sufficienter expressa, & directe remissa, quamvis non fuerint expressa, nisi sub dubio: si enim a principio certe constasset de illis, debuissent determinate manifestari, nec fuisset satis dicere plus, minusve; quia peccata debent aperiri Confessori, prout sunt in conscientia Pœnitentis; ergo neque peccatum dubium, ut tale confessum, erit necessario iterum confitendum, habita illius certitudine; quia vere fuit expositum, prout erat in conscientia Pœnitentis, & directe fuit per absolutionem remissum. Confirm. 2. Dubitans de voto, aut censura, si petat, & obtineat absolutionem sub conditione, si votum emisit, vel censura sit ligatus, non tenetur amplius petere absolutionem, quamvis postea certo cognoscat, se vere votum emisisse, aut censura fuisse ligatum, quia per illam absolutionem conditionatam vere fuit liberatus a vinculo voti, & censuræ; ergo dubitans de peccato commisso, si per absolutionem obtineat remissionem, vere remanet directe absolutus, nec amplius tenetur tale peccatum in Confessione manifestare.

32. Conf. 3. Si quis integre confiteatur peccatum certum, de quo dubitat, *an fuerit mortale, vel veniale*, non tenetur iterum illud in Confessione exprimere, quamvis certo constet esse mortale, ut cum aliis notat Sanchez *supra*, quia jam plene fuit in Confessione illud peccatum manifestatum, & Sacerdos voluit illud absolvere, prout erat a parte rei; ergo neque debet exponi peccatum, quod fuit expositum ut dubium, prout erat in conscientia Pœnitentis, secundum numerum, speciem, & gravitatem. Hanc Sententiam probabilem putat Lugus *disp. 16. de Pœnit. sect. 4.* quamvis ipse nihil audeat definire: non improbabilem vocat Bossius *supra n.* 1774. ubi dicit, illam viam præcludere pluribus scrupulis, quæ ex praxi prioris sententiæ facile possunt oriri. Sequuntur Madernus *qu.3. art.4.* & apud ipsum Bresserus *lib.4. de Conscient. c.18. n.197.* Merolla *to. 1. disp.3. n.557. & 559.* Arriaga *disp.31. de Pœnit. sect.6.* Antonius a Spiritu S. *disp.5. sect.3.* Pellizarius, & Tamburinus apud Dianam *part.9. resol.6. cit.* Leander *disp.5. qu.27.*

33. Non obstant fundamenta Sententiæ oppositæ, quia ad validam totius peccati absolutionem solum requiritur, & sufficit, ut integre, & plene manifestetur secundum essentiam, speciem, & gravitatem, prout est in conscientia Pœnitentis, tunc quando quis confitetur, ut ab illo directe absolvatur, non vero secundum notitiam subsequentem, quæ cum inveniat peccatum directe absolutum secundum numerum, speciem, & circumstantias essentiales, non importat obligationem novæ Confessionis. Si ab initio, ut certum fuisset in conscientia, ita debuisset explicari, sed stante ignorantia, & dubio, cessavit illa obligatio, quæ non reviviscit adveniente notitia certa, quia cessavit finis talis obligationis, qui erat obtinere absolutionem directam illius peccati. Certitudo peccati superveniens non variat notabiliter judicium Confessarii in eo, quod est de necessitate Confessionis, cum & peccata dubia sint materia necessaria, illiusque species, & numerus est sufficienter manifestatus. Dato tamen, & non concesso, quod per certitudinem supervenientem peccatum transiret a materia non necessaria Confessionis in materiam necessariam, adhuc tamen non variaret notabiliter judicium Confessarii, cum in Sententia communi faciens Confessionem generalem, non teneatur necessario distinguere peccata alias confessa, quæ sunt materia sufficiens, a peccatis non confessis, quæ sunt materia necessaria, ut patebit dubio sequenti.

34. Ex dictis recte infert Tambur. *in Methodo expedit. Confess. lib.2. c.1. §.4. n.29.* Rusticos, mulierculas, puerosque, qui bona fide suas Confessiones coram Parocho etiam indocto grossiore modo exhibuerunt, licet peritiores, vel grandiores effecti videant in multis se defecisse, unde & multa dubia pro certis, & e contra certa pro dubiis, unumque numerum pro alio, se dixisse animadvertant, non esse cogendos repetere Confessiones: quia satis, superque saltem in confuso Confessarius eorum peccata percepit, & directe absolvit, & ex alio capite praxis Fidelium est hasce Confessiones non repetere; ad quod si Fideles obligarentur, omnia scrupulis essent obnoxia.

DUBIUM V.

An faciens Confessionem generalem, teneatur manifestare omnia peccata, etiam alias confessa, & hæc distinguere a nondum confessis?

35. Omnia esse aperienda, nec aliqua posse reticeri, docent Victoria, & Ledesma apud Dianam *part. 3. tract.4. resol.82.* quia aliter faciendo Pœnitens decipit Confessarium, qui Christi vicem gerit, in re gravi. Communis tamen, & vera Sententia docet, non esse necessario omnia aperienda, sed licite posse aliqua, plura, vel pauciora, pro libito reticeri. Ratio est, quia peccata semel confessa, & rite absoluta, non sunt materia necessaria, sed voluntaria Confessionis; ergo non tenetur Pœnitens ea omnia iterum confiteri. Nec obstat, si dicat, se velle facere Confessionem generalem omnium peccatorum, quam non facit; nam ad summum peccat venialiter mentiendo, sed quia nihil omittit, quod sit de necessitate Sacramenti, nec mentitur in materia necessaria Sacramenti, non invalidat Sacramentum, nec decipit Confessarium in re gravi pertinente ad Sacramentum. Et ita tenent Bonacina *disp.5 q.5. sect.2. part.2. §.2. diff.2. n.14.* Diana *part.3. tract.4. resol.86.* Anton. a Spiritu S. *disp.5. sect.5.* Leander *disp 5. quæst.18.* Facundez *præcept.2. lib.3. cap.3. num.12. & lib.2. cap.2. n.3.* qui addit, nec forte peccare venialiter, quia nomine peccatorum omnium venit major numerus illorum; & ita adhuc venialiter non mentiretur, qui mortale aliquod taceret. Lugus *disp.16. n.56.*

36. Major potest esse difficultas circa secundam tituli partem: *an debeat Pœnitens distinguere, quænam peccata fuerint alias confessa, & quæ nondum sunt confessa?* ne Confessarius decipiatur, existimando aliqua peccata esse materiam necessariam Confessionis, quæ sunt tantum materia sufficiens, vel esse materiam tantum sufficientem; quæ sunt materia necessaria. Affirmant Perez *disp.21. sect.8. n.* 4. Thomas Hurtadus *var. tom.2. tract.7. cap.5. resol.9. n. 99.* & Turrianus *Centur.4. Theolog. dub.7.* qui addit, Sententiam contrariam esse improbabilem, & in praxi non tutam, sed potius perniciosam bonis moribus.

37. Resp. non teneri Pœnitentem distinguere peccata confessa a non confessis, & explicare, quænam fuerint peccata post ultimam Confessionem commissa. Ratio est, quia ad validam Confessionem requiritur, & sufficit, quod peccator se accuset de omnibus peccatis a se commissis secundum speciem, & numerum; sed in casu proposito Pœnitens, etiamsi non distinguat peccata alias confessa a non confessis, vere explicat speciem, & numerum peccatorum; ergo non tenetur distinguere peccata confessa a non confessis, nec explicare, quænam fuerint peccata post ultimam Confessionem commissa: siquidem peccatum semper est idem omnino, & secundum suam speciem, & numerum, sive Pœnitens fuerit antea illud confessus, sive non, nec illa circumstantia temporis variat ullo modo peccatum. Nec obstat, quod Confessarius existimet, peccata post ultimam Confessionem commissa esse peccata antiqua, & alias confessa, nam hoc non variat speciem, & essentiam peccati: nec Pœnitens affirmat, fuisse alias confessa, sed solum intendit se accusare de peccatis vere commissis, & Confessarius intendit talia peccata absolvere quæcumque sint, quamvis privata existimatione putet, illa esse peccata antiqua, & jam confessa; & ita tenent ex nostris Homobonus de Bonis *vol.2. part.5. resp.132.* Bossius *part.2. moral. tit.1. n.1765.* & Madernus *qu.4. art.2.* & apud ipsum Sanchez, Suarez, Bonacina, Lugus, & Arriaga, sequuntur Diana *part.3. tr.4. resol.62. & part.11. tract.6. Miscell. resol.22.* & Leander *disp.5. quæst.23.*

38. Dices: sæpe contingere potest, peccatum esse reservatum tempore, quo fuit commissum, non tempore, quo quis illud confitetur, aut e contra, vel etiam habere aliam circumstantiam mutantem speciem, ut si Conjugatus se accuset de peccato contra castitatem commisso quando erat solutus, aut e contra; ergo debet explicari, ut cognoscatur. Sed contra dico, non esse explicandum tempus commissi peccati per se, & ex eo, quod debeat peccatum jam confessum necessario distingui a non confesso, sed per accidens ratione circumstantiæ mutantis speciem, aut constituentis casum reservatum, seu hominem ponentis in proxima

occa-

occasione peccandi, quibus caussis cessantibus, nulla erit necessitas distinguendi peccata jam alias confessa ab iis, quæ nondum fuerunt confessa.

39. Dices 2. potest Confessarius interrogare, an hujusmodi peccata alias confessus sit; ergo Pœnitens tenetur respondere, & illam circumstantiam explicare. Sed contra resp. Pœnitentem sic interrogatum, posse respondere si velit, non tamen ad hoc teneri, quia multa potest Confessarius interrogare ad melius exercendum suum officium, quæ tamen Pœnitens non tenetur fateri: sic potest interrogare de circumstantiis aggravantibus, quæ tamen non sunt necessario aperiendæ. Ita si Confessarius interroget de tempore commissi peccati, potest Pœnitens respondere: *ego hoc peccatum commisi, de illo doleo, paratus adimplere pœnitentiam, quam mihi injunges*, quidquid sit, an illud alias confessus fuerim, vel non.

40. Quæres: *an peccet lethaliter Pœnitens, & sacrilegium committat, si peccatum, quod heri commisit, dicat se commisisse anno præterito?* Affirmat Leander *q.24.* quia Pœnitens, sic dicendo, non confitetur peccatum, quod fecit, sed aliud distinctum, quod numquam fecit, ac proinde peccat cum invaliditate Confessionis; quod non sequitur, quando Pœnitens negative se habet, nihil dicendo de tempore commissi peccati, quia tunc vere confitetur peccatum a se commissum, quamvis Confessarius existimet fuisse commissum anno præterito, quod tamen Pœnitens non dicit.

41. Resp. tamen non peccare mortaliter, nisi ob aliquam particularem circumstantiam mutantem speciem, vel constituentem hominem in proxima occasione peccandi, necesse sit hoc exprimere, ut si se accuset Conjugatus de peccato contra castitatem commisso, quando erat solutus, aut e contra, ut jam supra dixi. Ratio est, quia licet Pœnitens mentiatur, dicendo se peccasse anno præterito, cum peccaverit heri, aut hodie, tale mendacium non impedit, quin manifestentur omnia peccata mortalia secundum numerum, speciem, & circumstantias necessarias, & sic non invalidat Confessionem, ad quam sufficit explicare peccata mortalia secundum illorum numerum, & speciem. Nec dicas, Pœnitentem non confiteri peccatum, quod fecit, sed aliud distinctum, quod non fecit, nam dicit se peccasse anno præterito, quod falsum est, & negat se peccasse heri, cum re vera peccaverit; contra enim Peccator in sua Confessione duo dicit, scilicet se patrasse tale peccatum in tali specie, & cum his circumstantiis, & illud patrasse anno præterito: primum spectat ad essentiam Confessionis, illamque non invalidat, quia est verum; secundum non spectat ad essentiam Confessionis, quam proinde non invalidat, etiamsi sit falsum, non enim appellat substantiam actus, sed circumstantiam temporis, quæ est extrinseca. Hanc tenent Dicastillus *disp.9. dub.2. §.6. n.156.* Antoninus a Spiritu S. *disp.5. sect.5. n.312.* in eamque inclinat Lugus *disp.16. sect.2. n.50. 52. & 54.* Gabriel a Sancto Vincentio *disp.8. qu.2. vers. Sed ego puto.*

CAPUT III.

De forma Sacramenti Pœnitentiæ.

DUBIUM I.

Quænam sit forma Sacramenti Pœnitentiæ?

SUppono tamquam certum, formam Sacramenti Pœnitentiæ necessario, & essentialiter consistere in verbis humana voce prolatis, nec illam posse nutibus, scriptura, aut aliis signis exprimi, quia in Concil. Florentino definitur: *Sacramenta Novæ Legis, uno excepto Matrimonio, constare verbis tamquam forma*, & signanter de Sacramento Pœnitentiæ dicitur, quod *Forma hujus Sacramenti sunt verba absolutionis, quæ Sacerdos profert, dum dicit, Ego te absolvo &c.* per quod satis indicatur, formam esse verba proprie dicta, & humana voce prolata; siquidem nutus, & alia signa externa, vel scripta, non veniunt proprie nomine verborum, quæ humana voce proferuntur. Quare sicut Baptismus est invalidus, si non verbis, sed signo, scriptura, aut nutu conferatur: ita erit invalidum Sacramentum Pœnitentiæ, si non verbis, sed signo, nutu, aut scriptura conferatur; idque comprobatur ex perpetua Ecclesiæ praxi, quæ numquam per Ministros impendit formam absolutionis, nisi per verba voce humana prolata, secundum quod Christus tale Sacramentum instituit, & docent Doctores communiter.

2. Dices: absolutio est forma judicialis, quam profert Sacerdos tamquam Judex; sed Judex potest suam sententiam proferre scripto; ergo & Sacerdos: quod conf. a pari de Matrimonio, quod quia sequitur naturam contractus, celebrari potest per nutus, & signa, sicut alii contractus: ita cum forma absolutionis sit Sententia judicialis, poterit dari scripto.

Resp. hoc Sacramentum habere istud speciale in ratione judicii ex Christi institutione, ut ejus forma proferatur per verba proprie dicta, ut constat ex Concilio Florentino, & praxi totius Ecclesiæ. Non sequitur in omnibus naturam judicii, cum non admittat accusatorem, reum, & testes distinctos, sicut requiritur in aliis judiciis, sed Pœnitens ipse est simul accusator, reus, & testis. Ad conf. facile respondetur formam Matrimonii esse mutuum consensum signo aliquo sensibili manifestatum; potest autem manifestari nutibus, scriptura, aut aliis signis, & deinde non requiruntur verba proprie dicta, sed in aliis Sacramentis forma sunt verba prolata. Deinde Matrimonium non fuit de novo a Christo Domino institutum in ratione contractus, sed tantum fuit elevatum ad rationem Sacramenti; unde sicut antea fieri poterat nutu, scriptura, & verbis impropriis, ita illud sic reliquit; reliqua Sacramenta fuerunt de novo instituta, voluitque Christus illorum formam esse verba proprie dicta.

3. Concilium Trident. *sess.14. c.3.* agens de forma Sacramenti Pœnitentiæ, sic habet: *Docet præterea Sancta Synodus, Sacramenti Pœnitentiæ formam, in qua præcipue ipsius vis sita est, in illis Ministri verbis positam esse: Ego te absolvo &c. quibus quidem de Ecclesiæ Sanctæ more preces quædam laudabiliter adjunguntur: ad ipsius tamen formæ essentiam nequaquam spectant, neque ad ipsius Sacramenti administrationem sunt necessariæ.* Ex quibus satis constat, preces præcedentes, & subsequentes absolutionem, cujusmodi sunt: *Misereatur tui, &c. Indulgentiam, &c. Dominus noster, &c. Passio Domini nostri, &c.* non esse de necessitate formæ, & posse sine culpa omitti in concursu plurium Pœnitentium; quamvis preces subsequentes, nimirum *Passio Domini nostri, &c.* non debeant omitti, quando fit confessio gravium peccatorum, & pœnitentia non satis proportionata pro illis imponitur, quia virtute illarum, quod deest de gravitate pœnitentiæ, aliquo modo suppletur.

4. Resp. convenientissimam formam esse illam: *Ego te absolvo a peccatis tuis*; sufficere vero ex necessitate hæc duo verba: *Absolvo te*. Ratio primæ partis facilis est, quia per talem formam sufficienter explicatur actus illius potestatis, quæ concessa fuit a Christo Apostolis ad remittenda peccata, & significat id, quod efficit, nempe remissionem peccatorum, quæ cum sit per modum judicii, profertur verbis absolutis, & indicativis; & ita tenent Doctores communiter.

5. Prob. secunda pars: illa tantum verba sunt necessaria, & essentialia pro forma hujus Sacramenti, quæ essentialiter exprimunt effectum illius principalem per modum judicii; sed illa duo verba, *absolvo te*, sufficienter, & essentialiter exprimunt effectum principalem hujus Sacramenti, nempe absolutionem, & liberationem Pœnitentis a peccatis; ergo illa tantum sunt necessaria. Prob. minor: quia supposita confessione peccatorum, dum Sacerdos dicit, *absolvo te*, sufficienter exprimunt illa verba liberationem illius hominis a peccatis confessis. Conf. quia si non sufficiunt illa duo verba, hoc maxime quia, vel deest pronomen *Ego*, vel *a peccatis tuis*, vel certa invocatio Trinitatis per illa verba: *In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*; sed nihil omnino deest: non pronomen *Ego*, quod implicite continetur in verbo *absolvo*: non *a peccatis tuis*, quia supposita confessione peccatorum, cum Minister dicit *absolvo te*, sufficienter ex circumstantiis intelligitur, quod illud absolvit a peccatis; non enim necesse est in prolatione sententiæ a Judice narrari crimen; sed supposita accusatione criminis satis est proferri absolutionem. Et fortasse ob hanc caussam Florent. & Trident. postquam dixerunt formam consistere in illis verbis, *absolvo te*, addiderunt particulam *&c.* ut innuerent, particulam *a peccatis tuis* non esse essentialem, sed sufficienter contineri in verbo *absolvo*, ratione confessionis, vel certe illam addiderunt, ut abstraherent a controversia Theologorum, aliis affirmantibus, aliis negantibus, illas esse essentiales, ut notant Madernus, & Coniochus apud Bonacinam *qu.4. part.1.*

6. Non est necessarium dicere: *In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*, quia invocatio Trinitatis non fuit a Christo Domino præscripta, dum *Joan.20.* instituit hoc Sacramentum, neque ab Ecclesia, ut essentialis pœnitentiæ proposita, sed solum ut convenientia in Concilio Moguntino fuerunt addita illa verba ut observat Leander cum Divo Thoma *3. part. q.84. art.3.* quare possunt sine præjudicio absolutionis omitti, & si fiat cum aliqua rationabili caussa, nullum erit peccatum, neque veniale, secluso scandalo, & contemptu; quod si omittantur sine caussa, esse peccatum veniale docet Bonacina, quia est contra universalem Ecclesiæ consuetudinem. Multo minus necesse est addere *ab omnibus peccatis tuis*, quia non potest unum absolvi sine alio: & forte talis particula non est conveniens, quia, ut observat Madernus, posset reddi falsa forma Sacramenti; si quis enim tacuit aliquod peccatum veniale, vel certe de illo non doleat, ab illo non absolvitur, & sic ab omnibus non absolvitur, sed tantum a confessis; quare illa particula *ab omnibus* fuit in Rituali novo Romano expuncta, ut notat Madernus, illamque omittunt plures Doctores, nec reperitur in Concilio Moguntino.

7. Dices: si aliquis diceret: *ego tibi dono*, non exprimeret sufficienter donationem, cum illud verbum sit indifferens ad hoc, vel illud donum; ergo etiam cum dicitur, *te absolvo*, non explicatur sufficienter absolutio a peccatis, &

tis, & sic non sufficiunt illa duo verba. Sed contra disparitas est, quia licet ly *absolvo te* multiplicem sensum habere possit, ut absolvo te a vinculis, a debito pecuniæ, a pœna, a peccatis; per conjunctionem tamen ad actus præcedentes, & confessionem peccatorum factam a Pœnitente, contrahitur, & determinatur sensus ad peccata delenda per absolutionem.

8. Dices: hac ratione salvari etiam posset forma sine ly *te*; nam licet absolutio supra plures peccatores cadere possit, posita tamen circumstantia talis peccatoris præsentis censetur cadere supra ipsum absque illa particula *te*. Sed contra nego sequelam, quia verbum *absolvo*, supponit quidem formaliter pro vinculis, a quibus absolvat, non pro persona; unde si ex circumstantia solum explicaretur persona, jam nec formaliter per ipsum verbum *absolvo*, sed per circumstantiam haberetur determinatio personæ; ex institutione vero voluit Christus in hoc Sacramento verba formæ significare ex se. Deinde, si quis habens pecuniam alterius, illam offerat Domino suo, si Dominus dicit, præsente pecunia, ego tibi dono, certe intelligeretur facta ipsi offerenti a Domino donatio pecuniæ: si autem solum dicat, ego dono, non intelligeretur donatio facta ipsi offerenti; ita similiter per solum verbum *absolvo* non intelligeretur absolutus Pœnitens a peccatis.

9. Hinc habes, in forma absolutionis esse necessario exprimendum pronomen *te*, quia expresse ponitur a Conciliis Florent. & Trident. nec sufficienter continetur in verbo *absolvo*, sicut dictum est contineri pronomen *Ego*; quare invalida erit absolutio, si Sacerdos solum dicat *absolvo*, cum non significetur, quisnam absolvatur. Ita cum D. Th. *3. part. qu. 84. art. 3.* Bonacina, Facundez, Candidus, Suarez, Ledesma, Valentia, Lugus, quos citat, & sequitur Leander *disp. 2. qu. 4.* Si autem deficeret pronomen *Ego*, non esset invalida absolutio, sed peccaret venialiter Sacerdos, si sine caussa tale pronomen omitteret, quia faceret contra Ecclesiæ consuetudinem. Sic Bonacina *de Sacram. disp. 2. qu. 2. part. 4. n. 16.* loquendo de eodem pronomine apposito in forma Baptismi; & nos etiam diximus supra *tract. 2. cap. 4.* de eadem forma Baptismi.

10. Dubitatur; an saltem illa verba, *a peccatis tuis in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*, de facto concurrant ad caussandam gratiam, & remissionem peccati?

Resp. negative, quia posita adæquata, & sufficienti caussa alicujus effectus, statim ponitur talis effectus, si nullum detur impedimentum; sed posita Confessione dolorosa peccatorum, cum proposito satisfaciendi, & illis verbis, *absolvo te*, cum debita intentione solvendi, antequam ponantur verba subsequentia, est posita caussa adæquata, & sufficiens productiva gratiæ, & remissionis peccati; ergo statim ponitur effectus, qui differri non potest ex sola intentione proferentis, cum sit effectus necessarius, ut bene advertit Madernus *qu. 3. art. 3. num. 9.*

DUBIUM II.

Quem sensum habeant illa verba formæ Absolvo te, &c.

11. Certum est, per hæc verba, *Absolvo te*, Sacerdotem non tantum declarare, Pœnitentem esse absolutum a Deo, ut vult Magister Sententiarum, sed vere ipsum absolvere a peccatis, prout definitur in Trident. *sess. 14. c. 6. & can. 9.* & colligitur ex verbis Christi Joa. 20. *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis*; nam verba Scripturæ semper sunt accipienda in sensu proprio, quando nullum sequitur inconveniens, quia secus nihil certum haberemus; sed ex eo, quod illa verba, *absolvo te a peccatis tuis*, accipiantur in sensu proprio, nullum sequitur inconveniens; ergo verba illa vere significant remissionem peccati, & inde Sacerdos vere peccata remittit. Adde, quod Sacramenta Novæ Legis efficiunt, quod significant, ut cum D. Thoma tenent Doctores communiter; ergo prædicta verba absolutionis non solum significant, & declarant remissa esse peccata, sed vere efficiunt prædictam remissionem.

12. Quod si Sancti Patres aliquando dicunt, peccata remitti a solo Deo, intelligendi sunt, quod remittantur a solo Deo, tamquam a caussa principali, cui simpliciter tribuitur remissio peccatorum, non tamen excluditur, quin Sacerdos sit caussa minus principalis, & Minister remissionis peccatorum, & quin proprie dicatur absolvere a peccatis, quæ sunt quædam vincula, quibus vinctus detinetur peccator, & sunt quædam maculæ delendæ per Sacramentum Pœnitentiæ, ut docent Valentia, Vasquez, Nugnus, & alii cum Bonacina *qu. 4. par. 1. n. 8.*

13. Neque etiam obstat, quod Sancti Patres videntur aliquando dicere, peccatorem prius absolvi a Deo, & vivificari vita spirituali, quam a Sacerdote per Sacramentalem absolutionem, quod probant exemplo Lazari, quem Dominus postquam suscitavit, jussit Apostolis ut solverent; licet enim Lazarus esset vivus, non tamen erat solutus.

Resp. paritatem in eo consistere, quod peccator prius debet a Deo vivificari inchoative per gratiam excitantem, deinde solvi debet a Sacerdote per gratiam Sacramenti, per quam habetur vera justificatio, & remissio peccatorum. Ita Lugus *disp. 13. sect. 2.*

14. Restat difficultas, quomodo debeat verificari forma absolutionis; quando Pœnitens accedit ad Sacramentum Pœnitentiæ jam liber a peccatis, vel quia accedit contritus, vel quia confitetur solum peccata alias confessa, & absoluta; tunc enim non potest solvi a peccatis, cum jam sit liber, & solutus. Proinde alii dixerunt, prædictam formam reddere hunc sensum: *Ego te absolvo a culpa, vel pœna æterna, aut temporali*, juxta indigentiam Pœnitentis; vel: *Ego te absolvo ab obligatione subjiciendi peccata clavibus Ecclesiæ*; quæ, & similia videri possunt apud Lugum, & Madernum *quæst. 3. art. 4.* illis relictis.

15. Resp. illa verba: *Ego te absolvo*, facere hunc sensum: *Ego tibi confero gratiam sanctificantem ex se remissivam peccati*; vel, ut habet Divus Thomas, *ego tibi impendo Sacramentum absolutionis*, idest, absolutivum peccatorum, & collativum gratiæ remittentis peccata. Ratio est, quia Sacramenta Novæ Legis sunt per se primo instituta ad conferendam gratiam sanctificantem, & expellentem peccatum; sed Pœnitentia est Sacramentum Novæ Legis; ergo per se primo debet gratiam conferre expulsivam peccati: & sic verba formæ, quæ Sacramentum constituit, & in quibus maxime vis Sacramenti consistit, habet talem gratiam conferre, ac proinde illa verba, *absolvo te*, debent efficere prædictum sensum, qui semper est verus, ut per se patet consideranti. Ita tenent Suarez *de Pœnit. disp. 19. sect. 2.* Madernus *loco cit.* Filliucius *tract. 6. cap. 3. n. 70.*

16. Dices: verba absolutionis debent esse vera in sua naturali significatione, nec sunt detorquenda ad sensum alienum a naturali significatione; sed verbum *absolvo* in sua naturali significatione non significat gratiam, sed solutionem vinculi; ergo non debet detorqueri ad collationem gratiæ. Sed contra: licet verbum *absolvo* grammaticaliter significet solutionem vinculi, tamen quia vincula peccatorum non solvuntur, nisi per infusionem gratiæ, nil mirum si in hac materia, ex vi ejusdem verbi, significetur infusio gratiæ ordinata ad remissionem peccati.

DUBIUM III.

Utrum Sacerdos possit illis verbis Absolvo te *absolvere a peccatis, & censuris?*

17. Ratio dubitandi est, quia absolutio censurarum præcedere debet absolutionem peccatorum; siquidem censura excommunicationis irretitus repellitur a susceptione Sacramentorum, quare prius quis est absolvendus a censuris, ut possit beneficium absolutionis peccatorum accipere; & ita non potest eodem tempore, & per eadem verba simul absolvi a peccatis, & censuris. Ita sentire videntur Sylvester verb. *Absolutio 6. num. 2. §. Quartum est*, & Vega *cap. 6. casu 50.*

18. Resp. posse Sacerdotem valide uti illis verbis, *Ego te absolvo*, ad absolvendum simul a censuris, & peccatis. Ita Bonacina *disp. 5. q. 4. punct. 1. num. 10.* & apud ipsum Sotus, Navarrus, Covarruvias, Avila, Henriquez, quos etiam sequitur cum aliis Leander *disp. 2. quæst. 38.* Ratio est, quia nulla in hoc reperitur implicantia, cum & verificetur forma Sacramentalis, & relaxatio vinculi censuræ sufficienter indicetur. Quare Sacerdos dicendo, *Ego te absolvo*, si intendat simul absolvere a censuris, & peccatis, ab utrisque valide absolvet, in quo casu absolutio a censuris præcedit non tempore, sed natura absolutionem a peccatis, quatenus Absolvens prius intendit tollere censuras, deinde peccata, quod sufficit. Hoc tamen licite fieri non posse a Sacerdote, & absque peccato veniali, nisi in casu necessitatis, quia esset recedere a communi usu Ecclesiæ, docent Granados *de Pœniten. tract. 1. disp. 6.* Leander *quæst. 29.* & indicat Bossius *de Jubilæo sect. 1. casu 23. num. 18. 19. & 20.*

19. Dices: una & eadem forma verborum non potest simul esse Sacramentalis, & non Sacramentalis; sed absolutio a peccatis est Sacramentalis, non sic absolutio a censuris; ergo non potest eadem absolutionis forma adhiberi ad absolvendum simul a censuris, & a peccatis.

Resp. nullum esse inconveniens, unam, & eamdem formam absolutionis materialiter sumptam esse Sacramentalem, & non Sacramentalem, habito respectu ad diversos effectus, & fines a Sacerdote intentos, quamvis formaliter sumpta non possit simul esse Sacramentalis, & non Sacramentalis. Nec est inconveniens, formam Sacramenti usurpari ad hunc effectum, quo usurpatur ad rem Sacram respicientem animam, quamvis non possit citra sacrilegium usurpari ad res profanas.

20. Extra casum necessitatis absolutio a censuris est semper præmittenda absolutioni Sacramentali. Verba autem, quibus Confessarii ex consueto Ecclesiæ utuntur pro tali absolutione a censuris, sunt: *Dominus noster Jesus Christus te absolvat, & ego auctoritate illius te absolvo ab omni vinculo excommunicationis, suspensionis, & interdicti, in quantum possum, & tu indiges.* Si vero pœnitens sit laicus, omittitur verbum *suspensionis*. In casu necessitatis, puta naufragii, articuli mortis, &c. adhiberi potest absolutio brevis sic: *Ego te absolvo ab omnibus censuris, & peccatis tuis, in nomine Patris, &c.*

D U-

DUBIUM IV.

An forma Pœnitentiæ dari non possit modo deprecativo, ubi de aliis mutationibus hujus formæ?

21. RESP. Formam Sacramenti Pœnitentiæ deprecative prolatam esse invalidam. Ratio est, quia hoc Sacramentum est institutum a Christo per modum judicii, in quo Sacerdos se habet per modum Judicis, cognita causa, sententiam proferentis, ut habetur ex Trident. *sess. 14. can. 9.* ac proinde forma proferri debet per modum sententiæ: at sententia non profertur a Judice verbis deprecationis, sed enuntiationis; ergo Sacerdos non absolvit valide deprecando. Conf. ex Trident. *sess. 14. c. 3.* definiente, hanc esse formam Sacramenti Pœnitentiæ: *ego te absolvo*, & orationes, quæ laudabiliter adjunguntur, non esse necessarias ad Sacramenti administrationem; sed si sufficerent verba deprecativa, pœnitens esset absolutus a peccatis, priusquam Sacerdos proferret verba absolutionis, dum præmittit illa verba deprecativa: *Dominus noster Jesus Christus te absolvat*, quod est absurdum. Ita Divus Thomas, Paludanus, uterque Sotus, Navarrus, Suarez, Facundez, Bonacina, Lugus, & alii communiter, quos adducit, & sequitur Leander, *disp. 2. quæst. 17.* sequitur etiam Madernus *art. 3. num. 11.*

22. Neque obstat, quod in Extrema Unctione verba formæ sint deprecativa: nam illud Sacramentum non est institutum per modum judicii, sed potius ordinatur ad obtinendum a Deo per modum indulgentiæ, quod in Sacramento Pœnitentiæ obtineri non potest, nisi per modum judicii, ut docet Franciscus a Jesu Maria *in cursu morali cap. 3. de Sacr. Pœnit. n. 17.* ac proinde Sacerdos jam non agit in eo, ut Judex; sed ut Deprecator, illis verbis: *per suam piissimam misericordiam indulgeat tibi Deus &c.*

23. Pro aliis mutationibus, quæ possunt contingere in forma Sacramenti Pœnitentiæ, recolenda sunt dicta supra Tract. 1. de Sacramentis in genere, ubi universaliter diximus, mutationem substantialem formæ invalidare Sacramentum, non sic mutationem accidentalem: illam autem mutationem esse dicendam substantialem, quæ destruit sensum formæ, adeo ut nec remaneat idem, nec æquivalenter, esse vero accidentalem, si, facta mutatione, remaneat sensus idem. Hic sequitur, validum esse Sacramentum Pœnitentiæ, si quis loco *absolvo te*, dicat *remitto tibi peccata tua: condono tibi peccata*; vel *Sacramentum absolutionis impendo*: quia nulla fit mutatio substantialis; esse peccatum mortale uti tali forma contra universalem Ecclesiæ consuetudinem asserunt Facundez *præcept. 2. lib. 3. cap. 1. n. 8.* Bonacina *quæst. 4. part. 2. nu. 11.* & apud ipsum Suarez, & Coninch: esse dumtaxat veniale probabilius docent Filliucius *tract. 6. cap. 3. n. 67.* Leander *quæst. 22.* & apud ipsum Sotus, Reginaldus, Hurtadus, & Diana *part. 5. tract. 5. resol. 39.* quia illa mutatio est tantum accidentalis. Validum similiter erit Sacramentum, si aliquis auctoritatis gratia dicat: *Nos te absolvimus*, vel *ego absolvo dominationem, aut majestatem vestram*, vel si plures in periculo naufragii existentes absolvat, dicens: *Ego vos absolvo*, quia nulla fit mutatio substantialis. Ita Sotus, Henriquez, Vasquez, Navarrus, quos sequitur Bonacina supra, Antonius a Spiritu Sancto *disp. 2. sect. 8.*

24. An valida sit forma prolata modo imperativo, ut *absolvaris a me*. Respondeo affirmative, quia non videtur adesse mutatio substantialis; nam illa verba significant, & consequenter efficiunt absolutionem: idem valet, si dicatur, *absolvatur servus Christi*, qua forma utuntur Græci, qui in forma Baptismi dicunt, *baptizetur servus Christi*, nam utraque forma non est deprecativa, sed assertiva, & imperativa. Sic Suarez, Facundez, Granados, Hurtado, quos sequitur Leander *quæst. 18.* Bonacina *supra num. 7.* Madernus *quæst. 3. art. 3. n. 15.* Diana *part. 5. tract. 13. resol. 34.*

25. De aliis formis, *volo absolvaris*, *placet te absolvi*, *jubeo te absolvi*, videtur major difficultas. Negant sufficere Bonacina *supra num. 9.* uterque Sotus, & Cajetanus apud Leandrum *quæst. 19.* quia videtur adesse mutatio substantialis, cum per istum loquendi modum non significetur actualis liberatio, & absolutio a peccatis, sed potius ostendatur actus circa absolutionem faciendam, vel jam factam. Affirmant illas formas esse validas Scotus in *4. dist. 14. quæst. 4.* Gabriel *quæst. 2. art. 1.* Vasquez *tom. 4. quæst. 93. dub. 3.* Suarez *disp. 19. sect. 1.* quia illæ sunt formulæ judiciariæ, quibus utuntur Judices ad proferendam sententiam in aliis materiis, & sufficienter significant actum Judicii sententiam decisivam absolutionis a peccatis proferentis. At quia illæ formæ sunt dubiæ, ut notat Leander *quæst. 20.* ideo illicitum est illis uti; & licet Hurtadus *disp. 5. de Pœnit. diffic. 3.* apud Dianam asserat, esse solum peccatum veniale; alii tamen melius affirmant esse peccatum mortale, Facundez, Nugnus, Suarez, & alii, quos sequitur Leander *quæst. 20.* nam Minister omittens formam certam, & utens forma dubia, vel incerta in Sacramentorum administratione, peccat mortaliter, ut cum Valentia, Soto, Suarez, Henriquez, Reginaldo, & aliis tenent Bonacina *quæst. 4. punct. 2. num. 11.* Idem valet de illa forma: *Remittuntur tibi peccata tua*, quæ saltem dubia est.

DUBIUM V.

Utrum absolutio Sacramentalis dari possit sub conditione?

26. CONDITIO in forma Sacramenti Pœnitentiæ apposita potest esse de præsenti, aut de præterito, aut de futuro: conveniunt omnes Doctores, validum esse Sacramentum, si absolutio conferatur sub conditione de præsenti, aut de præterito, ut *si restituisti*, vel *si es dispositus*, vel *si non es absolutus, ego te absolvo*. Ratio est, quia si tales conditiones vere existunt, non suspenditur effectus Sacramenti; nam Sacerdos intendit absolvere de præsenti, si res ita se habeat, ut exprimitur in conditione. Difficultas reducitur ad conditionem de futuro, an illa possit valide apponi, ut *si restitues, ego te absolvo*, vel *si satisfeceris, ego te absolvo*.

27. Respondeo, invalidum esse Sacramentum Pœnitentiæ, si conferatur sub conditione de futuro. Ratio est, quia Sacramentum Pœnitentiæ non potest esse validum tunc, quando ponitur in esse ante impletam conditionem, nec tunc quando impletur conditio; ergo si conferatur sub conditione de futuro, nullo modo est validum. Prob. antecedens, ex Concilio Florentino: ad valorem Sacramenti tria necessario requiruntur, materia, forma, & intentio Ministri, quorum alterum si deest, Sacramentum non subsistit, sed est invalidum; at quando confertur Sacramentum ante completam conditionem, deest pro eo tunc intentio Ministri, qui non habet pro eo tunc intentionem, & voluntatem absolvendi, sed differendi absolutionem usque ad tempus adimpletæ conditionis: adimpleta conditione non amplius existunt materia, & forma; ergo non potest esse validum Sacramentum, nec pro eo tempore quo confertur, nec pro tempore adimpletæ conditionis, ac proinde collatum sub conditione de futuro semper est invalidum. Ita communiter Navarrus, Sylvester, Cajetanus, Rodriquez, Henriquez, Reginaldus, Graffius, Suarez, Vasquez, & alii, quos affert, & sequitur Bonacina *disp. 5. quæst. 4. punct. 3. num 2.*

28. Dices: hoc Sacramentum fieri validum tempore adimpletæ conditionis, quia intentio, & verba, quæ prius erant conditionata, transeunt in absoluta, & existunt moraliter, & virtualiter, in quantum non sunt revocata, quod sufficit ad hoc, ut Sacramentum dicatur validum, ut constat a pari de Matrimonio, quod validum est in ratione Sacramenti etiam celebratum sub conditione de futuro, quia, adimpleta conditione, virtualiter existunt verba consensum exprimentia, in quantum non sunt retractata. Sed contra resp. ad validitatem Sacramenti Pœnitentiæ non sufficere, verba solum virtualiter existere, sed requiri necessario illa existere realiter, & physice: nam Christus hoc Sacramentum instituendo, voluit absolutionem fieri per realem verborum prolationem, nec sufficere verba solum virtualia, sicut non sufficit absolutio data per nutus, signa, & scripturam. Nec valet paritas de Matrimonio, quia Christus non instituit de novo Matrimonium in ratione contractus, sed elevavit ad esse Sacramenti, & sicut erat, illud reliquit. Quare sicut antecedenter poterat celebrari per signa, nutus, & scripturam, & sub conditione de futuro; ita etiam nunc: hæc autem dici non possunt de Sacramento Pœnitentiæ propter specialem Christi institutionem.

29. Dices 2. Absolutio data in Sacramento Pœnitentiæ est per modum sententiæ; sed Judicis sententia conferri potest sub conditione de futuro; ergo etiam absolutio in hoc Sacramento. Conf. quia de facto Sacerdos non solum absolvit a culpa, sed etiam partialiter a pœna temporali, juxta proportionem satisfactionis impositæ; sed ab hac pœna non absolvit absolute, sed tantum conditionate, nimirum sub conditione satisfactionis adimplendæ de futuro, & consequenter suspendit quoad illam partem effectum absolutionis; ergo potest similiter suspendere effectum quoad remissionem culpæ. Sed contra resp. non valere argumentum a judicio communi ad hoc judicium pœnitentiæ, quia in aliis judiciis proferuntur sententiæ etiam nutibus, scriptis per internuntium, & per notarium, quæ non valent in hoc Sacramento, quia est judicium speciale, speciali modo institutum per verba præsentia, & effectum realem præsentem. Ad confirm. dico, non posse suspendi effectum Sacramenti, posito toto Sacramento, posse tamen suspendi effectum, si aliqua pars Sacramenti differatur: sic, si audita confessione ad tempus differatur absolutio, differtur etiam effectus absolutionis, & si, audita confessione, & posita absolutione, differatur satisfactio, quæ est pars integralis Sacramenti, nil mirum si suspendatur, seu differatur effectus satisfactionis, qui est remissio pœnæ temporalis; posito autem toto Sacramento, quoad omnes suas partes, non potest effectus suspendi, sicut suspenderetur, si daretur absolutio sub conditione de futuro: itaque absolutio Sacramentalis debet necessario dari per verba formalia, & realia significantia, & caussantia remissionem peccatorum pro tempore præsenti, & sic non possunt esse verba conditionata, sed absoluta.

30. Gravius dubitatur, utrum valida sit absolutio hoc modo prolata: *Ego te absolvo, si Deus novit te cras restituturum?* Ratio dubitandi est, quia ex una parte talis absolutio videtur esse sub conditione de præsenti, adeoque valida,

& ea

& ex alia parte, sicut, stante scientia Dei, est in potestate pœnitentis restituere, vel non restituere, ita videtur esse in potestate ipsius facere, quod absolutio habeat, vel non habeat effectum de præsenti. Hoc fundamento ductus, Coninch docet, absolutionem sub tali conditione prolatam esse invalidam; nihilominus crediderim esse tantum illicitam, quia non est conformi institutioni Sacramenti: at esse validam, quia in rigore est sub conditione de præsenti, quia Deus jam scit, an tu sis, vel non, restituturus, ut cum Lugo docet Ant. a Spiritu S. *tract.* 5. *disp.* 2. *sect.* 7. *n.*42. Ad rationem dubitandi dico, talem absolutionem non pendere a restitutione pœnitentis secundum se, sed a restitutione, ut subest scientiæ Dei, seu potius a præsentia restitutionis: licet autem possit esse; vel non esse futura restitutio pœnitentis secundum se, non sic prout subest præscientiæ Dei cognoscentis, an pœnitens sit mutaturus voluntatem, vel non.

31. Dices: si esset valida absolutio sub conditione restitutionis, quam Deus de præsenti scit esse futuram, esset etiam valida applicatio Sacrificii hodierni pro eo, quem Deus scit cras esse oblaturum primum stipendium; sed hoc non admittitur; ergo nec absolutio sub tali conditione data. Sed contra diximus *supra tract.* 5. *c.*3. *dub.* 3. applicationem Sacrificii pro eo, quem Deus scit primo daturum eleemosynam, posse esse validam, si de facto jam nunc existat necessitas, pro qua petitur Sacrificium; invalidam, si necessitas non existat, esse tamen semper illicitam, & jure prohibitam, ut ibidem dixi.

DUBIUM VI.

An licite dari possit absolutio sub conditione de præterito, vel de præsenti.

32. Absolutio data sub conditione de futuro, cum sit invalida, est a fortiori illicita, essetque grave Sacrilegium illam conditionem apponere. De conditionibus de præsenti, & de præterito conveniunt omnes Doctores, non posse illas apponi sine caussa justa, & rationabili, sine qua illas apponere peccatum esse mortale docent Henriquez, Suarez, Reginaldus, Naldus, Nugnus, Coninch, & alii, quos citat, & sequitur Bonacina *de Sacram. in gen. disp.* 1. *qu.* 3. *punct.* 2. §. 3. *n.* 20. Leander *tract.* 1. *disp.*4. *q.* 22. quod verum existimant Anton. a Spiritu S. *tract.* 1. *de Sacram. in gen. disp.* 1. *sect.* 3. *nu.*62. si conditio apposita sit turpis: esse autem dumtaxat veniale, si conditio apposita sit indifferens, vel impertinens, dummodo sit vera, quia solum intervenit quædam indecentia.

33. Justa, & rationabili caussa existente, conveniunt omnes, posse absolutionem dari sub conditione de præsenti, aut de præterito, quia cum talis conditio sit adimpleta, non suspendit absolutionem, sicut suspensa remaneret, si daretur sub conditione de futuro, & justa, ac rationabilis caussa excusat ab indecentia, quæ potest adesse, ac proinde nulla injuria fit Sacramento. Unde Confessarius dubitans, an protulerit verba absolutionis, potest valide, ac licite absolutionem dare sub conditione, vel mente retenta, vel etiam verbis expressa: *Si non es absolutus, ego te absolvo.* Item dubitans, an puer, vel freneticus sit confessus cum sufficienti usu rationis, sicut etiam in absolvendo mutum, qui nec dat, nec dare potest signa saltem moraliter certa suorum peccatorum, & suæ dispositionis, optime potest, immo & debet licite absolvere illum sub hac conditione: *si possum*, vel *si es capax*, aut *si habes usum rationis*, vel *peccata. Ego te absolvo a peccatis tuis*, ut habet Leander *disp.* 2. *q.* 26. quod idem valet, quando pœnitens est in articulo mortis, & nequit exhibere signa contritionis, ut postea dicam suo loco. Item quando is, qui confitetur, est vir bonus, & virtuosus, adeo ut quandoque Confessarius nequeat discernere, an ea, quæ ille confitetur, sint saltem peccata venialia, tunc etiam valide, & licite potest eum absolvere sub hac conditione: *si ea, quæ confessus es, sunt peccata, ego te absolvo*, prout signanter notant Leander *qu.*24. Bonacina *disp.* 5.*q.*4.*punct.* 3. & Hurtado *disp.*5. *diff.*5. qui tamen monent, melius esse aliqua dexteritate suadere pœnitenti, ut aliud peccatum jam alias confessum repetat, & sic absque ulla conditione absolvere: vel certe melius est, cum nullum dubium extat de mortali, abstinere a Sacramentali absolutione, prout prudentia dictaverit magis expedire, ut docet Barthol. a S. Fausto *de Pœnit. q.* 55. citans Regionaldum, & Graffium, quamvis Diana *part.* 4. *tr.* 3. *resol.* 53. velit, dandam esse absolutionem conditionatam, quia in dubiis favendum est pœnitenti, qui habet jus ad Sacramentum ratione confessionis.

34. Si agatur de pœnitente adulto, qui solum exponit peccata lethalia dubia, certum est, ipsum debere absolvi sub conditione, si non possit habere peccatum nec veniale certum, quia in dubio favendum est reo pœnitenti, in cujus favorem hoc Sacramentum est institutum, ut cum Layman, & Villalobos docet Diana *supra*: si enim sine absolutione dimitteretur, cum præsumatur esse in malo statu, cum periculo æternæ salutis dimitteretur. Eodem modo si agatur de puero existente in articulo mortis, de quo dubitatur habere sufficientem usum rationis, poterit, & debebit sub conditione absolvi, cum adsit justa caussa adhibendi absolutionem conditionatam in tali casu necessitatis. Puerum septennem in dubio usus rationis posse absolvi absolute sine conditione, docet Caramuel *in Theol. Moral. lib.* 3. *n.*1388. & 1389. quia præsumitur rationis usum habere. At contrarium est probabilius, quia non potest Confessarius ita se gerere, ut periculo invaliditatis exponat Sacramentum, quod periculum potest commode vitare per appositionem conditionis.

35. At si agatur de pœnitente bono, & devoto, qui non habet peccata mortalia, & dubitatur, an ab ipso exposita sint peccata venialia, vel habeat sufficientem dispositionem; tunc satius erit ipsum sine absolutione dimittere, quia hac ratione Confessarius ne quidem materiali periculo invalidandi Sacramentum se exponit, & ex alia parte pœnitens nullum patitur detrimentum ob denegatam sibi absolutionem, quia peccata venialia, si quæ sunt, pluribus aliis modis deleri possunt extra Sacramentum Pœnitentiæ, ut habetur ex Trident. *sess.* 14. *c.*5. & forte jam dimissa sunt per actus bonos devoti pœnitentis, per actus Fidei, Spei, Caritatis, & Contritionis, seu Attritionis, per quos actus etiam obtinere potest totum augmentum gratiæ, quod per Sacramentum Pœnitentiæ foret dandum. Cum ergo nullum damnum pœnitens patiatur, nulla videtur adesse justa, & rationabilis caussa faciendi Sacramentum conditionatum, quod ex Christi institutione, & usu Ecclesiæ regulariter postulat materiam, & formam certam. Hinc devoti pœnitentes, qui sæpe, vel quotidie, vel qualibet tertia die Confessionem faciunt, & quandoque nullum actum peccaminosum exponunt, dum se accusant, quod divinis inspirationibus non correspoderint, quod Deum non amaverint toto corde, quo potuissent, & id genus similia, vel si aliquem defectum venialem fatentur, non videntur habere sufficientem dolorem, & propositum, poterunt sine absolutione dimitti, & satius erit sic illos dimittere, quam sine caussa rationabili conditionate absolvere, quia, ut dixi, pœnitens non patitur damnum, & Confessarius non se exponit periculo, nec materiali faciendi Sacramentum invalidum.

DUBIUM VII.

Utrum absolutio Sacramentalis possit valide conferri absenti?

36. Quamvis olim opinarentur nonnulli apud Facundez *præcept.* 2. *lib.* 2. *c.*10. *n.*4. licite, & valide posse pœnitentem confiteri Confessario per internuntium, per epistolam, seu scriptum, & ab eodem absente sacramentaliter absolvi; hodie tamen cessat difficultas, nam Clemens VIII. per suum Decretum editum anno 1601. die 20. Junii, re mature, ac diligenter considerata, damnavit hanc propositionem: *Licere per litteras, seu internuntium Confessario absenti sacramentaliter confiteri, & ab eodem absente absolutionem obtinere, ad minus uti falsam, temerariam, & scandalosam damnavit, ac prohibuit*: præcepitque sub pœna excommunicationis ipso facto incurrenda, sibique reservata. *Ne deinceps ista propositio publicis, privatisque lectionibus, concionibus, & congressibus doceatur, neve umquam tamquam aliquo casu probabilis defendatur, imprimatur, aut ad praxim quovis modo deducatur*; quod Decretum per extensum refert Leander *disp.* 2. *q.* 28.

37. Ex quo sequitur, absolutionem datam absenti non solum esse illicitam, sed etiam invalidam, cum in nullo umquam casu, etiam extremæ necessitatis, possit ad praxim deduci: si enim solum esset prohibita, sed non invalida, posset in casu necessitatis pro pœnitente in carceribus, aut in articulo mortis existente, qui nullum habet Sacerdotem præsentem, a quo possit absolvi, practicari; siquidem leges humanæ prohibentes actum, regulariter non obligant cum periculo vitæ, aut cum magno detrimento rei temporalis, & multo minus cum gravissimo detrimento spirituali, & periculo damnationis æternæ: quare si numquam licitum est absolvere absentem, nec etiam in casu extremæ necessitatis, signum est, absolutionem taliter datam non modo illicitam, sed etiam invalidam esse: & ita tenent Doctores communiter post tale Decretum apud Leandrum *disp.*2. *q.* 28. & Bonacinam *q.* 4. *punct.* 5. & Aversam *q.* 12. *sect.* 6.

38. Ratio desumitur primo ex verbis ipsius formæ Sacramenti Pœnitentiæ: *Ego te absolvo*, quæ diriguntur ad personam præsentem, cum qua loquitur Confessarius, ut patet ex pronomine *te*. Nec obstat, quod loco *absolvo te*, possit dicere Sacerdos: *absolvo Petrum*, vel *Paulum*, nam hæc verba dicta in præsentia faciunt absolutionem validam, quia ex circumstantiis, & intentione proferentis æquivalent illis, *absolvo te*: at si diriguntur ad personam absentem, faciunt hunc sensum: *Ego absolvo illum*, & sic faciunt mutationem essentialem, & invalidant Sacramentum Pœnitentiæ.

39. Probatur deinde ex ipsa natura Sacramenti Pœnitentiæ, quod est institutum per modum judicii, ad quod requiritur ante absolutionem perfecta caussæ cognitio; & cum sit judicium internum, & voluntarium, in quo sola persona pœnitentis gerit vicem accusatoris, testis, & rei ostendentis dispositionem suam, per se, essentialiter, & ex natura sua postulat præsentiam pœnitentis, & Confessarii; at in nullo

nullo etiam necessitatis casu alter potest absolutio licite, & valide dari, quia in absentia non potest hujusmodi plena, & perfecta notitia, ac dispositio pœnitentis comparari; facile enim contingere potest, ipsum, post missam epistolam animum mutasse, nec habere necessariam dispositionem, & sic non potest Confessarius esse certus, quod animum non mutaverit, nec interim aliud peccatum commiserit, adeoque non potest nec licite, nec valide absolutionem dare, nisi in præsentia pœnitentis.

40. Hinc facile patet discrimen, cur in aliis judiciis sententia proferatur in absentem, non sic in Sacramento Pœnitentiæ; nam solum requiritur, & sufficit ad valorem sententiæ, quod crimen sit probatum: at in judicio pœnitentiali ad valorem sententiæ, & absolutionis non sufficit, quod delictum sit probatum, sed constare debet Confessario, pœnitentem esse dispositum, & contritum in ipso instanti, in quo confert absolutionem quæ dispositio, & contritio constare non potest, quando pœnitens est absens, cum potuerit mutare propositum; adeoque semper requiritur in hoc judicio præsentia Pœnitentis, & Confessarii.

41. Dubitatur: *an saltem absolutio possit dari absenti, in casu quo præcesserit Confessio facta in præsentia, vel absolvi in præsentia pœnitens, qui per epistolam sua peccata scripserat Confessario absenti?* affirmant plures apud Madernum *tract.* 4. *q.* 4. *art.* 10. dicentes, illam propositionem: *Licere per litteras, seu internuntium Confessario sacramentaliter confiteri, & ab eodem absente absolutionem obtinere*, esse damnatam solum copulative, non disjunctive, adeoque, salvo Decreto, posse absolutionem absenti dari, quando confessio facta fuit in præsentia Confessarii; aut absolvi præsens, qui peccata scripserat Confessario. Sed melius alii negant, quia Paulus V. die 14. Julii anno 1605. in Congreg. S. Officii, confirmato Decreto Clementis VIII. declaravit, talem explicationem non subsistere, quia Pontifex utramque abusum voluit de medio tollere, adeoque particulam *&* non solum sumendam esse copulative, sed etiam disjunctive, ita ut quælibet pars seorsim damnata sit, & inde illicita, & invalida est absolutio data absenti, quamvis confessio facta sit in præsentia, vel e contra.

42. Non negaverim tamen licite, & valide absolvi posse pœnitentem, qui per litteras mitteret peccata sua Confessario, deinde in præsentia ejusdem Confessarii diceret, se accusare de omnibus illis peccatis. Ratio est, quia in hoc casu tam confessio, quam absolutio facta est in præsentia Confessarii, & pœnitentis; illa quidem accusatio est nova Confessio Sacramentalis sufficiens facta in præsentia Confessarii. Ita tenent Madernus *supra n.* 3. Bonacina *q.* 4. *punct.* 5. & aliis citatis, Leander *disp.* 2. *quæst.* 29.

43. Quanta autem esse possit distantia, ad hoc ut valida sit absolutio, non potest certo definiri, sed relinquitur prudentis arbitrio. Illa videtur sufficiens, cum qua stare potest locutio sensibilis cum alio, ut indicant illa verba formæ: *Ego te absolvo*; quare Confessarius, qui inadvertenter pœnitentem non absolvit, si non possit sine scandalo, aut incommodo revocare, poterit illum parum distantem absolvere, quia dum parum distat, censetur moraliter præsens, habetque jus ad absolutionem, quam credit recepisse: hanc distantiam extendit Mollesius 1. *par. Summæ*, *tract.* 7. *cap.* 5. *n.* 59. ad viginti passus, si ex qualitate personæ probabiliter constet Confessario, pœnitentem non incidisse in novum peccatum mortale: si vero pœnitentem amplius non videat, vel quia longe distat, vel quia discessit e Templo, non poterit amplius ipsum absolvere, cum non sit amplius moraliter præsens.

44. Alii distantiam magis extendunt, & dicunt sufficere, quod Confessarius aliquo sensu, visu, audito, aut alio pœnitentem percipiat, quia tunc censetur moraliter præsens: unde docet Antonius a Spiritu S. *tract.* 5. *disput.* 2. *sect.* 1. *n.* 20. posse Sacerdotem absolvere aliquem, quem de longe videt, sed non audit, dummodo alii dicant, ipsum petere absolutionem; ut si esset in flumine, & pœnitens in littore, vel distans plus triginta passus, quia cum illum videat, censetur præsens, & verificatur illud *te absolvo*, nam designat personam in conspectu suo positam. Similiter potest absolvere aliquem existentem in cubiculo, si vocem ipsius audiat, quamvis illum non videat; & fatetur Anton. in facti contingentia, dum esset in proprio cubiculo infirmitate detentus, absolutionem dedisse alteri Religioso e suo cubiculo postulanti confessionem, quod asserit, fuisse ab omnibus approbatum, & laudatum. Quod si Confessarius domum tantum videret, in qua reperitur infirmus, quem nec videt, nec audit, non poterit ipsum absolvere, quia cum nullo sensu ipsum percipiat, censetur absens, etiamsi per internuntium confessionem petat, ut notat Leander *quæst.* 31.

CAPUT IV.

De Contritione, prout est materia proxima Sacramenti Pœnitentiæ.

DUBIUM I.

An, & qualis dolor requiratur ad Sacramentum Pœnitentiæ?

Etsi certum sit apud omnes, dolorem necessario requiri ad Sacramentum Pœnitentiæ; non omnes tamen conveniunt, an illa sit mera dispositio prærequisita eo modo, quo requiritur in Baptismo Adultorum, qui sine dolore suorum peccatorum non recipiunt gratiam justificationis, quamvis valide recipiant Sacramentum Baptismi, vel sit pars essentialis intrinsece constituens Sacramentum. Esse meram dispositionem senserunt nonnulli apud Lugum *disp.* 14. *sect.* 1. ubi etiam refert Rosellam, & Sylvestrum sentientes, posse aliquam justificari per hoc Sacramentum susceptum absque ullo dolore, & proposito, cum sola intentione recipiendi Sacramentum, dummodo non habeat actualem complacentiam ad peccatum præteritum, nec propositum committendi aliud.

2. Communis tamen, & vera Sententia docet, dolorem in Sacramento Pœnitentiæ necessario requiri, non solum ut dispositionem præviam, ut in Baptismo Adultorum, sed tamquam partem essentialem intrinsece constituentem Sacramentum, quia sic definitum est in Trident. *sess.* 14. *c.* 3. *& can.* 4. Ratio etiam est, quia hoc Sacramentum est institutum per modum judicii, & reconciliationis; sub utraque autem ratione dolorem essentialiter requirit; nam quatenus est per modum judicii, requirit accusationem, quæ non est simplex, & historica narratio peccatorum, sed debet esse dolorosa, & ex odio delicti procedere, & inde requirit dolorem ex parte materiæ, tamquam id, per quod accusatio constituitur in esse accusationis: quatenus est per modum reconciliationis, requirit conversionem voluntatis ad Deum, quæ esse non potest sine dolore, juxta illud Joel. 2. *Convertimini ad me in toto corde vestro, in jejunio, & fletu, & planctu*, ut patet ex supradictis *tract. præced. c.* 2. *&* 3.

3. Neque obstat, dolorem non esse sensibilem, & sic esse non posse partem Sacramenti, quod est signum sensibile; contra enim dico, dolorem reddi sensibilem per ipsam confessionem, & accusationem, quod sufficit ad hoc, ut sit pars Sacramenti: sicut Corpus Christi est pars Sacramenti Eucharistiæ, licet non sit sensibile per se, sed per species, & verba Consecrationis, ut tradit Lugus *disp.* 14. *sect.* 1. *n.* 8. In hoc autem maxime differt hoc Sacramentum a Baptismo, & ab aliis, quod in istis dolor requiritur solum tamquam dispositio ad effectum gratiæ consequendum, sine qua dispositione Sacramentum potest esse validum, licet non conferat gratiam: at in Sacramento Pœnitentiæ, cujus materia est accusatio dolorosa, dolor requiritur non solum ut dispositio ad ejus effectum, sed tamquam pars essentialis ad substantiam, & valorem, sine qua parte non conficitur validum Sacramentum, & inde ad illud accedens, & recipiens absolutionem sine dolore requisito, committit grave sacrilegium, non solum quia ponit obicem gratiæ, sed etiam quia irritum reddit Sacramentum.

4. Iste dolor ad validitatem Sacramenti requisitus debet esse formalis, & expressus, nec sufficit virtualis, & implicitus, inclusus in voluntate suscipiendi Sacramentum, aut in actu amoris Dei; nam dolor, & detestatio peccatorum est pars materialis pœnitentiæ, ut habetur ex Tridentino, & sic non potest sufficere dolor solum virtualis inclusus in actu amoris Dei, licet iste possit esse sufficiens dispositio ad consequendam gratiam extra Sacramentum, ut diximus *tract. præced. cap.* 4. *dub.* 2. Quod potest confirmari a pari; nam panis solum virtualis, & vinum virtuale non sufficit ad Eucharistiam, non enim potest consecrari triticum, quamvis sit virtualiter panis, aut uva, quamvis sit virtualiter vinum, sed requiritur vinum formale: ita etiam in pœnitentia non sufficit dolor virtualis, sed requiritur dolor formalis, & expressus, & inde non recipit Sacramentum Pœnitentiæ, qui ad illud accedit cum solo actu amoris, & dilectionis sine dolore formali, quia non exhibet materiam institutam a Christo, & requisitam a Conciliis: potest tamen excusari a peccato, qui bona fide ignoranter, aut inadvertenter accederet ad hoc Sacramentum cum solo actu amoris, quia implicat habere actum amoris Dei formalem, & graviter peccare, ut notavit Bonacina *disp.* 5. *q.* 3. *punct.* 2. *n.* 7.

5. An vero sufficiat dolor, quod non doleas, seu dolor non habiti doloris: affirmant Paludanus, Navarrus, Sylvester, & alii, asserentes, non valenti habere verum dolorem suorum peccatorum, persuadendum esse, ut habeat desiderium illum habendi cum displicentia non habiti doloris, & hoc ei sufficere ad recipiendam absolutionem, ut refert Aversa *quæst.* 11. *sect.* 1.

Resp. tamen, per se loquendo, non sufficere, quia tam ad valorem, quam ad effectum hujus Sacramenti displicentia, & dolor debet esse de ipsis peccatis, non de negatione doloris; siquidem accusatio Sacramentalis, cum sit de ipsis peccatis, involvere debet displicentiam, & dolorem eorum.

rumdem peccatorum. Hæc Sententia poterit ad summum admitti in praxi pro timoratis conscientiis nullum actualem affectum ad peccatum habentibus; in illis enim, ut bene advertit Tambur. *in methodo exped. Confess. lib. 1. c. 2. §. 1.* optare se dolere, vel dolere, quod non doleant, signum est veri doloris.

DUBIUM II.

An dolor requisitus ad Sacramentum Pœnitentiæ debeat esse supernaturalis, vel sufficiat naturalis?

6. Solet tractari hæc difficultas de Attritione, *an nimirum sufficiat Attritio naturalis, vel necessario requiratur Attritio supernaturalis?* Sufficere Attritionem, & dolorem naturalem existimatum, & putatum supernaturalem docent Victoria, Navarrus, Petrus Soto, Cano, & Henriquez apud Facundea *præcept. 2. lib. 2. c. 5. nu. 4.* Bonacina vero *disp. 5. q. 5. sect. 1. punct. 3. n. 12. & q. 3. punct. 2. nu. 9.* distinguit dolorem requisitum ad valorem Sacramenti, a dolore requisito ad illius effectum consequendum, & asserit, ad valorem Sacramenti sufficere dolorem naturalem, quamvis ad effectum gratiæ consequendum requirat dolor supernaturalis, & pro se citat Henriquez, Ledesma, Capreolum, Cajetanum, Paludanum, Sylvestrum, Covarruviam, & alios. Valentia *q. 8. punct. 2.* & Hurtado *disp. 6. de Pœnit. diff. 6.* docent, non solum ad valorem, verum etiam ad effectum Sacramenti Pœnitentiæ sufficere Attritionem naturalem, idest solis viribus naturæ elicitam, ut refert Leander *tract. 5. disput. 1. quæst. 47.*

7. Vera, & sequenda Sententia tenet, nullo modo sufficere dolorem naturalem; nec ad valorem, nec ad effectum Sacramenti Pœnitentiæ, etiamsi invincibiliter putetur supernaturalis, sed requiri verum, & supernaturalem dolorem, quæ Sententia videtur definita ab Innoc. XI. damnante illam propositionem, quæ est in ordine 57. *Probabile est sufficere attritionem naturalem modo honestam:* & ita tenent Facundea *sup. a*, Suarez *disp. 20. sect. 2. & 4.* Palaus *punct. 7. n. 4.* Trullench *lib. 4. cap 5. dub. 5.* Leander *supra qu. 47.* Aversa *quæst. 11. sect. 5.* Coninch *disp. 20. dub. 5. num. 40.* & alii communiter.

8. Et quidem necessarium esse dolorem supernaturalem ad effectum gratiæ consequendum, facile probatur ea ratione universali actuum disponentium ad justificationem, qui debent esse supernaturales, cum non possit homo ea solis viribus naturæ absque speciali, ac supernaturali auxilio se præparare, ac disponere ad justificationem, ut probari solet in materia de Divina gratia; namque dispositio debet esse in eodem ordine cum forma, ad quam disponit: debet enim esse proportio inter dispositionem, & formam; sed dolor in Sacramento Pœnitentiæ disponit ad gratiam justificationis, quæ est ordinis supernaturalis; ergo etiam dolor debet esse ordinis supernaturalis. Deinde, quia ex Trident. *sess. 14. c. 3. & 4* Attritio, quæ disponit hominem ad gratiam in hoc Sacramento impetrandam, *est donum Dei, & impulsus Spiritus Sancti, non adhuc quidem inhabitantis, sed tantum moventis, quo pœnitens adjutus viam sibi ad justitiam parat*; ergo dolor ille, qui disponit ad justificationem, cum ab auxilio gratiæ procedat, debet esse ordinis supernaturalis.

9. Eadem ratione probatur non solum ad effectum, sed etiam ad valorem Sacramenti necessarium esse dolorem supernaturalem, quia dolor de peccatis non solum ut dispositio, sed etiam ut est pars essentialis Sacramenti Pœnitentiæ, debet esse donum Spiritus Sancti, ut habetur ex Trident. *loco citato:* ibi enim primo declarat contritionem, quæ est pars Sacramenti Pœnitentiæ, esse animi dolorem, ac detestationem de peccato commisso, cum proposito non peccandi de cetero. Deinde hunc dolorem distinguit in perfectum, scilicet in contritionem, & in imperfectum, scilicet attritionem, & hanc dicit esse donum Spiritus S. non adhuc inhabitantis, sed moventis; ergo dolor non solum ut dispositio, sed etiam ut pars Sacramenti est ordinis supernaturalis. Conf. ad hoc ut Sacramentum Pœnitentiæ sit validum, necesse est, quod pœnitens, ex fide, & spe obtinendi veniam se subjiciat clavibus Ecclesiæ, & cum tali fide, & spe doleat de peccatis; sed dolor iste fundatus in fide, & spe est ordinis supernaturalis; ergo dolor ad validitatem Sacramenti requisitus debet esse supernaturalis: secus qui voluntarie accederet ad hoc Sacramentum cum dolore naturali insufficienti ad gratiam justificationis consequendam, non teneretur amplius illa peccata confiteri, quia valida fuit talis confessio, licet sine fructu; quod tamen non admittitur, & ita tenent contra Bonacinam non solum omnes, qui negant, Pœnitentiæ Sacramentum posse esse validum, & informe, sed etiam qui illud concedunt, Suarez, Lugo, Candidus, Aravio, & Ledesma, quos affert, & sequitur Francis. a Jesu Maria *tract. 6. cap. 5. n. 17.*

10. Dices: Christus pro materia Sacramentorum instituit rem naturalem, ut aquam naturalem, panem naturalem, oleum naturale, &c. ergo etiam dolorem naturalem. Sed contra, dato antecedente, nego consequentiam, quia cum Sacramenta libere a Christo sint instituta, ex eo quod aliqua instituit in materia naturali, non debet idem inferri de Sacramento pœnitentiæ: disparitas esse potest, quia dolor in hoc Sacramento ita est pars essentialis illius, ut etiam sit dispositio ad gratiam consequendam; non potest autem esse dispositio, nisi sit supernaturalis, & sic non potest esse pars Sacramenti, nisi sit supernaturalis, quod non valet de materia aliorum Sacramentorum.

DUBIUM III.

An sit necessaria Contritio, vel sufficiat Attritio ad Sacramentum Pœnitentiæ?

11. Necessariam simpliciter esse in hoc Sacramento Contritionem perfectam, vel saltem Attritionem, quæ ut putata, & existimata Contritio, docuerunt quamplures, qui ante Concilium Trident. scripserunt. Ugo de S. Victore, Ricardus, Alensis, Altisiodor. Gabriel, Major, Adrian. Medina, & alii plures, quos refert Aversa *qu. 11. de pœnit. sect. 4.* quia vera pœnitentia debet detestari peccata super omnia mala, si non intensive, saltem appretiative, ex parte objecti, & motivi; sed non est talis pœnitentia, nisi sit ex motivo diligendi Deum super omnia, quæ est perfecta Contritio; ergo necessaria est perfecta Contritio.

12. Respondeo, Contritionem perfectam esse quidem optimam, & excellentissimam dispositionem ad Sacramentum Pœnitentiæ digne, & cum magno gratiarum fructu recipiendum; non tamen esse simpliciter necessariam, sed sufficere Attritionem etiam cognitam, ut talem. Ita tenent Doctores communiter post Concilium Trident. D. Thomas, Scotus, Capreolus, Durandus, Paludanus, Nugnus, Suarez, Coninch, Vasquez, Bonacina, Fillius, Reginaldus, & alii, quos affert, & sequitur Aversa *supra*, Anton. a Spiritu Sancto *disp. 3. sect. 2.* Franciscus *tract. 6. cap. 1. punct. 5.* Leander *quæst. 8. & 9.*

13. Probatur ex Concil. Trid. *sess. 14. c. 4.* ubi postquam declaravit, Contritionem imperfectam, quæ Attritio dicitur: *Non solum non facere hominem hypocritam, & magis peccatorem, verum etiam donum Dei esse, & Spiritus Sancti impulsum, non quidem adhuc inhabitantis, sed tantum moventis, quo pœnitens viam sibi ad justitiam parat*; immediate subjungit: *& quamvis sine Sacramento Pœnitentiæ per se ad justificationem perducere peccatorem nequeat tamen eum ad Dei gratiam in Sacramento Pœnitentiæ impetrandam disponit*; ergo Attritio vera, & supernaturalis est sufficiens dispositio cum Sacramento. Nec dicas, Concilium intelligendum esse non de dispositione ultima sufficiente, sed de dispositione remota, quatenus Attritio disponit ad Contritionem, sine qua non conceditur remissio peccatorum; contra enim est, quia Concilium contra distinguit Contritionem ab Attritione, & illam dicit, posse reconciliare hominem Deo ante realem susceptionem Sacramenti, sed non sine ejus voto: Attritionem vero ait, non perducere per se, & sine Sacramento peccatorem ad justificationem, sed solum in ipso Sacramento disponere ad gratiam, quod utique intelligi non potest, nisi de dispositione ultima, & per se sufficienti cum Sacramento, adeo ut Contritio sit dispositio ultima etiam extra Sacramentum, Attritio vero sit dispositio ultima solum cum Sacramento. Hinc esse mentem Concilii clare explicat Catechismus Rom. *part. 2. c. 5. n. 38.* ubi ait: *si quis ita animo affectus sit, ut peccata admissa doleat, simulque in posterum non peccare instituat: & si ejusmodi dolore non afficiatur, qui ad impetrandam veniam satis esse possit, ei tamen cum peccata Sacerdoti rite confessus fuerit, vi clavium scelera omnia remitti, ac condonari.*

14. Probat. 2. quia Sacramentum Pœnitentiæ per se institutum est, ut ait Trident. sess. 14. cap. 1. *ad reconciliandos Deo fideles post Baptismum lapsos*, unde etiam dicitur Sacramentum Mortuorum, quia suscitat peccatorem a morte peccati, eumque Deo conciliat; at si necessaria esset perfecta Contritio, numquam hoc Sacramentum suscitaret a morte peccati, nec Deo reconciliaret, quia per Contritionem præcedentem jam esset peccator vivus, & Deo reconciliatus. Insuper non esset data Sacerdotibus a Christo potestas clavium, & potestas remittendi peccata, vel certe illa foret inutilis, & superflua, quia ante absolutionem Sacerdotis jam esset peccator liber a culpa, & sic Sacerdos numquam peccata dimitteret, sed solum declararet peccata esse remissa, quod est hæreticorum. Sequitur insuper contra communem Ecclesiæ, & Sanctorum Patrum consensum, Legem Gratiæ duriorem, & rigidiorem esse Lege Mosayca, Christianisque impositum esse gravius onus pro obtinenda peccatorum remissione, quam Judæis; siquidem istis sola Contritio sufficiebat, Christianis autem ultra Contritionem necessaria est peccatorum omnium mortalium confessio, quod plane alienum est a mente Fidelium, & suavitate, ac militate nostræ Evangelicæ Legis.

15. Dicendum ergo est, non esse necessariam in hoc Sacramento perfectam Contritionem, sed sufficere Contritionem imperfectam, seu Attritionem supernaturalem, etiam cognitam ut talem, quia dum Christus instituit hoc Sacramentum, & dedit Sacerdotibus potestatem remittendi peccata, non obligavit Fideles ad habendam Contritionem

perfectam, per quam peccata remittuntur ante absolutionem, sed solum ad illam dispositionem, quæ simul cum Sacramento sufficeret ad justificationem; unde licite poterunt Fideles cum tali dispositione, idest Attritione, etiam cognita, ad Sacramentum accedere, absque eo quod habeant, vel possint habere Contritionem perfectam.

16. Ad rationem oppositam facile respondetur, ad veram pœnitentiam requiri detestationem peccatorum super omnia mala, & incommoda, ita quod paratus sit homo abstinere potius a quocumque commodo, in quo invenitur peccatum, quam consentire in ipsum peccatum: hanc tamen dispositionem, & promptitudinem habere potest non solum ex motivo supremo Dei summe dilecti, sed etiam ex alio motivo inferiori, puta ob turpitudinem peccati, vel metum inferni: detestatio orta ex supremo motivo, quamvis optima, non tamen est necessaria in Sacramento Pœnitentiæ, ad quod sufficit detestatio ex alio motivo inferiori.

17. Dices: Peccator justificari non potest, nisi toto corde convertatur ad Deum; sed toto corde non convertitur ad Deum, nisi detestando peccatum formaliter propter Deum; ergo necessaria est perfecta Contritio.

Resp. peccatorem converti ad Deum toto corde, quando affectum peccati relinquit, & paratus est Deum præferre rebus omnibus, quod præstare potest non solum ex supremo motivo Dei summe dilecti, sed etiam ex alio motivo inferiori. Auctoritates Scripturæ, & Patrum requirentes ad justificationem pœnitentiam perfectam, & Contritionem, explicandæ sunt de justificatione acquirenda extra Sacramentum, ad quam requiritur Contritio formalis, aut virtualis, non de justificatione acquirenda in Sacramento Pœnitentiæ, ad quam sufficit Attritio.

18. Dices 2. ex Concilio Trident. *sess. 6. c. 6.* non justificantur Adulti, nisi Deum diligere incipiant; ergo non sufficit Attritio, sed requiritur Contritio orta ex amore Dei.

Resp. Concilium non loqui de amore perfectæ Caritatis, ex quo nascitur vera Contritio, sed de amore imperfecto incluso in ipsa virtute spei, ut satis constat ex verbis Concilii; ibi enim loquens de infidelibus Adultis, ait: *Disponuntur ad ipsam justitiam, dum excitati divina gratia, & adjuti, fidem ex auditu concipientes &c., in spem eriguntur, fidentes Deum sibi propter Christum propitium fore; illumque tamquam omnis justitiæ fontem diligere incipiunt*, quasi dicat, illos incipere Deum diligere, eo quod ab illo, tamquam a fonte totius gratiæ, & justitiæ, se peccatorum remissionem impetraturos sperant; esse autem necessariam hanc confidentiam, & amorem spei ad justificationem peccatoris, sive fiat in Sacramento, sive extra Sacramentum, nullus est qui dubitet, sicut etiam requiritur fides, timor, aliæque virtutes ibidem a Concilio enumeratæ. Alii dicunt, sufficienter includi amorem virtualiter, & implicite in ipsa Attritione: qui enim timet infernum, desiderat, & virtualiter amat beatitudinem, & Deum, in quo stat omnis beatitudo.

DUBIUM IV.

An Attritio sufficiat etiam in articulo mortis?

19. PLures Doctores admittentes, non esse necessariam Contritionem perfectam ad valorem Sacramenti, sed sufficere Attritionem, volunt, peccatorem, qui in articulo mortis suscepit Sacramentum Pœnitentiæ cum Attritione cognita, teneri sub mortali elicere actum Contritionis, aut Amoris Dei, quia licet probabile sit, ac practice tutum, Attritionem esse sufficientem cum Sacramento ad consequendam remissionem peccatorum, hoc tamen non est de fide, nec omnino certum, sed potest esse falsum, cum plures Doctores, etiam post Tridentinum, negent, Attritionem sufficere. Quare pœnitens, saltem in articulo mortis, ex caritate, qua se ipsum debet diligere, & procurare salutem propriam, tenetur adhibere remedium certum, & securum, & elicere actum Contritionis, seu Amoris Dei, ne in re tanti momenti se exponat periculo æternæ damnationis. Ita Suarez *disp. 15. sect. 4. n. 57. & 58.* Valentia *tom. 4. disp. 7. q. 8. p. 4.* Nugnus, Sanchez, Granado, Zambranus, Tannerus, Præpositus, quos refert Leander *disp. 7. quæst.* 10.

20. Resp. etiam in articulo mortis Attritionem cognitam esse dispositionem sufficientem cum Sacramento ad justificationem, nec teneri peccatorem Contritionem elicere. Ita Coninch, Becanus, Layman, Facundez, Philippus Faber, Lusius Turrianus, & Salas, quos citat, & sequitur Lugus *disp. 7. sect.* 13. Diana *part. 3. tract. 4. resol. 98. & part. 5. tract. 3. resol. 76.* Ant. a Spiritu S. *disp. 3. sect. 8.* Leander, & alii apud ipsos.

21. Ratio est, quia ex præcepto Caritatis, aut quocumque alio præcepto, nemo tenetur facere, nisi id, quod Ecclesia docet esse necessarium ad salutem, idque faciendo, nullo exponitur periculo æternæ damnationis, cum Ecclesia non possit errare in statuendis mediis necessariis ad salutem; sed Ecclesia in Concilio Trident. docet, ad salutem, & gratiam impetrandam sufficere Attritionem cognitam cum Sacramento Pœnitentiæ; ergo non tenetur ad aliquid amplius, nec exponitur periculo salutis æternæ, qui cum Attritione cognita, etiam in articulo mortis, confitetur: secus Attritio cum Sacramento Pœnitentiæ non esset sufficiens dispositio, vel saltem esset dispositio dubia, & sic numquam licitum esset cum sola Attritione confiteri; si enim dubia est dispositio, semper exponeretur periculo non recipiendi gratiam, & remissionem peccatorum.

22. Hinc facile patet responsio ad rationem oppositam superius adductam; negamus enim, pœnitentem morali periculo æternæ damnationis se exponere, quia, si non est de fide, saltem certissimum est, Attritionem cognitam esse dispositionem sufficientem ad gratiam in Sacramento suscipiendam. Nec auctoritas paucorum Doctorum contrarium sentientium sufficit, ut homo dicatur se exponere probabili periculo salutis æternæ, maxime quia multi Doctores non solum illam opinionem existimant falsam, sed erroneam, & temerariam, ut cum Facundez notavit Perez *disp. 14. sect. 7. n. 3.* apud Anton. a Spiritu Sancto *cit. sect. 8. num.* 115.

23. Dices: unusquisque tenetur lege caritatis in fine vitæ actum dilectionis elicere, & se Deo ex caritate conjungere; sed actus dilectionis Dei super omnia secum affert actum Contritionis in eo, qui memoriam habet peccati lethalis; ergo tenetur peccator talem actum dilectionis, & Contritionis elicere.

Resp. obligationem diligendi Deum super omnia, ac eliciendi actum dilectionis in fine vitæ, non oriri ab obligatione pœnitentiæ, aut insufficientia Attritionis cum Sacramento, sed ex ipsa virtute Caritatis, cui quis potest satisfacere, accepta absolutione Sacramentali, cum sola Attritione cognita, in quo casu non tenetur amplius ad Contritionem, quæ non obligat supposita Confessione, & Sacramento Pœnitentiæ, per quod peccator ex attrito fit contritus. Præceptum autem naturale ortum ex caritate propria, reddendi certam modis omnibus propriam salutem in articulo mortis, satis suppletur æquivalenter per Attritionem cum reali susceptione Sacramenti, ut docet Henriquez *lib. 1. de Pœnit. c.* 26.

24. In praxi consulenda semper est prima Sententia, atque adeo pœnitentem conscium peccata mortalis existentem in articulo mortis, quando confitetur, non debere esse contentum sola Attritione cognita, sed debere conari, ut actum Contritionis eliciat, ut, quantum est ex se, certam faciat suam salutem, nec ullo modo se exponat periculo æternæ damnationis: cum enim agatur de summa rerum, quis debet in tali extremo periculo sibi eligere media certissima, de quibus nemo dubitat, esse sufficientia ad æternam salutem consequendam.

DUBIUM V.

Qualis debeat esse Attritio sufficiens ad Sacramentum Pœnitentiæ.

25. CErtum est, dolorem requisitum ad Sacramentum Pœnitentiæ debere esse honestum, idest ex motivo laudabili, & honesto conceptum; unde qui doleret ex fine pravo, quia non amplius potest indulgere gulæ, vel actum venereum adimplere, esset sine dubio indispositus, cum iste sit actus malus. Certum etiam est, Attritionem, seu dolorem naturalem conceptum ex motivo pure naturali, etiam honesto, non sufficere; quia cum debeat esse dispositio ad gratiam, quæ est ordinis supernaturalis, debet esse supernaturalis, ut diximus supra *dub.* 2. nec sufficit Attritio solum putata, & existimata, sed debet esse vera, & formalis: sicut ad consecrationem Calicis requiritur vinum verum, & formale, nec sufficit aqua, quamvis inculpabiliter vinum existimetur; quare qui accedit ad Sacramentum Pœnitentiæ cum sola Attritione putata, potest excusari a novo peccato, si inculpabiliter accedat, non tamen recipit gratiam, & remissionem peccati, sed tenetur iterum confiteri, cognito errore.

26. Restat aliqua difficultas de Attritione concepta ex turpitudine peccati, aut ex metu gehennæ, & pœnarum, quam damnant Lutherus, Jansenius, & alii pauci tamquam insufficientem dispositionem ad gratiam consequendam, aut quia non est supernaturalis, aut quia non bona, sed ex amore sui ipsius: esse autem dispositionem sufficientem docent communiter Doctores, qui post Concil. Trident. scripserunt, ut docet Madernus *quæst. 2. art.* 15. Aversa *quæst.* 11. *sect.* 5. Lugus, Antonius a Spiritu S. & alii.

27. Resp. Attritionem conceptam ex turpitudinis peccati consideratione, aut ex metu gehennæ, & pœnarum, si excludat voluntatem peccandi cum spe veniæ, esse dispositionem sufficientem ad gratiam cum Sacramento Pœnitentiæ consequendam. Ratio est, quia Attritio illa est actus bonus, honestus, & supernaturalis, in Scriptura, & a Patribus sæpe laudatus, ut patet ex omnibus illis Scripturæ locis, in quibus peccatoribus æterna pœna comminatur, si peccare non desinant. Christus *Matth.* 10. docet, timendum esse eum, qui potest animam, & corpus perdere in gehennam. D. Basilius in Psal. 33. ait: *Si quando te senseris ad unum aliquod citari, ac prosilire peccatum, ad mentem revoca formidabile illud, nec ulli mortalium tolerabile judicium Dei*; describit deinde Judicium, Inferni profundum barathrum, inextricabiles tenebras, ignem carentem splendore, &c. & postea addit: *hæc time, & hoc timore correptus, animam a peccatorum concupiscentia tamquam fræno quodam reprime.* Et D. Aug. in Ps. 127. super illa verba:

ba: *Beati omnes, qui timent Dominum*, ait: quod quamvis timor ille, quo quis timet pœnas, ac metuit, ne mittatur in gehennam, nondum castus sit, est tamen bonus, ac utilis. Accedit Concilium Trident. *sess.* 14. *cap.* 4. ubi dicit: timorem illum esse donum Dei, & impulsum Spiritus Sancti, eoque timore utiliter concussos Ninivitas ad Jonæ prædicationem, plenam terroribus pœnitentiam egisse.

28. Cum igitur timor ille pœnarum sit donum Dei, & impulsus Spiritus Sancti, & oriatur ex motivo supernaturali per fidem divinam manifestato, sequitur esse bonum, & salutarem, ac proinde Attritionem caussatam a tali motivo non esse vitiosam, & malam, sed honestam, bonam, & supernaturalem, & sic dispositionem sufficientem ad gratiam cum Sacramento Pœnitentiæ consequendam. Nec obstat, quod non oriatur ex amore Dei, sed ex amore sui ipsius; nam talis amor non est malus, nec inordinatus, nec contra Legem Dei, sed potius conformis Divinæ Legi, secundum quam tenemur avertere a nobis æternam damnationem, & ad illam avertendam licite, ac honeste possumus eligere fugam, & detestationem peccati inducentis æternam damnationem, & exclusionem a gloria.

29. Hinc facile rejicitur opinio Sylvii *quæst.* 1. *supplem. art.* 3. requirentis cum Attritione actum amoris Dei imperfectum; si enim per amorem Dei imperfectum intelligat amorem caritatis, qua Deum diligimus propter infinitam suam bonitatem, sed remissum, hoc falsum est, quia qualibet caritas, quantumvis remissa, sufficiens est ad peccata delenda ante realem Sacramenti susceptionem: si vero intelligat amorem concupiscentiæ inclusum in virtute spei, quo Deum diligimus tamquam nobis bonum, & liberalem, hoc verum est, quia Pœnitentia, & Attritio, de qua loquimur, virtutem spei in se virtualiter includit, ut ex Trident. notavimus supra *dub.* 3. sed tunc non discordat a Sententia communi.

30. Dices: Attritio requisita, & sufficiens ad Sacramentum Pœnitentiæ debet esse supernaturalis; sed Attritio concepta ex fœditate peccati, aut ex metu gehennæ, & pœnarum, non est supernaturalis; nam fœditas peccati, sicut etiam pœnæ infligendæ sunt quid naturale.

Resp. duplicem dari Attritionem, unam quidem naturalem, quæ est dolor de peccatis propter ipsius turpitudinem, ut oppositam solum bono naturæ, & virtuti naturali, aut etiam Deo auctori solum Naturæ, & hanc Attritionem non esse sufficientem etiam cum Sacramento ad justificationem ultro concedimus. Alia vero Attritio est supernaturalis, & est dolor de peccatis, vel propter ipsorum fœditatem, ut oppositam virtuti supernaturali, & Deo, ut auctori Gratiæ, vel propter gehennam Inferni, per lumen supernaturale fidei cognitam, & hæc Attritio, utpote supernaturalis, est sufficiens dispositio cum Sacramento Pœnitentiæ. Diximus supra *tract. præc. c.* 5. *dub.* 7. non solum Attritionem conceptam ex metu gehennæ supernaturalem esse, sed etiam esse talem Attritionem conceptam ex metu pœnarum Purgatorii, vel etiam pœnarum istius mundi, ægritudinis, infamiæ, & hujusmodi, si considerentur non ut proveniunt a caussis naturalibus, aut etiam a Deo auctore Naturæ, sed ut proveniunt a Deo auctore Gratiæ, & supernaturali illas infligente in pœnam peccati: & Attritio ex metu pœnarum hoc modo consideratarum erit sufficiens dispositio.

31. Dices 2. Attritio requisita ad Sacramentum Penitentiæ debet excludere voluntatem peccandi, ut habetur ex Trident.; sed Attritio concepta ex metu pœnarum non excludit voluntatem peccandi: qui enim dolet de peccatis solum ex metu pœnæ, ita est dispositus, ut perseveraret in peccato, si non esset peccato pœna imposita; ergo Attritio concepta ex metu pœnarum non est sufficiens dispositio cum Sacramento.

Resp. Attritionem requisitam ad Sacramentum Pœnitentiæ debere utique excludere voluntatem peccandi; si enim talem voluntatem non excluderet, sed in ea peccator perseveraret, paratus etiam peccare, si non adesset pœna, esset indispositus, nec posset Sacramentum recipere, quia talis voluntas sic retenta est novum peccatum. Itaque Attritio vera debet talem voluntatem excludere, illamque necessario excludit ex se, & ex vi sua, estque cum illa incompossibilis: siquidem illa voluntas tamquam prava, & peccaminosa meretur pœnam Inferni, ac proinde stare non potest cum Attritione detestante peccatum ex timore Inferni; non enim potest quis simul, & semel nolle pœnam Inferni, & retinere voluntatem pravam merentem pœnam Inferni; adeoque Attritio vera, quæ detestatur peccatum ex timore Inferni, per se formaliter excludit illam voluntatem peccandi.

32. Dices: qui detestatur peccatum propter pœnam, magis odit pœnam, quam peccatum, & ordinat majus bonum ad minus bonum, quod est malum, & inordinatum.

Resp. nihil mali, aut inordinati esse in eo, quod peccator magis detestetur pœnam, quam peccatum, quatenus pœna est ratio detestandi peccatum, vel ordinet detestationem peccati ad fugiendam pœnam tamquam ad finem proximum; si utrumque ordinet ad consequendum Deum ultimum finem, talis ordinatio est actus minus bonus, sed non malus, ut alibi dixi *tract. præcedentis cap.* 3. *dub.* 7.

33. Dices: odisse peccatum propter pœnam, provenit ex timore servili, qui est insufficiens dispositio ad justificationem.

Resp. timorem servilem junctum cum servilitate, idest cum voluntate retenta peccandi, non sufficere ad justificationem; bene tamen sufficere timorem servili exclusa servilitate, idest voluntate peccandi, ut dictum est supra.

DUBIUM VI.

An, & quomodo Attritio necessaria ad Sacramentum debeat esse universalis de omnibus peccatis?

34. CErtum est, necessarium esse dolorem peccatorum omnium mortalium, quorum quis habet memoriam, ad hoc ut gratiam Sacramenti, & remissionem consequatur: si enim tenemur singula peccata mortalia confiteri, tenemur etiam singula detestari, essetque grave sacrilegium ad hoc Sacramentum accedere cum complacentia, aut sine dolore alicujus peccati mortalis cogniti: quod verum est non solum de peccatis mortalibus confessis, sed etiam de omnibus aliis, quæ quis forte ex rationabili caussa tacet; licet enim, justa interveniente caussa, quis excusetur ab illorum confessione, non tamen excusatur ab illorum detestatione: cum enim non possit unum peccatum remitti sine alio, nec remittantur peccata sine illorum retractatione, sequitur, quod debeat quis dolere non solum de peccatis confessis, sed etiam de aliis, si, & quæ forte tacet.

35. Certum est secundo, non esse necessarium dolorem singulorum peccatorum in particulari, aut multiplicari tot actus doloris, quot sunt peccata, sed sufficere actum unicum, quo quis peccata commissa detestatur ex motivo aliquo universali complectenti omnia peccata, puta ex motivo gehennæ, quæ per omne peccatum mortale incurritur, ex motivo pœnitentiæ specialis, seu divini juris, quod per omne peccatum violatur, aut alio simili motivo universali. Difficultas est, *an teneatur quis semper detestari peccatum ex tali motivo universali, vel etiam possit illa detestari ex motivo particulari, puta propter intrinsecam turpitudinem alicujus peccati, aut propter oppositionem, quam habet cum aliqua particulari virtute.*

36. Resp. 1. qui accedit ad Sacramentum Pœnitentiæ probabiliter timens, se habere alia peccata, præter ea, quæ confitetur, tenetur de omnibus dolere ex motivo saltem universali. Ratio est, quia qui accedit ad Sacramentum Pœnitentiæ probabiliter timens, se habere peccata mortalia inculpabiliter oblita, si non doleat de omnibus ex motivo saltem universali, exponitur periculo frustrandi Sacramentum, & non recipiendi gratiam; si forte enim habeat peccata occulta, de quibus non doleat saltem in genere, non potest gratiam, nec illorum remissionem recipere, quia cum illa non possint remitti sine retractatione saltem virtuali, & unum peccatum, sive directe, sive indirecte, non remittatur sine alio, sequitur, nullum remitti; ergo qui accedit ad Sacramentum cum dolore solum particulari, probabiliter timens habere alia peccata mortalia, exponitur periculo non recipiendi gratiam, & frustrandi Sacramentum.

37. Resp. 2. pœnitens, qui dolet de peccatis in confessione expositis ex motivo universali, est sufficienter dispositus ad recipiendam gratiam, & remissionem, quamvis nihil cogitet de oblitis, si forte habeat. Ratio sumitur ex supradictis *tract. præc. c.* 2. *dub.* 4. ubi vidimus, detestationem efficacem peccati mortalis ex motivo aliquo universali, esse necessario universalem, saltem virtualiter de omnibus peccatis mortalibus, propter identitatem motivi formalis; & sic, qui ex motivo universali dolet de peccatis expositis in confessione, sufficienter detestatur peccata occulta, si quæ habet, nec ponit obicem gratiæ, sed recipit gratiam, & remissionem peccatorum, solumque remanet obligatio formaliter detestandi, & exponendi in confessione talia peccata occulta, si in mentem veniant.

38. Dico 3. qui dolet de peccati ex motivo particulari, puta qui detestatur furtum ob turpitudinem propriam contra justitiam, recipit cum Sacramento gratiam, & remissionem, si nullum aliud habeat peccatum mortale præter furtum; secus si habeat alia peccata mortalia, quamvis occulta, & inculpabiliter oblita. Ratio est, quia qui detestatur omnia sua peccata, est sufficienter dispositus ad gratiam, & remissionem consequendam; sed qui non habet, nisi peccatum furti, quamvis illud detestetur ex motivo particulari, tamen detestatur omnia sua peccata; ergo est sufficienter dispositus ad gratiam, & remissionem consequendam; secus vero si habeat alia peccata mortalia distincta a furto, quamvis occulta, & inculpabiliter oblita; nam illa detestatio ex motivo particulari, nec formaliter, nec virtualiter, nec explicite, nec implicite extenditur ad aliud peccatum specie diversum; & facile contingere potest, aliquem detestari peccatum furti, aut blasphemiæ propter ipsius turpitudinem, & simul retinere complacentiam, & voluntatem circa peccata luxuriæ: cum autem unum peccatum mortale non remittatur sine alio, & nullum remittatur sine retractatione, saltem virtuali, sequitur, detestantem peccata ex motivo particulari, non recipere gratiam, si forte habeat alia occulta, quamvis inculpabiliter oblita: poterit tamen excusari a novo peccato, si bona fide id faciat, putans se non habere alia peccata.

39. Hinc consulendum est omnibus penitentibus, ut semper dolorem concipiant ex motivo universali, ut nullus remaneat

neat obex gratiæ caussandæ per Sacramentum, quod maxime fieri debet in articulo mortis, ne periclitetur salus æterna; quia si forte haberet peccatum aliquod mortale occultum, & cum illo non retractato, saltem virtualiter, decederet, non consequeretur salutem, etiamsi bona fide de aliis peccatis se accuset ex motivo particulari; nam bona fides excusat a novo peccato, at non remittit peccatum occultum non retractatum. Utrum vero dolor, & detestatio ex motivo particulari concepta, quæ est dispositio insufficiens ad gratiam, & remissionem obtinendam, quando adsunt alia peccata occulta, sufficiat ad valorem Sacramenti, mox subjicio

DUBIUM VII.

An dari possit Sacramentum Pœnitentiæ validum, & informe?

40. Sacramentum informe dicitur, non quod careat forma constitutiva Sacramenti, quia sic esset invalidum, sed quod careat forma gratiæ, seu quod gratiam non producat; unde Sacramentum validum, & informe, est Sacramentum habens valorem, & omnia essentialiter requisita ad sui ipsius constitutionem, & non habens effectum, seu non conferens gratiam ratione indispositionis, & obicis ad gratiam in suscipiente existentis, quo deinde obice recedente Sacramentum formatur, & gratiam confert, quæ est forma sanctificans animam. Si admittatur Sacramentum validum, & informe, non erit necesse talem confessionem repetere cognito errore, sicut oportet repetere invalidum. His suppositis;

41. Prima sententia affirmat, dari posse Sacramentum Pœnitentiæ validum, & informe, ea ratione, qua Baptismus, & alia Sacramenta recipi possunt integra secundum essentiam absque fructu gratiæ propter pravam dispositionem suscipientis; & hoc ex duplici capite, primo ex defectu examinis, & integritatis confessionis, quando quis ex negligentia etiam culpabili, & mortaliter peccaminosa, non præmisso sufficienti examine, non confitetur integre: secundo ex defectu doloris, vel quia pœnitens nullum habet verum dolorem, sed solum existimatum, & putatum, vel quia non est supernaturalis, sed naturalis tantum, vel quia non se extendit ad omnia mortalia. Hanc sequuntur D. Thom. *in 4. dist. 17. quæst. 3. art. 4. qu. 2.* Durandus, Capreolus, Paludanus, Ricardus, Cajet. Sylvester, Navarr. Covarr. Ledesma, Toletus, Bonacina, Suarez, Lugus, Gonet, quos affert Madernus *qu. 4. art. 12.* Aversa *quæst. 14. sect. 5.* Leander *disp. 7. qu. 23.* Filliucius *tract. 7. cap. 5. & 6. quæst. 11.* Diana *par. 2. tract. 17. resol. 31. & part. 3. tract. 4. resol. 65.* aliique plures apud ipsos.

42. Defectu examinis, & integritatis confessionis censeo, non esse admittendum Sacramentum validum, & informe, quia defectus ille integritatis, & examinis, vel fuit mortaliter culpabilis, vel inculpabilis. Si primum, confessio illa non solum fuit informis, & effectu vacua, sed etiam invalida, peccaminosa, & ex toto repetenda, cum ad illam pœnitens indigne accedat ex defectu diligentiæ requisitæ ad sui discussionem: non potest autem confessio esse valida, quæ est in ipsomet actu peccaminosa, & sacrilega, ut, præter Doctores universaliter negantes dari posse Sacramentum validum, & informe, docent Navarrus, Sotus, Suarez Cajetanus, & Aversa *supra sect. 6.* & alii, quos sequitur Lugus *disp. 14. n. 103.* si defectus fuit inculpabilis, confessio erit valida, & formata, idest cum effectu gratiæ, si non deficiant alia requisita ex parte doloris necessarii, & propositi non peccandi in futurum. Ita omnes Theologi sentiunt, ac supponunt, & satis clare sumitur ex Trident. *sess. 14. cap. 5.* ut notat, Aversa supra.

43. Nec etiam admitti potest confessio valida, & informis ex defectu doloris, quando quis existimat, se habere dolorem de peccatis, & requisitam saltem Attritionem, quam re vera non habet, vel quando habet solum dolorem naturalem, etiamsi putatum supernaturalem, quia ex supradictis non solum ad effectum, sed etiam ad valorem confessionis requiritur verus dolor formalis, & supernaturalis; nec sufficit Attritio naturalis, aut solum putata, siquidem dolor de peccatis non solum ut dispositio, sed etiam ut est pars Sacramenti, debet esse donum Spiritus Sancti, ut docet Trid. & notavimus supra *dub. 2. & 5.*

44. Magis communiter admittunt Sacramentum Pœnitentiæ validum, & informe solum ex defectu doloris universalis, & extensivi, quando inculpabiliter non extenditur ad omnia peccata commissa: ut si quis doleat de peccatis memoriæ occurrentibus ex motivo particulari propter specialem illorum turpitudinem, & habeat alia peccata inculpabiliter oblita, ad quæ non extenditur dolor ille particularis; tunc dicunt Sacramentum esse validum, cum habeat omnes suas partes essentiales, & non producere gratiam propter occultum peccatum non retractatum. Ratio est, quia ad essentiam hujus Sacramenti non requiritur dolor ita extensus, & universalis ex parte objecti, sicut requiritur ad effectum gratiæ consequendum; qui enim dolet de peccatis confessis ex motivo particulari, non recipit effectum Sacramenti, si forte habeat aliud peccatum occultum non retractatum, & tamen habet omnes partes essentiales requisitas ad essentiam Sacramenti; habet enim confessionem peccatorum omnium memoriæ occurrentium; habet illorum dolorem supernaturalem, & habet absolutionem; ergo habet omnes partes essentiales constitutivas Sacramenti, quamvis non recipiat effectum propter occultum impedimentum, & sic recipit Sacramentum validum, & informe.

45. Conf. ad essentiam Sacramenti requiritur, & sufficit dolor, ac retractatio illorum peccatorum mortalium, quæ manifestantur in confessione, dolor autem illorum, quæ non manifestantur in confessione, non requiritur, nec potest esse pars Sacramenti; nam dolor in tantum est pars Sacramenti, in quantum redditur sensibilis per confessionem; sed non redditur sensibilis per confessionem, nisi dolor illorum peccatorum, quæ manifestantur in confessione; ergo dolor peccatorum, quæ non manifestantur in confessione, non potest requiri ad essentiam hujus Sacramenti, & inde dolor requisitus ad essentiam Sacramenti non debet esse ita extensus ex parte objecti, sicut ille, qui requiritur ad effectum gratiæ consequendum. Conf. 2. qui accederet cum solo dolore particulari peccatorum expositorum, si nullum aliud adesset peccatum occultum, Sacramentum non solum esset validum, sed etiam formatum; ergo dum adest impedimentum occultum non redditur invalidum, sed tantum informe, quia illud impedimentum occultum non destruit essentiam, sed impedit effectum.

46. Ex hoc capite dari posse Sacramentum Pœnitentiæ validum, & informe, probabilissimum est propter rationem datam, & expresse tenent Suarez *disp. 20. sect. 5.* Lugus *disp. 14. sect. 6.* Filliucius *tract. 7. cap. 6. quæst. 11. concl. 4.* Aversa *q. 14. sect. 6. §. Octavus denique casus.* Francisc. a Jesu Maria *tract. 6. cap. 5.* Leander *disp. 7. q. 23.* Candidus *disquisit. 24. art. 12. dub. 8.* & probabile putat Madernus *qu. 4. art. 12. concl. 2. num. 9.*

47. Dices: dolor idem, qui requiritur ut pars essentialis ad valorem Sacramenti, requiritur etiam, & sufficit ut dispositio ad effectum, & e contra, ut habetur ex Trid. *sess. 14. cap. 3.* ergo numquam hoc Sacramentum potest esse validum, & informe defectu doloris universalis, sed est vel formatum, vel irritum.

Resp. Attritionem assignatam a Concilio pro parte essentiali Sacramenti, esse sufficientem dispositionem ad gratiam consequendam, si nullum adsit impedimentum, nec etiam negativum ex parte subjecti; secus si adsit aliquod impedimentum negativum, cujusmodi est peccatum occultum invincibiliter ignoratum, & non retractatum, nec formaliter, nec virtualiter, quia tunc impedimentum negativum, licet non destruat essentiam Sacramenti, impedit tamen illius effectum; mens enim Concilii erat statuere, non esse semper necessariam Contritionem perfectam, sed sufficere Attritionem, etiam conceptam ex turpitudine peccati, ad gratiam consequendam simul cum Sacramento, quod utique verum est per se, & absolute loquendo, quamvis per accidens possit impediri effectus, si adsit impedimentum occultum.

48. Dices 2. Sacramentum Pœnitentiæ, cum sit essentialiter reconciliativum hominis cum Deo, requirit tamquam partem sui constitutivam, dolorem reconciliativum; sed dolor reconciliativus debet esse universalis, & avertere voluntatem ab omni peccato, cum proposito efficaci non peccandi de cetero: at hic dolor est etiam sufficiens ad effectum gratiæ consequendum; ergo dolor, qui est pars Sacramenti, est etiam sufficiens dispositio ad gratiam.

Resp. dolorem reconciliativum non esse necessario universalem de omnibus peccatis, etiam inculpabiliter oblitis, sed solum de expositis in confessione, quamvis ex illorum turpitudine conceptum; qui dolor, licet secundum se, & ex suo motivo particulari, non avertat voluntatem a peccatis oblitis, tamen prout hic, & nunc elicitur a voluntate intendente redire ad amicitiam Dei, & suscipere Sacramentum, stare non potest cum actuali complacentia peccati; estque sufficienter, secundum se, reconciliativus, & reconciliationem induceret, si non inveniret impedimentum peccati obliti, ratione cujus impeditur effectus gratiæ.

49. Dices 3. in hoc Sacramento Sacerdos absolvit tamquam Judex ferens sententiam; ergo illa dispositio, quæ requiritur, & sufficit ad valide ferendam sententiam absolutionis, sufficit etiam ad effectum gratiæ, secus injusta esset sententia; ergo non potest hoc Sacramentum esse validum, & informe. Conf. quia Pœnitens accedendo ad Sacramentum Pœnitentiæ, vel adhibuit sufficientem diligentiam, ut se disponeret ad gratiam, vel non; si adhibuit, jam recipit gratiam, estque Sacramentum formatum; si non adhibuit, peccat accedendo, estque Sacramentum invalidum; ergo numquam datur Sacramentum hoc validum, & informe.

Resp. data majori, nego minorem, quia ad valide ferendam sententiam sufficit, quod reus bona fide procedat, inculpabiliter existimans, se esse dispositum; ad effectum vero gratiæ hoc non sufficit, sed ulterius requiritur retractatio cujuscumque peccati etiam invincibiliter obliti, ut supra dictum est in probatione. Ad conf. respond. peccatorem adhibuisse totam illam diligentiam, quam existimabat sufficientem, & per hoc excusari a peccato, non tamen recipere gratiam propter peccatum inculpabiliter oblitum, & non retractatum.

50. Dices: ad valorem Sacramenti requiritur propositum universale non peccandi de cetero; sed propositum universale sup-

le supponit displicentiam, & retractationem omnium peccatorum, secus stare posset cum affectu, & complacentia alicujus peccati; ergo ad valorem Sacramenti requiritur dolor, & retractatio universalis omnium peccatorum, & sic numquam potest esse Sacramentum validum, & informe. Alioqui cum Lugo *disp.14. sect.6. n.80.* licet admittant ad valorem Sacramenti sufficere dolorem specialem de peccatis memoriæ occurrentibus, requirunt, tamen propositum amplum, & adæquatum de non committendis ullis peccatis in futurum ut excludatur omnis complacentia, & affectus peccandi. Verum dici potest, ad valorem Sacramenti sufficere non solum dolorem particularem, sed etiam propositum determinatum de non committendis iterum iis peccatis, quæ pœnitens se commisisse meminit, ex speciali inquam motivo deformitatis eorum; & licet hoc propositum, & iste dolor ex sua ratione formali non excludant complacentiam cujuscumque alterius peccati; tamen prout eliciuntur hic, & nunc a peccatore intendente redire ad amicitiam Dei, & sumere Sacramentum, non possunt stare cum affectu, & complacentia alterius peccati; nam ille affectus, cum sit peccaminosus, reddit subjectum indispositum ad valorem Sacramenti.

51. Secunda Sententia, quæ non est minus probabilis, universaliter negat, dari posse Sacramentum Pœnitentiæ validum, & effectu vacuum, seu informe, non conferendo gratiam, & remissionem peccatorum. Ratio præcipua est, quia in hoc Sacramento dolor insufficiens ad effectum est etiam insufficiens ad valorem; seu, quod idem est, dolor, qui se habet ut dispositio ad gratiam, se habet etiam ut dispositio ad substantiam Sacramenti; nam Trident. & Florent. numquam distinguunt in Sacramento pœnitentiæ duplicem dolorem, unum, qui se habeat ut pars, alterum, qui se habeat ut dispositio; sed idem omnino dolor, qui est dispositio, est etiam pars Sacramenti; ergo Sacramentum Pœnitentiæ, quod defectu doloris est informe, est etiam invalidum, vel si est validum, est formatum: & ita tenent Gabriel, Major, Adrianus, Joan. de Medina, Andreas de Vega, Vasquez *q.92. art.2.* Coninch *disp.4. dub.5. & 11.* Turrianus *disp.28. dub.1.* Layman *lib.5 tract.6. c.9.* Facundez *præcept. 2. lib.2. cap.7.* Ariaga, Sylvius, Amicus, quos affert Madernus *art.12.* qui illam *nu.14.* probabilem etiam supponit. Palaus *punct.7. num.5.*

52. Dices: ad valorem Sacramenti sufficit confessio formaliter integra, qua quis confitetur omnia peccata, quæ memoriæ occurrunt; ergo etiam sufficit ad valorem dolor formaliter integer, qui tamen dolor non sufficit ad effectum, si contingat adesse aliquod peccatum invincibiliter oblitum.

Resp. ad valorem hujus Sacramenti Deum requirere dolorem universalem de peccatis etiam inculpabiliter oblitis, non tamen eodem modo requirere universalem confessionem, quia requirendo illud primum, requirit aliquod facile, quod pœnitens ponere potest, requirendo hoc secundum, requisivisset aliquid, quod non est in potestate pœnitentis. Hinc habes defectum integritatis, neque in dolore, neque in confessione facere Sacramentum validum, & informe; nam cum defectu integritatis materialis in dolore Sacramentum non solum est informe, sed etiam invalidum, cum defectu integritatis materialis in confessione Sacramentum non solum est validum, sed etiam formatum.

53. Confirm. nemo recipere potest verum Sacramentum Pœnitentiæ sine voluntate absoluta, & efficaci reconciliationis cum Deo, cum ad hanc reconciliationem obtinendam fuerit institutum; at voluntatem hujusmodi efficacem habere non potest sine detestatione, saltem virtuali, omnium peccatorum ad reconciliationem requisita; ergo ad valorem Sacramenti requiritur detestatio saltem virtualis omnium peccatorum, & per consequens dari non potest hoc Sacramentum validum, & informe. Nec obstat Concil. Trident. dicens, sufficere ad valorem Sacramenti detestationem ortam ex turpitudine peccati, quæ est detestatio particularis; nam Concilium facile potest explicari de turpitudine peccati non speciali, & particulari, sed generali, & omnibus aliis peccatis mortalibus communi, qualis est offensa Dei, violatio Divinæ Legis, privatio æternæ beatitudinis, dissonantia, & oppositio cum ratione; qui autem hoc modo dolet de peccatis, dispositus est non solum ad valorem Sacramenti, sed etiam ad gratiam recipiendam.

54. Dices: ex hac sententia sequi magnam perturbationem animarum; nam si eadem necessaria est Attritio, & detestatio ad valorem, quæ requiritur ad effectum Sacramenti, sicut nemo certus esse potest, an habeat Attritionem sufficientem ad gratiam, ita semper dubitare potest, *an valida fuerit confessio, & an iteranda?*

Resp. durante bona fide de confessione rite facta, non debere pœnitentem habere scrupulum, aut sollicitudinem de confessione repetenda, quia sicut bona fides ipsum excusavit a peccato in confessione etiam invalida, ita quamdiu durat eadem bona fides, ipsum eximit ab obligatione repetendi confessionem, quod sufficit ad pacandas Fidelium conscientias, maxime quia peccata confessa per sequentes confessiones indirecte tolli possunt; quod si postea bona fides cesset, & defectus doloris aperte constet, non debet reputari nimium gravamen obligatio repetendi confessionem, sicut non reputatur nimium gravamen eamdem repetere, quando constat fuisse nullam defectu jurisdictionis, aut intentionis Ministri.

55. Dices: alia Sacramenta possunt esse valida, & informia defectu doloris; ergo etiam hoc Sacramentum.

Resp. negando consequentiam; disparitas est, quia alia Sacramenta non habent dolorem pro materia, ideo in ipsis, deficiente dolore, deficit solum dispositio ad effectum, non materia, & pars essentialis ad valorem; at in Sacramento Pœnitentiæ dolor est dispositio simul, & materia; ideo dum deficit dolor, non solum deficit dispositio ad gratiam, sed etiam pars essentialis ad valorem, & substantiam Sacramenti.

56. Utraque Sententia, ut vides, est valde probabilis, utraque sequi potest, tum propter rationem, tum propter auctoritatem Doctorum, nec ulla ratio adduci potest pro alterutra, quæ facile non possit solvi. Hæc secunda videtur conformior Tridentino, indiscriminatim sumente Attritionem, & dolorem pro parte essentiali Sacramenti, & pro dispositione ad gratiam; ideo hanc secundam libentius sequor.

57. Quæres, in suppositione, quod dari possit Sacramentum Pœnitentiæ validum, & informe, *an reviviscat, & conferat postea suam gratiam, quando accedit congrua dispositio?*

Resp. affirmative, quia Sacramentum Pœnitentiæ est medium necessarium ad remissionem cujuscumque peccati mortalis post Baptismum commissi, ita quod sine ipso, vel in re, vel in voto, non remittatur tale peccatum, ut constat ex Trident.; at si Sacramentum Pœnitentiæ validum, sed informe non revivisceret, quando accedit congrua dispositio, non esset medium necessarium; nam peccata illa, quæ fuerunt exposita in tali confessione informi, quæque homo non tenetur amplius repetere in nova confessione, vel remittuntur virtute Sacramenti, & sic illud reviviscit, & producit gratiam remissivam peccati, vel remittuntur per aliud medium, & sic pœnitentia non est medium necessarium. Nec valet dicere, illa remitti, quando homo iterum confitetur de aliis peccatis; nam secunda confessio non remittit directe peccata, quæ fuerunt manifestata in prima. Conf. ideo Baptismus in omnium sententia reviviscit, quia ex una parte non potest iterari, & ex alia est medium necessarium ad primam justificationis gratiam; sed etiam Sacramentum Pœnitentiæ est medium necessarium ad consequendam gratiam justificationis post Baptismum lapsis, qui licet possint sæpius eadem peccata confiteri, tamen ad talem confessionem non tenentur; ergo ut possint habere gratiam, debet Sacramentum Pœnitentiæ reviviscere, ut etiam notavimus supra *tract.1. cap.6. dub.6.*

DUBIUM VIII.

An, & quomodo dolor debeat Confessionem præcedere?

58. Tria sub assignato titulo quæri possunt. Primo: *an necessario requiratur ad valorem Sacramenti, quod dolor tempore præcedat confessionem, vel sufficiat, si illam subsequatur, dummodo præcedat absolutionem?* Secundo: *an requiratur novus actus doloris ad singulas confessiones, vel unicus actus doloris sufficiat pro distinctis confessionibus; puta, quis statim post confessionem, & absolutionem meminit alicujus peccati antea obliti, quæritur, an requiratur novus actus doloris pro obtinenda absolutione hujus peccati, vel sufficiat dolor præteritus, cum nova hujus peccati confessione?* Tertio: *an dolor debeat esse relatus ad confessionem, seu elicitus ex intentione confessionis faciendæ?* in quibus discrepant Doctores.

59. Resp. 1. ad valorem Sacramenti non requiritur necessario, quod dolor confessionem præcedat, sed sufficit si illam sequatur, dummodo absolutionem præcedat; sic enim sumitur ex communi sensu omnium fidelium, tam pœnitentium, quam confessariorum, qui peracta confessione peccatorum, solent excitari, & excitare ad contritionem, & hanc putant satis esse, si forte illam non præmiserint, ad hoc ut rite, & recte detur absolutio. Ratio etiam est, quia si dolor debet præcedere confessionem, maxime quia non potest esse pars Sacramenti, nisi sit sensibilis, non potest autem esse sensibilis, nisi confessionem præcedat, & ab ipsa tamquam caussa ab effectu sensibilis reddatur; sed hæc ratio nulla est, nam dolor etiam subsequens per confessionem præcedentem sensibilis redditur, qui enim confitetur in ordine ad absolutionem recipiendam, significat se velle ponere omnia requisita ex parte sui ad Sacramentum; ergo cum ad Sacramentum requiratur dolor ante absolutionem, dum pœnitens confitetur, significat, se habuisse, vel habere, vel habiturum dolorem immediate ante absolutionem, & sic dolor subsequens fit sensibilis per confessionem antecedentem, quatenus ita illum significat, vel ut præteritum, vel ut præsentem, vel ut futurum: & ita tenent Navarr. Suarez, Vasquez, Henriquez, Facundez, Medina, Major, Hurtadus, Candidus, Pilliuc., quos affert, & sequitur Leander *disput.7. quæst.3.* Bonacina *disp.5. qu.3. punct.2. nu.18.* Lugus *disp.14. nu.13.* Anton. a Spiritu Sancto *disp.3. sect.5.* Madernus *qu.4. art.11.* Diana *part.3. tract.4. resol.134. & part.9. tract.9. resol.37.*

60. Dices: confessio non est simplex narratio historica, sed

sed accusatio dolorosa peccati; ergo dolor debet, si non tempore, saltem natura præcedere confessionem, secus qui manifestaret peccata sua Sacerdoti sine animo confitendi, & postea actum doloris eliceret, diceretur sufficienter dispositus ad Sacramentum.

Resp. dato antecedente, nego consequentiam; ex eo enim, quod confessio non sit simplex narratio historica, sed accusatio, ad eam non sufficit narratio peccatorum facta sine animo confitendi, etiam si postea actus doloris eliciatur, sed requiritur, quod illa manifestatio sit ordinata ad Sacramentum, & absolutionem obtinendam, quo casu dicitur accusatio, continens implicite propositum conterendi, & sufficienter dicitur dolorosa connotative per dolorem, quem connotat.

61. Resp. 2. dolor requisitus ad Sacramentum Pœnitentiæ non est necesse, quod sit elicitus ex intentione confessionis faciendæ, sed sufficit etiam si eliciatur absque memoria confessionis, dummodo pœnitens ex illo moveatur ad examen, & confessionem peccatorum; si quis enim recogitans peccata sua, de illis doleat, & postea ad obtinendam remissionem, & gratiam, confiteatur, & absolutionem obtineat, præstat omnia requisita a Trident. *sess.* 14. *c.* 4. pro validitate Sacramenti; ergo non est necesse, quod dolor eliciatur ex intentione confessionis faciendæ. Ita tenet cum Reginaldo *lib.* 5. *num.* 54. Lugus *disp.* 14. *sect.* 4.

62. Dices: confessio debet fieri ex intentione Sacramenti; ergo etiam dolor debet elici ex intentione Sacramenti. Sed contra, dato antecedente, nego consequentiam, quia confessio non debet esse simplex narratio peccatorum, sed debet esse narratio judiciaria, hoc est facta confessario Judici, seu cum intentione ipsam ordinandi ad confessorem, ut ad Judicem, quod est habere intentionem implicitam Sacramenti, quod non valet de dolore, qui semel habitus potest ordinari ad confessionem, & absolutionem obtinendam.

63. Dico 3. non est necesse pro qualibet distincta confessione elici novum, & distinctum actum doloris, sed unum actum doloris sufficere etiam posse pro distinctis confessionibus; sic qui in confessione oblitus est alicujus peccati, potest statim post absolutionem illud exponere, & ab eo absolvi sine novo dolore. Ratio est, quia in hac secunda confessione moraliter, & virtualiter perseverat prior ille dolor, qui sicut extendebatur ad peccata etiam oblita, ita potest inservire pro nova confessione peccatorum oblitorum, quod confirmat Lugus *disp.* 14. *n.* 27. ex praxi Confessariorum, quorum licet unus, aut alter pœnitentem admoneat de renovando dolore, alii tamen magis communiter id non faciunt, atque ita in praxi observari potest, ut quando pœnitens redit ad dicenda peccata oblita, non cogatur novum actum contritionis elicere, dummodo in prima confessione habuerit dolorem universalem de omnibus peccatis; si enim habuisset solum dolorem particularem de peccatis confessis, deberet utique pro aliis peccatis novum dolorem elicere, sicut etiam deberet novum elicere si interim aliud peccatum mortale commisisset.

64. Utrum vero sufficiat unus actus doloris pro distinctis confessionibus, non solum quando exponuntur peccata diversa, sed etiam quando iteratur confessio de iisdem peccatis, negant Henriquez *lib.* 4. *de pœnit. cap.* 26. §. 7. Aversa *qu.* 11. *sect.* 1. Filliucius *tract.* 1. *cap.* 3. *n.* 77. & hanc probabiliorem vocat Diana *p.* 3. *tract.* 4. *resol.* 116. quia debet esse nova, & distincta materia proxima pro nova forma, & nova substantia Sacramenti, quæ materia proxima in hoc Sacramento est contritio, & confessio: quare sicut dari non potest nova absolutio, nisi adsit nova confessio, ita etiam si non adsit nova contritio.

65. Verum licet, repetita confessione, melius sit repetere dolorem, tamen iterari potest etiam in isto casu sine novo dolore, quia in utroque casu adhuc censetur moraliter, & virtualiter durare prior actus doloris. Nec videtur inconveniens eamdem materiam partialem concurrere ad constituendum duplex Sacramentum, dum adsit alia pars materiæ distincta; sic enim idem Corpus Christi est materia partialis in omni consecratione, & Sacramento Eucharistiæ, & in ipsa pœnitentia eadem satisfactio potest esse materia in pluribus confessionibus, & eadem contritio de peccatis reservatis confessis apud Superiorem potest esse materia in confessione, quæ postea de iisdem fiat simul cum non reservatis apud Inferiorem. Nec valet eadem ratio de confessione, adeo ut dari possit nova absolutio sine nova confessione, sicut dari potest sine novo dolore; non valet, inquam, eadem ratio, quia supra confessionem cadit absolutio tamquam Sententia Judicis, nova autem Judicis Sententia proferri non potest sine nova accusatione, & processu, & sic non potest proferri sine nova confessione, bene tamen sine novo dolore. Ita Lugus, Leander, Ant. a Spiritu S. & alii.

66. Neque hinc sequitur, posse aliquem virtute doloris eliciti initio anni, toto anni decursu singulis diebus, dolore non renovato, confiteri, & absolvi; non inquam hoc sequitur, sed primus ille dolor potest solum deservire ad confessiones multiplicandas intra determinatum temporis intervallum, tantum scilicet, quantum est illud, quo potest dolor confessionem, & absolutionem antecedere.

67. Quanto autem tempore possit dolor confessionem, & absolutionem præcedere, non est certum; omnes conveniunt non esse necessariam coexistentiam physicam, ita quod dolor physice existat in ipso puncto absolutionis, aut accusationis, sed sufficere coexistentiam, & simultatem moralem, adeo ut possit tamdiu præcedere, quamdiu potest moraliter, & virtualiter permanere, & existere: hanc autem virtualem permanentiam, & præexistentiam alii magis, alii minus extendunt. Tambur. lib. 1. de confess. cap. 2. §. 4. sic habet. *Qui mane dolet, & actu non revocato post tres, vel quatuor horas confitetur sine novo doloris actu, non est dubium, quod bene faciat. Rursus, si quis vespere examinans conscientiam elicit actum doloris proponens sequenti die confiteri, abunde est. Idem puto, si non solum præcedenti vespere, sed etiam præcedenti die id fecerit actu semper, ut dixi, non revocato*, & infra extendit probabiliter ad quatuor, vel quinque dies. Tancredo apud Ant. a Spiritu S. *disp.* 3. *sect.* 6. *n.* 110. asserit sufficere dolorem mense antecedente elicitum de peccatis, si numquam fuit retractatus expresse, vel implicite, v. g. per novum lapsum in illud. Leander *disp.* 7. *q.* 6. citans Hurtadum, & Candidum, asserit sufficere ad faciendam validam confessionem, quantumvis per multum temporis spatium dolor præcedat absolutionem, dummodo postquam semel habitus est, nec expresse, nec implicite retractetur, quam Sententiam probabilem putat Diana *part.* 5. *tract.* 14. *resol.* 67. & *part.* 9. *resol.* 51. videtur tamen nimis laxa, & extensa; non recederem a Sententia Tamburini, in praxi tamen tutius erit dolorem semper renovare, quod brevissimo tempore fieri potest.

DUBIUM IX.

De dolore requisito in confessione venialium.

68. Cum peccata venialia non sint materia necessaria confessionis (idem dicendum de mortalibus alias rite confessis) sed dumtaxat sufficiens, & voluntaria; dubitatur, *an in illorum confessione requiratur dolor efficax, sicut requiritur in confessione mortalium, vel sufficere possit dolor etiam inefficax, & virtualis inclusus in ipsa voluntate recipiendi Sacramentum, ejusque effectum?* ut probabiliter docet Tambur. *in Methodo Confession. lib.* 2. *cap.* 3. §. 1. ubi affert Præpositum vocantem hanc sententiam non improbabilem, & alios nonnullos.

69. Respondeo primo, in confessione venialium requiri dolorem formalem, & efficacem illorum. Ratio est, quia ad essentiam Sacramenti Pœnitentiæ requiritur tamquam pars essentialis dolor formalis efficax, ut supra dictum est; sed in confessione venialium datur verum Sacramentum; ergo requiritur dolor formalis efficax, & supernaturalis: quare qui sine dolore confiteretur sola venialia, peccaret mortaliter, quia faceret Sacramentum voluntario nullum, & irritum; quamvis enim nullus teneatur confiteri peccata venialia, aut mortalia alias rite confessa, posito tamen, quod illa velit confiteri, & facere materiam totalem confessionis, tenetur accedere cum dolore, & non facere Sacramentum irritum. Nec valet, si dicas, frustrari Sacramentum in re levi, cujusmodi sunt venialia; nam gravitas, & levitas in præsenti non consideratur ex parvitate, aut levitate materiæ secundum se, sed in ordine ad Sacramentum, cujus irritatio semper est res gravissima; sicut communicare post quemcumque modicissimum cibum, aut potum est materia gravis sacrilegii, quamvis ipse cibus, & potus fuisset in se materia levis: & ita tenent Doctores communiter, Suarez *disp.* 20. *sect.* 6. Lugus *disp.* 14. *sect.* 8. *n.* 108. Aversa *qu.* 11. *sect.* 1. Diana *part.* 9. *tract.* 9. *resol.* 31. Leander *disp.* 7. *quæst.* 24. & alii apud ipsos.

70. Dices: posita necessitate doloris efficacis numquam peccata venialia remitterentur per Sacramentum Pœnitentiæ, quia semper essent remissa per dolorem præcedentem.

Resp. peccata venialia remitti per hoc Sacramentum, quando simul cum mortalibus exponuntur. Si vero exponantur sola, per accidens non remittentur, sicut non remittuntur mortalia accedenti cum præcedente Contritione; nec tamen Sacramentum est superfluum, quia in utroque casu confert majus augmentum gratiæ de se remissivæ peccatorum, sive mortalium, sive venialium.

71. Resp. 2. non esse peccatum mortale fateri venialia sine dolore, quando quis simul confitetur alia mortalia, de quibus doleat. Ratio est, quia tunc non irritatur Sacramentum, nec frustratur suo effectu, cum adsit materia requisita pro illius validitate, nimirum remissio mortalium, de quibus dolet. Nec obstat, quod materiæ utili admisceatur materia inutilis, cujusmodi sunt venialia, de quibus non dolet; nam hoc nec invalidat Sacramentum, nec affert gravem irreverentiam, ut constat a paritate aliorum Sacramentorum, quæ sine peccato mortali administrantur, etiamsi illorum materiæ admisceatur pars aliqua inutilis, ut patet in Aqua Baptismali, in qua de facto miscentur guttæ Olei benedicti, quæ non sunt materia valida Baptismi. Hoc idem valet, quando ex speciali motivo quis dolet de aliquibus venialibus, & non de aliis. Ita tenent Suarez *disp.* 20. *sect.* 6. Palaus *punct.* 7. *n.* 14. Diana *part.* 4. *tract.* 4. *resol.* 193. Candidus *disquis.* 24. *art.* 5. *dub.* 2. & alii, quos sequitur Lugus *disp.* 14. *sect.* 8. §. 3.

72. Dices: peccaret graviter, qui apponeret Sacerdoti confes-

consecrandas duas hostias, quarum una esset tritica, & non altera; ergo etiam gravius peccat, qui in Sacramento Pœnitentiæ affert pro materia absolutionis peccata venialia, quæ defectu doloris non sunt materia absolutionis. Sed contra, dato antecedente, nego consequentiam: disparitas sumitur ex ipsa forma Eucharistiæ, quæ per se primo respicit, & designat materiam, quam transmutare intendit, unde falsificaretur ex parte, si apponeretur materia inutilis, & non consecrabilis; at forma Pœnitentiæ per se primo respicit personam, cui gratiam confert de se remissivam peccati; quo effectu non frustratur, etiamsi adsint peccata venialia, quæ defectu doloris non remittantur, sicut non falsificatur, quando per præcedentem Contritionem inveniuntur peccata remissa.

73. Hinc sequitur, posse aliquem dolere de aliquibus venialibus, & non de aliis, non solum diversæ speciei propter illorum specialem turpitudinem, sed etiam de aliis ejusdem speciei, quia facile inveniri potest aliqua inæqualitas numerica, & circumstantia individualis, quæ moveat ad detestationem unius, non alterius venialis: v.g. potest quis dolere de levi mendacio in tali materia, & circumstantiis dicto, quia affert majorem aliquam gravitatem, & turpitudinem, absque eo quod doleat de aliis mendaciis; quo casu poterit de illo confiteri, cum proposito illud vitandi in futurum, & ab illo absolvi, absque eo quod absolvatur ab aliis etiam ejusdem speciei, sed inæqualibus, ut docet Lugus *disp. 14. n. 141.*

74. Si autem quis se accusat de mendaciis in communi, non explicando illorum numerum, *an remanent absolutus ab omnibus?* Resp. affirmative, regulariter loquendo, si de omnibus doleat, quia ex circumstantiis temporis, & personæ potest Confessarius confuse cognoscere illorum numerum, juxta qualitatem similium personarum. Ita Lugus *disp. 9. n. 56. & disp. 14. num. 142.*

„ *Hucusque, ut vides, studiose Lector, actum est de Contritione, prout est pars Sacramenti Pœnitentiæ; de dolore videlicet vel perfecto, vel imperfecto &c. Equidem, cum nonnulla habeantur apud Benedictum XIV. in ejus Synodo Diœcesana lib. 7. c. 13. in quibus de Contritione, atque Attritione, plurima eruditione, sermo instituitur, ea certe apponenda videbantur post dubium V. hujusce capitis IV. in quo ex professo hac de re agitur: verum cum omnia hujusce capitis dubia in id incidant, ut semper & de dolore agant, & de, vel Contritione, vel Attritione: optimæ cœpti instituti dispositioni contrarium certe haud duxi, ea omnia, quæ citato loco ejusdem Synodi continentur, quamvis solum de Contritione, & Attritione disseratur, tamquam corollarium, hic apponere, ubi totius hujus materiæ sermo veluti concluditur, atque perficitur. Sic itaque legitur.* Sancta Tridentina Synodus *sess. 14. c. 4. de reform.* duplicem distinguens Contritionem, utriusque virtutem, & efficaciam in hunc modum explicat: *Docet præterea, etsi Contritionem hanc aliquando caritate perfectam esse contingat, hominemque Deo reconciliare, priusquam hoc Sacramentum actu suscipiatur; ipsam nihilominus reconciliationem ipsi Contritioni, sine Sacramenti voto, quod in illa includitur, non esse adscribendam. Illam vero Contritionem imperfectam, quæ Attritio dicitur, quoniam, vel ex turpitudinis peccati consideratione, vel ex gehennæ, & pœnarum metu communiter concipitur, si voluntatem peccandi excludat cum spe veniæ, declarat, non solum non facere hominem hypocritam, & magis peccatorem, verum etiam donum Dei esse, & Spiritus Sancti impulsum, non adhuc quidem inhabitantis, sed tantum moventis, quo Pœnitens adjutus viam sibi ad justitiam parat. Et quamvis sine Sacramento Pœnitentiæ per se ad justificationem perducere peccatorem nequeat; tamen eum ad Dei gratiam in Sacramento Pœnitentiæ impetrandam disponit.*

„ Ex his Concilii Tridentini verbis celebris orta est quæstio, qualis sit illa Attritio, quæ ad Dei gratiam in Sacramento Pœnitentiæ impetrandam, disponit. Atque ut in primis de ipso Attritionis vocabulo aliquid dicamus, illud non esse antiquissimum, neque ante annum 1220. in Scholis vulgari cœptum, Eruditi omnes optime norunt cum Morino *de Pœnit. lib 8. c. 2. n. 14.* quod tamen per nomen significatur, & Patribus, & Theologis semper perspectum fuisse, nemo dubitat: omnes quippe duplicem semper agnoverunt Contritionem, unam perfectam, quæ ex se justitiam, & sanctitatem affert; alteram imperfectam, quæ sola homini justificando impar est; hanc vero Contritionem imperfectam visum est Scholasticis, congruo vocabulo, appellare Attritionem. *Sicut enim,* inquit Estius *in 4. dist. 16. §. 9. in corporalibus attritum dicitur, quod aliquo modo, nempe forinsecus tantum, læsum est, aut comminutum; contritum vero, quod totum intus, & foris fractione in minima resolutum est; ita in spiritualibus Attritio ab illis dicta est, imperfecta quædam, & aliquo usque tantum progressa Pœnitentia; Contritio vero Pœnitentia intima, & perfecta.*

„ Porro ex multiplici capite potest hæc Contritionis imperfectio dimanare; & primo loco valde imperfecta est Contritio, quæ non est supernaturalis, sed unice movetur ab objecto naturali, aut non elicitur viribus gratiæ. Hanc sufficientem non esse ad justificationis gratiam tam extra, quam intra Sacramentum consequendam, omnes fatentur; est enim similis pœnitentiæ Antiochi, qui peccatum deflebat, non quod esset offensa Dei, sed propter gravissimum morbum, quo cruciabatur; qua de caussa veniam a Deo non est consecutus. 2. *Machab. c. 9.* Et quamvis aliqui ex veteribus Scholasticis visi sint, huic naturali Attritioni vires tribuere ad hominem Deo reconciliandum; eorum tamen opinio proscripta est ab Innocent. XI. qui anno 1679. hanc propositionem nu. 57. damnavit: *probabile est sufficere Attritionem naturalem modo honestam.* Advertendum tamen, ne quis confundat motivum pœnitentiæ cum occasione, qua ad pœnitentiam excitatur; etenim multi morbo, aliove temporali malo vexati, perpetrata crimina mente revolvunt, &, Dei gratia auxiliante, illa ex motivo superno, serio detestantur; sicut accidit Ninivitis, qui, timore mortis temporalis, ac subversionis urbis, quam Jonas prænuntiabat, commoti, per veram, sinceram, & supernaturalem Contritionem ad Deum conversi sunt.

Imperfecta pariter est Contritio, quæ ab aliquo dumtaxat peccatorum genere, non ab omnibus, voluntatem avertit; evenire enim potest, ut quis ex speciali affectione erga aliquam virtutem peccata eidem opposita detestetur, quin tamen propositum habeat, cetera præcavendi, quæ aliis virtutibus adversantur. Ac demum imperfectissima erit, nec Contritionis nomen ea merebitur, quæ non procedat ex deliberata voluntate, sed potius sit quædam velleitas, seu sterilis, atque inefficax displicentia de peccato absque absoluto proposito in posterum non peccandi. Evidens porro est neutram ex his posterioribus Contritionibus ad justificationem prodesse, quia neutra excludit voluntatem peccandi, sicut Tridentinum exposcit, neque ad illam pertinet Pœnitentiam, quam a nobis exigit Dominus Isaiæ 18. *Convertimini, & agite pœnitentiam ab omnibus iniquitatibus vestris, & non erit vobis in ruinam iniquitas. Projicite a vobis omnes prævaricationes vestras, in quibus prævaricati estis, & facite vobis cor novum, & spiritum novum.*

Alia est Contritio supernaturalis, & efficax, omnem excludens voluntatem peccandi, quæ nihilominus, aliis nominibus, dicitur imperfecta, & in quam unice cadit controversia, quam proposuimus. Et primo quidem potest Contritio esse imperfecta, imperfectione *mere negativa*, quia scilicet, etsi concipiatur ex eodem motivo caritatis, seu amoris Dei super omnia, ex quo concipitur Contritio perfecta, ad illius tamen intensionis gradum non pertingit, sed est debilis, tenuis, & remissa. Secundo, dicitur imperfecta, quia peccata detestatur propter Deum dilectum, non tamen amore amicitiæ, sed concupiscentiæ, hoc est dilectum, non quatenus est in se summe bonus, sed quatenus est bonum nobis, seu quatenus nostra felicitas, beatitudo, & finis ultimus. Tertio, & plerumque, nomine Contritionis imperfectæ intelligitur dolor de peccatis unice conceptus, atque elicitus propter eorumdem turpitudinem, aut solum metum pœnarum, & gehennæ, absque ulla Dei dilectione. Verum hæc eadem Contritio imperfecta potest ita amoveri a timore gehennæ, ut simul conjungatur cum aliquo Dei amore initiali, quatenus scilicet voluntas, quæ peccata odit propter supplicia, simul fertur quodammodo in Deum, ut objectum diligibile, eumque incipit amare, quamvis nondum amet amore perfecto caritatis. Difficile tamen est explicare hunc amorem initialem, nisi dicamus, eum esse verum actum amoris, sed debilem, tenuissimum, atque in minimo gradu; ac proinde hæc quarta species Contritionis imperfectæ videtur fere coincidere cum prima ex nuper enumeratis, neque in alio ab ea differre, nisi quod illa sit ex solo caritatis motivo, hæc vero admixtum etiam habeat timorem pœnarum.

His positis, quamvis ante Tridentinum communiter Theologi docuerint, ad Dei gratiam in Sacramento Pœnitentiæ obtinendam satis esse Contritionem imperfectam, quam jam tum *Attritionem* nuncupabant; Attritionis tamen nomine numquam dolorem intellexerunt de peccatis aliunde excitatum, quam ex motivo caritatis, seu omnino sejunctum ab aliquo saltem remisso, tenui, debili, seu initiali amore benevolo Dei, sicuti testatur doctissimus Morinus *cit. lib. 8. cap. 4. nu. 2.* omnium autem primi Franciscus Victoria, & Dominicus Soto, ambo ex Ordine Dominicanorum, docuerunt, ad peccatorum remissionem, virtute clavium assequendam, satis esse Attritionem mere servilem, seu conceptam ex solo metu gehennæ; modo tamen hæc a Pœnitente bona fide reputetur Contritio, ad quam ceteroquin eliciendam eum pro viribus conari debere affirmarunt. At Melchior Canus, Victoriæ, & Soti sententia sequutus, eam præterea extendit ad Attritionem mere servilem sic cognitam, hoc est, quæ a Pœnitente non existimetur vera Contritio, sed talis esse cognoscatur, qualis revera est. Enimvero si materia proxima Sacramenti Pœnitentiæ esset vera Contritio, error Pœnitentis, bona fide se contritum reputantis, cum revera contritus non sit, eum quidem ex-

„ cusa-

„ cusaret a culpa, sed non disponeret ad gratiam assequendam in Sacramento, quod ex defectu materiæ proximæ esset irritum; eo pacto, quo, qui, solo elicito actu doloris mere naturalis, quem tamen credit supernaturalem, ad Sacramentum Pœnitentiæ accedit, non fit utique sacrilegii reus, sed Sacramenti effectu privatur, quemadmodum recte ratiocinatur Suarez *tom. 4. in 3. par. disp. 20. sect. 4. n. 15. & seqq.* Quamobrem, si ad Sacramentum Pœnitentiæ sufficit Attritio servilis, quæ reputetur Contritio, ut voluit Sotus, necessario inde sequitur, sufficientem etiam esse Attritionem mere servilem, ut docuit Melchior Canus.

„ Melchioris Cani sententia vix nata Scholas omnes pervasit, & tanto plausu excepta est, ut plurimos, ac magni nominis statim invenerit patronos: *sed præ ceteris,* inquit Morinus *cit. loco, hanc opinionem celebrem reddiderunt duo Theologiæ Scholasticæ clarissima, & famosissima lumina, Franciscus Suarez, & Gabriel Vasquez, quos innumeri nunc sequuntur Theologi.* Verum qui inter istos doctiores, & sapientiores habentur, pavidi quodammodo, & meticulosi, ac magna cum cautela illi recenti opinioni subscripserunt, quam ipsemet Canus nonnisi dubitanter astruxerat *part. 5. relect. de Pœnit.* inquiens: *ponitur Contritio pars Sacramenti, quia est certa, & indubitata materia. Quod autem Attritio sufficiat, quamvis verum sit, non est adeo certum, & indubitatum, & ideo Concil. Florent. communisque sententia tenens certum, dimittens incertum, ponit Contritionem partem hujus Sacramenti.* Hac eadem moderatione loquitur Suarez *to. 4. in 3. part. q. 90. art. 4. disp. 15. sect. 4. n. 17.* ubi obligans Fideles, qui lethalem culpam admiserunt, ad habendam Contritionem Caritate perfectam, in articulo mortis, hanc affert rationem: *nam, licet sit probabilis opinio, Attritionem cognitam cum Sacramento sufficere ad justificationem, tamen non est certa, & potest esse falsa. Quod si fortasse in re ita est, probabilis ista existimatio non sufficit, ut salvetur homo. Ergo qui sciens, & videns, ita se mori permittit, voluntarie exponit se periculo morali æternæ damnationis; nam ubi est morale dubium, est morale periculum, præsertim in re tam gravi. Hic autem est morale dubium, cum illa opinio, nec valde antiqua sit, nec multum communis.* Suaresii monitum confirmat Philippus Gamachæus *Sum. Theol. cap. 8. de Pœnitent.* inquiens: *etiamsi agnoscamus, Sacramentum Pœnitentiæ revera facere ex attritis contritos, non tamen id omnino indubitatum.... Ergo debet tunc conari ad veram Contritionem, ut hoc modo Attritio saltem evadat certior.* Et Paulus Comitolus *in resp. Moral. lib. 1. quæst. 32.* licet absolvi posse doceat, qui ex sola formidine æternæ pœnæ de peccatis dolet, hæc tamen prudenter addit: *Plures, magnique Theologi, in Pœnitente, antequam absolvatur, Contritionem veram caritate formatam requirunt, neque usque adeo certum est, Attritionem Pœnitenti esse satis. Quocirca Sacerdotis partes præcipuæ esse debent, veræ Contritionis motum in corde Pœnitentis, auxiliante Deo, elicere, ardentique eum cohortatione urgere, ut propter Deum peccata admissa execretur omnia.* Sed quod isti, tanta adhibita circumspectione affirmarunt, posteriores Doctores, ob auctum sibi consentientium numerum, animosiores facti, non solum absque ulla dubitatione, & limitatione asseruerunt, sed contrariam sententiam, requirentem in Pœnitente aliquem caritatis amorem, saltem initialem, carpere, & censura afficere non dubitarunt, eam omnino improbabilem, periculosam, Tridentini menti contrariam, atque implicite, & virtualiter quodammodo ab eodem Tridentino proscriptam, dictitantes. Verum istos redarguit Card. Pallavicinus, diserte affirmans, unicum Tridentini scopum fuisse damnare Hæreticos, improbantes timorem servilem, tamquam inhonestum; neutiquam vero definire controversiam, jam tum inter Doctores Catholicos agitatam; *lib.* enim 12. *hist. Trident. cap. 10. num. 25.* hæc ad rem apposite scribit: *Quantum ex Actis conjicio, Theologorum mens erat, ut error Hæreticorum damnaretur, tamquam inhonestum, improbantium pœnæ timorem; non item, ut ferret sententiam de scholastica quæstione, an hujusmodi timor non solum absque Contritione animi perfecta (de quo controversia vix fuit, sicut patebit) sed etiam absque eo, quod ullus excitetur amor imperfectus, sufficiat ad peccatorum remissionem in Sacramento. Id vero clare liquet ex ipsa probatione Concilii, qua hujus articuli doctrinam firmat* cap. 4. *nimirum Ninivitarum pœnitentiam ex timore profectam ipsis profuisse, cum certum esset, eo tempore, quo Sacramentum Pœnitentiæ adhuc non extabat, eam formidolosam pœnitentiam minime sufficisse, per se ipsam, ad peccatum delendum, sed vim tantummodo habuisse ad impetrandam novam gratiam, cujus ope adjiceretur caritas.* Testatur deinde idem probatissimus Historicus, supracitatum decretum *cap. 4. sess. 14.* fuisse prius ita concinnatum, ut in eo diceretur, Attritionem ex metu gehennæ, & pœnarum *sufficere* ad Dei gratiam in Sacramento impetrandam, sed, intercedente Joanne Æmiliano Tudetano Episcopo, ablatum fuisse verbum illud *sufficere*, ejusque loco subrogatum verbum *disponit*, quod profecto æquivocum est, & referri potest cum ad dispositionem proximam, tum ad remotam, sicuti opportune observat Petrus Lambertus le Drou *in tract. de Contrit. & Attrit. dissert. 1. §. 1. & seqq.* Natalis Alexander *Theolog. dogm. & moral. lib. 2. de Sacram. Pœnit. art. 3. prop. 5.* Juenin *de Sacram. dissert. 6. quæst. 4. §. 3.* Tournely *de Pœnitent. quæst 5. art. 2.* VVitasse *eodem tract. quæst. 3.*

„ Ad hæc, ut observat Launojus de mente Concilii Tridentini circa Contritionem, & Attritionem *part. 2. cap. 2.* & cit. le Drou §. 3. ex ipsismet Patribus, & Theologis, qui Concilio Trident. interfuerant, eodem Concilio absoluto, aliqui propugnarunt necessitatem inchoatæ Contritionis, seu amoris initialis, ad Sacramentum Pœnitentiæ, inter quos Fredericus Nausea Episcopus Viennensis in Austria, in suo Catechismo, & Franciscus Sonnius Episcopus Antuerpiensis *tract. 4. de Pœnit. cap. 6.* alii pro sufficientia Attritionis mere servilis dimicarunt, uti Andreas Vega, & citati Dominicus Soto, & Melchior Canus. Non autem fuissent Præsules, & Theologi in has oppositas sententias distracti, si quid a Concil. Trid. de hac re definitum scivissent.

„ Cum itaque versemur in quæstione, ab Ecclesia hactenus non definita, jure, ac merito Alexander VII. die 5. Maji 1667. sub pœna Excommunicationis latæ sententiæ Sedi Apostolicæ reservatæ, præcepit: *cunctis, & singulis Fidelibus.... ut si deinceps de materia Attritionis scribent, vel libros, aut scripturas edent, vel docebunt, vel prædicabunt, vel alio quovis modo Pœnitentes, aut Scholares, ceterosque erudient, non audeant alicujus Theologicæ censuræ, alteriusve injuriæ, aut contumeliæ nota taxare alterutram sententiam, sive negantem necessitatem aliqualis dilectionis Dei in præfata Attritione, ex metu gehennæ concepta, quæ hodie inter Scholasticos communior videtur, sive asserentem dictæ dilectionis necessitatem, donec a Sancta Sede fuerit aliquid hac in re definitum.* Caveant proinde Episcopi, ne in suis Synodis, aut in instructione Sacerdotum, quam Synodis quandoque attexunt, aliquid decernant, aut de Attritione mere servili ad Sacramentum Pœnitentiæ sufficientia, aut de amoris saltem initialis necessitate. Adhuc quippe sub judice lis est; adhuc impune pro una, & altera sententia dimicatur. Paucis antea annis Cardinalis Gottus *Theol. tom. 3. in 3. part. D. Thomæ q. 4. de Contrit. dub. 4. §. 1.* sententiam propugnavit non requirentem in Pœnitente amorem Dei, ne initialem quidem, ad justificationis gratiam in Sacramento Pœnitentiæ assequendam. Hac ipsa in Urbe opera, & cura P. Caroli Jacobi Romilli Ord. Min. Convent. Generalis Magistri, typis recusum est Opus Claudii Frassen, inscriptum: *Scotus Academicus*, cujus Auctor *tom. 10. pag. 563.* strenue defendit, Attritionem ex solo metu pœnarum, & gehennæ, atque ex amore concupiscentiæ, seu affectu spei, conceptam, modo supernaturalis sit, omnemque excludat voluntatem peccandi, esse sufficientem dispositionem ad Sacramenti Pœnitentiæ fructum in se derivandum. Contra vero Card. Denhoff Episcopus Cesenatensis *in sua instructione Pastorali de Pœnit. Sacram. pag. 33.* aliqualem amorem in Attritione requirit, ut sit sufficiens Sacramenti Pœnitentiæ materia. Franciscus Maria Campioni anno 1698. doctam elucubravit dissertationem Theologico-scholasticam, in qua totis viribus conatus est demonstrare necessitatem aliqualis amoris Dei, saltem imperfecti, & initialis, ad impetrandam gratiam in Sacramentis, quæ dicuntur *Mortuorum*: & laudatus Petrus Lambertus le Drou Episcopus Porphyriensis, Apostolici Sacrarii Prælectus, cum per Urbem evulgatam vidisset dissertationem a Bartholomæo Rivio ejusdem sui Augustiniani Instituti Theologo, exaratam, in qua Auctor decertat pro sufficientia Attritionis, omnis caritatis expertis, ad valide, & cum fructu recipienda Sacramenta Baptismi, & Pœnitentiæ, eidem statim contradictorem se præbuit, aliisque editis dissertationibus san. mem. Clementi XI. nuncupatis, nullum non adhibuit argumentum, quod aptum putaverit ad prædictam opinionem refellendam; contendens, Attritionem mere servilem ne a Sacramento quidem vires sortiri, quibus valeat hominem proxime disponere ad Dei gratiam, vel primo obtinendam, vel amissam recuperandam. Hinc recte intulit Berti *Theol. tom. 7. lib. 34. cap. 5.* nihil hactenus a Sede Apostolica de hac quæstione decisum, sed libertatem cuique datam, ex præfatis opinionibus eam eligendi, & docendi, quam maluerit.

„ Sed non ideo prohibentur Episcopi Confessarios monere, ut Pœnitentes ad veram, & perfectam Contritionem hortentur, & excitent: id siquidem faciendum suadent etiam præcipui Auctores, qui pro sufficientia doloris ex solo metu gehennæ, steterunt, uti Suarez, Camachæus, Comitolus, quorum testimonia supra retulimus. Et quod magis est, ita fieri præcipit Rituale Romanum, jussu Pauli V. editum, Confessario injungens, ut, audita Pœnitentis Sacramentali Confessione, ejusque peccatis diligenter expensis: *opportunas correptiones, ac monitiones, prout opus esse viderit, paterna caritate adhibeat,*

„ & ad

„ & ad dolorem, & Contritionem efficacibus verbis addu-
„ cere conetur; cui consonat Rituale Argentinense editum
„ a Cardinale de Rohan *tit. de Pœnit.* §. 1. ubi hæc ha-
„ bemus: *ceterum Pœnitentes suos admonere non cessent*
„ *Confessarii, ne se putent securos in Sacramenti Pœniten-*
„ *tiæ perceptione, si præter Fidei, & Spei actus non in-*
„ *cipiant diligere Deum, tamquam omnis justitiæ fontem,*
„ *ut loquitur Sacrosancta Synodus.*

DUBIUM X.

De proposito non peccandi requisito in hoc Sacramento.

75. AD veram Contritionem, & Pœnitentiam, ultra dolorem, & detestationem, requiri propositum non peccandi in futurum, habetur aperte ex Trident. *sess.* 14. *cap.* 4. definiente Contritionem, quod sit *Animi dolor, ac detestatio de peccato commisso, cum proposito non peccandi de cetero*, ut notavimus supra *tract. praced. cap.* 3. *dub.* 3. quare non potest esse dubium, illud propositum necessarium etiam esse in confessione peccatorum, ad quam requiritur Contritio, & dolor eorumdem. At quia hoc propositum potest esse vel formale per actum distinctum ab actu doloris, vel virtuale inclusum in ipso actu doloris, difficultas esse potest: *an sufficiat propositum virtuale, & implicitum, vel requiratur propositum formale, & expressum, sicut requiritur detestatio formalis, & expressa?* Affirmant requiri formale, & expressum Tolet. *in Summ. lib* 3. *c.* 4. Bellarm. *lib.* 2. *de Pœnit. cap.* 6. & 7. Canus *de Pœnit. part.* 1. & alii, quia sicut non sufficit actus propositi de futuro virtualiter includens dolorem de præterito, ita nec sufficit dolor de præterito includens virtualiter propositum de futuro.

76. Resp. ad Sacramentum Pœnitentiæ sufficere propositum virtuale inclusum in ipsa detestatione sine formali, & expresso, colligitur ex Trident. *sess.* 14. *c.* 4. ubi ad Attritionem, quæ cum Sacramento Pœnitentiæ sufficiens est ad justificationem, solum requirit dolorem illum, qui voluntatem peccandi excludat; sed detestatio, orta maxime ex motivo universali, voluntatem avertit ab omni prorsus peccato, sine proposito illo formali, & expresso: qui enim dolet de furto quia est offensa Dei, non potest retinere voluntatem Deum offendendi alio peccato diverso, nam simul vellet, & nollet offensam Dei, quod est impossibile; ergo non requiritur propositum illud formale, & expressum. Ita Suarez *supra num.* 34. Lugus *disp.* 14. *sect.* 5. Layman *lib.* 5. *tract.* 6. *cap.* 4. *n.* 6. Diana *part.* 3. *tr.* 4. *resol.* 119.

77. Verumtamen est, quod si pœnitens cogitet, & advertat de tali proposito expresse eliciendo, tenetur elicere, & non eliciendo ostendit, se non habere dolorem verum, & sufficientem, ut cum Filliucio, Maderno, & Averso notavimus supra *tract. praced. cap.* 3. *dub.* 3. Si autem pœnitens bona fide confiteatur, non cogitans, nec a Confessario admonitus de tali proposito eliciendo, satis erit ad recipiendam gratiam, si habeat dolorem sufficientem, qui virtualiter tale propositum includat.

78. Hoc propositum, sive formale, sive virtuale, requiritur etiam in confessione venialium, quia etiam in confessione venialium requiritur dolor efficax excludens voluntatem ea committendi, atque adeo includens propositum, sive formale, sive virtuale illa vitandi. Verum tamen est, quod non requiritur propositum vitandi omnia venialia, sicut requiritur propositum vitandi omnia mortalia, sed illa dumtaxat, quæ confitetur, sicut de istis, non de aliis, tenetur habere dolorem.

79. Dubitari solet: *an possit homo detestari omnia venialia, & habere propositum universale vitandi omnia?* Ratio difficultatis est, quia sicut vitare omnia venialia est impossibile, ita videtur impossibile propositum vitandi omnia, cum non possit voluntas ferri circa objectum cognitum impossibile? Responsio pendet a quæstione alibi examinata *de necessitate divinæ gratiæ*, quomodo, & qua ratione dicatur impossibile vitare omnia venialia; diximus enim hoc non esse impossibile physice, sed solum moraliter, attenta rei difficultate, multitudine venialium, fragilitate, & inconstantia humanæ voluntatis. Circa autem id, quod est solum impossibile moraliter, potest versari propositum efficax, quia potest voluntas, quantum est ex se, velle aliquid, quamvis cognoscat non futurum. Sic D. Petrus cognoscens per revelationem sibi a Christo factam suam futuram negationem, poterat, quantum est ex se, velle, & proponere non negare Christum; ita potest homo in futurum velle abstinere ab omnibus venialibus, quamvis cognoscat, ob ingentem rei difficultatem, magnam sui fragilitatem, & inconstantiam, se in plura, & plura successive lapsurum; & circa mortalia tenetur pœnitens habere propositum efficax vitandi omnia mortalia, quamvis credat pro sua fragilitate, se non permansurum postea in illo proposito.

CAPUT V.

De Confessione Sacramentali.

DUBIUM I.

Quid sit Confessio Sacramentalis, & a quo instituta?

COnfessio Sacramentalis, quæ est pars Sacramenti Pœnitentiæ, bene definitur, quod sit *legitima, & Sacramentalis accusatio de peccatis propriis, facta Sacerdoti ad eorum veniam per absolutionem, virtute clavium, obtinendam.* Ita cum D. Thoma *in* 4. *dist.* 17. *q.* 3. *art.* 2. Sotus, Nugnus, Reginaldus, Valentia, Suarez, quos refert, & sequitur Bonac. *disp.* 5. *quæst.* 5. *sect.* 2. *punct.* 1. Madernus *quæst.* 4. *art.* 5. & alii communiter. Dicitur *legitima & Sacramentalis accusatio*, quia non debet esse simplex narratio historica, sed vera accusatio cum dolore, aliisque requisitis in ordine ad obtinendam absolutionem. Dicitur *de peccatis propriis*, quia non debet esse de peccatis alienis. Dicitur *facta Sacerdoti*, quia solus Sacerdos est Judex in hoc Tribunali, debetque proferre sententiam supra materiam præsentem. Dicitur *ad eorum veniam &c.* ut exprimatur finis, & effectus Sacramentalis Confessionis, qui est peccatorum remissio; ut enim observat Catech. Rom. *part.* 2. *cap.* 5. *Hoc judicium longe dissimile est a forensibus capitalium rerum quæstionibus, in quibus confessionis pœna est supplicium, non vero culpæ liberatio, & errati venia constituta est.*

2. Confessio Sacramentalis est a Christo Domino instituta, & præcepta, unde est divini juris, non inventum humanum, ut falso dicunt Hæretici merito damnati a Tridentino *sess.* 14. *can.* 6. illis verbis: *Si quis negaverit, Confessionem Sacramentalem, vel institutam, vel ad salutem necessariam, esse jure divino, aut dixerit, modum secrete confitendi soli Sacerdoti, quem Ecclesia Catholica ab initio semper observavit, & observat, alienum esse ab institutione, & mandato Christi, & inventum esse humanum; anathema sit.* Deinde si non a Deo, sed ab hominibus instituta fuisset Confessio, cum sit lex admodum difficilis, non fuisset universaliter ab omnibus admissa, saltem a potentioribus fuisset reprobata, & desuetudine alicubi abrogata, ut sæpe contingit in aliis legibus humanis, vel saltem in ea dispensatum fuisset aliquando, saltem cum Principibus viris, ut fieri solet in aliis Legibus Ecclesiasticis; sed fuit universaliter ab omnibus admissa, nec umquam locum habuit desuetudo, aut dispensatio; ergo non fuit lex ab hominibus, sed a Deo lata, qui Sacramentum instituit per modum judicii, in quo necessaria est confessio Rei ad hoc, ut Sacerdos possit illius peccata absolvere, aut retinere: non enim potest quis remittere, vel retinere peccata, nisi prius cognita habeat, nec aliter cognoscere potest, quam a pœnitente; ergo talis Confessio fuit a Christo Domino instituta, & præcepta.

3. Difficultas aliqua solum est: *an hæc veritas sufficienter colligatur ex Evangelio, aut sola habeatur traditione per Apostolos orellenus Ecclesiæ facta*, ut tenent nonnulli apud Amicum *disp.* 10. *de Pœnit. sect.* 2. *n.* 13. aliis communiter reclamantibus, qui necessitatem Confessionis colligunt ex illo Joan. 20. *Quorum remiseritis peccata, &c.* quibus verbis datur potestas cognoscendi, & judicandi de peccatis, ut constat ex verbis *remittere, & retinere, solvere, & ligare*, Matth. 16. & 18. ubi talis potestas a Christo Domino promissa fuit; sed non potest quis remittere, vel retinere peccata, proportionatamque taxare pœnam, nisi ea prius cognita a pœnitente habuerit; ergo Confessio Sacramentalis fuit a Christo Domino instituta illis verbis: *Quorum remiseritis peccata, &c.*

4. Dices: Confessionem primo institutam fuisse ab Innocentio III. electo anno 1198. *de Pœnit. & Remiss. c. Omnis*, ubi annua Confessio præcipitur omnibus Christi-fidelibus.

Resp. Innocent. non instituisse Confessionem, sed solum determinasse tempus annuæ Confessionis, cujus usus multo antea viguit in Ecclesia, ut videre est apud Amicum, Gonetum, & Bellarminum, qui innumeras afferunt auctoritates Sanctorum Patrum.

5. Quod si objicias factum Nectarii Constantinopolit. Episcopi, qui Confessionem abrogavit. Respond. non fuisse a Nectario abrogatam Confessionem secretam, & auricularem, sed tantummodo publicam eo tempore fieri solitam, propter scandala, quæ inde oriebantur, quæ timeri non possunt ex confessione secreta, & auriculari. Aliqui dicunt, Nectarium a Novatianis Hæreticis deceptum, quorum consilio in rebus ad fidem pertinentibus sæpe utebatur, ut testatur Socrates apud Baronium *anno* 56. *n.* 28. Confessionem a sua Ecclesia sustulisse; sed non est recedendum a prima responsione, quæ est communior, & probabilior.

DUBIUM II.

De Præcepto Divino Confessionis.

6. SAcramentalis peccatorum Confessio est necessaria ex præcepto Divino, supposita institutione illius a Christo facta; non enim Christus Confessionem instituit tam-

quam

quam liberam, & voluntariam, quasi homo possit illa uti, vel non uti, sed ut necessariam pro illis, qui habent peccata mortalia post Baptismum, ut clare constat ex Trid. *sess.14.c.5.* ubi habetur: *Ex institutione Sacramenti Pœnitentiæ universa Ecclesia semper intellexit, institutam etiam esse a Domino integram peccatorum Confessionem, & omnibus post Baptismum lapsis jure Divino necessariam existere.* Et *Can.6.* damnat qui negaverit, Confessionem Sacramentalem institutam esse a Christo, & necessariam, de jure Divino; & *Can.7.* declarat esse de jure Divino necessarium confiteri in Sacramento Pœnitentiæ omnia, & singula peccata mortalia: quam veritatem colligit Trident. *dicto c.5.* ex verbis Christi Joan. 20. *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta sunt;* quibus verbis dedit Apostolis, & eorum successoribus potestatem judiciariam remittendi, aut retinendi peccata, quod judice facere non possunt, si penitens peccata sua non tenetur aperire; ergo de jure Divino tenetur penitens sua peccata confiteri, nec potest in hoc esse difficultas apud Catholicos.

7. Præceptum Divinum Confessionis obligat omnes, & solos Christi-fideles, qui post Baptismum in peccatum mortale lapsi sunt, ut habetur ex Trident. *supra*: inde obligat Summum Pontificem, supposito peccato mortali, quia & ipse Divinis Legibus est subditus; obligat pueros doli capaces, quia nullum fundamentum est illos excipiendi, cum teneantur reliqua observare præcepta, dummodo habeant usum rationis, qui communiter accidere consuevit completo septennio. Navarr. *cap.25. n.88.* Henriquez, Coninch, Nugnus, Vasquez, Valentia, & alii, quos adducit, & sequitur Bonac. *disp.5. quæst.5. punct.4. num.2.*

8. Non obligat pueros ante usum rationis, nec perpetuo amentes, nec illos, qui perseverantes in gratia, peccata mortalia post Baptismum non commiserunt: nec obligat Infideles, qui Baptismum non susceperunt, quia præceptum Divinum Confessionis non obligat omnes absolute, sed tantum illos, qui post Baptismum peccata mortalia commiserunt, ut constat ex Trident. *supra*, & tenent Doctores communiter, Suarez, Vasquez, Hurtado, Granado, Lugo, Villalobos, & alii, quos adducit, & sequitur Leander *disp.3.q.9.* & quos adducit Bonacina *supra num. 5.*

9. Nec valet: Infideles tenentur, & obligantur præcepto Divino Communionis; ergo etiam præcepto Confessionis: non valet, inquam, quia præceptum Communionis est universale, & absolutum, immediate afficiens omnes, & cum sit præceptum Divinum, potest etiam obligare Infideles: at præceptum Confessionis non est absolutum, & universale respectu omnium, sed conditionatum respectu illorum, qui peccaverunt post Baptismum; quare sicut Adultus baptizatus non obligatur tali præcepto, si nullum habeat peccatum; ita nec tenetur Adultus nondum baptizatus, quia non habet peccata post Baptismum commissa, quæ sola sunt materia Confessionis, ut dictum est *supra tract.4.c.7. dub.5.*

DUBIUM III.

Quo tempore obliget Divinum præceptum Confessionis.

10. Conveniunt fere omnes Doctores, præceptum Divinum Confessionis per se obligare saltem in articulo, & probabili periculo mortis, quia hujusmodi præceptum debet impleri in hac vita, & ante mortem, & sic saltem in articulo, & probabili periculo mortis; qui enim tali tempore non adimplet, non potest amplius adimplere, vel exponit se periculo non adimplendi: obligat autem non solum in articulo mortis, quando quis est certo moriturus, seu lethali morbo premitur, sed etiam in probabili periculo illius, ut instante prælio, imminente naufragio, grassante peste, in periculosa navigatione, & quando femina primo paritura est, aut quæ partus difficiles habere solet, ut cum aliis docet Bonacina *q.5. sect.2. punct. 4. num.14.* vel etiam in partu cujuscumque alterius mulieris, ut cum Sylvestro, & Petro Hurtado tenet Leander *disp.3. quæst.10.* eo quia omnes prægnantes, dum sunt proxime parituræ, vere sunt in periculo mortis.

Id ipsum alsiori adhuc fundamento, & auctoritate potissimum D. Thomæ innixus, Parochis omnibus advertendum proponit toties prælaudatus Benedictus XIV. totius hujus Operis peropportunus illustrator, in sua Notific.2. to.2. in qua hæc habentur: Unanimes Theologi conveniunt, ad confitenda peccata nos obstringi, quoties mortis periculum impendat: *quia*, ut ait D. Thomas *in 4. sent. dist. 17. qu. 3. art. 1. quæstiunc. 4. quia ea, quæ sunt de necessitate salutis, tenetur homo in hac vita implere, ideo, si periculum mortis immineat, etiam per se loquendo, obligatur aliquis ad Confessionem faciendam tunc, vel ad Baptismum suscipiendum, & propter hoc etiam S. Jacobus simul præceptum edidit de Confessione facienda, & Extrema Unctione suscipienda.*

11. Ex quo etiam deducit Bonac. *ibid. n.15.* infirmum perseverantem in infirmitate, & periculo mortis, qui post Confessionem tunc factam iterum mortaliter peccavit, teneri iterum confiteri, quia est in periculo mortis, & damnationis æternæ, ad quam vitandam tenetur adhibere medium necessarium a Christo institutum.

12. Eadem ratione confiteri tenetur, qui periclitatur incidere in perpetuam amentiam, quæ quoad hoc æquivalet morti; & qui nunc habet copiam Confessarii, quam probabiliter timet postea non habiturum per totam vitam, ut accidere potest in India, aut in captivitate; exponitur enim periculo carendi commoditate Confessionis ante mortem. Ita Sylvester, Tabiena, Suarez, Azorius, Henriquez, Reginaldus, Coninch, Nugnus, Vasquez, & alii, quos refert, & sequitur Bonacina *supra n.21.* Diana *part.3. tract.4. resol. 69.* Lugus *disp.15. n.37.*

13. Ex hac divina obligatione Confessionis faciendæ in periculo mortis, permotus Innocentius III. cap. *Cum infirmitas, de Pœnit. & Remiss.* ordinavit Medicis, ut vocari ad ægrotos debeant eos admonere de Confessione facienda; quam ordinationem renovavit B. Pius V. Constit. incipiente: *Super Gregem*, in qua non solum præcipit Medicis, ut infirmum admoneant de Confessione facienda, sed etiam ne ultra tertium diem illum visitent, si non sibi constet de illius Confessione per fidem Confessarii in scriptis, & ne admittantur in posterum ad gradum Doctoratus, nisi præstito juramento de hac lege servanda; quam proinde obligare Medicos ad id faciendum in quocumque morbo, etiam non periculoso, tenent Cherubin *in compend. Bullarii Scholio 2. in eam Constit.* Sylvester verbo *Medicus, q.3. concl. 3.* Rodriquez *quæst.47. Regular. art.3. tom.1.* & alii.

14. Verum illam Constitutionem non obligare in quocumque morbo, sed in gravi solum, & periculoso, aut qui potest in statum periculosum aggravari, constat ex praxi, & consuetudine Medicorum, sic illam interpretante, & tenent Suarez *disp.35. sect.3. nu.4.* Lugus *disp.15. num.38.* Diana *part.3. tract.4. resol.93.* Ant. a Spiritu S. *disp.4. sect. 2. n.216.* Filliuc. *tract.7. n.34.* & alii apud ipsos: addentes, satis esse, si infirmus admoneatur per alium de Confessione facienda, & si Medicus oretenus audiat a fide dignis, vel etiam ab ipso infirmo, pro ejus qualitate, ipsum esse confessum. Quod si infirmus obstinate recuset confiteri, aut credatur nihil monitionem profuturam, tunc Medicus non tenetur eum admonere, nec eum deserere, prout cum aliis tenent Lugus *supra n.39.* Diana, Anton. a Spiritu S. & Filliucius. Nec obstat juramentum præstitum a Medicis ante gradum Doctoratus, quia debet intelligi juxta consuetudinem, & modum, quo Pontificis Constitutio recepta est.

Omnia, & quæcumque hac de re dici possunt, tum ad quæstiones toties jam actas solvendas, tum ad doctrinas quaslibet vel magis declarandas, vel nobilioribus, clarioribusque adhuc principiis ita confirmandas, ut eo vel tanti momenti, quidquid sit de necessitate præstandum, Parochi præsertim, animarumque Rectores haud ignorent, vel negligant, sibi, studiose Lector, erudito de more conscripta calamo hic subjicit Noster de Theologicis veritatibus optime meritus, Institutor, & Consummator, Benedictus XIV. in prælaudata Notificatione posita num. 2. tom.2. ubi hæc iisdem fere verbis leguntur: Eam mentem hic non habemus, ut universa ea signa complectamur, quibus ægroti pro Sacramentis Pœnitentiæ, Eucharistiæ, & Extremæ Unctionis rite sumendis idonei satis judicentur. Illud solum nobis proposuimus, ut tempus pro ægrotis ad Confessionem admonendis constitutum a jure Canonico, & Apostolicis Decretis in mentem iis, ad quos pertinet, revocemus, cum hoc plurimum sane conferat, ut eadem Sacramenta majori cum fructu percipiantur. Siquidem a piis Sacerdotibus, qui pro muneris sui ratione morientibus inserviunt, Nobis non sine magno animi nostri mœrore delatum est, non semel id ægrotis tunc solum denuntiari, cum jam mentis impotes videntur ob metum vicinæ mortis, vel morbi gravitate omni pene sensu destituuntur; atque ita locum esse dubitandi, num Pœnitentiæ Sacramentum frustra ipsis administretur, cum non modo ad Sacramenta Pœnitentiæ, & Eucharistiæ necessario requiratur, ut quis integra mente, ac ratione præditus sit, sed *illi etiam*, ut in Catechismo Romano habetur §.18. de Extrema Unctione, *gravissime peccant, qui illud tempus ægroti ungendi observare solent, cum jam omni salutis spe amissa, vita, & sensibus carere incipiat. Constat enim ad uberiorem Sacramenti gratiam percipiendam plurimum valere, si ægrotus, cum in eo adhuc integra mens, & ratio viget, fidemque, & religiosam animi voluntatem afferre potest, Sacro Oleo liniatur.* Nam qui vel leviter Ecclesiæ historiam adspexerint, plane norunt, pravam consuetudinem tradendæ Extremæ Unctionis illis, qui proxime morituri sunt, ex falsa opinione defluxisse, quæ Sæculo XIII. in omnem Britanniam majorem pervaserat, & quæ tunc temporis in Conciliis proscripta fuit, nempe ægrotum, qui Uxorem duxisset, si post Extremam Unctionem convalesceret, nullum deinceps commercium cum illa habere posse; ceteris autem, qui post Extremam Unctionem ad sanitatem restituerentur, carnes omnino per reliquum vitæ tempus interdici.

Præclarum sane esset, si Conciliorum Sanctiones, & Pontificum Decreta universi percurrerent; præclarius autem, atque utilius, si quæ in illis præcipiuntur, executioni

tioni demandarent. Hinc plurima alia bona dimanarent; quippe nec Episcopi sæpius eorum memoriam in aliis excitare cogerentur, neque plures ea, quæ ignorant, temere objurgarent.

„ Itaque Summi Pontifices, Sanctaque Concilia, non solum monuerunt, Sacram Eucharistiam, & postremam Unctionem non esse conferendas, cum ægrotus in eodiscrimine positus est, ut rationis expers, Sacramenti virtutem minime intelligat, sed tempus etiam, quo Pœnitentiæ Sacramentum administrari oporteat, indixerunt, cum ipsum ad duo reliqua Sacramenta velut aditum patefaciat.

„ Galenus ipse *in 6. Com. 2. text. 43. de morbis vulgaribus*, tradit, sine ulla dissimulatione morbi gravitatem, ac periculum ægrotis a Medico detegendum: *nam si prudentem hominem, præterea non timidum esse cognoveris, vera ipsi dicere conaberis, nil eorum, quæ in morbo futura sunt, subtrahens, nec dissimulans. At, si stultum, atque timidum, omnia ea, quibus ipse melioris animo futurus sit, dicito, nec tamen magnopere mentiaris. Quod si interdum ob extremam laborantis formidinem ipsi certam salutem polliceri coactus fueris, egressus saltem ejus curam gerentibus vera dicito; ita enim nec ille animum despondebit, & tu plerumque vera retuleris.*

„ Sed neque hoc consilium ab Augenio probatur, qui vitæ amittendæ periculum nullis ægrotis declarandum putat, licet prudentes, ac minime timidi habeantur. *Imaginari* (inquit *in sua Epist. 2. lib. 6.*) *imaginari non possum, hominem tam composito futurum animo, qui non contristetur ex mortis certo nuntio, cum omnium terribilium finis sit mors; quid enim magis exasperare possit morte ipsa, non video. Nec est, quod quispiam dicat, Philosophos ejusmodi esse, quoniam hoc falsum esse convincitur, quod ille, qui mortis Dominus erat, Patri dixit: Pater, si fieri potest, transeat a me calix iste.* Verum hæc omittamus, quæ Pagano potius, quam Fideli apte conveniunt; & quid Ezechiæ Regi, cum gravi morbo decumberet, Isaias libere denuntiaverit *in lib. Reg. 4. cap. 20.* animo reputemus: *Hæc dicit Dominus Deus: præcipe domui tuæ; morieris enim tu, & non vives.* Hinc ad ea, quæ constituit Ecclesia, deveniemus. Ipsa quidem pro animarum salute magnopere sollicita, quid a Medicis gerendum sit, sapienter edixit, ut sibi commode ægroti consulere possint, & ad mortem forti animo subeundam præparari.

„ In Concilio Lateranensi sub Innocentio III. cap. *Cum infirmitas, de Pœnit. & Remiss.* hæc habentur: *Cum infirmitas corporalis nonnumquam ex peccato proveniat, dicente Domino Longaido, quem sanaverat: vade & amplius noli peccare, ne deterius aliquid tibi contingat: præsenti decreto statuimus, & districte præcipimus Medicis corporum, ut, cum eos ad infirmos vocari contigerit, ipsos ante omnia moneant, & inducant, quod Medicos advocent animarum, ut, postquam fuerit de salute animarum provisum, ad corporalis medicinæ remedium salubrius procedatur, cum, cessante causa, cesset effectus.* Deinde Concilii Patres caussam afferunt, quæ ad illa statuenda maxime impulerit: *Hoc quidem inter alia huic caussam dedit Edicto, quod quidam in ægritudinis lecto jacentes, cum eis a Medicis suadetur, ut de animarum salute disponant, in desperationis articulum incidunt, unde facilius periculum mortis incurrunt.* Postremo delinquentes hac pœna mulctantur: *Si quis autem Medicorum Nostræ Constitutionis, postquam per Prælatos fuerit publicata, transgressor extiterit, tamdiu ab ingressu Ecclesiæ arceatur, donec pro transgressione hujusmodi satisfecerit competenter.*

„ Anno 1311. in secundo Concilio Ravennate eamdem Constitutionem Clemens V. in Rubric. XV. de Pœnitentiis renovavit: *Monemus*, inquit, *omnes insuper Medicos, quod, quando vocati fuerint ad Infirmos, non ulterius redire habeant, nec curare eosdem, nisi prius eis constiterit, quod ipsi Infirmi prædicti Medicum advocaverint animarum, & eis fuerit de animarum salute provisum; & si quis Medicorum contemptor hujus monitionis extiterit, tamdiu ab ingressu Ecclesiæ arceatur, donec de transgressione hujusmodi ad arbitrium Ordinarii satisfecerit competenter.*

„ Sanctus autem Pius V. *in Constitut. 8. Bull. Rom. to.* 2. non modo eadem confirmat, quæ in Concilio Lateranensi sub Innocentio III. proposita fuerunt, & ad illa observanda vehementer hortatur, sed alia quoque decernit; ac primum §. 3. *quod omnes Medici, cum ad infirmos in lecto jacentes vocati fuerint, ipsos ante omnia moneant, ut idoneo Confessori omnia peccata sua, juxta ritum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, confiteantur, neque tertio die ulterius eos visitent, nisi longius tempus infirmo Confessor ob aliquam rationabilem caussam, super quo ejus conscientiam oneramus, concesserit, & eis per fidem Confessoris in scriptis factam constiterit, quod infirmi, ut præmittitur, peccata ipse confessus fuerit.* Et §. 5. *quod ultra pœnas in dicta Constitutione contentas, quas incurrere declaramus, perpetuo sint infames, & gradu medicinæ, quo insigniti erant, omnino priventur, & a Collegio, seu Universitate Medicorum ejiciantur, ac pœna etiam pecuniaria arbitrio Ordinariorum, ubi deliquerint, mulctentur.* Et §. 6 *denique præcipimus, & mandamus, ut nullus posthac ubique locorum in Medicina doctoretur, aut ei quomodolibet medendi facultas a quovis Collegio, & Universitate concedatur, nisi omnia in præsenti nostra Constitutione contenta, medio eorum juramento, coram Notario publico, & testibus observare, in eorum manibus, vel Ordinarii juraverint; & de hujusmodi juramento in privilegio, seu licentia medendi specialis mentio fiat. Quod si Collegia, & Universitates præfatæ, non recepto a promovendis juramento hujusmodi, eosdem ad gradum prædictum promoverint, aut eisdem medendi licentiam præstiterint, pœnam privationis facultatis alios ulterius doctorandi incurrant.*

Gregorius XIII. in sua Constit. 68. posita in Tom. 2. Bull. Rom. ubi infidelibus, atque Hebræis facultatem medendi Christi fidelibus interdicit, omnia, quæ a Concilio Lateranensi, & a S. Pio V. præcipiuntur, iterum confirmat. Easdem leges sedulo observandas plura Concilia Provincialia, ac Diœcesana indixerunt, inter quæ illud Cardinalis Jacobi Boncompagni in lib. 4. cap. 9. Decessoris nostri merito est adnumerandum.

Veteres Theologi omnia, quæ in Lateranensi Decreto continentur, unice tradiderunt, & cum nihil dubium, aut obscurum in eo viderent, nullo pacto interpretandum censuerunt, ut videre est in *Sum.* S. Raymundi de Pennafort impressa Avvenion. 1715. lib. 3. §. 23. Sylvester autem in Sum. ad illud verbum *Medicus* vers. 2. ea verba Constitutionis *districte præcipimus* expendens, ejusdem legis violationem cum lethali culpa conjunctam arbitratur; neque ulla consuetudine, aut temporis diuturnitate ipsam abrogari posse, cum ad animarum salutem pertineat.

Sed postquam S. Pii V. Constitutio in lucem prodiit, licet inde Lateranense Concilium magis firmandum videretur, aliæ tamen a Theologis disputationes excitatæ fuerunt; ac ea præsertim, utrum contrario usu debilitari, frangique posset, cum legis tantum humanæ rationem præseferret; quod aliqui affirmabant. Nonnulli vero eo devenerunt, ut contraria consuetudine eam legem jam obsolevisse libere senserint. Alii demum hanc sententiam tuebantur, diplomata Pontificia, & jusjurandum eam vim solum habere, quam ab usu communi reciperent, quod videre poteris apud Sanchez ad præcepta Decalogi l. 3. cap. 16. num. 14. & 15. Attamen qui hanc legem jam obsoletam prædicant, cum jusjurandum a Medicis, qui medendi facultatem poscunt, semper requiratur, res contrarias simul copulare nituntur, consuetudinem nempe jurisjurandi, quam memoravimus, & legitimam pariter consuetudinem, qua ab ipsius jurisjurandi religione immunes se prædicant. Insuper legis observantiam ex consuetudine dijudicare, cum hæc jurata antea legi adversetur, idem prorsus est, ac consuetudinem convertere in pravum usum, quem sane detestandum, & animarum saluti perniciosum nemo non intelligit.

Alia quoque a Scriptoribus disceptantur: *utrum Medicus ipse de imminenti vitæ periculo ægrotum admonere debeat, an uti possit Familiaris opera, vel Religiosi viri, qui has partes sibi tribuat.* Zacchias medendi laude præclarus *in suis quæstionibus Medico-legalib. lib. 6 cap. 2. quæst. 4. num. 10.* ad Medicum id unice spectare tradit, quem Sacræ Constitutiones obstringunt; cum præsertim ægroti majorem Medico, quam ceteris fidem præstare consueverint. Eam sententiam Baptista Codronchius Philosophus, ac Medicus Imolensis *in tract. de Christiano, ac tuta medendi ratione lib. 1. c. 17.* antea susceperat. Alii vero Theologi illo communi effato ducti, *quod, qui per alium facit, per seipsum facere videtur,* satis esse contendunt, si Medicus præstantem aliquem virum adhibeat, ut ipsius monitu Pœnitentiæ Sacramento ægrotus expietur. Tunc etiam magis consultum erit, si ille Medici jussionem intercedere ægroto significaverit. Et ita Diana *in Edit. coord. t. 1. tract. 3. resol.* 198. & 199. Sanchez *ad præcepta Decalogi lib. 3. cap. 16. n.* 1. Card. de Lugo *de Sacram. Pœnit. disp. 15. sect. 3. nu.* 38. Soto *Controv. lib. 5. controv. 7. cap. 2. n. 9.*

In dubium etiam vocatur: *utrum Medicus ægrotum deserere teneatur, si post tertium diem a Sancto Pio V. constitutum, confiteri recuset;* quam disputationem ea verba Pontificiæ sanctionis induxerunt: *neque tertio die eos visitent*, Ita Suarez *part. 3. Div. Thomæ to. 4. disp. 35. sect. 3. sub nu. 5.* Itaque si morbus adeo gravis est, ut sine ope Medici mortis periculum immineat, hoc Pontificis Decretum ita explicari posse Theologi, Canonum interpretes, ac Medici unanimes fatentur, ut tunc vim non habeat; videlicet, ut ægroto, si forte convaluerit, ad meliorem frugem redeundi locus relinquatur. Inter Theologos hi præcipue numerantur Suarez loco citato, Diana *loco supracit.* Sanchez *n.* 10. Soto, Cardinalis de Lugo in iis Libris, quos superius innuimus, quibus etiam Castropalaus *tract. 14. de oblig. & firmit. juramenti disp. 2. punct. 7. § 4. num. 5.* ac Thesaurus de pœnis ecclesiasticis ad

cis ad

„ ctis *ad illud verbum Medici cap.1. part.2.* adjici possunt. Inter Canonum interpretes Pirhinghius *lib. 5. Decretal. de Pœnit. & remiss. tit. 18. sect. 1. §. 4. n. 17.* Schmalzgrueber *eod. tit. n. 101. & 102.* nominantur: Codronchius vero *loco citato n. 12.* qui aliter, ac reliqui Medici sensit his verbis a Zacchia plurimum improbatur: *ego quidem, ut libere sensum meum patefaciam, nimis rigorosam, ac duram existimo Codronchii sententiam, & omnino, si quid mihi in hoc pronuntiare licet, dixerim, quod quandocumque immineat evidens vitæ periculum, si Medicus deserat infirmum, non debeat illum deserere: immo puto, quod peccaret, deserendo; in illis autem casibus, quando videret pertinaciam infirmi, credo, quod omnino teneretur illum deserere, & maxime, si adsit copia aliorum Medicorum.*

„ Illud tamen difficilius est judicare, quæ morbo conditio, & gravitas Medicum obstringat, ut ægrotum de suscipiendo Pœnitentiæ Sacramento commonefaciat. Si mortis discrimen impendeat, tunc procul dubio jus naturale, ac divinum Medicos adigunt, ægrotum hortari, ut animæ saluti prospiciat, idque a Pœnitentiæ Sacramento potissimum auspicetur. Sin autem periculum evidens non sit, tunc reliqui Theologi conveniunt cum Suarez, qui *loco cit. n. 4.* ita habet: *itaque existimo obligare hanc legem in morbo gravi, vel qui prudenter indicatur a Medico in principio, periculum morale esse ut mortalis fiat.* Zacchias ab hoc onere Medicos vindicat, cum morbi leves habentur, nempe, si nullum mortis periculum objiciatur, neque morbi caussa diu lectulo ægroti detineantur. Aliter vero est, si graviori morbo vexentur, nempe, si ipse licet initio levis videatur, tamen externis signis, apparatu, caussisque morbi lethalem evasurum non inani conjectura Medicus deprehenderit, licet remediis periculum depelli posse confidat. Tandem gravem morbum existimat, qui cum febri, licet intermittenti, conjungatur: *quia, tametsi morbus cum tali febri levis videatur, rationabiliter tamen semper timendum ne gravis fiat, cum febris quæcumque, ut alias ex Galeno dixi, sit caussa, & signum periculosissimum*, ut videri potest in *qu. cit. n. 5.* & Codronchius *loco cit.* his verbis suam opinionem declarat: *Quamobrem ego arbitror multa tutius esse, ut non solum in morbis periculosis Christianæ caritatis officium præstet Medicus, sed etiam in aliis, quos evasuros esse: capitales non inani conjectura judicaverit, præsertim si æger in cubili recumbit; placetque mihi summopere, quod monet Cajetanus, Medicum non ita obligari, ut ad omnes morbos debeat eamdem adhortationem inculcare, ne ea res ludibrio, & despectui habeatur, sed ne morbum quidem debere expectari periculosum; nam neque ægrotantis saluti valde consultum esset, neque sententiæ Sancti Decreti satisfieret, medicam quamdam rationem tenendam esse, ut tunc de Confessione verba fiant, quando morbus ejusmodi est, ut necessario lectum requirat, non tamen intelligatur, quando æger sibi nimium indulgens, vel podagra, vel consimili affectu laborans, in lectulis libenter conquiescat; idque constatit cum verbis Constitutionis Pii V., in qua est aliud aperte scriptum: ad ægrotos in lecto jacentes. Omnes tamen Doctores admonent salubre consilium, atque in primis tutum esse, in omni morbo eodem adhortatione uti.*

„ Quando cum Medicis res agitur, ipsorum testimoniis uti maluimus; sed cum id Theologis, & Canonum interpretibus magis apte conveniat, aliam viam ingredimur. Itaque si Lateranense Concilium, quod S. Pii V., aliorumque Pontificum auctoritate confirmatum fuit, Medicis præcipit, ut de suscipiendo Pœnitentiæ Sacramento ægrotos moneant, & animarum, corporumque saluti opportune consulant, eamque caussam Patres afferunt, quod ægroti ad confitendum adacti prorsus animo concidunt, & morbi gravitatem augent; cum, inquam, hæc ita sint, necessario sequitur, hujusmodi desperationi magis aditum patefieri, si Medicorum admonitio tunc fiat, cum morbus pene ad extremum redigitur, vel redigi potest. Hoc tamen malum evitabitur, si juxta Sacras Constitutiones ægroti moneantur, cum discrimen vitæ nondum impendeat, nec ullum futuri discriminis indicium videatur.

„ Hæc a S. Antonino didicimus, qui *in Sum. to. 3. tit. 7. c. 2. §. 4.* sic habet. *Et nota, quod aliqui Medici observant circa Infirmos, cum vident infirmitatem mortalem, & non alias; licet isti non adimpleant Constitutionem, quod patet ex ipso textu Decretalis. Dicitur ibi post superius in principio paragraphi posita. Hoc, inter alia, caussam dedit Edicto, quod quidam in ægritudinis lecto jacentes, cum eis a Medicis suadetur, ut de animarum salute disponant, in desperationis articulum incidant, & facilius mortis periculum incurrunt: ubi dicit Joannes Andreas; ex quo vere scient Infirmi, in omni infirmitate mortali hoc Medicos dicere, & non mortali, ex præcepto, cessabit timor, & periculum.* Silvester eamdem sententiam amplectitur in sua Summ. ad illud verbum *Medicus*, *vers. 3. Summa autem*, inquit, *Angelica, & Summa Rosella non intelligunt istam conditionem quantum ad omnem infirmitatem, sed solum quantum ad periculosas, & dubias secundum se, id est, quæ possunt probabiliter inducere periculum mortis, in quo ipse infirmus confiteri teneatur, sed istam opinionem expresse Archidiaconus per textum videtur evertere dicens, quod Medici hoc observantes solam, eam ægritudinem mortalem viderint, non adimplent Constitutionem, quæ subdit, inter cetera hujus edicti caussam fuisse, quod quidam in ægritudinis lecto jacentes, cum eis a Medicis suadetur, ut de animarum salute disponant, in desperationis articulum incidunt, unde facilius mortis periculum incurrant: ubi dicit Joannes Andreas, quod, ex quo Infirmi sciant, hoc Medicos dicere in omni infirmitate mortali, & non mortali, ex præcepto, cessabit timor, & periculum. Hæc ex illo: & ideo simpliciter, & indistincte dicendum est cum textu, eos ad hoc teneri, cum eos ad Infirmos vocari contingit; maxime quia, si infirmitas levis aggravaretur tantum, ut Infirmus teneretur confiteri, si tunc Medicus suaderet Confessionem, Infirmus timore quateretur ut plurimum, quod in textu cavetur. Nec oportet dicere, uti dicit Summa Rosella, hoc nimis esse durum, quia facile est Medico dicere pro debito præcepti mihi facti, hortor ad Confessionem, quæ prodesse potest, obesse non potest.* Præclarus Medicus Gaspar a Reyes in suis quæstionibus *q. 35. sub n. 4. §. Sed hæc opinio*, hanc opinionem cum ægrotis perutilem, tum Medicis tutissimam fatetur, quam Juri Canonico magis congruere inter Canonum interpretes Schmalzgrueber, ac Pirhinghius *in locis supra citatis* testantur. Sed hoc præcipue, experientia magistra, comprobatur; cum enim in Nosocomiis, etiam qui periculoso morbo non laborant, excipiantur, & singulis indicentur, ut Sacramento Pœnitentiæ prius animam expurgent; tamen cognitum satis est, in desperationem eos minime prorumpere, ob eam sane caussam, quod legem hujusmodi in Nosocomiis institutam intelligunt, licet nullum vitæ periculum ex morbo deprehendatur.

„ Confidimus hac nostra declaratione pro eo, quod gerimus, munere, voluntati eorum satisfecisse, ac morem gessisse, qui magno studio nobiscum egerunt, ut pro rei magnitudine, & gravitate ægrotantium saluti consuleretur; nam perspectam habemus Medicorum, qui in hac Civitate versantur doctrinæ præstantiam, ac probitatem, ex quibus etiam singularis gloriæ ornamentum in patriam ipsam dimanare satis cognoscimus, cum illi per universam Italiam, aliasve Europæ regiones plurimum celebrentur. Hinc Pontificum Sanctionibus, quin ultro, ac sedulo pareant non dubitamus, iisque consiliis, quæ pro animarum, corporumque salute tutius comparanda paullo superius explicavimus. „

15. Conveniunt etiam magis communiter, præceptum Divinum Confessionis non obligare statim post commissum peccatum mortale, quia sine fundamento asseritur talis obligatio; ut enim dicebamus supra *tract. præc. c. 4. dub. 4.* præceptum Contritionis, quod strictius, & magis urget, utpote magis naturale, & antiquius, non obligat statim post commissum peccatum; ergo neque præceptum Confessionis. Deinde si obligaret statim, non potuisset Ecclesia determinare aliud tempus, cum non possit retardare obligationem juris divini: &, ea stante, determinando Confessionem semel in anno, præberet occasionem prævaricationis Fidelibus, qui absque ullo conscientiæ scrupulo Confessionem differunt ad annum, juxta præceptum Ecclesiæ, nec putant se obligari citius confiteri; & ita tenent cum D. Thoma, Suarez, Layman, Granadus, Hurtado, Nugnus, Lugus, Palaus, & alii, quos affert, & sequitur Leander *disp. 3. q. 14.*

16. Quod verum est etiamsi adsit periculum oblivionis peccatorum, quia secus non sufficeret confiteri semel in anno, juxta præscriptum Ecclesiæ, cum etiam in tali tempore adsit periculum oblivionis aliquorum peccatorum, & circumstantiarum, & præcipue quoad illorum numerum. Ratio est, quia ex obligatione integritatis servandæ in Confessione, solum tenetur pœnitens facere moralem diligentiam in recolendis suis peccatis, & tempore, quo confitebitur, eaque omnia explicare, quæ post moralem, & diligentem conscientiæ discussionem memoriæ occurrerint, ut satis aperte colligitur ex Trident. *sess. 14. cap. 5.* & ex cap. *Omnis utriusque sexus, de Pœnit. & Remiss.*; non autem tenetur facere diligentiam extraordinariam, qualis esset anticipare Confessionem. Ita Doctores communiter, quos citat, & sequitur Diana *part. 3. tract. 4. resol. 155.* Lugus *disp. 15. sect. 3. n. 41.* Madernus *q. 4. art. 13. n. 2.* Ant. a Spir. S. *sect. 2. n. 220.* & pluribus citatis, Leander *quæst. 15.*

17. Extra mortis articulum, an, & quando per se obliget præceptum Divinum Confessionis, discrepant Doctores. Aliqui docent, non obligare, nisi in articulo mortis, quia majoris obligationis nullum afferri potest sufficiens fundamentum. Christus enim non determinavit tempus talis obligationis extra mortis articulum, sed illud reliquit Ecclesiæ determinandum; adeoque, seclusa Ecclesiæ determinatione statuente tempus talis obligationis, nemo tenetur ex præcepto Divino confiteri, nisi in mortis articulo. Ita D. Thomas *in 4. dist. 17. q. 3. art. 1. quæst. 4.* Scotus *ibidem qu. 1. art. 3.* Durandus, Gabriel, Paludanus, Ricardus, Suarez *disp. 35. sect. 3. n. 9.* Lugus *ea. 39.* Filliucius *tract. 7. cap. 2. quæst. 5.* Anton. a Spiritu S. *sect. 2. n. 217.*

18. Alii

18. Alii tamen verius, & probabilius censent, per se ex ipso jure Divino Confessionis obligari peccatores aliquando in vita confiteri, & non differre Confessionem usque ad mortem, ut patet ex dictis supra de præcepto Communionis, non differendo usque ad mortem, *tract. 4. c. 7. dub. 2.* Præterea, quia hoc Sacramentum est institutum ut medicina pro lapsis in mortale post Baptismum, medicina vero datur ad hoc, ut quis sanetur, & factus sanus operetur; ergo hoc Sacramentum extra mortis articulum est suscipiendum: & quidem non posse differri ultra quinquennium, patet a pari de præcepto Communionis, aliisque præceptis affirmativis Fidei, Spei, & Caritatis, quæ non habent tempus determinatum. Alii dicunt, teneri peccatorem confiteri tertio, vel quarto quoque anno, dum in mortali existit, præscindendo a determinatione Ecclesiæ. Alii multi obligare volunt quolibet anno, adeo ut qui per integrum annum in peccato mortali existens differret Confessionem, peccaret contra præceptum Divinum Confessionis; quam sententiam satis probabilem judico, & tenet Petrus de Ledesma *cap. 9. de Confess. concl. 6.* Victoria, Granados, Raynerius, Nugnus, Reginaldus, & Baunis, quos refert, & sequitur Leander *disp. 3. qu. 13.* & nos supra in simili diximus *tract. præced. cap. 4. dub. 5.*

19. Per accidens obligat hoc præceptum, quoties est sumenda Eucharistia, ad quam, habens conscientiam peccati lethalis, tenetur præmittere Confessionem, ut constat ex Trident. *sess. 13. c. 7. & can. 11.* id probans ex illo Pauli 1. Cor. 11. *Probet autem se ipsum homo*, & docent Doctores communiter cum D. Thoma *3. part. quæst. 80. art. 4.* Si quis tamen inconfessus accederet, non peccaret contra præceptum Divinum Confessionis, sed contra præceptum dispositionis requisitæ ad Eucharistiam. Hæc obligatio non extenditur ad alia Sacramenta, quibus sufficit, ut digne sumantur, si præmittatur Contritio. Addunt alii, præmittendam Confessionem, quoties censetur necessaria ad superandam aliquam tentationem, quæ alioquin non superaretur; sicut enim quis tenetur jure Divino vitare peccatum, ita tenetur assumere omnia media necessaria ad peccatum vitandum, adeoque confiteri, si confessio existimetur necessaria ad vitandum peccatum, & superandam tentationem. Verius tamen alii negant talem obligationem, quia Confessio licet sit medium utile, tamen non est medium unicum præcavendi peccata, & superandi tentationes, quæ per orationes, aliaque opera pia possunt præcaveri, & superari.

DUBIUM IV.

De præcepto Ecclesiastico Confessionis.

20. CErtum est, dari præceptum Ecclesiæ obligans Fideles omnes ad Confessionem suorum peccatorum semel saltem in anno, & habetur in Concil. Lateran. sub Innoc. III. relato in cap. *Omnis utriusque sexus, de Pœnit. & Remiss.* illis verbis: *Omnis utriusque sexus Fidelis, postquam ad annos discretionis pervenerit, omnia sua peccata semel saltem in anno fideliter confiteatur*, quæ verba plane præceptiva sunt, & non tantum exhortatoria, & per se ad Confessionem obligant, & non tantum propter Communionem, ut expresse definitur in Tridentino *sess. 14. c. 5. & can. 8.* & tenent Fideles omnes; unde qui Confessionem, & Communionem simul omitteret, duplex peccatum committeret contra duplex præceptum diversum, & distinctum.

21. Hoc præceptum annuæ Confessionis non est pure Ecclesiasticum, sed est præceptum Divinum, quoad substantiam, Ecclesiasticum vero quoad determinationem temporis, ut colligitur ex Trident. *cit. sess. 14. c. 5.* expresse docente, quod Ecclesia per Lateranense Concilium non statuit, ut Christi fideles confiterentur, quod jure Divino necessarium, & institutum esse intellexerat, sed ut hoc præceptum semel saltem in anno implerent: ex quo constat esse præceptum Divinum quoad substantiam, & Ecclesiasticum quoad determinationem temporis, ut etiam docent communiter Doctores, Suarez, Vasquez, Facundez, Villalobos, Archangelus, Petrus Ledesma, & Becanus, quos affert, & sequitur Leander *disp. 3. quæst. 24.*

„ *Perlegere haud pigeat singulos Moralis Theologiæ cultores, quæ ad confirmationem hujus rei habentur apud Benedictum XIV. in sua Notificat. 18. lib. 1. ubi hæc leguntur:* Sancta Mater Ecclesia, Canone 21. quarti Concilii Lateranensis cap. *Omnis utriusque sexus de Pœnit. & Remiss.*, qui in jure communi continetur, id præcipit cuilibet Fideli, ut *omnia sua solus peccata saltem semel in anno fideliter confiteatur proprio Sacerdoti.*

„ Hoc autem inter Divinum, & Ecclesiasticum de Pœnitentiæ Sacramento præceptum, discrimen intercedit, quod primum ad illos tantum pertinet, qui post Baptismum lethalem culpam contraxerunt, alterum vero universos complectitur; videlicet, ut omnes se peccatis obnoxios intelligant, ut majori pietate, ac religione ad Sacram Eucharistiam accedant, & quæque oves suis Ecclesiasticis Rectoribus magis innotescant.

„ *Ad Confessionem*, ait S. Thomas *Sentent. 4. distinct. 17. quæst. 3. art. 1. quæstiunc. 3. dupliciter obligamur, uno modo ex jure Divino ex hoc, quod est medicina, & secundum hoc non omnes tenentur ad Confessionem, sed illi tantum, qui peccatum mortale incurrunt post Baptismum; alio modo ex præcepto juris positivi, & sic tenentur omnes ex institutione Ecclesiæ edita in Concilio generali sub Innocentio III., tum ut quilibet se peccatorem recognoscat, quia omnes peccaverunt, & egent gloria Dei; tum ut cum majori reverentia ad Eucharistiam accedant, tum ut Ecclesiarum Rectoribus sui subditi innotescant, ne lupus intra gregem lateat.*

„ Itaque, cum Ecclesia singulis Fidelibus edixerit Canone 4. eodem Concilii Lateranensis, ut Paschate saltem Sacram Synaxim percipiant, uti mox dicetur, hinc necessario sequitur, ut adventante jam Paschatis sollemnitate quisque confiteri sua crimina debeat, & ad sumendam Eucharistiam se paratiorem exhibeat, sicut idem S. Doctor admonet *Quodlibet. 1. quæst. 6. art. 2. & quia ex præcepto Ecclesiæ omnes Fideles tenentur saltem in anno, præcipue in Festo Paschæ, Sacramenti Communionem accipere; ideo Ecclesia ordinavit, ut semel in anno, quando imminet tempus accipiendi Eucharistiam, omnes Fideles confiteantur.*

22. An vero potuisset Ecclesia Confessionem omnium peccatorum præcipere, si Christus hoc Sacramentum non instituisset, ac præcepisset, affirmant Adrian. *in 4. q. 2. de Confess.* Jo: Medina *q. 2. de Confess.* Suarez *disp 36. sect. 18.* Vasquez *qu. 90. art. 1. dub. 4.* Becanus *cap. 36. qu. 2.* & alii cum ipsis, quia usus hujus Sacramenti est per se valde pius, & salutaris; & sicut Ecclesia præcipit alia quædam pia opera, poterat etiam hoc præcipere. Verum alii probabilius negant, quia Confessio Sacramentalis, in qua debet unus alteri homini manifestare sua peccata cum detrimento suæ famæ, & sæpe cum magno rubore, est res adeo gravis, & difficilis, maxime ob quorumdam debilium pusillanimitatem, ut videatur excedere humanam potestatem. Deinde quia Sacramentalis Confessio non solum debet esse de peccatis externis, sed etiam de internis omnino occultis, quæ nec verbo, nec ullo signo foras prodeunt, etiamsi peccator nulla alia peccata habeat præter interna; sed nulla humana potestas, etiam Ecclesiastica, præcipere potest actus pure internos, & illorum manifestationem, ut docet D. Thomas *1. 2. qu. 91. art. 4. & q. 110. art. 9.*; ergo non potuisset Ecclesia præcipere Sacramentalem Confessionem, si non fuisset a Christo instituta, & præcepta. Durand. Palud. Sotus, Navarr. quos sequitur Lugus *disput. 16. sect. 6. n. 91.* & Ant. a Spiritu S. *disp. 4. sect. 4. num. 227.*

23. Dices, quod, licet Ecclesia non possit præcipere directe actus internos, potest tamen indirecte, præcipiendo Confessionem ad suscipiendam Sacramentalem absolutionem peccatorum, & consequenter ad Confessionem peccatorum cordis, pro servanda integritate Confessionis ex institutione Christi Domini, sicut præcipit indirecte attentionem in recitatione horarum Canonicarum. Sed contra: attentio præcipitur ab Ecclesia, quatenus est necessaria ad substantiam orationis externæ; at in nostro casu actus internus directe, & per se esset præceptus; nam Confessio Sacramentalis immediate, & per se versatur circa actus internos, & magis circa illos, quam circa externos, ut patet in peccatis, quorum malitia interius consummatur, & in iis, quorum malitia exterius consummatur, actus exterior contrahit malitiam, & rationem culpæ ab interiori.

24. Hinc sequitur, Confessionem Sacramentalem non posse simpliciter, & absolute tolli, seu abrogari ab Ecclesia, quia illa est de jure Divino, quod tollere Pontifex non potest; determinatio temporis, cum sit ab Ecclesia, potest etiam ab illa dispensari, seu prorogari. Verum quia mutatio, & dispensatio legis requirit legitimam, & justam caussam, & hoc difficile contingere potest respectu totius, vel majoris partis Ecclesiæ: ita respectu totius, vel majoris partis Ecclesiæ difficile tolli potest obligatio annuæ Confessionis; pro aliqua privata persona facilius occurrit caussa talem obligationem differendi arbitrio etiam prudentis Confessarii, quando expediens judicaret differre per aliquod tempus absolutionem, ad melius probandam dispositionem, & pœnitentis resipiscentiam.

DUBIUM V.

Quas Personas obliget præceptum annuæ Confessionis.

25. REspond. præceptum annuæ Confessionis obligare omnes, & singulos Baptizatos, habentes conscientiam peccati mortalis, ut expresse habetur in cap. *Omnis utriusque sexus* supra citato, & in Concilio Trident. *sess. 14. cap. 5. & can. 8.* ubi dicitur anathema asserenti, *Confessionem omnium peccatorum, qualem Ecclesia servat, esse impossibilem, aut ad eam non teneri omnes, & singulos utriusque sexus Fideles.* Hinc obligat etiam Hæreticos, qui vere baptizati sunt, & subditi Ecclesiæ, non tamen obligat Infideles non baptizatos.

26. Obligat non solum Adultos, sed etiam Pueros doli capaces, si habeant conscientiam peccati mortalis, cum ipsi sint baptizati, & teneantur ad alia præcepta, ut audire Missam in die festo, & abstinere a carnibus in die veneris;

ergo etiam tenentur semel in anno confiteri, si sint doli capaces, & habeant conscientiam peccati mortalis, ut docent communiter Doctores, & patet ex ipso usu, & praxi, quo Parochi, & Parentes solliciti sunt evocare, & mittere eos ad Confessionem. Verum tamen est, quod Pueri transgredientes hoc præceptum, non debent puniri censuris, & pœnis, quibus solent Adulti, quia, ut habetur cap. 1. & 2. de delictis Puerorum: *In Pueris relinqui solet inultum, quod in aliis provectioris ætatis humanæ leges ducunt severius puniendum*, & tenent Doctores communiter, Vasquez *qu.90. art. 2. dub. 4.* Suarez *disp. 36. sect. 2. & 8.* Lugus *disp. 25. n. 150.* Homobonus *in consult. casuum conscient. vol. 2. par. 5. resol. 126.* Diana *part. 4. tr. 4. resol. 207.* & aliis citatis Bonacina *qu. 5. sect. 2. punct. 4. n. 3.* ubi cum aliis infert, Pueros non esset excommunicandos, si transgrediantur legem continentem excommunicationem ferendam; licet in aliquo casu possint Pueri censuram etiam incurrere, quando nimirum ipso facto incurritur, ut est in percussione Clerici, & ingressu in clausuram Monialium, si habeant dolum, & usum rationis.

27. Licet autem Pueri teneantur præcepto Confessionis, cum pervenerint ad usum rationis, non tamen tenentur præcepto Communionis, nisi perveniant ad eam ætatem, in qua sufficienter tantum Sacramentum cognoscere possint; non enim usus rationis contingit simul circa omnia, sed facilius distinguitur bonum a malo, quam cibus sacer a profano; debet enim cognosci in hoc cibo latens divinitas, & propterea consuetudo. Ita interpretatur præceptum Divinum, & Ecclesiæ, ut ante duodecimum annum communiter non obligentur Pueri; expediret tamen in mortis articulo communicare etiam decimo ætatis anno, si plenum ostenderent rationis judicium, numquam tamen circa annum septimum, quamvis Puer vivacis ingenii esset. Ita Doctores communiter, & praxis.

28. Summus Pontifex, non solum præcepto Divino, sed etiam præcepto Ecclesiastico tenetur ad annuam Confessionem, non quidem vi coactiva, & quoad pœnam, sed directiva, & quoad culpam, quatenus & honestare tenetur observare legem propriam auctoritate constitutam, & peccat saltem venialiter illam non observando. Ita Suarez, Azorius, Henriquez, Vasquez, Nugnus, & alii, quos asserunt, & sequuntur Bonacina *q. 5. sect. 2. punct. 4. n. 4.* & Lugus *disp. 15. n. 142.* Diana *part. 8. tract. 1. resol. 20.* ubi tenent, peccare mortaliter Meretrices, quamvis tolerentur ab Ecclesia, non tamen eximuntur a præcepto Confessionis annuæ, sed mortaliter peccant, si non confiteantur. An vero ligentur censuris, & pœnis latis ab Episcopo contra transgressores, affirmant Facundez *præcept. 2. lib. 1. c. 4. num. 11.* & Lugus *disp. 15. n. 148.* quia lex universalis est, & pœna generaliter omnibus sine exceptione ponitur. Sed alii verius negant, quia hoc modo tolerantur ab Ecclesia, quia non puniuntur, nec denuntiantur, sicut alii, qui non communicant, & confitentur in Paschate; & quamvis pœna generaliter imponatur, tamen ex ipsa praxi apparet, ex intentione Superioris excipi ab incursu pœnæ. Et ita sentiunt Vivald. *in Candel. tract. de Confess. n. 60.* Rodriquez *in addit. ad Bullam Cruciatæ §. 11. n. 133.* Zerola *in praxi Episc. part. 1. verb. Lupanaria §. 3.* & ita etiam correctum est in editione Romana Emmanuelis Sa, verbo *Confessio n. 42.* Leander *disp. 3. q. 58.* Diana *part. 10. tract. 12. resol. 36.*

29. Tenentur hoc præcepto annuæ Confessionis, etiam qui tantum habent peccata interna, ut habetur ex cit. c. *Omnis*, & docet Trident. *sess. 14. can. 7. & c. 5.* Qui vero solum habet peccata venialia, non tenetur ea confiteri ex vi præcepti annuæ Confessionis, quia hoc præceptum solum est de mortalibus; ut enim supra diximus, præceptum Ecclesiasticum est determinatio præcepti Divini, & obligat Fideles ad confitendum ea peccata, quæ alioquin tenebantur jure Divino aliquando confiteri; sed Fideles non obligabantur de jure Divino confiteri peccata venialia, ut docet Trident. *sess. 14. supra cit.* ubi ait: *Venialia, quibus a gratia Dei non excludimur, & in quæ frequentius labimur, quamquam recte, & utiliter citra omnem præsumptionem in Confessione dicantur, &c. teneri tamen citra culpam, multisque aliis remediis expiari, &c.* ergo qui habet solum peccata venialia, nec de jure Ecclesiastico tenetur ea confiteri, ut cum Divo Thoma tenent Scotus, Paludanus, Gabriel, Cajetanus, Navarrus, Corduba, Granado, Hurtado, Facundez, Bonacina, Diana, Candidus, & alii, quos affert, & sequitur Leander *disp. 3. q. 31.*

30. Ex quo inferunt contra nonnullos Suarez *disp. 36. sect. 6.* Diana *part. 3. tr. 4. resol. 75. & 125.* Lugus *disp. 15. n. 175.* Leander *disp. 3. q. 32.* & alii cum ipsis, nec etiam teneri confiteri venialia, ex vi præcepti Ecclesiastici annuæ Confessionis, qui habet peccatum mortale, quod ex justa caussa non debet aperiri Confessario, quia nimirum non tenetur confiteri venialia. An vero habens sola peccata venialia, debeat tempore Paschatis saltem apparere coram Parocho, & ei manifestare, se non indigere Confessione, & ideo non confiteri, affirmant Suarez, Facundez, & alii apud Leandrum *qu. 31.* sequitur Ant. a Spiritu S. *disp. 4. sect. 4. n. 230.* Verum censeo ad hoc non teneri, nisi forte ad evitandum scandalum, si aliquod oriatur ex eo, quod quis non confiteatur, aut ne excommunicetur, seu interdicatur ob omissam Confessionem, non tamen ex vi præcepti Confessionis, ut notat Leander *loco citato*.

31. An possit Ecclesia præcipere Confessionem venialium, negant Sotus, & Paludanus, quos sequitur Leander *quæst. 36.* referens Archangelum, Paludanum, & Coninch, quia Christus voluit venialia esse materiam liberam, non necessariam Confessionis; ergo Ecclesia, quæ non potest mutare Sacramentum a Christo institutum, non potest facere, illam esse materiam necessariam, & sub obligatione: & quidem non posse præcipere Confessionem omnium venialium existimo certum, quia id esset difficillimum: nec etiam præcipere Confessionem aliquorum venialium determinative; nam sic faceret illam materiam necessariam, graviterque obligaret Fideles habendi propositum abstinendi ab illis venialibus, quod non potest facere Ecclesia; potest tamen Ecclesia absolute præcipere, ut omnes tali tempore confiteantur, ac proinde obligare indirecte non habentes materiam necessariam, ut exhibeant materiam de venialibus, vel de mortalibus alias confessis, ad quod sufficeret unum ex iis, vel alterum confiteri, quia sic præcipere Confessionem non est mutare materiam Sacramenti Pœnitentiæ aliam instituendo, sed præcipere actum externum, honestum, & valde utilem, quem facillime implere possunt Fideles exhibendo indeterminate aliquod peccatum veniale, quod magis voluerint; & ita tenent Suarez, Vasquez, Cajetanus, Navarrus, Ricardus, Hurtado, Candidus, Lugus, Azorius, & alii apud Leandrum *loco citato*, & sequitur Diana *part. 8. tract. 1. resol. 15.* & nos diximus supra *cap. 2. dub. 2.*

32. De facto in Clement. *Ne in agro Dominico §. Sane de statu Monachorum*, præceptam esse Benedictinis Confessionem singulis mensibus stricto præcepto sub mortali obligante, ita quod teneantur venialia, vel aliquod ex illis confiteri, quando non habent mortalia, tenent Vasquez, Azorius, Ochagavia, Hurtado apud Dianam *part. 8. tract. 1. resol. 16.* Cajetanus, Layman, Suarez, Nugnus, & alii apud Leandrum *disp. 3. quæst. 49.* propter illa verba: *Ut in singulis mensibus tam in Monasteriis, quam extra, ad Confessionem saltem semel accedant omnes, & singuli*. Alii tamen probabilius docent, non obligari vi prædictæ Clementinæ sub peccato lethali, sed tantum sub consilio, & directione. Ita Palaus *tom. 4. tract. 23. punct. 10. disp. unic. n. 6.* Vivaldus, Facundez, Villalobos, & alii, quos affert, & sequitur Leander *loco citato*.

33. Quæres: *an teneatur confiteri venialia, qui non habet mortalia, & vult lucrari Jubilæum, quando in illo requiritur Confessio?* Affirmant Lavorius, Pollanchus, Fernandez, Homobonus, Nugnus, Sanchez, & alii apud Dianam *part. 5. tr. 12. resol. 30.* Sotus, Cajetanus, Villalobos, Granados, aliique apud Leandrum *disp. 3. q. 35.* quæ sententia tamquam tutior in praxi consulenda est, quia Indulgentiæ tantum valent, quantum sonant, quarum una conditio est Confessio, quæ licet in hoc casu non sit necessaria communicaturo, a Papa tamen exigitur tamquam opus præscriptum, & sic præstari debet a quocumque, etiam ab habente solum peccata venialia, quia iste potest confiteri, & Confessio simpliciter exigitur. Contraria tamen Sententia, quæ negat, necessariam esse Confessionem Sacramentalem ad lucrandum Jubilæum non habenti peccata mortalia; est etiam tuta, & probabilior, quia Ecclesia non consuevit præcipere Confessionem, nisi de mortalibus; de quibus tantum Confessio absolute accepta intelligitur, & Bulla loquitur juxta jus commune annuæ Confessionis, quod solum obligat de mortalibus. Ita Bossius *de tripl. Jubilæi privileg. sect. 4. casu 19. §. 3.* Leander *supra*, Reginaldus, Comitolus, Coninch, Zanardus, Benzonius, Leo Fabrinus, Layman, Filliucius, Bottonus, & alii, quos affert, & sequitur Diana *part. 5. tract. 12. resol. 30. & part. 3. tract. 4. resol. 126.*

DUBIUM VI.

Quo tempore obliget præceptum Ecclesiæ Confessionis annuæ.

34. Præceptum Ecclesiasticum Confessionis annuæ obligat omnes Fideles semel in anno: non tamen per se, & ratione sui obligat in Quadragesima, aut alio tempore determinato; satisque adimpletur, si Fideles semel in anno confiteantur, sive in hoc tempore faciant, sive in alio, in quo discrepat a præcepto Communionis, quod debet adimpleri in Paschate, adeo ut, qui sæpius ante communicavit intra annum, teneatur adhuc communicare in Paschate, ut satis colligitur ex cap. *Omnis utriusque sexus.* Præceptum autem Confessionis solum per accidens obligat in Paschate ratione sumendæ Eucharistiæ, ad quam sufficit Contritio ex Tridentino *sess. 13. cap. 7.* sed præmittenda est Confessio ab eo, qui conscientiam habet culpæ lethalis; si autem non habeat culpam lethalem, communicare poterit sine Confessione, quamvis melius sit Confessionem præmittere. Ita cum aliis Antonius a Spiritu Sancto *sess. 5. n. 240.*

35. Annum pro adimpletione hujus præcepti plures computant a Januario in Januarium, quia annus absolute dictus communiter sic computatur. Vasquez, Sotus, Nugnus, Amicus, Sylvius, Arriaga, quos affert, & sequitur Madernus *q. 4. art. 13. num. 26.* Verum alii melius censent, computan-

putandum esse ab uno Paschate Resurrectionis ad aliud Pascha, seu a Quadragesima in Quadragesimam, quia hic censetur annus Ecclesiasticus, & consuetudini Ecclesiæ magis conformis, ut patet ex Trident. *sess.* 14. *c.*5. ubi habetur: *Jam in universa Ecclesia cum ingenti animarum Fidelium fructu observatur mos ille salutaris confitendi sacro illo, & maxime acceptabili tempore Quadragesimæ, quem morem hæc Sancta Synodus maxime probat, & amplectitur tamquam pium, & merito retinendum.* Et ita computant Sylvester, Azor, Suarez, Coninch, Henriquez, Reginaldus, Nugnus, quos affert, & sequitur Bonacina *quæst.* 5. *sect.* 2. *punct.* 4. *n.* 19. & aliis pluribus citatis, Leander *disp.* 3. *q.* 40.

36. Hinc sequitur, hunc annum esse in sua mensura variabilem, & modo esse longiorem, modo breviorem, prout Festum Paschatis tardius, aut citius advenit, in quo nullum est inconveniens, cum talis sit annus Ecclesiasticus etiam pro Communione computatus. Sequitur 2. posse Confessionem differri per viginti tres menses, si nimirum, quis confiteatur initio præsentis anni, quocumque modo computetur, sive a Januario in Januarium, sive potius a Paschate ad Pascha, & differre potest Confessionem usque ad finem anni sequentis, quia hoc modo nullum annum præteriret sine Confessione, & semel quolibet anno confiteretur, quod sufficit pro adimpletione præcepti Ecclesiæ.

37. Quæres 1. *an qui Confessionem integro anno omisit, teneatur confiteri statim cum primum potest initio anni sequentis?* Negant D. Antoninus, Sylvester, Tabiena, Megala, & probabiliter Fillucius apud Dianam *part.* 3. *tr.* 4. *resol.* 130. quia præceptum affirmativum obligans pro determinato tempore, illo transacto, cessat obligare, nec debet suppleri; sic qui non audivit Missam, non jejunavit, non recitavit Officium die debito, non tenetur supplere die sequenti: & qui non est confessus in periculo mortis, non tenetur, eo transacto, confiteri.

38. Vera, & sequenda Sententia tenet, omittentem, sive juste, sive injuste, Confessionem hoc anno, teneri ad illam quamprimum potest, quia tempus unius anni non assignatur ad finiendam, sed ad sollicitandam adimpletionem præcepti, ne ulterius differatur Confessio; quando autem terminus non assignatur ad finiendam obligationem, sed ne ulterius differatur, qui tunc omittit, non liberatur ab obligatione, sed tenetur satisfacere quamprimum potest, ut in simili de omittente Communionem in Paschate dicebamus supra *tract.* 4. *c.* 8. *dub.* 4. & constat in eo, qui tenetur certo die solvere pecuniam, qui si non solvit, non liberatur ab obligatione, sed tenetur solvere quamprimum potest: ex quo patet disparitas de aliis præceptis affirmativis, quæ aliquid præcipiunt non absolute, sed ob reverentiam, & circumstantiam talis temporis, & sic ruit fundamentum Sententiæ oppositæ. Hanc autem Sententiam tenent Sotus, Navarrus, Valentia, Henriquez, Suarez, Azor, Reginaldus, Coninch, Nugnus, Vasquez, quos affert, & sequitur Bonacina *q.* 5. *sect.* 2. *punct.* 4. *n.* 26. Diana *part.* 8. *tract.* 7. *resol.* 80. Palaus *tract.* 23. *punct.* 20. §. 2. *nu.* 13. & aliis citatis, Leander *disp.* 3. *q.* 41.

39. *An vero, qui Confessionem omisit uno anno, toties peccet, quoties data opportunitate non confitetur anno sequenti,* affirmant Bonacina *supra n.* 30. Ant. a Spiritu S. *sess.* 5. *n.* 248. & apud ipsum Villalobos, Lugus, & Trullench, quia facit contra obligationem, quam habet, confitendi statim, quando commode potest, & sic toties violat præceptum, totiesque peccat, quoties data opportunitate, non confitetur; probabile mihi est, peccatum quidem augeri, & aggravari tanto magis, quanto Confessionem differt, non tamen semper multiplicari, quia eadem semper est obligatio continuata, donec adimpleatur, & sic etiam eadem est transgressio continuata, nisi forte intercedat mutatio, & retractatio voluntatis apta distinguere numero peccata in eadem continuatione externa, juxta regulas generales de numerica distinctione peccatorum, satisque erit confiteri tempus, a quo non est confessus peccata sua. Ita Molfesius, Layman, Nugnus, Villalobos, Valentia, quos afferunt, & sequuntur Leander *quæst.* 52. & Diana *part.* 3. *tract.* 4. *resol.* 135.

40. Quæres 2. *An qui Confessionem omisit hoc anno, teneatur bis confiteri anno sequenti, vel possit una, & eadem Confessione præcepto utriusque anni satisfacere?* Non teneri iterum confiteri, sed unica Confessione satisfacere utrique obligationi, docent Lugus *disp.* 15. *n.* 180. Ant. a Spiritu S. *n.* 248. quia præceptum Ecclesiæ solum est de Confessione semel in anno facienda; ergo non tenetur quis eodem anno bis confiteri, maxime quia eodem actu satisfieri potest duplici obligationi occurrenti. E contra teneri bis confiteri, nec unica Confessione satisfacere utrique obligationi tenet Bonacina *supra punct.* 4. *n.* 31. referens Suarium, Nugnum, & Coninch, quia ad unam Confessionem tenetur ratione anni præteriti, & ad alteram ratione præsentis anni. Melius alii distinguunt hoc modo: vel Pœnitens dum confitetur hoc anno, præter peccata anni præcedentis, habet etiam peccata mortalia commissa hoc anno, & tunc utriusque anni obligationi satisfacit per unam Confessionem, juxta primam Sententiam, quia tunc illa Confessio pertinet ad utrumque annum, cum confiteantur peccata in utroque anno perpetrata; vel non habet peccata mortalia commissa hoc anno, & tunc non satisfacit, juxta secundam Sententiam; unde si postea incidat in mortale, tenetur iterum illo anno illud confiteri. Ita Præpositus *in* 3. *par. quæst.* 3. *de Confess. dub.* 8. *n.* 52. Gaspar Hurtado *disp.* 7. *diffic.* 12. Diana *part.* 4. *tr.* 4. *resol.* 206. Leander *disp.* 3. *q.* 44. favetque Palaus *punct.* 20. §. 2. *n.* 15.

41. Quæres 3. *An qui prævidet, se non habiturum copiam Confessarii toto reliquo tempore, teneatur Confessionem anticipare initio anni, si habeat peccata mortalia?*

Resp. affirmative, quia præceptum Confessionis, cum sit universale pro toto anno, & non pro aliqua parte determinata, debet adimpleri ea parte anni, qua potest: sicut tenetur primo mane Missam audire in die Festo, qui prævidet impedimentum in sequentibus horis. Idem valet de habente peccata reservata, qui tenetur ea nunc confiteri, si non speret in futurum se habiturum copiam Confessarii potentis absolvere. Ita communiter Doctores, Suarez, Vasquez, Coninch, Reginaldus, Layman, quos refert, & sequitur Palaus *punct.* 20. *n.* 11. Diana *part.* 3. *tract.* 4. *resol.* 69. Leander *quæst.* 47. & aliis pluribus citatis, Bonacina *punct.* 4. *num.* 21.

42. Nec dicas, prævidens impedimentum vespere, non tenetur mane prævenire in recitatione totius Officii etiam vesperarum; ergo neque tenetur prævenire Confessionem. Sed contra negat antecedens Bonacina cum aliis, quia utrobique militat eadem ratio. Dato tamen antecedente, potest adhuc negari consequentia, quia anticipare mane recitationem vesperarum est privilegium, quo potest quis nolle uti; at in nostro casu non datur anticipatio, quia obligatio Confessionis non urget pro aliqua determinata parte anni, sed pro toto anno, sicut præceptum audiendi Sacrum obligat pro toto mane, & sic tenetur anticipare, qui prævidet pro tempore sequenti impedimentum.

DUBIUM VII.

Per quam Confessionem impleatur præceptum Ecclesiasticum annuæ Confessionis.

43. Satisfieri præcepto Ecclesiastico annuæ Confessionis per quamcumque Confessionem etiam invalidam ex defectu doloris interni, dispositionis, & integritatis, affirmarunt Sylvester, Gabriel, Victoria, Alensis, & Facundez, quos affert, & sequitur Diana *part.* 3. *tract.* 4. *resol.* 120. quia Ecclesia solum externam Confessionem præcipit, illiusque defectum punit, non autem dolorem mere internum, aut integritatem peccatorum internam, quia non judicat de occulto defectu. Verum hæc Sententia damnata est ab Alexandro VII. cum illa proposit. 14. *Qui facit Confessionem voluntarie nullam, satisfacit præcepto Ecclesiæ.* Quare contraria Sententia vera est, & omnino tenenda; nam Ecclesia, præcipiendo Confessionem semel in anno, solum determinat tempus faciendi id, quod ex præcepto Divino faciendum erat; sed ex præcepto Divino facienda erat Confessio integra omnium peccatorum cum debita dispositione, & dolore; ergo talis etiam facienda est pro Confessione annua ab Ecclesia præscripta: & ita tenent communiter Doctores, Nugnus, Layman, Sotus, Navarrus, Lugus, & Arriaga, quos citat, & sequitur Madernus *quæst.* 4. *art.* 13. *n.* 17. Anton. a Spiritu S. *sess.* 4. *n.* 231. & aliis citatis, Leander *quæst.* 53.

44. *An vero adimpleatur præceptum Ecclesiæ per Confessionem validam, sed informem?*

Resp. affirmative, quia in sententia talem Confessionem admittente, illa est vera Confessio, verumque Sacramentum, licet pro tunc non recipiat effectum gratiæ sanctificantis. Ita Madernus *supra*, Suarez, Granado, Hurtado, Facundez, Lugus, quo sequitur Leander *q.* 54. *Utrum vero liberetur a censura, qui facit Confessionem voluntarie nullam*, affirmant Navarrus, Henriquez, Canus, Medina, Ledesma apud Bonacinam *n.* 25. quia licet iste non adimpleat præceptum, ob cujus violationem lata est censura, iste tamen defectus est adeo occultus ob sigillum Confessionis, ut non videatur cadere sub pœnas Ecclesiæ: communis tamen Sententia negat, quia vere transgreditur præceptum, propter quod censura lata est, & est vere contumax contra Ecclesiam, cujus præceptum transgreditur. Ita Suarez, Facundez, Palaus *punct.* 20. *n.* 5. Antonius a Spiritu S. *n.* 233. Lugus *disp.* 15. *sess.* 6. *n.* 138. Bonac. *punct.* 4. *n.* 25. & apud ipsum Nugnus, & Corduba. Nec obstat, quod delictum sit occultum, quia etiam hæresis occulta subjacet excommunicationi.

45. Quæres: *An quis satisfaciat præcepto Ecclesiæ per solam confessionem venialium?*

Resp. negative, quia præceptum annuæ Confessionis est solum de mortalibus; quare qui intra annum confessus est venialia, quia carebat mortalibus, si ante finem anni incidit in mortale, tenetur illud confiteri, ut satisfaciat præcepto Ecclesiastico. Similiter, si per oblivionem, aut ex justa caussa prætermisit aliquod mortale, confitendo interim venialia, tenetur iterum confiteri, quia per eam Confessionem de solis venialibus non satisfecit præcepto. Ita Madernus *supra n.* 27. Ant. a Spir. S. *n.* 246. referens Lugum, Vasquez, Suarez, & Trullench, Bonac. *supra n.* 33. & aliis citatis, Leander *qu.* 37.

46. Quæres 2. *an qui confessus est mortalia, teneatur iterum confiteri, si ante finem anni incidat in aliud mortale, ut satisfaciat præcepto annuæ Confessionis, qua præcipitur omnia peccata confiteri?*

Respond. negative, quia præceptum solum obligat confiteri semel in anno peccata mortalia, quæ post diligentem inquisitionem memoriæ occurrunt tempore Confessionis. Ita Lugus *disp.* 15. *n.* 164. Diana *part.* 4. *tract.* 4. *resol.* 206. Victoria, Ledesma, Reginaldus, quos sequitur Bonacina *supra*, Leander cum aliis *q.* 38. Idem dicendum de illo, qui, facta Confessione, recordatur alicujus peccati mortalis obliti; iste enim non tenetur iterum confiteri, sed potest illud peccatum reservare ad Confessionem anni sequentis propter eamdem rationem, quia præceptum solum est confitendi omnia mortalia, quæ tunc memoriæ occurrunt. Navarrus, Reginaldus, Suarez, Coninch, Valentia, Nugnus, quos affert, & sequitur Bonacina *nu.* 32. Hoc idem valet de illo, qui ex rationabili caussa peccatum aliquod tacuit; nam iste satisfecit præcepto per Confessionem validam, & formaliter integram, quam fecit. Lugus supra *n.* 167. & alios referens Leander *disp.* 3. *quæst.* 45. nisi forte superveniat periculum mortis, aut sumenda sit Eucharistia, quia tunc ex hoc titulo facienda erit nova Confessio. Bonacina cum aliis *num.* 32.

CAPUT VI.

De Conditionibus, & qualitatibus Confessionis.

DUBIUM I.

Quas conditiones debeat habere Confessio.

Sexdecim communiter assignantur conditiones, quarum aliquæ requiruntur ad valorem, aliæ ad majorem Confessionis perfectionem, & uberiorem fructum, quæ hisce carminibus continentur.

Sit simplex, humilis, confessio, pura, fidelis.
Atque frequens, nuda, discreta, libens, verecunda,
Integra, secreta, lacrymabilis, accelerata.
Fortis, & accusans, quæ sit parere parata.

Confessio debet esse *simplex*, quia debent superflua resecari, & non esse artificiose composita ad aliquid occultandum. Debet esse *humilis* in habitu, & gestu, sine jactantia, ex humili pœnitentis recognitione procedens; licet enim non sit invalida, si fiat cooperto capite, & non flexis genibus, hoc tamen esset peccatum veniale irreverentiæ, si fieret sine necessitate. Debet esse *pura*, quantum ad intentionem, ut non fiat ex fine peccaminoso, de quo infra, sed ex intentione placendi Deo, acquirendi gratiam, & fugiendi peccata. *Fidelis*, ut verà dicat, & non mentiatur, *frequens* ex consilio, ob varias utilitates, quæ procedunt ex frequenti Confessione. *Nuda, discreta, libens, verecunda*, ut de se patet.

2. Debet esse *integra*, ut nihil necessarium omittatur quoad species, numerum, & circumstantias peccatorum, ut fusius infra explicabitur; *Secreta*, quia ordinarie ita fieri debet, quamvis non sit contra Christi institutionem, si fiat publice: *Lacrymabilis*, non quia sint necessariæ lacrymæ, sed quia ad illam requiritur dolor, sive Contritionis, sive Attritionis, ut supra dictum est: *Accelerata, fortis, & accusans*, ut per se patet: *Parere parata*, quatenus pœnitens debet esse paratus obedire Confessario præcipienti fugam occasionis peccati, restitutionem rei, vel famæ ablatæ, reconciliationem cum proximo, & satisfactionem pro peccatis commissis. Has conditiones nonnulli reducunt ad tria capita veluti generalia, ad veritatem, integritatem, & dolorem, quæ requiruntur ad validitatem Confessionis, ut autem explicentur ea, quæ possunt esse in controversia, sit

DUBIUM II.

An Confessio debeat fieri voce, vel possit etiam fieri per nutus, signa, & scripturas?

3. Suppono certum, non esse de necessitate Sacramenti pœnitentiæ Confessionem fieri humana voce, illamque validam esse, quamvis signis, & nutibus factam, ut patet ex praxi, & consuetudine Ecclesiæ absolventis mutos, qui nutibus, vel aliis signis exprimunt, prout possunt, sua peccata: patet etiam in moribundis loqui non valentibus, qui, si exprimant signa contritionis, & confessionis, valide absolvuntur. Ratio est, quia ad valorem Sacramenti sufficit, quod pœnitens sua peccata Confessori manifestet; potest autem hoc facere non tantum locutione, & voce, sed etiam scripto, nutibus, & aliis signis. Nec Concilium Florent. assignavit pro materia Pœnitentiæ *oris confessionem*, quia necessario sit ore facienda, sed quia ordinario hoc modo fieri solet. Quapropter Trident. prætermisso ly *oris*, solum assignavit pro materia pœnitentiæ *Confessionem*. Ita tenent cum D. Thoma Suarez *disp.* 21. *sect.* 3. Lugus *disp.* 15. *n.* 77. Candid. *disquisit.* 24. *art.* 9. *dub.* 2. Villalob. *tract.* 9. *diff.* 32. Palaus *punct.* 8. *nu.* 6. & alii communiter. Difficultas est, *an teneatur propria voce confiteri pœnitens, qui loqui potest?*

4. Respondeo, pœnitentem, ordinarie loquendo, teneri propria voce, propriisque verbis, sua peccata confiteri, quamvis ex rationabili caussa id facere possit solis nutibus, aut scripto, & hoc quidem non ex institutione hujus Sacramenti, nec ex ullo præcepto positivo, sive divino, sive humano, quod nullum est, sed quia modus confitendi propria voce, cum sit omnium optimus, & per illum melius exprimamus animi nostri sensus, est etiam communi usu, & fidelium consuetudine receptus, a qua sine justa caussa non esse recedendum sub gravi obligatione tenet communis sententia, quam sequuntur Suarez *disp.* 21. *sect.* 3. Vasquez *q.* 91. *art.* 4. *dub.* 4. Valentia, Reginaldus, Nugnus, quos affert, & sequitur Bonacina *disp* 5. *q.* 5. *sect.* 2. *punct.* 2. *n.* 25. Palaus *disp. unic. tract.* 23. *punct.* 8. *n.* 8. Facundez, Filliucius, & alii apud Dianam *part.* 3. *tract.* 4. *resol.* 127.

5. Justa tamen, & rationabili caussa existente, poterit excusari pœnitens ab hujusmodi obligatione; sic excusaretur puella, si præ nimio pudore non auderet sua peccata verbo proferre, sed facilius scripto legenda traderet, aut si infirmus gutture laborans, & cum difficultate loquens, commodius scribere posset: debet tamen in utroque casu pœnitens nutibus, aut voce significare Confessori se commisisse illa peccata, quæ legenda tradidit, de illis se accusare, dolere, & absolutionem petere. Addunt Diana *supra*, Lugus *disp.* 15. *sect.* 6. *num.* 60. & aliis citatis, Leander *disp.* 6. *quæst.* 14. quod sufficienter satisfaceret consuetudini Ecclesiæ, & suæ obligationi Pœnitens, qui etiam extra necessitatem sua peccata scriberet, eaque legenda traderet Confessori, & ab eo lecta, ore proprio diceret: *accuso me de his omnibus peccatis, quæ in hoc carta legisti*; quod idem valet de illo, qui sciens, sua peccata esse aliunde nota Sacerdoti, cui extra Confessionem manifestaverat, diceret: *accuso me de iis peccatis, quæ nosti, aut quæ jam tibi exposui*.

6. Major difficultas est, *an pro adimplendo præcepto annuæ Confessionis teneatur sua peccata scribere, & scripto confiteri, præsente Confessario, qui lingua, aut alia ratione impeditus, non potest hoc facere voce*. Prima Sententia negat, aliquem teneri, sed potius excusari in eo casu a præcepto Confessionis, quia scriptura de genere suo est instrumentum publicum, & variis periculis exposita, ne deperdatur, aut retineatur a Sacerdote; qua de caussa diximus supra, habentem lubricam memoriam, non teneri statim confiteri, aut peccata scribere, ut suo tempore integre confiteatur. Ita Sotus, Valentia, Filliuc. Henriquez, Villalobos, quos affert, & sequitur Diana *part.* 3. *tract.* 4. *resol.* 128. & alii plures apud Leandrum *q.* 17. sequitur Palaus *punct.* 8. *n.* 11.

7. Secunda Sententia probabilior, & sequenda docet, teneri per scripturam confiteri, quando urget obligatio præcepti sive Divini, sive Ecclesiastici, nec aliter confiteri potest. Ratio est, quia quisque tenetur integre confiteri eo modo, quo potest sine gravi damno, & periculo; sed Confessio per scripturam fieri potest sine gravi damno, & periculo, quia potest cautela, & securitas adhiberi, ne scriptura deperdatur, aut a Sacerdote retineatur, comburendo, seu lacerando cartam statim peracta Confessione; ergo tenetur per scripturam confiteri, qui alio modo hoc facere non potest. Nec est eadem ratio de habente memoriam labilem, qui non tenetur peccata scribere, ut faciat Confessionem integram, aut statim confiteri, ne obliviscatur, quia nemo tenetur facere diligentiam extraordinariam, cujusmodi esset anticipata Confessio, aut scriptio peccatorum, cum periculo, quod scriptura longitudine temporis deperdatur. Ita Divus Thomas, Paludanus, Sylvester, Cajetanus, Petrus Soto, Vasquez, Suarez, Lugus, Amicus, Arriaga, quos citat, & sequitur Madernus *q.* 4. *art.* 13. *num.* 9. Bonac. *quæst.* 5. *sect.* 2. *punct. ult. num.* 6. Megala, Nugnus, Candidus, & alii, quos sequitur Leander *supra*.

DUBIUM III.

An, & quomodo Confessio debeat esse secreta?

8. Confessio, regulariter loquendo, debet esse secreta, & auricularis, facta soli Sacerdoti, ex cap. *Omnis utriusque sexus*, quia nemo debet sine rationabili caussa infamare se ipsum, aliis sua peccata manifestando, quod esse saltem peccatum veniale prodigalitatis docet Bonac. *disp.* 5. *q.* 5. *sect.* 2. *punct.* 2. *n.* 23. ubi notat, male agere Sacerdotes, qui multos pueros doli capaces in unum congregatos simul audiunt; non est tamen contra substantiam, & essentiam Sacramenti, si confessio publice fiat, ut habetur ex Trident. *sess.* 14. *c.* 5. ubi expresse dicitur, Christum Dominum non prohibuisse modum publice confitendi. Difficultas est, *num in casu, quo non possit quis secreto confiteri soli Sacerdoti, sed solum præsentibus, & audientibus aliis, aut alio, ut contingere potest in naufragio, repentino incendio, terræmotu, aut in loco, ubi plures infirmi simul jacent, vel per interpretem, si pœnitens sit ignotæ linguæ*: an,

an, inquam, debeat, aut teneatur ita confiteri aut ex præcepto Ecclesiastico annuæ Confessionis, seu ex præcepto Divino.

9. Resp. nullum teneri publice coram aliis, aut per interpretem confiteri, etiamsi alia ratione id facere non possit. Et quidem non teneri ex præcepto Ecclesiastico annuæ Confessionis, inde patet, quod præcepta Ecclesiastica non censentur obligare cum tanto rigore; & in cap. *Omnis*, ubi latum est præceptum annuæ Confessionis, expresse dicitur: *Teneatur solus confiteri sua peccata proprio Sacerdoti*; ergo qui non potest solus, non tenetur confiteri. Nec etiam ad id teneri jure Divino extra mortis articulum, colligitur ex Trident. *sess.* 14. *c.* 5. ubi dicitur, quod licet delicta sua quis publice confiteri possit, *non est tamen hoc Divino præcepto mandatum*; sed confessio per interpretem est aliquo modo publica; ergo ad illam nullus tenetur jure Divino. Et ita tenent communiter Doctores, Scotus, Cajetanus, Angelus Vasquez, Coninch, Amicus, Tabiena, Navarrus, Layman, & alii, quos affert, & sequitur Maderaus *q.* 4. *art.* 13. *num.* 4. & alii plures cum Leandro *disp.* 6. *q.* 9.

10. In mortis articulo nec etiam obligari pœnitentem confiteri publice, aut per interpretem, quantum est ex vi præcepti Divini Confessionis, bene docent Maderaus *loco cit. n.* 6. Leander *q.* 10. & aliis citatis, Palaus *punct.* 8. *n.* 12. quia Christus Dominus solum obligavit ad secretam confessionem in hoc foro, cujusmodi non est illa facta per interpretem; quare in articulo mortis, qui haberet certitudinem suæ Contritionis, non teneretur per interpretem confiteri. Si autem non habet securitatem, sed duntaxat probabilitatem suæ Contritionis, tenetur utique in eo casu confiteri, non solum per interpretem, sed etiam publice, si aliter fieri non potest, & hoc ex præcepto naturali caritatis erga se ipsum, quo tenetur in ultimo suæ vitæ reconciliari cum Deo, adhibendo media certa, ne se exponat periculo æternæ damnationis, quam vitare tenetur etiam cum quocumque dispendio suæ famæ, & omnium temporalium bonorum, quibus omnibus præferri debet æterna salus animæ. Nec sufficit probabilitas, quam habet, de sua Contritione, quia non debet soli hujusmodi probabilitati æternam salutem committere. Ita Vasquez, Coninch, Cajetanus, Layman, Diana, Bonacina, & alii Doctores communiter apud Leandrum.

11. Verum tamen est, quod in eo casu pœnitens de sua Contritione dubitans, non teneretur per interpretem, aut publice, omnia, quæ habet, peccata mortalia confiteri; satisque esset confiteri ea, quæ cum minori infamia explicare posset, quia prædicta caussa sufficiens est ad excusandum pœnitentem ab integritate materiali Confessionis, ut docent Lugus, Arriaga, Amicus, quos sequitur Maderaus *loco cit. n.* 7. Suarez, Palaus, & cum multis Diana *part.* 3. *tract.* 4. *resol.* 129. immo Coninch, Molfesius, Lugus, & alii, quos sequitur Anton. a Spiritu S. *disp.* 4. *sect.* 3. *n.* 223. putant, in eo casu sufficere confiteri aliqua venialia, & generatim omnia mortalia, dicendo, se confiteri alia omnia, quibus Deum offendit, quia hoc sufficit in eo casu pro absolutione obtinenda, & pœnitens redderetur securus, fieretque ex attrito contritus. Eadem ratione, si existens in articulo mortis recordaretur alicujus peccati in præcedenti Confessione obliti, non teneretur illud publice, vel per interpretem confiteri, quia ab illo jam fuit indirecte absolutus, & cum non habeat nova peccata, non est cur teneatur per interpretem confiteri. Ita Vasquez *q.* 91. *ar.* 4. *dub.* 3. *n.* 6. Diana *part.* 3. *tract.* 4. *resol.* 120. Lugus *disp.* 15. *n.* 64. Leander *disp.* 3. *q.* 65. Ant. a Spiritu S. *supra num.* 223.

DUBIUM IV.

An Confessio vitietur ex fine malo?

12. CErtum est, Sacramentum vitiari, & fieri nullum, & irritum, si procedat ex fine mortaliter peccaminoso, puta ad sollicitandum Confessarium, vel quid simile, quia pœnitens non habet dolorem, & propositum requisitum abstinendi a peccatis, quin potius habet actualem complacentiam, & voluntatem peccandi mortaliter in ipso actu Confessionis. Si vero procedat ex fine solum venialiter malo, puta ex vana gloria, ob commodum aliquod temporale, aut ne notetur in populo, irritam etiam esse Confessionem, sacrilegam, & nullam, docent nonnulli, quia ad validitatem hujus Sacramenti requiritur saltem Attritio honesta, bona, & supernaturalis; at non potest esse talis, si procedat ex fine etiam solum venialiter peccaminoso; ergo nec potest esse validum Sacramentum. Ita Sylvester, Angelus, Tabiena, Armilla, & alii, quos refert Henriquez *lib.* 2. *de Pœnit. cap.* 36.

13. Resp. non vitiari, sed validum esse Sacramentum Pœnitentiæ, procedens ex fine solum venialiter malo. Ratio est, quia licet pœnitens, qui hoc modo confitetur, peccet venialiter ex fine malo, tamen potest cum illo habere simul finem rectum acquirendi remissionem, & veniam peccatorum, & dolorem sufficientem ad talem remissionem consequendam: quo modo Sacramentum erit validum, quamvis conjunctum habeat peccatum veniale, quod stare potest simul cum gratia Sanctificante. Nec obstat ratio in oppositum adducta, quia licet Confessio externa, quæ est actus naturalis, procedat ex vana gloria; non sic tamen Attritio supernaturalis requisita ad validitatem Sacramenti; qui enim confitetur ex vana gloria, potest cum illo fine venialiter malo habere simul finem rectum consequendi remissionem peccatorum, & ex hoc motivo dolere de peccatis; qua ratione dolor non caussatur, nec procedit ex fine malo, sed ex fine honesto, laudabili, & bono, cujusmodi est reconciliari Deo, & consequi remissionem peccatorum. Hanc Sententiam tenent Sanchez, Navarrus, Henriquez, Sotus, Reginaldus, Vasquez, quos affert, & sequitur Bonacina *q.* 5. *punct.* 2. *sect.* 2. §. 2. *n.* 4. Diana *part.* 4. *tract.* 4. *resol.* 212. Anton. a Spiritu S. *disp.* 4. *sect.* 7. *nu.* 254. & multis adductis, Leander *disp.* 4. *quæst.* 9.

14. Hinc sequitur, non peccare mortaliter, per se loquendo, immo nec venialiter, qui, ut bonam famam retineat apud suum Confessarium virum probum, & sibi notum, illi tantum confitetur venialia, mortalia vero, si quæ aliquando habet, confitetur antecedenter alteri Confessario, quia hoc non est contra integritatem Sacramenti, nec aliam continet inordinationem: siquidem velle conservare famam bonam apud Confessarium ordinarium, non est per se malum, nec inordinatum; esset autem mortaliter, aut venialiter malum, si haberet finem mortaliter, aut venialiter peccaminosum, ut per se patet; per accidens potest esse peccatum mortale, si ob hanc caussam pœnitens maneat in aliqua occasione peccati mortalis. Ita Bonacina *supra*, qui citat Sylvestrum, Victoriam, & Reginaldum, Diana *part.* 3. *tract.* 4. *resol.* 132. Suarez, Coninch, Hurtado, Facundez, Villalobos, quos affert, & sequitur Leander *q.* 11.

DUBIUM V.

Quomodo Confessio debeat esse sine mendacio.

15. QUamvis Cajetanus 2. 2. *quæst.* 69. *art.* 1. *ad* 3. significaverit, omne mendacium dictum in Confessione esse peccatum mortale, & irritum reddere Sacramentum: vera tamen, & communis Sententia docet, solum mendacium, quod versatur circa materiam gravem, & necessariam Confessionis, esse peccatum mortale; non sic vero si versetur circa materiam levem, & non necessariam. Ratio primæ partis est, quia pœnitens, qui mentitur circa materiam gravem, & necessariam Confessionis, negando aliquam culpam mortalem, aut circumstantiam, quæ esset aperienda, decipit Confessarium in re gravi, non facit Confessionem integram, nec habet necessarium dolorem; ergo peccat graviter contra integritatem Confessionis, ut per se patet. Similiter si mentiretur affirmando culpam gravem, vel circumstantiam necessariam, quam non commisit, deciperet in re gravi Confessarium, qui non esset certus, & securus de peccatis expositis, nec de illis posset legitimum ferre judicium, quod esse non potest sine peccato lethali sacrilegii. Excusari tamen possunt a culpa lethali quidam Rustici, qui ex simplicitate, & bona fide interdum exponunt majorem numerum peccatorum, putantes sic tutiorem, & securiorem viam eligere, qui tamen admonendi sunt a Confessario, quando id cognoscit, & advertit; & ita tenent Navarrus, Sylvester, Suarez, Reginaldus, Sanchez, Rodriquez, Zerola; quos affert, & sequitur Bonac. *quæst.* 5. *sect.* 2. *punct.* 2. §. 2. *n.* 9. Lugus *disp.* 16. *num.* 110. & aliis citatis, Leander *disp.* 4. *quæst.* 16. & 17.

16. Ratio secundæ partis est, quia mendacium, quod versatur circa peccata venialia, non decipit Confessarium in materia gravi, & necessaria, & sic non infert gravem injuriam Sacramento, nec illud irritum reddit. Inde non peccat graviter, qui negat peccatum veniale commissum, cum nullus teneatur peccata venialia confiteri, & mendacium numquam per se est peccatum mortale, nisi sit etiam contra aliam virtutem, ultra veritatem, puta contra justitiam, religionem, aut fidem; tale autem mendacium solum esset contra veritatem, & sic non infert culpam gravem, nec irritum reddit Sacramentum. Sic Diana *par.* 5. *tract.* 5. *resol.* 27. & cum aliis Bonacina *supra*. Nec peccat graviter, qui se accusat de peccato veniali, quod non fecit, si in illa Confessione alia peccata vera exponat; per hoc enim, quod adjungat peccata venialia falsa, non variat notabiliter judicium Confessarii, nec gravem infert injuriam Sacramento, sicut dicebamus supra *c.* 4. *dub.* 9. de illo, qui cum mortalibus aliqua venialia confitetur sine dolore. Quod si in illa Confessione nullum aliud peccatum diceret, nisi illud veniale falsum, tunc peccaret graviter, quia irritum redderet Sacramentum. Ita Navarrus, Angelus, Sylvester, Suarez, Sayr, Coninch, Vasquez, Nugnus, quos affert, & sequitur Bonacina n. 12. Leander *q.* 14. & 15. Diana *part.* 3. *tract.* 4. *resol.* 96. Peccaret etiam graviter si mentiatur dicendo, se commisisse, & confessum alias fuisse peccatum aliquod mortale, quod re vera non fecit, quia mentiretur circa materiam gravem, & ex genere suo necessariam, quamvis illud non præberet tamquam materiam necessariam pro Confessione præsenti. Ita Ant. a Spiritu S. *disp.* 3. *sect.* 14. *n.* 194. Averla *quæst.* 10. *sect.* 5.

17. Multo minus irritum redderet Sacramentum, si pœnitens

nitens mentiretur circa materiam extraneam, non pertinentem ad Confessionem; nec etiam si mentiretur circa tempus, quo quis confessus est, aut circa alias circumstantias non necessarias, dummodo non occultetur aliquod peccatum mortale, vel conditio, aut status pœnitentis, qui conducere potest ad judicium debitum Confessarii. Semper tamen per quodcumque mendacium dictum in Confessione peccaret venialiter perinde, ac si mentiretur extra Confessionem, & adderet aliquam irreverentiam pro loco, & tempore Confessionis.

CAPUT VII.

De Integritate Confessionis.

DUBIUM I.

De examine præmittendo pro integritate Confessionis.

1. CUm jure Divino teneatur homo confiteri peccata omnia mortalia, quorum, post diligentem sui discussionem, conscientiam habet, ut docet Trident. *sess.* 14. *cap.* 5. *& can.* 7. videndum est, quænam diligentia, & præparatio examinis sit præmittenda, ut integra omnium peccatorum mortalium Confessio fiat. Et quidem examen aliquod esse necessarium, non potest esse dubium; qui enim præcipit actum, præcipit etiam media ad illum necessarium; sed Deus præcipit integram peccatorum Confessionem, & hæc esse non potest sine prævio examine, sine quo non possunt peccata omnia distincte præcognosci; ergo etiam Deus præcipit examen præmittendum. Quare qui confiteretur non præmisso examine, peccaret mortaliter ob non adhibitam debitam diligentiam, & faceret Confessionem nullam, nisi forte Sacerdotis interrogatio defectum examinis suppleret; nam hujusmodi defectus auxilio prudentis Confessarii suppleri potest, ut accidit in rudibus, & rusticis, qui peccata sua præmeditare nesciunt, ut docent Suarez *disp.* 23. *sect.* 10. *num.* 5. Zerola *de Pœnit. cap. 9. quæst.* 2. Navarrus, Reginaldus, & alii, quos sequitur Bonacina *quæst.* 5. *sect.* 2. *punct.* 2. §. 1. *num.* 6.

2. Quanta autem diligentia sit necessaria pro discussione conscientiæ, non potest ita facile definiri, nec certa regula pro omnibus assignari, sed pro diversitate personarum, loci, temporis, & negotiorum, in quibus fuit homo implicatus, debet esse diversa. Universaliter dici potest, tantam esse diligentiam, & examinationem præmittendam, quanta judicio viri prudentis censetur sufficiens ad omnia peccata in memoriam revocanda, considerata capacitate pœnitentis, consuetudine peccandi, negotiorum multiplicitate, temporis diuturnitate, & aliis circumstantiis, quibus perpensis Ant. a Spiritu S. *disp.6.sect.1.n.*322. colligit ex Tancredo in homine ordinariæ capacitatis, ordinariisque suæ domus negotiis implicato, sufficere pro Confessione annua spatium unius horæ ad examen debitum peragendum; in homine vero variis negotiis implicato, ut in Curialibus, Mercatoribus, & similibus, multo plus requiri, sicque sanum consilium est per tres dies examen facere, expendendo singulis diebus unam horam; in hominibus vero, qui solent in mense confiteri, existimat sufficere quadrantem horæ, & multo minus in aliis sæpe confitentibus.

3. In examinanda conscientia non requiritur summa, & maxima diligentia, sed moralis, qualem solent viri prudentes adhibere in negotio arduo, & gravi; quare qui moralem adhibuit diligentiam, non tenetur majorem adhibere, quamvis probabiliter censeat fore, ut, facta prolixiori diligentia, & indagine, occurrerent aliqua peccata, quæ modo non occurrunt, quia non tenetur maximam, sed mediocrem diligentiam adhibere, alias semper scrupulis anxiaretur, num sufficientem adhibuerit. Ita Navarr. Reginaldus, aliique Doctores cum Bonacina supra *n.* 3. Leander *disp.* 7. *quæst.* 63.

4. Inde infertur, habentem debilem, & lubricam memoriam, non teneri scribere peccata, ut ea integre confiteatur, sicut non tenetur statim confiteri, ne peccatorum obliviscatur, quia nimirum non tenemur maximam, sed mediocrem diligentiam adhibere, quæ humano modo adhiberi solet ab omnibus; at omnes non possunt adhibere diligentiam scribendi peccata, quia non omnes sciunt scribere; ergo ista diligentia non est necessaria ad Sacramentalem Confessionem. Deinde nullum extat præceptum sive divinum, sive humanum, mente retinendi, aut scribendi peccata, sed solum tenemur ea confiteri, quorum instante tempore Confessionis, facto debito examine, conscientiam habemus, & recordamur. Ita Henriquez, Coninch, Reginaldus, Vasquez, Tabiena, Valentia, Suarez, Nugnus, quos affert, & sequitur Bonacina supra *num.* 4.

5. Infertur etiam, non ita facile pœnitentem rusticum accedentem sine præparatione dimittendum esse, ut se præparet, sed potius juvandum a Confessario variis, & opportunis interrogationibus, quo modo melius disponitur, meliusque species, & numerum peccatorum declarabit, quam si dimitteretur ad examen faciendum, cum experientia constet, hujusmodi homines rudes, & ignaros numquam melius se examinare, quamvis centies dimittantur, ut cum Vasquez, Lugo, Granado, Dicastillo, & aliis notat Anton. a Spiritu S. *disp.6.n.*326. & quamvis detegantur indigere Confessione generali, aut multorum annorum ob Confessiones irritas præcedentes, melius possunt statim a Confessario examinari, & audiri, quam si dimittantur, & suæ industriæ relinquantur, ut docet Aversa *q.* 10. *sect.* 6.

DUBIUM II.

An, & quomodo Confessio debeat esse integra quoad species peccatorum?

6. INtegritas Confessionis in eo consistit, ut omnia peccata post Baptismum commissa, & alias non confessa, quorum post diligentem sui discussionem pœnitens conscientiam habet, in Confessione aperiantur. Hæc integritas duplex est: alia dicitur materialis, quando omnia, & singula peccata commissa in Confessione aperiuntur: alia formalis, quando non aperiuntur omnia prorsus peccata commissa, sed ea omnia solum, quæ pœnitens potest, & debet confiteri; nec habet excusationem ea omittendi, quia potest aliquando excusari a confessione alicujus peccati commissi, ut postea suo loco dicam.

7. Integritas hæc materialis est de jure Divino, quo tenetur homo confiteri peccata omnia, quorum conscientiam habet, ut habetur expresse Trident. *sess.*14. *c.*5. illis verbis; *Cum universa peccata mortalia, etiam cogitationis, homines iræ filios, & Dei inimicos reddant: necessum est omnium etiam veniam cum aperta, & verecunda Confessione a Deo quærere. Itaque dum omnia, quæ memoriæ occurrunt peccata, Christi fideles confiteri student, procul dubio omnia divinæ misericordiæ agnoscenda exponunt; qui vero secus faciunt, & scienter aliqua retinent, nihil divinæ bonitati per Sacerdotem remittendum proponunt.* Idem habetur *Can.*7. & antea fuit definitum in Concilio Lateranensi cap. *Omnis utriusque sexus*, quare qui scienter aliqua peccata omittit, facit Confessionem irritam. Ratio est, quia sicut Sacerdotes habent potestatem retinendi singula peccata; ita & pœnitens tenetur singula confiteri, tum quia Confessarius, ut spiritualis medicus, debet morbos animi curare, ac proinde debent illi manifestari: ut enim loquitur Tridentinum; *Si erubescat ægrotus vulnus medico detegere, quod ignorat, medicina non curat.*

8. Dixi, *ad integritatem Confessionis spectare peccata mortalia post Baptismum commissa, & alias non confessa*, quia peccata venialia non spectant ad integritatem Confessionis, cum non sint materia necessaria, sed duntaxat sufficiens, & libera, sicut nec peccata alias rite confessa, & absoluta, quæ pariter sunt materia tantum sufficiens, non necessaria; quare si quis ex oblivione, vel ex justa caussa peccata aliqua prætermisit, non tenetur postea etiam confessa repetere, ad hoc ut faciat Confessionem integram simul de omnibus, sed sufficit, quod aperiat ea, quæ prætermisit, aut a quibus non fuit directe absolutus.

9. Debent autem omnia illa peccata mortalia uni, & eidem Sacerdoti confiteri, neque sine sacrilegio dividi, aut dimidiari potest Confessio, ita ut quædam peccata uni, reliqua vero alteri Sacerdoti manifestentur, cum hæc divisio, & dimidiatio Confessionis ejus integritati repugnet, nec possit unum peccatum mortale sine altero remitti: potest tamen, qui habet mortalia, & venialia, prius uni integre confiteri omnia mortalia, & postea alteri venialia, quamvis Sylvester *in Sum. verbo Confessio* 1. *qu.* 6. dicat, esse peccatum mortale ob hypocrisiam, & virtuale mendacium, quia ipso facto decipit Confessarium. Contrarium tamen asserunt Suarez, Coninch, Layman, Diana *part.3. tract.* 4. *resol.* 132. Aversa *q.* 10. *sect.* 6. aliique communiter, quia apud unum integre confitetur omnia mortalia, nec tenetur ea repetere, quando venialia alteri confitetur, nec committit proprie hypocrisiam, nec positive decipit Confessarium, sed permittit illum decipi, ut conservet suam bonam existimationem, ut supra dixi.

10. Quoad speciem peccati adverto, aliam esse physicam, aliam moralem: physica est ipsa entitas rei sumpta in suo esse naturali, & entitativo; moralis est illa entitas considerata in genere moris. Potest autem contingere, quod aliqua duo differant in esse entitativo, & materiali; & non differant in genere moris, & e contra, puta furtum pecuniæ physice differre a furto frumenti, non tamen moraliter, & in genere moris: e contra percussio Petri eadem est physice, sive ille sit Clericus, sive non: secus moraliter, & in genere moris, quia, si ille est Clericus, ultra injustitiam contrahit malitiam sacrilegii. His prænotatis

11. Resp. non esse, per se loquendo, necessarium explicare in Confessione omnes species physicas peccatorum, bene tamen omnes species morales. Ratio est, quia Confessarius non debet judicare de speciebus entis, nec de peccatis consideratis in suo esse entitativo, & materiali, sed de illis consideratis in esse morali, & in genere moris, prout contrahunt varias deformitates; ergo non est necessarium explicare omnes species physicas, bene tamen omnes species morales, quia istæ pro sua varietate variant judicium

cium Confessarii, qui proinde recte judicare non potest, nisi cognoscat a pœnitente omnes species mortales peccatorum, quas commisit; ut enim notavit Concilium Trid. *sess.* 14. *cap.* 5. *Constat Sacerdotes judicium hoc, incognita caussa exercere non potuisse, neque æquitatem quidem in pœnis injungendis servare potuisse, si in genere dumtaxat, & non potius in specie, ac sigillatim sua ipsi peccata declarassent.*

12. Hinc sequitur, satis, sufficienterque in Confessione se accusare, qui dicit, se occidisse hominem, etiamsi non explicet occidisse gladio, veneno, laqueo, vel alio modo. Item qui dicit, se fecisse divinationem superstitiosam, etiamsi non explicet, se fecisse per ignem, aquam, vel alio modo, dummodo tamen non interveniat abusus alicujus rei sacræ, quia daretur alia species sacrilegii necessario explicanda.

13. Quod si quis recordetur solum in genere, se commisisse peccatum mortale, nec recordetur in qua specie, debet in Confessione, quam facit, illud in genere confiteri, prout de illo meminit; si tamen postea recordetur etiam in specie, in qua fuit tale peccatum, debebit quoque illud fateri in specie, sicut & alia peccata oblita, quando in memoriam redeunt, prout notavit Sanchez *lib.* 1. *in Decalog. cap.* 10. *num.* 68.

14. Quod si quæras, *unde sumatur, & cognoscatur diversitas specifica peccatorum?* breviter dico, peccata differre specie inter se ex diversitate specifica objectorum, in quæ tendunt: in praxi autem illa dicuntur peccata specie diversa, quæ opponuntur virtutibus specie diversis; aliquando etiam specie differunt, si extreme opponantur eidem virtuti, ut prodigalitas, & avaritia, quorum una opponitur liberalitati per excessum, altera per defectum; vel etiam ratione diversæ difformitatis, secundum quam opponuntur eidem virtuti, ut sunt furtum, homicidium, adulterium, & detractio, quæ justitiæ opponuntur secundum diversas deformitates. Non distinguuntur specie per ordinem ad diversa præcepta, quibus aliquid præcipitur, vel prohibetur ex eodem motivo; secus desiderium, & furtum rei alienæ peccata essent specie diversa, cum unum in septimo, & alterum in decimo Præcepto prohibeatur: bene tamen differunt specie, si prohibeantur ex diverso motivo, quia tunc diversis virtutibus, & perfectionibus opponuntur, ut fusius dictum est suo loco, loquentes de peccatis.

DUBIUM III.

An, & quomodo debeat in Confessione explicari numerus peccatorum.

15. AD integritatem Confessionis spectat, ut non solum manifestentur peccata specie distincta, sed etiam ut distincte manifestetur numerus peccatorum mortalium in qualibet specie: ita enim habetur ex Tridentino *sess.* 14. *c.* 5. *& can.* 7. & ante etiam ex Concil. Florent. *sess. ult. tr. de hoc Sacram.* dum dicunt, necessarium esse confiteri omnia, & singula peccata mortalia. Ratio insinuata a Trid. est, quia Sacerdos non potest hoc judicium incognita caussa exercere, neque æquitatem in pœnis injungendis servare, si in genere solum, & non potius in specie, & sigillatim sua peccata ipsi pœnitens declaret; & ita tenet usus, & praxis totius Ecclesiæ, & consensus Doctorum omnium.

16. Nec sufficit in confuso dicere pluries peccavi, vel etiam in qualibet specie pluries adulterium, pluries furtum commisi, sed debet in qualibet specie numerus distincte explicari, quantum commode fieri potest, non quidem numerando singula peccata; quod esset molestum, & inutile, sed uno verbo explicando numerum cujuslibet speciei, puta decies, duodecies, centies blasphemavi, odio habui, furatus sum. Quare qui determinate recordatur de numero suorum peccatorum, non sufficit si dicat pluries, aut sæpius peccavi, quia illud *sæpius* tam in ternario, quam in centenario invenitur, sed debet absolute dicere, ter blasphemavi, decies furatus sum, centies odio habui. Qui non recordatur de numero certo suorum peccatorum mortalium, debet dicere numerum probabilem, aut verisimilem, addito *plus, minusve*, seu *circiter*, quia hoc modo sufficienter exprimit numerum suorum peccatorum, quantum potest, & sufficienter exprimit Confessario statum suæ conscientiæ, ut notat Homobonus *part.* 1. *tract.* 5. *cap.* 13. *quæst.* 82.

17. Ex additione illius particulæ *plus, minusve*, seu *circiter* sequitur, quod ille, qui nescius numeri certi, dixit in Confessione decies *circiter* odio habui, *plus, minusve*; si postea recordetur se duodecies odio habuisse, non tenetur iterum confiteri illa duo peccata omissa, nam sufficienter continentur in numero expresso cum additione illius particulæ *plus, minusve*, quæ si non fuisset addita, deberent illa duo peccata omissa manifestari in sequenti Confessione, sicut debent etiam manifestari, quando numerus omissus est valde notabilis; puta si quis dixit decies circiter odio habui, & postea certo cognoscat, se vigeties odio habuisse, tenetur in sequenti Confessione peccata prætermissa manifestare, quia cum numerus oblitus sit valde notabilis, non explicatur sufficienter in prima Confessione per additionem illius particulæ *plus, minusve*, seu *circiter*. Ita Vasquez, Nugnus, Coninch, Suarez, & Reginaldus, quos affert, & sequitur Bonacina *quæst.* 5. *sect.* 2. *punct.* 2. §. 3. *diff.* 2. *n.* 6. Diana *part.* 3. *tract.* 4. *resol.* 94. *& part.* 4. *tr.* 4. *resol.* 204. & pluribus citatis, Leander *disp.* 5. *q.* 9. *&* 15. Homobonus *q.* 82.

18. Si quæras, *quantam latitudinem habeat ille loquendi modus plus, minusve?* non omnes conveniunt. Aliqui extendunt ad quartam partem numeri, cui adjungitur; ut si pœnitens dicat, octies circiter blasphemavi, tunc extendatur usque ad decem, quia duo sunt quarta pars ex octo. Alii dicunt importare quinque pro quolibet centenario; alii duo pro quolibet denario, quos dicendi modos refutat Lugus *disp.* 16. *n.* 94. tamquam universaliter insufficientes. Certum est, illa verba *plus minusve* ad parvam summam extendi; quanta autem debeat esse, non potest certa, & universali regula definiri, quia pro majori, aut minori numero, cui adjungitur, variatur intelligentia in illo modo loquendi, ac proinde judicio prudentis relinquitur definiendum, ut tradunt Lugus supra *num.* 96. Vasquez *quæst.* 61. *art.* 1. *dub.* 6. *num.* 2. Diana *part.* 3. *tract.* 4. *resol.* 64. & Leander *disp.* 5. *quæst.* 10.

19. Quod si pœnitens nec possit probabilem numerum adinvenire ob longitudinem temporis, & frequentiam peccandi, ut contingere solet in Meretrice, quæ diu in vita fornicaria mansit omnibus exposita, & in Homine, qui pluribus annis Concubinam retinuit, aut in illo, qui habet consuetudinem blasphemandi, & perjurandi; tunc satis erit, si pœnitens indicet tempus, quo in tali statu mansit, addendo consuetudinem, quam habuit peccandi ter, vel quater in die, in hebdomada, aut in mense. Nec sufficit si Meretrix ad pœnitentiam conversa dicat, per duos, vel tres annos fui omnibus accedentibus exposita; ut judicat Henriquez; nam contingere potest, quod una Meretrix in Civitate frequenti centies fornicetur, dum alia decies in alia minus frequenti; erit ergo necesse explicare tempus, quo mansit in peccato, & quoties in die, in hebdomada, aut in mense fuit solita peccare, declarando etiam principales species peccatorum, si cum Religiosis, Conjugatis, aut Consanguineis peccaverit; si adversa venere sit usa; si magicis artibus, aut poculo amatorio aliquem induxerit. Sic Diana *part.* 3. *tract.* 4. Homobonus *supra q.* 82. *resol.* 89. Bonacina *q.* 5. *sect.* 2. *punct.* 2. §. 2. *diff.* 3. *n.* 18. *& seqq.* Lugus *disp.* 16. *n.* 573. Leander *qu.* 11. *disp.* 5. Vasquez *qu.* 91. *art.* 1. *dub.* 5. *n.* 3. qui advertit, non esse cogendos hujusmodi habituales peccatores ad explicandam frequentiam actuum internorum, & numerum per hebdomadas, aut dies, sicut diximus de actibus externis, quia in his actibus internis videtur impossibile eos ad aliquem numerum reducere sine periculo magni erroris per excessum, aut defectum; sufficit ergo, si dicant sæpius per diem, aut quasi continuo, & prout dabatur occasio, desideravi indifferenter cum quovis hominum, aut mulierum genere peccare, pro quacumque occasione, aut commoditate, quia aliter non possunt actus internos explicare. Quod si tanta sit consuetudo peccandi, ut pœnitens nesciat quidquam verisimile dicere, tunc satisfacit dicendo, quod scit, & potest, ut optime notat Aversa *quæst.* 10. *sect.* 12.

20. Quod dictum est de Meretrice, quoad actus internos, valet de illo, qui passim feminas sibi obvias turpiter concupiscit, cui difficile valde est numerum aliquem designare; sufficiet explicare tempus, & consuetudinem, & species principales: an scilicet conjugatas frequenter, an cognatas, an Deo sacratas concupiscat. Idem dicendum de colloquentibus frequenter de rebus turpibus cum peccato mortali; si enim non potest haberi numerus peccatorum, sufficiet explicare consuetudinem, tempus, & species principales, quas inter loquendum concupiere, ut notat Lugus *n.* 574. Idemque valet de Usurario consueto pejerare, sure latrociniis assueto, artifice, vel mercatore in mercibus defraudante, dummodo damna illata reparent. Ita Homobonus *part.* 1. *tract.* 5. *cap.* 13. *quæst.* 82. ubi dicit, Confessarium *potius incumbere debere, ut hujusmodi pœnitentem firmissimo proposito confirmet, ut in futurum caveat, quam se ipsum, & pœnitentem, in exacto numero perscrutando, frustra fatigare.*

DUBIUM IV.

An sit explicanda species, & numerus peccatorum venialium?

21. DIfficultas procedit in casu, quo peccatum veniale est tota, & integra materia Confessionis, in quo casu non habentem peccata mortalia, sed tantum venialia, satisfacere in genere, dicendo se venialiter peccasse, non explicata specie, vel numero peccatorum, docuerunt nonnulli, quos suppresso nomine referunt Homobonus *de exam. Ecclesia. part.* 1. *tract.* 5. *cap.* 13. *quæst.* 82. & Bonac. *disp.* 5. *q.* 5. *sect.* 2. §. 5. *nu.* 15. quia venialia non sunt sub materia necessaria Confessionis, & sic nulla est obligatio explicandi illorum speciem, & numerum.

22. Verum communis, & vera Sententia docet, explicandum saltem aliquod peccatum secundum speciem particularem. Ratio est, quia licet nulla sit obligatio confitendi venialia, quæ pluribus aliis modis deleri possunt, attamen si

quis velit ea confiteri, illaque exponat tamquam materiam totalem Confessionis; debet saltem unum explicare secundum speciem particularem; nam materia Sacramenti debet esse omnino certa, & determinata, circa quam possit versari intentio Ministri, quæ cum sit operatio realis, non versatur circa universalia, sed circa singularia saltem determinata in specie; ergo non sufficit, si pœnitens solum in genere se accuset; dicendo, peccavi venialiter; qua ratione nullam materiam certam exhiberet pro Sacramento, sed debet aliquod in particulari, secundum speciem determinatam exprimere, quamvis non sit necesse exprimere numerum: & hac ratione post absolvi, qui non habens peccata mortalia solum diceret, se otiosa verba protulisse, quia sic exhiberet materiam certam; circa quam versetur intentio absolventis. Ita Homobonus, & Bonac. *supra*, Suarez *disp.*23. *sect.*1.*n.*10. Coninch *disp.*7. *dub.*1.*n.*6.

23. Hac ratione poterit absolvi pœnitens, qui confitetur peccatum, de quo tum ipse, tum Confessarius dubitant, an sit mortale, seu veniale, quia exhibetur materia certa, & determinata pro absolutione, quamvis ignoretur illius gravitas.

24. Quod dictum est de venialibus, dicendum est de mortalibus alias rite confessis, quod debeant exprimi secundum speciem, quando assignantur pro materia totali Sacramenti; non erit tamen necesse exprimere circumstantias, & numerum illorum, sed sufficiet declarare species peccati, dicendo, me accuso de peccatis commissis in materia venerea, detractionis, odii, blasphemiæ, &c. quia peccata mortalia alias rite confessa non sunt materia necessaria, sed libera Confessionis, & sic non sunt necessario repetenda secundum circumstantias, & numerum, bene tamen secundum speciem, ut sint materia certa, & determinata Sacramenti.

DUBIUM V.

Qualis sit distinctio, & unitas numerica peccatorum.

25. QUoniam in Confessione non solum peccatorum species, sed etiam numerus est explicandus, operæ pretium est videre, undenam desumatur distinctio numerica peccatorum, & quandonam peccatum dicendum sit unum, vel plura numero, in quo discrepant Doctores. Et quia potest contingere, quod una, & eadem actio terminetur ad plura objecta, & quod ad idem objectum terminentur plures actiones; ita quæritur: *an distinctio illa numerica peccatorum sumi possit, & debeat ex multitudine objectorum, ut toties sint peccata numero distincta, quoties eadem actio terminatur ad multa objecta; nec non ex multitudine actionum etiam tendentium in idem objectum, ita quod peccata semper sint numero plura, quoties actiones sunt plures?* Primum examinabitur in præsenti, secundum in sequenti dubio.

26. Resp. Actionem unam terminatam ad plures personas, & ad plura objecta, tunc esse unum tantum numero peccatum, quando respicit plura illa objecta collective tantum, & per modum unius: esse vero multiplex, quando actio, licet unica, respicit plura objecta distributive, ut plura sunt. Ratio est, quia, quando unum solum est objectum, circa quod versatur unus actus, est unum tantummodo peccatum; ergo etiam est unum tantummodo peccatum, quando unus, & idem actus versatur simul circa plura objecta ejusdem rationis se habentia collective, & per modum unius: multiplex vero, si versetur circa illa objecta distributive, ut plura sunt, quia tunc tot contrahit malitias, quot sunt objecta, circa quæ versatur. Dixi, *ejusdem rationis*, quia si objecta essent diversæ speciei, diversificarent non solum numero, sed etiam specie peccata; sic si quis eodem actu concupisceret mulierem solutam, conjugatam, & monialem, tria peccata committeret specie distincta, necessario in Confessione exprimenda.

27. Hinc plura inferuntur: primo si quis unico actu detrahat de Religiosa familia, unum committit peccatum, non vero tot, quot in ea familia sunt Religiosi, quia nimirum actus ille tendit in totam illam familiam per modum unius, & in plures collective, non vero distributive. Simili modo, cum quis unico actu blasphemat de duodecim Apostolis, vel de omnibus Sanctis; cum quis simul plures Reos extrahit ab Ecclesia; cum simul cum pluribus versatur Excommunicatis; cum eodem actu expilat ærarium ex multorum depositis conflatum; cum quis unico actu malo pluribus scandalum præbet; cum quis unico ictu plures occidit homines, vel habet animum occidendi, aut Templum incendit plenum hominibus: unum tantum committit peccatum. Idem valet de illo, qui distincte non cogitans quadraginta jejunia distincta, diceret, se nolle observare jejunium Quadragesimæ, se nolle recitare Officium hoc anno; ille enim actus collective tantum, & per modum unius tenderet in quadraginta jejunia, vel in plures omissiones Officii, & sic unum tantum committit peccatum, gravius quidem, quam si unum tantum omitteret jejunium, ac proinde virtualiter, & æquivalenter multiplex, non vero formaliter tot, quot sunt jejunia, nisi forte distincte cogitaret, & vellet illas omissiones ut distinctas, quo casu multiplicarentur peccata, tot scilicet, quot sunt omissiones distinctæ volitæ: idem valet de reliquis. Ita tenent Suarez *disp.* 22. *sect.* 5. Bonacina *de peccatis disp.* 2. *quæst.* 4. *punct.* 2. Facundez *præcept.* 2. *lib.* 3. *cap.* 5. *nu.* 11. Leander *tract.* 5. *de pœnit. disp.* 8. §. 3. *quæst.* 19. *& seqq.* Castro Palaus *tom.* 1. *tract.* 2. *disp.* 3. *punct.* 3. *n.* 15. Maderuus *tom.* 2. *qu.* 5. *de peccatis art.* 4. *n.* 13.

28. Dices; qui uno ictu multos occidit, facit actionem injuriosam multis, non minus ac si illos successive occideret; ergo peccata numero distincta committit: qui detrahit de integra familia, qui pluribus præbet scandalum, qui non vult jejunare in Quadragesima, perinde se habet ac si de singulis detraheret, singulis præberet scandalum, ac singulis diebus non jejunaret; ergo tot numero peccata committit, quot sunt personæ in illa familia, dies in Quadragesima, &c.

Resp. occidentem plures, detrahentem de pluribus &c. gravius peccatum committere, & virtualiter, seu æquivalenter multiplex, non vero formaliter, quando plures sumuntur collective, & per modum unius objecti, cujus singuli sunt partes; sicut qui furatur centum aureos, committit peccatum unum æquivalens pluribus, nimirum centum furtis unius aurei, ac proinde si in furto centum aureorum non multiplicantur numero peccata, sed est formaliter unum peccatum æquivalens pluribus, ita in casibus assignatis.

29. *Utrum vero pœnitens debeat in Confessione exprimere numerum personarum, & objectorum?* affirmat Bonacina *supra n.*2. *& de pœnitent. q.*5. *sect.*2. *punct.*2. §. 3. *diffic.* 3. *n.* 16. *&* 21. quia numerus personarum est objectum terminans, & determinans ipsum actum, ut aliquid spectans ad ipsius substantiam quasi individualem. Affirmant etiam omnes illi, qui volunt esse plura numero peccata, juxta numerum personarum, & objectorum. Ita Vasquez, Pesantius, Azorius, Peyrinus, Salas, & alii, quos affert, & sequitur Diana pluribus in locis *part.* 1. *tract.* 7. *resol.* 17. *& resol.* 29. *part.* 3. *tract.* 4. *resol.* 114. *& resol.* 164. *part.* 9. *tr.* 9. *resol.* 5. sequitur Averla *qu.* 10. *sect.* 14. Negant e contra alii in casu, quo peccata non multiplicentur numero.

30. Negant necessitatem explicandi in Confessione numerum personarum Leander supra *quæst.* 19. *& seqq.* Lugus *disp.* 16. *de Pœnit. a n.* 134. quem sequitur Tamburinus *in Methodo Confess. lib.* 2. *c.* 1. §. 9. etiamsi in eodem peccato dentur plures malitiæ numero distinctæ, quia ex Tridentino solum tenemur explicare in Confessione species, & numerum peccatorum, non vero numerum malitiarum forte concurrentium in eodem peccato. Nec valet; tenemur explicare malitias omnes specie diversas existentes in eodem peccato; ergo etiam malitias numero diversas, cum non minus numerum, quam species peccatorum debeamus explicare; dato enim antecedente, negamus consequentiam, quia si taceretur aliqua malitia specifica, non explicaretur tota species illius peccati, bene tamen explicaretur numerus peccatorum, etiamsi non explicetur, nisi confuse, numerus malitiarum forte existentium in eodem peccato; quod utique in praxi puto esse securum, maxime quia inservit ad plures scrupulos tollendos.

31. Adverte tamen cum iisdem Auctoribus, unico ictu occidentem plures, non satisfacere dicendo, *commisi homicidium*, sed debere necessario dicere, *occidi plures*, quia dicendo commisi homicidium, Confessarius intelligeret unum tantum hominem occidisse, quod est falsum; at dicendo cum illa pluralitate, occidi multos, intelligit sufficienter peccatum, quantum sufficit. Eodem modo satis erit dicere: *desideravi semel occidere multos: plures feminas semel concupivi: pluribus scandalum præbui*; sic enim satisfacis te accusando sub illa generalitate, absque eo, quod sis sollicitus exprimere numerum personarum, ut præ ceteris docet Leander.

DUBIUM VI.

Quomodo multiplicentur numero peccata per interruptionem.

32. PEccata aliqua interius consummantur, ut odium, superbia, invidia, delectatio morosa; alia exterius perficiuntur, ut blasphemia, juramentum falsum, homicidium, fornicatio, furtum. De omnibus quæritur: *quomodo interrumpantur, & numero multiplicentur, quando nimirum actiones plures debeant dici unum, vel plura peccata?*

33. Resp. in peccatis tum internis, tum externis, tunc actiones plures, esse tantum unum numero peccatum, quando illæ actiones sunt tantum plures physice, non moraliter: esse vero plura numero peccata, quando actiones sunt plures etiam moraliter. Ratio est, quia illud non est nisi unum numero peccatum, quod secundum prudentum existimationem, & moraliter non est nisi unica actio; sed multoties contingit, quod actiones etiam physice interruptæ moraliter existimentur esse unus actus; ergo sunt unum numero peccatum: v. g. si recitationem Officii aliquantulum interrumpas, dicendo alteri pauca verba, unica est Officii recitatio: Missa dicitur una, etiamsi Concione vel facta, vel audita interrumpatur: unica est comestio, & semel prandes, etiamsi illam brevi aliquo sermone, aut epistolæ lectione interrumpas: si quinquies aliquem eodem iracundiæ impetu furem appelles, semel peccas, &c. in quo fere omnes conveniunt.

34. Dif.

34. Difficultas est: *quandonam interruptio censeatur esse sufficiens, ut dicatur moralis, & multiplicare peccata;* & quidem loquendo de peccatis internis, quamdiu voluntas durat in illo actu interiori, quo peccatum committitur, unum tantum numero peccatum est, quia duratio est solum circumstantia quædam moralis, quæ auget actum, non tamen multiplicat. Multiplicatur autem per interruptionem, quæ potest tripliciter contingere: primo per contrariam voluntatem, seu per actum contrarium retractativum actus præcedentis, quomodo omnes concedunt multiplicari peccatum, si præcedentem actum sic retractatum renovasti: secundo per voluntariam cessationem ab illo actu, & diversionem ad alia: tertio per cessationem involuntariam, ut per somnum, inadvertentiam, & naturalem divagationem. His positis

35. Prima Sententia tenet, actum voluntatis solum interrumpi per actum contrarium: secundum hanc Sententiam toties multiplicatur numero peccatum in eadem specie, quoties interrumpitur voluntas illius per contrarium actum, & post hunc ad priorem reditur; inde si pluries renovasti cogitationem turpem interruptam per somnum, oblivionem, aut aliam occupationem, non teneris explicare singulas renovationes, cum omnes illæ censeantur unum peccatum in genere moris, etiamsi materialiter multiplicentur, quia solum per actum contrarium prior voluntas retractatur; asserit tamen hæc Sententia, te debere fateri tempus, quo fuisti in illa prava cogitatione, quia existimat circumstantias aggravantes esse necessario confitendas. Ita Cano *in relect. de Pœnit. part.* 5. §. *Et per hoc*, quem sequuntur Jo. de Cruce, Petrus Fay, Pitignianus, & Homobonus apud Dianam *part.* 3. *tract.* 4. *resol.* 95. ubi hanc Sententiam probabilem putat, quamvis ipse sequatur communem.

36. Secunda Sententia communior, & probabilior tenet, non solum per retractationem, & per actum contrarium, sed etiam per quamcumque cessationem, sive voluntariam, ut vult Filliucius, sive etiam involuntariam, ut admittunt Granatus, Henriquez, Facundez, Suarez, Oviedo, quos affert Madernus *tom.* 2. *tract.* 7. *de peccatis q.* 5. *art.* 3. moraliter interrumpi præcedentem voluntatis actum, & multiplicari numero peccata, dummodo interruptio non sit modica, sed magna, & notabilis. Quare, si quis odio habens inimicum, vel turpiter amans puellam, amorem, & odium per aliquod breve tempus interrumpat, & iterum reassumat, censetur esse unum numero peccatum: si vero interrumpat per notabile tempus, tunc censetur peccatum numero diversum in Confessione explicandum. Quænam interruptio, & mora dicenda sit notabilis, & actum præcedentem a subsequenti moraliter distinguere, non omnes conveniunt. Ochagavia assignat integrum diem: Facundez assignat medietatem horæ pro peccatis successivis amoris, & odii, & quadrantem horæ pro peccatis momentaneis, ut sunt blasphemiæ, perjurium, contumelia, & detractio. Verum non potest certa regula assignari, cum pro diversitate materiæ aliquando major, aliquando minor interruptio requiratur, & sufficiat, ac proinde judicio prudentum relinquitur determinandum, ut cum Dicastillo *disp.* 9. *num.* 104. docet Anton. a Spiritu S. *disp.* 9. *sect.* 2. *n.* 656.

37. In praxi, si numerus certus moralium interruptionum haberi potest, debet ille certus numerus in Confessione explicari; si non constet, debet dici numerus probabilis, plus, minusve; si neque hic haberi potest, dicatur consuetudo, tempus, & frequentia, quo in illa prava voluntate perdurasti, puta: per diem, aut mensem Petrum odio habui, illique gravia mala sum imprecatus: per unum mensem turpiter concupivi puellam, & sic de reliquis; intelligitur enim humano modo, id est tales actus per varias humanas actiones fuisse interruptos, ut notat Tamburinus *in Methodo expedit. Confess. lib.* 2. *cap.* 1. §. 5.

38. Loquendo de actibus externis, illi vel possunt esse ordinati ad unum aliquem finem consequendum, vel possunt esse inter se disparati, ita quod unus ab alio non dependeat, nec ad alium ordinetur: quando actiones pluressunt ordinatæ ad unum aliquem finem, dico illas omnes constituere, & esse unum numero peccatum, quia in omnibus illis virtualiter perseverat prima voluntas intendens finem, & ordinans media ad talem finem. Exemplum habes in eo, qui volens occidere inimicum, arripit arma, domo egreditur, ascendit equum, arripit iter, varias captat occasiones ad perpetrandum homicidium; iste enim, licet sæpius repetat propositum occidendi, semel tamen peccat, & satisfacit in confessione dicendo, commisi homicidium, quia actiones illæ externæ ordinantur ad unum, & eumdem finem, in quo consummantur, & proposita repetita non censentur novi actus, sed repetiones præcedentis, vi cujus imperatur executio; quod verum est, etiam si longum arripiat iter, & interim comedat, dormiat, & aliæ distractiones, & occupationes humano modo contingant. Similiter, qui furari intendit, statimque viam tali animo aggreditur, scalas accipit, aliisque mediis utitur ad furandum, unum tantummodo peccatum committit, etiam si, dum has exercet actiones, sæpius repetat voluntatem furandi, quia virtualiter perseverat prima voluntas, & omnes illi actus censentur moraliter unus; ille, qui plures occasiones quærit peccandi cum puella, & qui immediate ante, & post fornicatio-nem plura committit illicita, tactus, oscula, &c. unum censetur commisisse peccatum. Lugus *disp.* 16. *n.* 144.

39. In praxi si obtinuisti finem pravum intentum, sufficit in Confessione illum explicare, ut fatetur Lugus *disp.* 16. *n.* 566. absque eo, quod fatearis actiones præcedentes, si non habeant aliunde malitiam diversam, vel tempus in quo fuisti in illa prava cogitatione, nisi fuerit interruptum per retractationem, & actum contrarium, aut per notabile spatium, ita ut longior, & extraordinaria mora intercedat, quia tunc deberent illæ interruptiones explicari, vel saltem tempus, in quo fuisti in illa cogitatione: v.g. commisi homicidium, quod per annum, aut mensem procuravi; habui congressum cum Puella per mensem variis artibus procuratum. Si vero finem non obtinuisti, debes omnes actus voluntatis præcedentes moraliter interruptos explicare, quia sunt peccata numero diversa, vel si non constat de numero certo, debes explicare tempus juxta supra dicta.

40. Quando actiones externæ sunt inter se disparatæ, nec una ad aliam ordinata, eodem modo debemus de illis loqui, ac de actibus internis, ut sint unum peccatum, quando non sunt moraliter interruptæ per notabile tempus, quod inter illas mediet; sic qui ex eodem impetu iræ, vel odii, eadem convicia, vel blasphemias, vel percussiones sæpius repetit, semel peccat, quia prior voluntas perseverar, & prius peccatum videtur moraliter continuari, cum subsequentibus, ita ut omnes illi actus, unam rixam, vel pugnam integrare videantur, sicut inquit Bartolus, quem citat, & sequitur Navar. *de Pœnit. c. Consideret, n.* 46. qui tota nocte ludit contra prohibitionem, semel tantum lusisse videtur; qui unico veluti contextu continuat graviter de altero detrahere, licet occasione data aliquantulum detractionem interrumpat, unum moraliter peccatum committit; quod idem dicendum est in similibus casibus, quando voluntas per actum contrarium, aut per longam cessationem non interrumpitur.

41. E contra vero, qui tres Missas successive celebrat in lethali, qui plures audit Confessiones, qui plures diversis actibus occidit, qui pluries cum eadem, vel cum diversa fornicatur, pluries etiam peccat, quia omnes illi actus cum sint consummati, suumque habeant terminum perfectum, nec unus ad alterum sit ordinabilis tamquam ad finem, sunt diversi non solum physice, sed etiam moraliter. Nec obstat quod illa peccata sine interruptione committantur, quia propter illam immediatam successionem non continuantur ad constituendum moraliter unum totale peccatum, sed singula manent completa, & discreta in se ipsis, & ita reputantur in æstimatione morali. De distribuente Eucharistiam in lethali, dici potest non peccare mortaliter, ut suo loco vidimus; at in sententia dicente peccare mortaliter, dicendum consequenter est tot peccata distincta committere, quot homines communicat, quia tot hostias indigne ministrat, & quilibet actus indignæ administrationis est injuria Sacramenti per se completa, & consummata, ut bene advertit Aversa *q.* 10. *sect.* 13. sequitur Antonius a Spiritu S. *disp.* 9. *sect.* 1. *num.* 651.

42. Qui per longum tempus per annum, & amplius, alienum non restituit, unum tantum peccatum committit, quia licet talis voluntas interrumpatur per somnum, & alias humanas occupationes, & distractiones; tamen continuatur, & manet virtualiter in detentione rei alienæ, nisi intercesserit retractatio voluntatis. Ita Lugus *disp.* 16. *n.* 549. Aversa *loco cit.* Petrus Navarr. *lib.* 4. *de restit. cap.* 4. *nu.* 9. Diana *part.* 1. *tract.* 7. *resol.* 58. & *part.* 2. *tract.* 16. *resol.* 25. Andreas a Matre Dei *tract.* 13. *de restit. cap.* 1. *punct.* 14. *num.* 264.

CAPUT VIII.

De Circumstantiis Peccatorum.

DUBIUM I.

An sint necessario confitendæ Circumstantiæ notabiliter aggravantes intra eamdem speciem?

Circumstantia dicitur ex eo, quod circumstat actum jam habentem suam speciem ab objecto, illumque variat in genere moris augendo, minuendo, aut addendo novam malitiam; proinde aliæ sunt circumstantiæ mutantes speciem peccati, aliæ aggravantes, aliæ minuentes. Illæ dicuntur mutare speciem peccati, quæ novam aliquam deformitatem specie diversam inducunt in actum peccati, seu quæ specialem oppositionem habent cum aliis præceptis, aut virtutibus: v. g. si aliquis furatus fuerit rem sacram, puta Calicem, si fornicatus fuerit in loco Sacro, aut cum persona Sacra, vel Sacerdotem occiderit, circumstantia rei Sacræ furto sublatæ, circumstantia loci, & personæ Sacræ superaddit novam deformitatem specie diversam in ipsam actionem furti, fornicationis, & homicidii, nempe malitiam Sacrilegii, ac proinde illæ circumstantiæ dicuntur mutare speciem peccati, quia trahunt furtum ad esse Sacrilegum simi-

similiter fornicationem, & homicidium ad esse Sacrilegum. Circumstantiæ aggravantes sunt illæ, quæ solum augent malitiam intra eamdem speciem, ut gravior, vel minor percussio, furtum decem, vel centum aureorum: e contra minuentes sunt illæ, quæ minuunt malitiam, ut si quis furtum committat ex metu alicujus mali impellentis. Hujusmodi autem circumstantiæ septem communiter numerantur, illo versiculo comprehensæ;

Quis, quid, ubi, quibus auxiliis, cur, quomodo, quando.

2. Omnes conveniunt, circumstantias mutantes speciem peccati mortalis, esse necessario in Confessione aperiendas: ita enim definitum est in Trid. *sess.* 14. *c.* 5. *& can.* 7. ubi rationem addit, quia alias peccata ipsa neque a pœnitentibus integre exponuntur, neque Judicibus innotescunt. Et certe, si jure Divino tenetur homo confiteri peccata specie diversa, debet etiam confiteri circumstantias, quæ speciem peccati mutant; loquor de circumstantia superaddente, seu variante malitiam mortalem; si enim superaddat tantum malitiam venialem, etiam specie diversam a peccato, non est necessario confitenda: v. g. si quis hominem occidat ex vanagloria, non tenetur hanc circumstantiam necessario confiteri, quia scilicet vanagloria solum addit novam speciem venialem, non mortalem. Ita Lugus *disp.* 16. *num.* 105.

3. Item conveniunt, esse necessario explicandas circumstantias, quæ dicuntur aggravantes in infinitum, id est, quæ de veniali faciunt mortale, quamvis non transferant actum in aliam speciem, sed relinquant adhuc in eadem specie; puta si quis surripuit parum quid, sed homini pauperrimo, ratione cujus efficitur notabile: si quis surripuit acum sutori non habenti aliam, qua eo die uti posset, talis, inquam, circumstantia facit de veniali mortale in eadem specie furti, & sic debet omnino explicari: sicut etiam debent explicari circumstantiæ minuentes in infinitum, idest facientes de mortali veniale, aut etiam totaliter malitiam excludentes; ut si quis grave malum alicui imprecetur ex non perfecta deliberatione, vel turpem habuit cogitationem indeliberatam, seu hominem occidit ad sui necessariam defensionem, ne forte confiteatur peccatum mortale, quod non fecit.

4. Circumstantiæ autem tantummodo minuentes intra eamdem speciem, & relinquentes adhuc actum intra gradum culpæ mortalis, non sunt necessario confitendæ, quia non variant notabiliter judicium Confessarii, & potius spectant ad excusationem, quam ad accusationem peccati, ut docent Suarez, Hurtadus, Navar. Diana, Candidus, & alii, quos sequitur Leander *disp.* 8. *quæst.* 3. Nec etiam sunt necessario exprimendæ circumstantiæ parum solum aggravantes in eadem specie, & intra gradum peccati mortalis, quia humano modo esset impossibile exprimere in singulis peccatis modum, & mensuram gravitatis, ut bene advertit cum aliis Aversa.

5. Difficultas igitur reducitur ad circumstantias multum, & notabiliter aggravantes peccatum mortale intra eamdem speciem, *an sint necessario confitendæ*, in quo discrepant Doctores, qui dividuntur in duas Sententias oppositas. Prima Sententia affirmat, esse explicandas. Ratio est, quia ideo ex Trident. debent explicari peccatorum species, & circumstantiæ mutantes speciem, quia secus non satis innotesceret caussa Sacerdoti tamquam Judici, nec ille posset sufficientem, & proportionatam satisfactionem imponere; sed hæc ratio militat etiam de circumstantiis notabiliter aggravantibus, quibus non explicatis, non potest Confessarius cognoscere gravitatem peccati, & pœnam illi debitam; sæpe enim contingit, unum peccatum propter circumstantiam aggravantem adæquare, immo & superare in sua malitia plura numero peccata distincta, ut patet in furto mille aureorum, quod notabiliter gravius est, quam quinque, aut decem aureorum; & peccatum durans per diem, aut per plures horas, excedit duo peccata durantia solum per quadrantem; ergo circumstantia notabiliter aggravans, notabiliter etiam variat judicium Confessoris, ac proinde debet in Confessione explicari non minus, quam species, & numerus peccatorum.

6. Conf. ex usu, & praxi Fidelium, qui solent in Confessionibus se accusare, & Confessarii interrogare de circumstantiis aggravantibus, ut de quantitate rei furto sublatæ, & similibus: an malum sit illatum ex gravi, & inveterato odio, aut ex repentina ira, & pro majori, vel minori gravitate solent diversas satisfactiones injungere, & diversa remedia applicare: immo etiam Episcopi sæpe peccata sibi reservant ratione alicujus circumstantiæ aggravantis, ut est incestus in primo, vel secundo gradu; ergo quia circumstantiæ notabiliter aggravantes sunt necessario in Confessione explicandæ. Et ita tenent quamplures Doctores, quorum viginti numerat Diana *part.* 1. *tract.* 7. *de resol.* 1. Suarez, Coninch, Nugnus, Sotus, Victoria, Cajetanus, Facundez, Sanchez, Henriquez, Villalobos, quibus addit Madernus, Arriagam, Amicum, & Gonettum, qui dicit esse communem Thomistarum, & Joannes a S. Thoma 1. 2. *quæst.* 28. *disp.* 10. *art.* 3. dicit, eam sibi certissimam videri, & quod oppositam non auderet consulere.

7. Secunda Sententia negat hanc necessitatem confitendi circumstantias aggravantes; fundatur in Trident. *sess.* 14. *c.* 5. *& can* 7. ubi explicans præceptum Divinum de Confessione, & ea omnia, quæ sunt necessaria ad illius integritatem, solum dicit esse confitendas species, & numerum peccatorum mortalium, nulla facta mentione de circumstantiis aggravantibus intra eamdem speciem, quas certo expressisset si essent necessario confitendæ, ne dicamus in re doctrinali, & adeo gravi diminute processisse: maxime, quia Concilium ibidem expresse dicit, nihil aliud in Ecclesia a pœnitentibus exigi, quam ut post diligens conscientiæ examen, ea peccata confiteantur, quæ in memoriam veniunt, ubi loquitur de illis peccatis, quæ dixerat esse confitenda, quoad species, & circumstantias mutantes speciem; ergo circumstantiæ aggravantes non sunt confitendæ.

8. Prob. 2. quia nulla debet imponi Fidelibus obligatio, quæ non sit de jure Divino, & ab Ecclesia manifestata; sed nulla datur hujusmodi obligatio de jure Divino, cum nullibi de illa sufficienter constet, quin potius ex Trident. colligitur oppositum; ergo non debet imponi Fidelibus hujusmodi obligatio. Conf. quia ex opposita Sententia redderetur Confessio onerosa, & gravis plusquam par est; difficile enim est determinare, quandonam circumstantia sit parum, aut notabiliter aggravans, puta an accessus duorum, trium, decem, viginti, aut quotnam aureorum ita notabiliter aggravet furtum, ut debeat explicari: deberet insuper explicari in quonam gradu intentionis, & conatus singuli actus facti essent, quanto tempore duraverit quis in actu peccaminoso; in peccato fornicationis explicanda essent verba, tactus, gestus, cogitationes, & alia antecedentia, cum ista augeant gravitatem criminis; deberent item explicari circumstantiæ minuentes, quando quis magna injuria provocatus fuit ad vindictam, quando magna tentatione, aut sollicitatione mulieris consensit in fornicationem, & similia, quod licet Sotus concedat, praxis tamen Ecclesiæ omnino est in contrarium, & nullus fere alius admittit. Ita Diana *loco superius citato*, ubi pro hac Sententia affert plusquam 40. Doctores: item *part.* 3. *tr.* 4. *resol.* 67. *& part.* 5. *tract.* 14. *resol.* 56. ubi alios congerit Doctores: sequuntur Madernus *quæst.* 4. *art.* 6. Lugus *disp.* 16. *sect.* 3. *num.* 107. Ant. a Spiritu S. *disp.* 7. *sect.* 1. *n.* 350. Franc. a Jesu Maria *tract.* 6. *cap.* 8. *punct.* 1. Leander *disp.* 8. *q.* 4. & alii apud ipsos, & probabilem vocant etiam aliqui ex adversariis.

9. Ad rationem oppositam facile respondetur, Concilium voluisse Confessionem debere esse integram quoad peccatorum species, & quoad circumstantias mutantes speciem, quas ibidem expressit, & propter easdem debere caussam innotescere Judici, ut ab eo congrua satisfactio imponi possit, nec voluisse hoc extendere ad circumstantias aggravantes intra eamdem speciem, de quibus nullam fecit mentionem. Nec de istis valet eadem ratio assignata a Concilio, siquidem non explicatis circumstantiis mutantibus speciem, non declaratur tota quidditas, & essentia peccati, nec potest agnosci gravitas specifica, & essentialis ipsius, quæ tamen tota cognosci potest non explicatis circumstantiis aggravantibus, quæ sunt extra essentiam peccati. Nec obstat, quod aliqua circumstantia potest ita aggravare, ut malitia unius peccati adæquet malitiam plurium; nam ad illam circumstantiam confitenda non tenemur, nec ullum est præceptum explicandi totam malitiam peccati, sed tantum malitiam specificam, & essentialem.

10. Ad conf. dico, sollicitos esse Fideles ad se accusandum, & Confessarios ad interrogandum de numero, & speciebus peccatorum, nec non de circumstantiis mutantibus speciem, non vero de circumstantiis aggravantibus intra eamdem speciem: qui vero de illis se accusant, non faciunt ex obligatione, sed ex majori devotione, & convenientia, sicut etiam timorati se accusare solent de peccatis venialibus. Quod si ratione circumstantiæ aggravantis peccatum annexam habeat excommunicationem, aut reservationem, ut contingit in furto naufragantium, tunc per accidens tenetur pœnitens talem circumstantiam explicare.

11. Dices: potest Confessarius interrogare de circumstantiis aggravantibus; ergo tenetur pœnitens ea explicare, nam quod Judex juste interrogat, tenetur Reus respondere.

Resp. posse Confessarium interrogare de circumstantiis aggravantibus, quando hoc necessarium est ad cognoscendum statum pœnitentis, an sit dispositus, an sit in occasione proxima, an peccatum annexam habeat excommunicationem, vel reservationem, vel si pœnitens indigeat aliqua speciali directione, quibus cessantibus non tenetur pœnitens respondere, sed potest dicere, se fuisse confessum suum peccatum, quoad omnia necessaria, & Confessarius debet quiescere, & se illi accommodare.

12. Dices: qui uno ictu occidit decem homines, tenetur illam circumstantiam explicare, nec sufficit si dicat, commisi homicidium, sed dicere debet, se decem homines occidisse, & tamen quod sint decem homines, est circumstantia aggravans intra eamdem speciem.

Resp. occisionem decem personarum unico ictu factam continere decem malitias numero distinctas, seu etiam decem numero peccata in esse morali, quando occidens prævidit, & voluit decem illas personas occidere; quare numerus personarum non est circumstantia mere aggravans, sed multiplicans peccata, seu malitias, quamvis non sit

opus

opus in Confessione omnes illas malitias distincte explicare, ut supra dixi *cap. praeced. dub. 5.*

„ *Obiter quidem, sed clarissime, nobilissimisque documentis hanc Theologorum litem scindere quasi, atque terminare videtur Benedictus XIV. in sua Synod. Diœces. lib. 6. cap. 6. plures cordatiorum Patrum adducens auctoritates, Romani potissimum Catechismi, cujus sententia quam bene omnibus Theologiæ cultoribus arrideant nemo quidem sanæ mentis ignorat. Sunt autem ejus verba, quæ hic sequuntur: Ne improba usurpatione dissimulatio in deterius convalescat, & fiat de consuetudine regula, quæ non veniat ab ipsa, quæ litteris mandata est disciplina,* uti ad Episcopos, in Toletana Synodo constitutos, apposite scripsit Innocentius I. *Epist. 23. num. 2.* (*tom. 1. Collect. Hard. coll.* 1023.) quantocius sane præcidendus est abusus, qui sub specie severioris, & sanctioris disciplinæ, eam labefactat, quæ ab Ecclesia est tradita, veramque Sacramentorum sanctitatem contaminat. Rem enarrabimus, quæ non diu antea contigit. Concilium Tridentinum *sess. 14. can. 7.* anathemate perstringit asserentes, non esse in Sacramentali Confessione necessario aperiendas circumstantias mutantes speciem peccati; an autem etiam sint necessario aperiendæ, quæ inter eamdem speciem notabiliter aggravant peccatum, litigant quidem Theologi; sed Catechismus S. Pii V. *tit. de condit. & circumst. ad Confession. requisitis*, S. Carolus Borromæus *in instruct. Sacerd. Actor. Eccl. Mediolan. part. 4.* pluresque Synodi Episcopales, quas profert Gonettus *Theol. Moral. tom. 4. tract. 6. de Sacram. Pœnit. cap. 6. qu. 3.* etiam istas manifestandi gravem obligationem in Pœnitente agnoscunt, quod etiam inter Theologos docent Suarez *de Pœnit. disp. 22. sect. 3.* Henriquez *de Pœnit. lib. 2. cap. 7. n. 6.* Thomas Sanchez *in Summa lib. 2. c. 32. n. 39. & lib. 4. c. 11. n. 24.* Gonet *disp. 10. art. 3.* Salamant. *tract. 6. cap. 8. punct. 2.* Baron. contra Amad. *disp. 2. sect. 3.* aliique ab iis citati.

DUBIUM II.

De circumstantia, Quis.

13. PRima ex septem circumstantiis superius assignatis est *Quis*, & denotat qualitatem personæ operantis, seu peccantis, quæ est manifestanda in Confessione, quando mutat speciem peccati, ut contingit in peccante contra sextum præceptum; si enim sit persona Deo dicata per Ordinem Sacram, vel per professionem Religiosam, aut etiam per votum simplex castitatis, mutat vitium intemperantiæ in sacrilegium; si uxorata, in adulterium; & si sit persona publica, sæpe ratione officii contra justitiam delinquit. Ad cognoscendam, quandonam in particulari qualitas personæ operantis mutet speciem peccati, aliqua tantum subjiciemus in præsenti, reliqua remittentes ad materias particulares præceptorum, & virtutum.

§. I. *De circumstantia Voti.*

14. QUæres I. *An qui violavit votum sollemne castitatis, teneatur illud explicare in Confessione, vel sufficiat dicere, peccavi contra votum castitatis in tali materia, puta per fornicationem, adulterium, incestum &c.?* Aliqui dicunt, explicandum esse, an votum sit simplex, aut sollemne, tam ab ipso peccante, qui habet votum, quam a complice, qui eum illo peccavit. Ratio est, quia votum sollemne, aut differt specie, & essentialiter a voto simplici, vel saltem notabiliter aggravat. Ita Sotus, Medina, Azorius, Petrus de Ledesma apud Leandrum *disp. 8. §. 2. q. 8.* Nugnus, Palatius, Henriquez, Rodriquez, Medina, Layman, Facundez, Coninch, & alii, quos refert Diana *par. 2. tract. 7. resol. 4. & part. 3. tract. 4. resol. 67.* Candidus *disquis. 24. art. 24. dub. 32.* Sylvius 2. 2. *quæst.* 154. *art.* 10.

15. Communior, & verior Sententia negat, quia votum sollemne castitatis non differt essentialiter a voto simplici, sed tantum accidentaliter; siquidem sollemnitas non est differentia essentialis, sed accidentalis voti, & quamvis sit circumstantia aggravans, non est tamen necessario exprimenda, sed sufficit, si pœnitens dicat, se habere votum castitatis, illudque in tali materia violasse. Ita Sanchez, Megala, Filliucius, quos sequitur Diana *loco citato*, Leander *quæst.* 8. Franc. a Jesu Maria *tract. 6. cap. 8. punct. 4.* Ant. a Spiritu S. *disp. 8. sect. 1. n. 374.* & apud ipsum Perea, & Dicastillus, Palaus *tract. 23. disp. unic. punct. 9. nu. 6.* & probabilem dicunt Facundez, Villalobos, & Henriquez, quos sequitur Lugus *disp. 16. n. 149.* & alii apud ipsos.

16. Hinc sequitur, Sacerdotem peccantem contra votum castitatis, non debere necessario explicare, se esse Sacerdotem, aut habere votum sollemne, quia, *ut dixi*, votum simplex, & sollemne non differunt specie multo; minus tenetur dicere, se esse Sacerdotem, aut solum Subdiaconum, quia major Consecratio non addit circumstantiam specie distinctam, ut post Sanchez, & Dianam docet Lugus *supra*. Hoc idem dicendum est de Muliere peccante cum Sacerdote, quæ non tenetur exprimere circumstantiam Sacerdotis, sed sufficit, si dicat, se peccasse cum habente votum castitatis, vel Ordinem Sacrum, in quo conveniunt prædicti Doctores.

17. Quæres 2. *An Religiosus professus, peccans contra castitatem, teneatur explicare, se esse Religiosum professum, vel sufficiat, si dicat, se habere votum castitatis?* Explicandum esse statum Religionis, affirmant Leander *q. 4.* Lugus *loco cit. n. 148.* & alii supra citati pro prima Sententia, præcipue Candidus, Ledesma, & Facundez. Ratio est, quia Religiosus per vota non solum se obligavit Deo, sed etiam Religioni, cui se dicavit, & donavit; ergo sicut Conjux, quæ fornicatur, non solum peccat contra castitatem, sed etiam contra fidem datam illi, cui per Matrimonium dedit dominium sui corporis, in quo consistit macula adulterii in Confessione exprimenda; ita Religiosus non solum peccat contra votum castitatis, sed etiam contra fidem datam Religioni; cui per professionem tradidit dominium suæ voluntatis, & sui corporis, contrahitque maculam, quasi adulterii, violando fidem datam Religioni, ac proinde debet talem circumstantiam explicare.

18. Resp. non esse necessario explicandum statum Religiosum, quia non violat fidem datam Religioni, sed dumtaxat votum castitatis emissum in professione Religiosa. Ratio est, quia illa traditio sui corporis facta Religioni, non est in ordine ad castitatem servandam, nec habet pro objecto castitatem, quam respicit votum, sed obsequium, & subjectionem ad varia ejus munera, & officia obeunda, quod obsequium non violat, violando castitatem, & sic non peccat contra fidem datam Religioni, sed contra votum factum Deo de castitate servanda; quare sufficiens erit exprimere circumstantiam voti. Ita Ant. a Spiritu S. *num.* 376.

19. Quæres 3. *An saltem Religiosus ordinatus in Sacris, si violat castitatem, teneatur exprimere, se esse Sacerdotem, aut in Sacris constitutum?* Negat cum aliis Diana *part. 1. tract. 7. resol. 3. & part. 3. tract. 4. resol. 67.* dicens, sufficere alterutrum exprimere, vel absolute dicere, peccavi contra votum, eo quod eadem semper sit obligatio voti. At qui sustinet obligationem continentiæ annexam Sacris Ordinibus, non esse proprie ex voto, sed immediate ex præcepto Ecclesiæ, de quo suo loco videbimus, dicunt, utramque rationem esse explicandam, propter duplicem obligationem, & malitiam, specie diversam, alteram provenientem ex voto, alteram ex præcepto Ecclesiæ: sicuti qui tenetur jejunare ex voto facto, & ex præcepto Ecclesiæ, si jejunium frangit, debet utramque rationem voti, & præcepti aperire, propter duplicem malitiam specie diversam.

20. Quæres 4. *An qui habet votum castitatis, puta Monialis, vel Religiosus, si propriis manibus polluat Sæcularem absque aliqua sui delectatione, teneatur explicare in Confessione circumstantiam proprii voti?* Negant nonnulli relati ab Ant. a Spiritu S. *disp. 8. sect. 1. § 5. a. 393.* Ratio est, quia qui ministrat alteri carnes in die jejunii, licet mortaliter peccet, non dicitur violasse jejunium: qui alterum impedit ab auditione Missæ, non dicitur violasse præceptum Ecclesiæ, si ipse Missam audivit, & si haberet votum jejunandi, & audiendi Missam, non peccaret contra votum; ergo neque habens votum castitatis peccaret contra votum, si alium pollueret absque sui delectatione; dato quod casus sit possibilis, de quo dubitari potest.

21. Resp. polluentem alium teneri explicare proprium votum. Ratio est, quia propriis manibus cooperando ad pollutionem alterius, committit tactus impudicos, & turpes contrarios castitati, quam vovit, & sic facit contra votum, quod proinde tenetur in Confessione manifestare. Nec est eadem ratio de vovente jejunium, seu auditionem Sacri, qui alium impediendo ab auditione Sacri, aut ab observantia jejunii, non facit contra votum a se emissum; non enim vovit alium non impedire ab auditione Sacri, seu non ministrare cibos illi, qui tenetur jejunare, sed solum audire Sacrum, & observare suum jejunium, quod præstare potest, etiam alium impediendo. Ita cum Tancredo, Candido, & Dicastillo tenet Ant. a Spiritu S. *supra n.* 395.

22. Quæres 5. *An qui habet votum castitatis, si consulat alteri ut fornicetur, teneatur proprium votum explicare?* Affirmant Lugus *disp. 16. n. 152.* Ant. a Spiritu S. §. 2. *n.* 384. Ratio est, quia votum castitatis, quod emisit Religiosus, est absolutum, & integræ castitatis; ergo illi prohibetur omne illud, quod est contra castitatem, cujusmodi est etiam consulere alteri, quod fornicetur, & violet præceptum naturale castitatis.

23. Resp. negative. Ratio est, quia votum emissum a Religioso est de servanda castitate propria, non vero aliena, ac proinde consulendo fornicationem, non facit contra votum, quia non violat castitatem propriam, & sic non tenetur votum in Confessione explicare. Ita Dicastillus *disp. 9. num.* 326. & Tancredo *de Pœnit. disp. 6. quæst.* 12. Diana *qu. 5. tract. 11. resol. 27. & part. 9. n. 66. tract.* 8.

24. Quæres 6. *An teneatur explicare, qui violat votum sæpius emissum, aut juramento confirmatum?*

Resp. peccantem contra votum non teneri manifestare, an illud fuerit semel, vel pluries emissum, & renovatum, quia renovando votum non contrahit novam obligationem distinctam ab illa, quam prius habebat, ut bene docet

Sanchez

Sanchez *lib.7. de Matrim. disp.27. nu.27.* Dicastillus *disp. 9. dub.8. nu.305.* Leander *qu.14.* tenetur tamen exprimere circumstantiam juramenti, quo votum fuit confirmatum, quia sunt duæ malitiæ specie diversæ, una contra fidem, & promissionem factam Deo per votum, altera, quæ Deum adducit in testem falsitatis. Ita Sanchez *supra*, Lugus *disp.16. n.169.* Dicastillus *disp.9. n.356.* Anton. a Spiritu S. *num.396.*

§. II. *De circumstantia Virginitatis.*

25. QUæres 7. *An Virgo, quando sponte primo fornicatur, teneatur istam circumstantiam in Confessione explicare?* Omnes fere conveniunt, Virginem se polluentem non teneri in Confessione explicare circumstantiam virginitatis quia licet per illam pollutionem perdatur virginitas, prout est virtus, non tamen, prout dicit integritatem signaculi. *Utrum vero debeat illam circumstantiam explicare, quando primo fornicatur?* affirmant Bonacina *de Matrim. qu.4. punct.27. n.2.* Azorius, Filliucius, Villalobos, Facundez, Torreblanca, Nugnus, Sylvius, & alii apud Leandrum *qu.16.* item Candidus *disquisit. 24. art.23. dub.7.* Ratio est, quia ibi intervenit peccatum stupri specie diversum a simplici fornicatione, vel quia frangitur sigillum naturale virginitatis, vel quia fit injuria Parentibus, quando sub illorum custodia virgo reperitur, ac proinde debet circumstantia virginitatis in Confessione manifestari.

26. Resp. Virginem consentientem non teneri circumstantiam virginitatis exprimere. Ratio est, quia amissio virginitatis in femina consentiente non includit malitiam specie diversam a simplici fornicatione; non enim includit malitiam diversam contra temperantiam, quia illi non magis opponitur prima, quam secunda transgressio, seu fornicatio: sicut non magis opponitur justitiæ primum, quam secundum furtum, aut contra Fidem prima hæresis, quam aliæ subsequentes; nec includit malitiam diversam contra justitiam, quia nullum lædit speciale jus Parentum, qui non habent majus jus, aut majus dominium supra Filiam virginem, quam supra Filiam corruptam; sed copula habita cum Filia corrupta consentiente, & sub Patris potestate existente, non includit malitiam specie diversam a fornicatione; ergo nec illam includit copula habita cum virgine consentiente sub cura Parentum existente: & ita tenent Vasquez, Coninch, Navarrus, Suarez, Megala, Sanchez, quos refert, & sequitur Diana *part.1. tract.7. resol.11. & part.3. tract.4. resol.67.* Leander *supra q.16.* Lugus *disp.16. n.218.* Ant. a Spiritu S. *disp.8. sect.1. §.9.* & alii apud ipsos.

27. Dices: in prima fornicatione Virginis intercedere fractionem sigilli, seu claustri virginalis, quæ facit, illam opponi speciali virtuti virginitatis. Deinde Mulier, cum non sit domina sui corporis, & membrorum, non potest consentire in fractionem sigilli, sicut nec potest consentire in abscissionem alterius membri, & sic illa fractio non solum est contra castitatem, sed etiam contra justitiam.

Resp. Virginitatem non esse virtutem distinctam a castitate, nisi materialiter, & secundum aliquem excessum non cadentem sub præcepto, sed sub consilio; illa enim duo includit, unum de materiali, idest integritatem claustri, & alterum de formali, idest abstinentiam ab omni actu venereo etiam licito, & conjugali: in eo, quod dicit abstinentiam ab actu licito, & conjugali, non est de præcepto, sed de consilio; in eo, quod includit integritatem claustri, materialiter differt a castitate, cum qua coincidit, formaliter in eo, quod dicit abstinentiam ab actu venereo prohibito. Prima fornicatio, per quam frangitur sigillum, opponitur virginitati, prout est virtus solum materialiter diversa a castitate, cum qua formaliter coincidit, ac proinde non includit specialem malitiam necessario exprimendam.

28. Ad secundam probationem resp. secundum sententiam peritissimorum Medicorum, in prima fornicatione Virginis non intercedere fractionem alicujus membranæ, sed meram dilatationem partium orificii vasis feminei, quæ prius erant complicatæ. Data tamen ruptura, & scissione membranæ, cum illa sit parvæ entitatis, & materia levis, non potest in ejus fractione dari culpa mortalis, ut ostendit Mazuchellus *de Casibus reservat. disp.2. cap.23. num.4.*

29. Dices 2. fieri saltem injuriam Parentibus, aut Tutoribus, sub quorum potestate Puella est constituta, qui proinde magnam subeunt infamiam, & mœrorem, ac tenentur augere dotem.

Resp. neg. antecedens; si enim Virgo claustri virginalis fractionem patiatur sine viri congressu, nulla infertur injuria Parentibus; ergo neque eadem infertur, si illam patiatur per congressum viri, quod postea mœrorem, & infamiam afferat Parentibus, & Familiæ, contra caritatem, & pietatem eis debitam, hoc est, præter intentionem Virginis, nec provenit ex circumstantia virginitatis, sed ex manifestatione peccati, quo non manifestato, nihil horum eveniret; sicut e contra posset hoc totum evenire ex peccato Filiæ etiam corruptæ, maxime si putabatur Virgo; quare, per se loquendo, Virgo, si patiatur violari, non peccat, nisi peccato fornicationis, sed per accidens potest etiam peccare contra caritatem, & pietatem debitam Parentibus, si prævideat posse peccatum manifestari cum illorum infamia, & mœrore.

30. Infertur ex dictis, peccatum stupri, prout est species luxuriæ distincta a fornicatione, consistere in injustitia commissa, auferendo violenter a Virgine claustrum virginale: seu quando per violentiam, dolum, aut fraudem, aut alio injustitiæ genere, Virgo defloratur: cessante autem violentia, dolo, & fraude, remanet simplex fornicatio. Differt autem a raptu, primo, quia raptus importat abductionem de loco ad locum, secundo, quia raptus importat violentiam, nulla habita ratione status feminæ; tam enim raptus est, si abducatur corrupta, quam si abducatur virgo. Quod si quis Virginem raperet, & illam violenter cognosceret, duplex peccatum committeret, alterum stupri per violentam deflorationem Virginis, alterum raptus, quatenus illam abduceret; & utrumque esset in Confessione exprimendum.

31. Cessante violentia, non est necessario in Confessione exprimenda circumstantia virginitatis; quare Virgo, si morose delectetur de Juvene, de eoque cogitando se polluat, non tenetur exprimere circumstantiam virginitatis. Idem valet de Juvene cogitante de Virgine, seque polluente, si, ne animo tamen inferendi vim; sufficit enim si confiteatur pollutionem, & delectationem circa feminam solutam. Pariter si cum Virgine consentiente copulam habeat, sufficit, si dicat, se toties cum femina soluta copulam habuisse, cum ille concubitus non differat a simplici fornicatione. Verum tamen est, quod ratione reservationis contingere potest casus, ut teneatur circumstantiam virginitatis aperire.

32. Virgo violenter abducta a domo Parentum per violentiam illis illatam, si sponte consentiat in copulam, illa non erit stuprum, sed simplex fornicatio, nam stuprum necessario importat violentam Virginis deflorationem; esset tamen raptus respectu Parentum, a quibus per vim fuit ablata puella, & esset necessario in Confessione exprimendus.

33. Sequitur a fortiori, virum prima vice amittentem virginitatem, non teneri hanc circumstantiam fateri, quia amissio virginitatis in viro, nec est infamia, nec stuprum, sed simplex fornicatio, si peccat cum corrupta. Ita Suarez, Lugus, Filliucius, & alii communiter, quos sequitur Leander *quæst.15.*

§. III. *De aliis circumstantiis ex parte Operantis.*

34. QUæres 8. *An Novitius, seu Novitia, peccans contra castitatem, nec non cum illis peccantes, teneantur hanc circumstantiam fateri?*

Resp. negative, quia Novitius, & Novitia, cum non habeant votum castitatis, ut supponitur, non additur malitia specie diversa. Ita Megala, Diana, Lugus, Palatius, quos affert, & sequitur Leander *qu.9.* & Ant. a Spiritu S. *n.379.* quod idem valet de Clericis Minorum Ordinum, etiam habentibus Beneficium, quia nondum habent votum castitatis.

35. Quæres 9. *An Sponsus, & Sponsa de futuro, si carnaliter peccent, & alii cum illis, teneantur hanc circumstantiam in Confessione exprimere?* Prima Sententia absolute negat, quia ratio Sponsalium, cum non transferat actum ad speciem adulterii, non mutat speciem peccati: per sponsalia enim non traditur jus in corpus, sed solum promittitur in futurum; sicut qui vovit ingredi Religionem, nondum est Religiosus, & si fornicetur, non tenetur circumstantiam voti exprimere. Ita tenent Covaruvias, Vivaldus, Megala, Basilius de Leone, Henriquez, quos citat, & sequitur Leander *quæst. 12.* Diana *part. 1. tract. 7. resol.5. & part.3. tract.4. resol.67.*

36. Secunda Sententia affirmat, quia licet ratione Sponsalium nondum Sponsus jus habeat in corpus, habet tamen jus ne corpus illud sibi promissum reddatur deterius per copulam fornicariam, per quam jura sponsalium violantur, & alteri innocenti gravis infertur injuria, & sic taliter peccans, deformitatem specie diversam ratione injustitiæ committit: ea ratione, qua promissum equum, si eruto oculo deteriorem reddis, peccas contra justitiam, lædenda jus, quod alter habet, ne deterius reddatur; ergo debet circumstantia Sponsalium in Confessione explicari. Ita tenent Homobonus *de exam. Eccles. par.1. tract.7. c.36. q.140.* Sylvius *in 3. part, qu.43. art.1. Quæritur 2.* Sarmiento, Lopez, Filliucius, Molina, Coninch, quos refert Lugus *disp.16. n.177.*

37. Tertia Sententia distinguit inter Sponsum, & Sponsam, & dicit, talem circumstantiam esse explicandam a Sponsa, & a peccante cum illa, non a Sponso, nec ab ea, qui cum illo peccavit, quia peccatum Sponsæ censetur valde gravius, illiusque corpus per fornicationem valde deterius redditur, quam corpus Sponsi, cujus copula parvi æstimatur. Hanc tenent Sanchez, Facundez, Candidus, Filliucius, Villalobos apud Leandrum *qu.12.* Tres istæ Sententiæ dicuntur probabiles a Lugo *disp.16. n.178.* nec facile aliquam ex iis argumento efficaci impugnari.

38. Magis placet secunda Sententia, quia per peccatum fornicationis ex parte utriusque frangitur fides Sponsalium, & invicem injuria irrogatur, cum utraque ex vi contractus Sponsalium acquirat jus ad corpus alterius, quamvis non in corpore, id est jus ad rem, non in re. Quod autem talis injuria gravis reputetur ex parte utriusque, ex eo patet, quod sit caussa sufficiens ad dissolvenda Sponsalia, ut postea dicam, quæ nonnisi ex gravi caussa dissolvi possunt.

sunt. Unde aperienda est in Confessione hæc circumstantia tam a Sponso, quam a Sponsa, & ab eo, qui cum illa rem habuit, prout tenent Auctores secundæ Sententiæ. Non est tamen malitia adulterii, cum non sit violatio alieni thori, nec frangatur fides matrimonii, sed promissionis, sed injustitiæ, & injuriæ proximæ adulterio, gravis quidem ex parte Sponsæ, sed gravior etiam ex parte Sponsi; sicut adulterium commissum ab Uxore gravius est, sed commissum ex parte Viri adhuc est grave.

39. Quæres 10. *An Frigidus, & Eunuchus peccans cum Muliere, teneatur confiteri impotentiam generandi?*

Resp. affirmative, quia talis circumstantia transfert peccatum ad aliam speciem, nempe contra naturam, quatenus frustratur finis, ad quem natura destinavit copulam carnalem, cum ibi nulla spes esse possit generationis. Quod idem dicendum est de eo, qui seminavit extra vas mulierbre ad evitandam conceptionem, ut de se patet. Ita Sanchez, Henriquez, Lessius, Lugus, quos affert, & sequitur Leander *quæst.* 11.

40. Quæres 11. *An Confessarius, qui peccavit cum Pœnitente, teneatur hanc circumstantiam fateri?* Certum est Confessarium sollicitantem in Confessione, aut Sacramento abutentem, seu ex auditis in Confessione occasionem sumentem provocandi, & peccandi cum Pœnitente, sive masculo, sive femina, debere hanc circumstantiam fateri, cum superaddat malitiam Sacrilegii contra reverentiam debitam Sacramento specie diversam a fornicatione. Sed dubium est de Confessario, qui omnino extra actum Confessionis, & procul ab illo, & nullo modo utendo notitia Confessionis, peccavit cum Pœnitente: *an debeat talem circumstantiam explicare?*

41. Prima Sententia affirmat, quia talis circumstantia mutat speciem peccati; vel quia est speciale Sacrilegium, ratione vinculi ex Sacramento contracti, quod vinculum est simile cognationi spirituali; vel quia est incestus, ratione filiationis spiritualis, ut colligitur ex *c. Omnes*, & ex cap. *Non debet* 30. *q.* 1. Ita Sotus, Viguerius, Turrecremata, Supplementum, Gabrielis, Navarrus, Tabiena, Armilla, Lopez, & alii, quos refert, & sequitur Thomas Sanchez *lib.* 7. *de Matrim. disp.* 55. Candidus *art.* 33. *dub.* 28. Aversa *quæst.* 16. *sect.* 14. Homobonus *de exam. Eccles. part.* 1. *tract.* 5. *c.* 12. *q.* 75. Nugnus, Coninch, Facundez, & alii multi apud Dianam *part.* 1. *tract.* 7. *resol.* 12.

42. Secunda Sententia, quam sequor, negat talem circumstantiam esse exprimendam, quando Confessarius non utitur Sacramento tamquam medio ad peccandum. Ratio est, quia circumstantia filiationis spiritualis non mutat speciem, quia per Sacramentum Pœnitentiæ non contrahitur cognatio aliqua spiritualis, ut patet ex *c. fin. in fine de cognat. spirit. in* 6. ubi Bonifacius VIII. expresse decernit, ex aliis Sacramentis, præter Baptismum, & Confirmationem, cognationem spiritualem nequaquam oriri: alia similis gratis asseritur, cum in toto texto Juris Canonici non reperiatur decisum, aliquam cognationem similem, aut dissimilem oriri ex dicto Sacramento. Nec obstat cap *Omnes*, & cap. *Non debet*, in quibus licet Confessarius dicatur Pater spiritualis, tamen ejus congressus cum Filia spirituali non dicitur incestus, nisi metaphoricus, & improprius. Ita Basilius Pontius *de impedit. Matrim. caussa* 30. *c.* 24. §. 2. Bonacina *qu.* 4. *de Matrim. punct.* 16. *n.* 7. *& disp.* 5. *de Sacram. q.* 5. *sect.* 2. *punct.* 2. §. 3. *n.* 9. Lugus *disp.* 16. *sect.* 6. §. 3. Ant. a Spiritu S. *disp.* 8. *sect.* 2. §. 24. *n.* 515. ubi pro eadem refert Ledesmam, Joannem Sancium, Ochagaviam, Hurtadum, & Dicastillum sequitur etiam, pluribus citatis, Diana *supra resol.* 12.

43. Quæres 12. *An sit in Confessione explicanda dignitas Personæ peccantis, ut si sit Episcopus, Generalis, Prælatus, &c.*

Resp. negative, quando peccatum est internum, aut occultum, seu non est ita publicum, ut generet scandalum, quia dignitas peccantis, licet aggravet peccatum ratione majoris obligationis procurandi majorem perfectionem, non tamen illud transfert ad aliam speciem. Ita Coninch, Filliucius, Villalobos, Henriquez, quos citat, & sequitur Diana *part.* 1. *tr.* 7. *resol.* 6. Lugus *disp.* 16. *n.* 179. Ant. a Spiritu S. *sect.* 1. §. 8. *n.* 411. contra Nugnum, Candidum, & alios apud Leandrum *qu.* 13. Eodem modo Gubernator, vel alius similis, qui tenetur impedire v. g. furta, si non impediat, tenetur suum statum in Confessione exprimere, secus si ipse furetur, quia non est constitutus ad impedienda propria, sed aliena furta. Item Sacerdos, si percutiat Laicum, etiam cum effusione sanguinis, non tenetur circumstantiam Sacerdotii fateri, quia non addit malitiam diversam, ultra malitiam percussionis. Anton. a Spiritu Sancto supra *num.* 412. *&* 413. Diaon *dicto tract.* 7. *resol.* 8.

§. IV. *De circumstantia Scandali.*

44. Quæres 13. *Quid, & quotuplex sit scandalum?*

Resp. Scandalum dicitur offendiculum, quod fratri ponitur, ut cadat, & communiter definitur cum D. Thoma 2. 2. *q.* 43. *art.* 1. *Dictum, vel factum minus rectum præbens alteri occasionem ruinæ.* Dicitur *minus rectum*, quia ad peccatum scandali activi requiritur necessario, opus scandalizans esse malum, vel mali speciem habere; si enim in se non est malum, nec mali speciem habet, non censetur tunc præbere occasionem ruinæ, etsi inde alii accipiant.

45. Dividitur in activum, & passivum. Activum, quod est modo definitum, est triplex, prout tripliciter potest quis præbere alteri occasionem ruinæ; primo directe, & formaliter intendendo ruinam illius, quatenus ruina illius est, & hoc dicitur scandalum directum, & formale, quod rarum est in hominibus, in diabolis commune: secundo intendendo ruinam proximi directe quidem, sed non formaliter, ut est ruina illius, sed quatenus ruina illius sibi, vel alteri est utilis, ut contingit, quando quis inducit feminam ad peccatum, non ut malum ipsius formaliter est, sed quia intendit fornicationem, & propriam satisfactionem, quam aliter habere non potest, & dicitur scandalum directum, sed non formale; tertio nec directe, nec formaliter, sed tantum indirecte, quando quis formaliter non intendit ruinam spiritualem alterius, illam tamen prævidet secuturam, & dicitur scandalum indirectum, quia indirecte, & interpretative censetur velle ruinam proximi.

46. Scandalum passivum est ipsa ruina, seu peccatum, ad quod proximus inducitur occasione sumpta ab alterius dicto, vel facto, & hoc duplex est: alterum procedens ex malitia peccantis, quando ex opere alterius, alioquin licito, & honesto, sumit occasionem peccandi, & dicitur scandalum Pharisæorum: alterum procedens ex ignorantia, vel fragilitate peccantis, & dicitur etiam scandalum pusillorum, seu infirmorum. Scandalum passivum dicitur etiam scandalum acceptum, & activum dicitur scandalum datum.

47. Hinc scandalum numquam contingit, nisi succedat, vel probabiliter timeatur secutura ruina spiritualis proximi, qua cessante, cessat etiam scandalum, ut tradunt communiter Doctores cum D. Thoma; ex quo fit, plures coram aliis peccantes excusari a peccato scandali, vel quia videntes ita sunt in bono stabiles, ut nullo modo peccatis visis censeantur ad peccatum moveri, vel quia ita sunt deperditi, ut peccatum alienum nihil illos immutet, ut notat Palaus *de Charit. to.* 1. *tract.* 7. *disp.* 6. *punct.* 1. *n.* 4. ubi etiam notat, quod si ex tuo dicto, vel facto nihil aliud præter admirationem, & rumorem in videntibus excitetur, non debes censeri peccatum scandali commisisse, quia admiratio, rumor, & suspicio de delicto, si fundamentum præbes, non est peccatum, & consequenter caussa non est ruinæ spiritualis proximi.

48. Circumstantiam scandali explicandam semper esse in Confessione non potest esse dubium, quia semper affert novam speciem peccati, cum directe opponatur caritati, sive loquamur de scandalo directo, & formali, sive de scandalo solum indirecto: dum enim prævideo ex mea actione proximum sumpturum occasionem peccandi, licet peccatum illud non intendam, quia tamen possum, & debeo impedire, pecco contra caritatem peccato scandali, sive speciali, sive generali, in quo potest esse quæstio de nomine, affertque malitiam diversam, quia diversa malitia est inducere alium ad fornicandum ab ea, quam contrahit ipse, qui fornicatur. Difficultas est: *an debeat in Confessione explicari non solum circumstantia scandali, sed etiam species peccati, ad quod proximus scandalizatus inducitur,* in quo maxime discrepant Doctores; sicut etiam: *an debeat explicari numerus, & qualitas personarum, quibus scandalum datum est;* proinde

49. Quæres 14. *An debeat in Confessione explicari species peccati, ad quod proximus scandalo inducitur, vel sufficiat dicere: meo exemplo, vel opere scandalum aliis præbui.* Explicandam esse non solum circumstantiam scandali, sed etiam speciem peccati, ad quod proximus inducitur, affirmant Palaus supra *tract.* 6. *disp.* 6. *punct.* 4. *n.* 3. Bonacina *disp.* 2. *de peccat. punct.* 2. §. *unic. n.* 12. *&* 44. Diana pluribus in locis *part.* 3. *tract.* 4. *resol.* 114. *& part.* 5. *tract.* 7. *resol.* 2. *&* 3. nec non *part.* 6. *tract.* 6. *resol.* 33. *& part.* 10. *tr.* 12. *resol.* 29. & alii ab eodem citati.

50. Resp. explicandam esse non solum circumstantiam scandali, sed etiam speciem peccati, ad quod proximus inducitur in scandalo directo, & formali, seu etiam solum directo, quando nimirum formaliter, vel saltem directe intenditur peccatum proximi, non vero in scandalo indirecto, quando peccatum proximi fuit prævisum, sed non intentum. Ratio est, quia scandalizans primo, vel secundo modo, non solum peccat contra caritatem, sed etiam contra virtutem illam, cui opponitur peccatum proximi, & sic debet in Confessione explicare non solum scandalum datum, sed etiam speciem peccati, ad quod proximus inducitur; at qui indirecte solum scandalizat proximum, peccat contra caritatem, qua tenemur malum spirituale proximi impedire, non tamen contra alias virtutes particulares, quibus opponitur peccatum proximi: nam licet quælibet virtus, puta castitas, me obliget, ne proximum inducam ad ejus violationem, non tamen me graviter obligat, ut debeam omnem occasionem removere, ne alius peccet contra illam; ad hoc enim solum me obligat caritas, qua teneor malum proximi avertere, non vero castitas: sic qui omittit correctionem fraternam, ad quam non tenetur ex officio, peccat contra caritatem, non contra castitatem, aut aliam virtutem a proximo violatam, & in Confessione sufficit se accusare de omissione correctionis debitæ, non declarando

speciem

speciem peccati, cujus correctionem omisit. Hanc sequuntur Leander *disp.* 8. §. 5. *q.* 7. Ant. a Spiritu S. §. 3. *n.* 308. Lugus *disp.* 16. *an.* 159. Suarez *disp.* 10. *de Carit. sect.* 2. *n.* 9. eamque Diana *part.* 10. *tract.* 12. *resol.* 29. cum Oviedo non solum probabilem, sed valde probabilem judicat.

51. Quæres 15. *An debeat in Confessione explicari numerus personarum, quibus scandalum datum est, ut quando quis publice peccavit, vel coram multis fuit turpia locutus?* Explicandam esse in Confessione tum speciem peccati, ad quod tuo exemplo proximum induxisti, & numerum personarum, quibus scandalum præbuisti, affirmant Sylvius, Filliucius, Sanchez, Layman, quos affert, & sequitur Diana *part.* 3. *tract.* 4. *resol.* 114. & aliis locis supra citatis, Bonac. *disp.* 2. *de peccat. q.* 4. *punct.* 2. §. *unic. nu.* 42. Palaus *supra punct.* 4. *n.* 3. Ant. a Spiritu S. *num.* 391. quia juxta numerum personarum multiplicantur numero peccata in Confessione explicanda; quare Diana *cit. resol.* 114. concludit: *unde patet ignorantia multorum Confessariorum, qui cum Pœnitentes se toties accusant, dedisse scandalum, non faciunt illos accusare neque de specie peccati, neque de numero personarum; cœci quidem sunt, & duces cæcorum.*

52. Resp. non esse necessario explicandum numerum personarum, sed sufficere, si pœnitens se accuset, suo malo exemplo dedisse scandalum multis. Ratio est, quia ex supradictis actus unicus respiciens plura objecta numero diversa, est unum tantum numero peccatum; sed in præsenti casu datur unicus actus, quo plures scandalizantur; ergo est unicum numero peccatum, & inde nulla necessitas explicandi numerum personarum. Major in qua potest esse difficultas patet ex supradictis; quamvis enim in illo unico actu plures reperiantur malitiæ numero diversæ, non ideo tamen dicenda sunt plura numero peccata, sed peccatum unum continens plures numero malitias; & cum in Confessione teneatur explicare solum speciem, & numerum peccatorum, non vero malitias omnes numero diversas forte repertas in eodem actu, nulla erit necessitas explicandi numerum objectorum. Ita Lugus *disp.* 16. *n.* 165. Leander *supra qu.* 8. Tamburin. *lib.* 2. *Method. Confess. c.* 1. §. 9. *n.* 59. & §. 17. *n.* 106. favet Ant. a Spiritu S. *n.* 391. ubi dicit, non male facere Confessores, si hanc Sententiam in praxi amplectantur, in quo decipitur Diana.

53. Non satis esse explicare numerum personarum, sed etiam aperiendam esse conditionem dictarum personarum, an sint Religiosi, Uxorati, Soluti, affirmant Bonacina, & Diana, quia pro diverso statu personarum, specie differunt scandala passiva: quod quidem verum est in scandalo formali, & directo, dato ad hoc, ut proximus ruat in peccatum, quia tunc directe intendis tale peccatum, ad quod vis proximum inducere; at in scandalo indirecto nulla erit necessitas explicandi qualitatem personarum, quia tunc peccas solum contra caritatem, non contra alias virtutes, quibus contrariatur peccatum scandalizati. Lugus supra *n.* 165. & Leander *quæst.* 9.

§. V. *An debeat in Confessione explicari consuetudo peccandi?*

54. AFfirmant, aliis citatis, Henriquez *lib.* 5. *c.* 8. Facundez *præcept.* 2. *lib.* 4. *c.* 4. *n.* 7. Candidus *to.* 2. *disquis.* 24. *art.* 23. *dub.* 48. juxta quam Sententiam, qui ex inveterata consuetudine peccavit, non satisfacit confitendo solum peccatum hodiernum, sed debet insuper manifestare consuetudinem præteritam, licet illa peccata jam fuerint rite confessa.

55. Resp. regulariter loquendo, non esse necessario explicandam consuetudinem. Ratio est, quia peccata præterita nullam addunt peccato hodierno circumstantiam speciei diversam, & sic non est necesse talem consuetudinem explicare; & ita tenent Bonacina *disp.* 5. *q.* 5. *sect.* 2. *punct.* 2. §. 3 *diff.* 3. *n.* 22. Lugus *disp.* 16. *n.* 101. Ant. a Spiritu S. §. 10. Canus, Suarez, Vasquez, Sa, quos citat, & sequitur Palaus *punct.* 9. *n.* 11. Leander §. 7. *q.* 20. ubi *qu.* 21. asserit, non esse explicandam consuetudinem peccandi, nec etiam si pœnitens a Confessario de illa interrogetur, quia si pœnitens non tenetur talem circumstantiam confiteri, Confessarius non habet jus ad interrogandum de illa: hoc tamen non est admittendum, cum sit damnatum ab Innocent. XI. *proposit.* 58. Quare dicendum est, pœnitentem debere fateri consuetudinem peccati, quando de illa a Confessario interrogatur, ut cognoscat illius dispositionem, & obligationem. Tenetur item consuetudinem fateri, quando est occasio proxima peccandi, nec conatur illam removere adhibendo diligentiam, & media necessaria, ut solet fusius explicari in materia de juramento, in quo consuetudo jurandi solet esse frequentior, & explicat Ant. a Spiritu S. *supra n.* 426.

DUBIUM III.

De circumstantia Quid.

56. SEcunda circumstantia *Quid* denotat opus, seu objectum, & materiam peccati, quoad conditiones ei annexas. Ad eamdem reducitur circumstantia *circa quid*, quæ denotat subjectum, seu qualitatem personæ, circa quam versatur actio peccaminosa; ut si Mulier, quæ carnaliter concupiscitur, aut cognoscitur, sit libera, vel conjugata, vel Deo sacrata; si Homo, qui occiditur, sit Clericus, aut Conjunctus. Et quoniam plura possunt controverti

§. I. *De Furto.*

57. QUæres 1. *An quantitas furti, & damni illati sit necessario in Confessione exprimenda?* Affirmant non solum, qui asserunt, circumstantias aggravantes esse necessario in Confessione exprimendas, sed etiam alii qui dicunt, quantitatem in furto non esse circumstantiam aggravantem, sed esse de substantia actus, & peccati considerati in individuo; siquidem in tale esse individuali constituitur per ordinem ad tale objectum, & ad tantam quantitatem; cum autem peccatum non sit exprimendum in genere, sed quoad suum esse individuale, prout est commissum, sequitur exprimendum esse secundum quantitatem determinatam: & hunc esse communem usum, & praxim timoratorum hominum, docet Bonacina *qu.* 5. *sect.* 2. *punct.* 2. §. 3. *diff.* 3. *n.* 17. & apud ipsum tenent Nugnus, Valentia, Henriquez, Sanchez, Sayrus, & alii.

58. Resp. negative; unde qui furatus est mille aureos, sufficit, si in Confessione dicat furatus sum materiam gravem. Ratio est, quia major, aut minor quantitas in furto, est circumstantia solum aggravans, non mutans speciem peccati, cujus substantia consistit, & consideratur in hoc, quod est furari rem alienam, cui tamquam circumstantia accidit tanta, vel tanta quantitas. Nec obstat, quod tanta quantitas sit objectum determinans peccatum in individuo; si enim deberet in Confessione explicari objectum constituens, & determinans peccatum in individuo, deberet etiam explicari: *an furtum fuerit auri, vel argenti, vel suppellectilis: si intemperantia fuit in cibo, aut in potu: si voluit occidere Joannem potius, quam Franciscum: si plus, aut minus alterum inhonoravit, seu infamavit: si vehementiori, aut leviori desiderio mulierem concupivit*, quia hæc omnia spectant, seu determinant actum in individuo. Verum quidem est solere quantitatem furti a pœnitentibus explicari, & a Confessariis interrogari, quia facile id fieri potest, & sine dubio melius est, maxime ut pœnitens admoneatur a Confessario de obligatione, & ordine, quo tenetur restitutionem facere. Sic Navarrus, Vasquez, Hurtado, Megala, Lugus, & alii, quos affert, & sequitur Leander §. 3. *q.* 2. & probabilem vocat Bonacina *loco citato*.

59. *An vero, qui a pluribus dominis per furtum accepit, teneatur numerum dominorum in Confessione explicare?* affirmant Bonacina *supra nu.* 25. Molina, Henriquez, & Facundez apud Leandrum §. 3. *q.* 26. quia multiplicantur numero malitiæ, & damnificationes, fitque injuria pluribus, juxta numerum personarum.

Resp. tamen non adesse necessitatem explicandi numerum dominorum, quando unicum est furtum, uno, eodemque actu factum, quia unicum est peccatum; & quamvis in illo actu multiplicarentur numero malitiæ, juxta numerum dominorum, & multiplicationem juris læsi, non tamen deberent omnes in Confessione explicari, nisi confuse explicando furtum grave, prout supra dictum est. Qui autem quantitatem notabilem, puta centum aureorum pluribus vicibus ab eodem, seu a pluribus acciperet, non satisfaceret dicendo, se esse furatum centum aureos, sed deberet explicare, quot vicibus illam quantitatem accepit, quia tot peccata numero distincta commisit.

§. II. *De Odio, Contumeliis, & Detractionibus.*

60. QUæres 2. *An qui ex odio malum proximo desideravit, teneatur explicare malum desideratum, an sit mors, paupertas, infamia, aut quid simile?* Affirmant Suarez, Filliucius, Coninch, quos refert Lugus *disp.* 16. *n.* 259. quia pro diversitate mali desiderati diversificantur specie peccata.

61. Resp. negative, quia licet mala volita, & desiderata sint specie diversa in esse physico, & materiali, non differunt tamen in esse morali, & formaliter; nam omnia desiderantur sub eadem ratione formali, quatenus sunt malum proximi: puta qui desiderat proximo mortem, ægritudinem, infamiam, non illa desiderat, prout sunt talia mala reduplicative, sed prout sunt malum proximi, sub qua ratione omnia conveniunt, & sufficit in Confessione dicere, malum grave proximo ex odio desideravi, absque eo, quod sis sollicitus explicare, quale sit illud malum desideratum. Quod si quis efficaci desiderio vellet mala illa proximo inferre, deberet sine dubio illa manifestare, quia voluntas efficax auferendi famam, specie differt a voluntate occidendi, seu auferendi vitam, & ratio disparitatis est, quia voluntas efficax specificatur ab objecto, tamquam ab effectu ab ipsa caussatum: & odium specificatur ab objecto, prout præcise est malum proximi, ac proinde non est necesse explicare genus mali proximo desiderati, sed sufficit dicere, desideravi proximo ex odio malum grave. Et ita tenent Diana *part.* 1. *tr.* 7. *resol.* 30. & *part.* 3. *tract.* 4. *resol.* 67. citans Hurtadum *disp.* 8. *de Carit. diffic.* 4. & *disp.* 9. *de Euchar. diffic.*

disp. 8. & Homobonum de Bonis *in exam. Eccles. part.* 1. *tract.* 6. *c.* 5. *q.* 812. tenent Bonacina *de Legib. disp.* 3. *qu.* 4. *punct. ult.* §. 1. *n.* 10. Tamburinus *in method. Confess. lib.* 2. *cap.* 6. *n.* 11. Lugus *disp.* 16. *nu.* 260. Ant. a Spiritu S. *sect.* 2. §. 16. *num.* 473. & aliis citatis, Leander §. 3. *q.* 8. Dicastillus *disp.* 9. *nu.* 498. Trullench *lib.* 1. *in Decalog. cap.* 6. *dub.* 2. *num.* 5.

62. Quæres 3. *An in contumeliis, detractionibus, & judiciis temerariis debeam explicare vitia, seu defectus diversi contra proximum: ut si dixisti, vel temere judicasti, esse furem, adulterum, homicidam, aliisque hujusmodi verbis contumeliosis eodem tempore affecisti?* Affirmant quamplures, quia sunt injuriæ specie diversæ, sicuti si vocares latronem, & simul percuteres, adeoque sunt plura peccata necessario in Confessione manifestanda. Ita Azor. Salas, Suarez, Navarrus apud Palaum *tom.* 1. *tr.* 3. *disp.* 3. *punct.* 3. *n.* 6. Henriquez, Sotus, Molfesius, Megala, quos affert Leander §. 3. *q.* 10. & alii apud Dianam *part.* 1. *tract.* 5. *resol.* 28. & *part.* 3. *tract.* 4. *resol.* 67. eamque probabilem asserit Dicastillus *tract.* 8. *disp.* 9. *dub.* 8. *quæst.* 7. *n.* 504. quia tanta est diversitas inter hujusmodi infamias, detractiones, seu existimationes, ut censeantur differre specie, non solum in genere physico, sed etiam in genere morali.

63. Resp. negative, quia omnes contumeliæ, detractiones, & judicia temeraria, licet materialiter differant, conveniunt tamen in ratione injuriæ, & contumeliæ, ea ratione, qua furta conveniunt, & sunt ejusdem speciei in ratione furti: quare sicuti non teneris explicare, an sis furatus equum, vestem, aut pecuniam; ita non teneris explicare, an proximum appellaveris furem, mendacem, adulterum, quia contumeliæ, & detractiones omnes conveniunt in hoc, quod lædant honorem, & famam proximi, sicut furta lædunt bona temporalia: & ita sufficit in Confessione dicere, tot calumnias in proximum dixi, toties detraxi in materia gravi, seu temere judicavi. Ita Cajetanus, Reginaldus, Sa, quos sequitur Lugus *disp.* 16. *sect.* 5. *num.* 265. Bonacina *disp.* 2. *de peccatis q.* 4. *punct.* 2. *n.* 12. apud Palaum, Diana *supra*, Ant. a Spiritu S. §. 17. *n.* 475. & aliis pluribus citatis, Leander *supra*, & *quæst.* 11. ubi concludit, hanc doctrinam maxime practicandam esse a Confessoribus, ut sic a multis scrupulis, & interrogationibus liberentur.

64. Quod si eodem tempore absque morali interruptione plures hujusmodi contumelias in aliquem proferas, unum erit peccatum non solum specie, sed etiam numero; sicuti si pluries ad rem aliquam confirmandam juramentum falsum proferas, vel in eadem rixa, eodemque iracundiæ calore pluribus plagis aliquem afficias, unum peccatum est, ut patet ex supradictis *cap. præcedenti dub.* 6. & docent Doctores communiter, quod etiam probatur per textum in cap. *Cum pro caussa, de sent. Excommunic.* ubi habetur, quod unicam contrahit excommunicationem, qui incipit in Dormitorio percutere Clericum, & continuat percussionem per Claustrum.

§. III. *De Jactantia, & Consilio data.*

65. QUæres 4. *An in peccata jactantiæ teneatur quis explicare speciem peccati, de quo se jactavit, & laudavit, an fuerit de furto, fornicatione, aut alio vitio, vel sufficiat in Confessione dicere: me laudavi, & gloriatus sum de peccato mortali?* Conveniunt omnes, exprimendam esse speciem peccati, quando quis cum jactantia simul complacentiam, & gaudium habet de peccato mortali commisso, quia tunc illa complacentia specificatur ab illo objecto, de quo te jactas, & laudas, adeoque debes speciem illius peccati in Confessione aperire, sive te ipsum, sive alterum laudes: & quia sæpissime jactantia admixtam habet complacentiam, maxime in peccatis venereis, in quibus sola recogitatio, non gloriatio, solet ad similes affectus excitare, sæpissime adest obligatio exprimendi speciem peccati, de quo gloriaris. Ita Palaus *tom.* 1. *tract.* 2. *disp.* 2. *punct.* 11. *n.* 5. Diana *part.* 3. *tract.* 4. *resol.* 161. Anton. a Spiritu Sancto §. 18. *n.* 476.

66. Conveniunt insuper, non esse peccatum mortale, per se loquendo, si jactantia non sit de ipso peccato, & opere malo, sed de dexteritate, viribus, & arte, qua commissum est peccatum, dummodo tamen absit approbatio, & complacentia ipsius operis, aut scandalum, vel quid simile. Difficultas igitur est, quando nulla datur complacentia operis mali, sed mera jactantia, & gloriatio: *an debeat tunc in Confessione explicari species peccati, de quo gloriatur*, vel sufficiat dicere: *jactavi me de peccato mortali*.

67. Prima Sententia vult, aperiendam esse speciem peccati, de quo gloriaris, & te, aut alterum laudas. Ratio est, quia hujusmodi jactantia reducitur ad illam speciem, ad quam spectat peccatum mortale, de quo est jactantia, & laudatio; virtus enim quælibet non solum prohibet peccatum contrarium, sed etiam jactantiam, & laudationem, qua tale peccatum tamquam bonum approbatur, vel quia jactantia de re mala continet illius approbationem. Ita Sanchez, Lopez, Manuel, apud Leandrum *q.* 12. Candidus *disquisit.* 24. *dub.* 31. Franc. a Jesu M. *c.* 8. *punct.* 4. *n.* 78. & 80. & apud ipsum favet Dicastillus.

68. Secunda Sententia, quam probabiliorem existimo, negat in casu posito, speciem peccati esse exprimendam. Ratio est, quia malitia tota, quæ in peccato jactantiæ reperitur, consistit in eo, quod peccatum, & offensa Dei assumatur tamquam medium ad captandam gloriam, & laudem apud homines; hæc autem æqualiter reperitur in omnibus peccatis mortalibus, & sic gloriatio de peccato, & offensa Dei semper est ejusdem speciei. Nec verum est, quamlibet virtutem prohibere jactantiam de peccato sibi contrario, sicut prohibet delectationem, gaudium, & desiderium illius, ut bene advertit Palaus *to.* 1. *tr.* 2. *disp.* 2. *punct.* 11. *n.* 5. nam jactantia de peccato, quodcumque sit, prohibetur a virtute humilitatis, seu contraria inanis gloriæ, est enim jactantia filia inanis gloriæ, ut dicit D. Gregor. *lib.* 31. *moral. c.* 31. & tradunt Theologi communiter cum D. Thoma 2. 2. *q.* 132. *art.* 5. delectatio vero, gaudium, & desiderium de peccato solum ab ea virtute prohibetur, qua prohibetur ipsum peccatum. Hanc Sententiam tenent Palaus *supra*, referens Navarr. *summ. prælud.* 9. *n.* 4. Lugus *disp.* 16. *n.* 260. Ant. a Spiritu S. §. 18. *n.* 477. Tambur. *in method. Confess. lib.* 2. *c.* 7. §. 3. *n.* 11. Diana *part.* 3. *tract.* 4. *resol.* 161. Leander §. 3. *q.* 12.

69. Hinc duo inferuntur: Primo ad peccatum jactantiæ parum referre: *an peccatum, de quo gloriaris, fuerit commissum, vel non*, quia in utroque casu eadem reperitur irreverentia contra Deum, posita in eo, quod quis Dei offensam sumat, ut materiam propriæ laudis. Secundo, per accidens posse te obligari ad manifestandum peccatum, de quo gloriaris, quando nimirum redundat in magnum dedecus alicujus, ut si glorieris de injuria, & contumelia facta Patri tuo, vel de peccato commisso cum Muliere honestæ famæ, ex quo magnum dedecus Patri, & Mulieri obveniat; tunc teneris hoc explicare, non ratione meræ jactantiæ, sed quia cum illa miscetur Patris tui, aut honestæ Mulieris infamatio.

70. Quod si non te ipsum, sed alium de peccato laudas, vel vituperas, quia non peccavit: vel hoc facis in absentia illius, & tunc, si absit scandalum, non teneris peccatum exprimere; at si laudas, & vituperes in præsentia, teneris peccatum exprimere, quia talis laudatio excitat illum ad sibi complacendum, & gaudendum de peccato patrato, & forte ad iterum patrandum, in quo consistit ratio scandali directi in Confessione manifestandi; tum quia laudatio illa, & vituperatio æquivalet consilio, ac proinde debes peccatum explicare, perinde ac si illud determinate contraheres, ut cum Navarr. Cajet. & Sanchez, docent Palaus, & Ant. a Spiritu S. Si vero alius te laudet de peccato, & tu congaudeas, & laudes acceptas, clarum est, te peccare mortaliter; si vero laudes displiceant, teneris displicentiam ostendere, ne adstantes existiment, te gaudere, & acceptare; quod si laudes displiceant, & præ verecundia taces, cessante scandalo, existimat Sanchez te non peccare mortaliter; sed displicentiam semper esse ostendendam docet Palaus *supra*.

71. Quæres 5. *An qui consuluit opus illicitum, debeat in Confessione explicare speciem peccati, de quo patrando consilium dedit, an vero sufficiat dicere: consilium dedi de peccato mortali faciendo?*

Resp. explicandam esse speciem peccati, quia dando consilium, non solum peccas contra caritatem proximi, cui præbes consilium de ruina spirituali, sed etiam contra virtutem, cui tale peccatum opponitur; quælibet enim virtus non solum obligat, ne contra illam operemur, sed etiam ad non procurandum directe, ne alii contra ipsam operentur: quapropter si Petro furtum consuluisti, Petro non restituente, tu restituere teneris, ut tradunt Navarrus, Sanchez, Lugo, & alii communiter, quos refert, & sequitur Dicastillus *disp.* 9. *n.* 529.

§. IV. *De Blasphemia, & Heresi.*

72. QUæres 6. *An debeat in Confessione explicari qualitates blasphemiæ, & an illa fuerit contra Deum, contra Beatam Virginem, aut contra Sanctos?* Certum est, blasphemiam hæreticalem specie differre a blasphemia simplici, & esse in Confessione explicandam, quia negat veritatem Fidei; & quamvis deficiat assensus internus, opponitur tamen præcepto confessionis Fidei, cui adversatur negatio externa Fidei, etiamsi desit animus, seu assensus internus, ut docet Lugus *disp.* 16. *n.* 279. Certum etiam est, manifestandas esse blasphemias procedentes ex odio formali Dei, ut bene notat Sanchez *in sum. lib.* 2. *cap.* 32. *n.* 39. quia, ultra speciem blasphemiæ, adest ibi formale odium, Dei Caritati oppositum. Probabile etiam est, blasphemiam imprecativam differre specie a convitio rei turpis, ut cum Diana notat Anton. a Spiritu S. §. 20. *num.* 486.

73. Difficultas primo est: *An blasphemiæ prolatæ in Deum specie differant a blasphemiis prolatis in Sanctos, & Beatam Virginem; & debeat in Confessione explicari: an blasphemia fuerit in Deum, vel Sanctos; deinde: an blasphemiæ omnes prolatæ in Deum sint ejusdem speciei inter se, sicut etiam blasphemiæ prolatæ in Sanctos, ac Beatiss. Virginem?*

74. Prima Sententia docet, blasphemias omnes, quæcumque eæ sint, sive prolatæ in Deum, sive in Sanctos, semper esse ejusdem speciei. Ratio est, quia blasphemiæ omnes, sive in Deum, sive in Sanctos, opponuntur uni, & eidem virtutis Religionis, quæ tribuit cultum Deo, & Sanctis

pro-

propter Deum; adeoque etiam blasphemia, qua Deus in se, vel in Sanctis suis blasphematur, ejusdem erit speciei, tum quia ita se habet blasphemia Dei, & Sanctorum, sicut se habet juramentum emissum per Deum, & per Sanctos; sed juramentum per Deum emissum non differt specie a juramento per Sanctos emisso; ergo nec blasphemia. Juxta hanc Sententiam non erit opus in Confessione exprimere, an blasphemia fuerit contra Deum, vel Sanctos, aut Beatam Virginem, quia non differunt specie, & illæ tantum circumstantiæ sunt necessario aperiendæ, quæ speciem mutant. Hanc tenent Cajet. *in sum. verb. Blasphemia.* Homobon. *de Casib. reserv. part.* 2. *cap.* 1. Bonacina *in primum Decalog. præcept. qu.* 7. *punct.* 4. *n.* 1. & alii citatis, Diana *part.* 1. *tract.* 7. *resol* 50.

75. Secunda Sententia tenet, blasphemias contra Deum, & contra Sanctos differre specie inter se, quia opponuntur diversis virtutibus; siquidem blasphemia contra Deum opponitur latriæ, quæ est virtus inclinans ad colendum Deum; contra Sanctos opponitur duliæ, & contra Beatam Virginem hyperduliæ; cum enim diversas habeant excellentias, diversimode coluntur per virtutes specie diversas; ergo etiam opposita vitia debent inter se specie differre, & sic blasphemiæ contra Deum, & contra Sanctos specie differunt, & debent in Confessione explicari. Ita Filliucius, Turrianus, Reginaldus, Sanctarellus, Sancius, Layman, Valentia, Azorius, quos affert Diana *loco supra citato*, sequitur Leander *disp.* 8. §. 3. *quæst.* 15. referens Lugum, Suarez, & Facundez.

76. Pro responsione adverte, Sanctos duplici ratione honorari, & coli posse. Primo propter excellentiam increatam, & divinam, specialiter in illis relucentem, tamquam in Templo Divinitatis; ita quod ipsa Divinitas sit tota, & adæquata ratio formalis movens ad illos colendos, & honorandos, & Sancti se habeant solum materialiter tamquam Templum Divinitatis. Secundo propter excellentiam creatam propriam Sanctorum, id est propter excellentiam gratiæ, & gloriæ, quæ in illis reperitur. Igitur si blasphemia proferatur in Sanctos consideratos primo modo, dehonorando nimirum excellentiam Divinitatis, quæ resplendet in illis, tunc blasphemia prolata in Sanctos erit ejusdem speciei cum illa, quæ profertur in Deum, prout tenet prima Sententia. Si vero blasphemia proferatur in Sanctos consideratos secundo modo absque respectu, & ordine expresso ad Deum, blasphemando, seu dehonorando excellentiam creatam propriam Sanctorum, tunc specie differt a blasphemia, quæ profertur in Deum, prout tenet secunda Sententia, quia illa blasphemia, & inhonoratio, quæ opponitur duliæ, non latriæ, destruit honorem debitum Sanctis, non debitum Deo; cum autem dulia specie differat a latria, sequitur, quod etiam blasphemiæ oppositæ specie different.

77. At quia, regulariter loquendo, qui blasphemat Sanctos non considerat in illis excellentiam Divinitatis, sed excellentiam creatam propriam Sanctorum, & cujuslibet Sancti, quem blasphemat, sequitur, quod, regulariter, & absolute loquendo, blasphemiæ contra Deum, & contra Sanctos specie inter se differant, & debeant in Confessione explicari. Nec obstat argumentum de juramento adductum pro prima Sententia; facile enim negamus majorem. Nam, regulariter loquendo, juramentum non solet fieri per Sanctos, ut a Deo distinctos, quia ut sic non sunt testes infallibiles veritatis, sed per Sanctos ut in illis specialiter relucet Divinitas: qua ratione jurare solemus etiam per Cœlum, per Solem, aut per Thronum Dei, quod est jurare per Deum ipsum, qui in tali creatura magis resplendet, adeoque juramenta omnia, absolute loquendo, sunt ejusdem speciei. At quia Sancti propriam habent excellentiam, secundum quam possunt honorari cultu duliæ, & dehonorari per blasphemiam oppositam, & hac ratione solent communiter blasphemari, sequitur, quod blasphemiæ omnes non sint ejusdem speciei, sed blasphemiæ in Sanctos, aut Beatam Virginem specie differant a blasphemiis in Deum, & sic debeant explicari in Confessione. Quod dixi de juramento, valet etiam proportionaliter de voto, quod regulariter non solet fieri Sanctis, sed Deo in honorem Sanctorum.

78. Blasphemiæ omnes prolatæ in Deum ejusdem sunt speciei, nisi alias essent hæreticales, aut ex odio formali Dei, quia omnes opponuntur eidem virtuti Religionis: similiter omnes prolatæ in Sanctos, aut Beatam Virginem, erunt ejusdem speciei inter se, ut tradunt Diana, & Leander *locis citatis*.

79. Quæres 7. *An sit explicandum in Confessione: an hæresis fuerit Lutherana, Calviniana, aut similis, vel quis defecerit ad Judaismum, vel Paganismum?*

Resp. affirmative, quia licet hujusmodi sectæ non distinguantur specie per oppositionem, quam habent ad Fidem, quam destruunt, seu a qua recedunt; singulæ tamen specialem habent oppositionem cum virtute Religionis, quatenus singulæ involvunt ritus, & cæremonias includentes malitiam specie diversam: sic Judaismus habet Circumcisionem involventem malitiam superstitionis, Paganismus Idololatriam, Calvinismus habet usum invalidi Eucharistiæ Sacramenti, & sic de aliis. Cum autem ille, qui sectam aliquam amplectitur, eo ipso explicite, vel implicite amplectatur etiam cæremonias, & ritus, & habeat voluntatem illa peccata patrandi, sequitur, quod debeat in Confessione explicare sectam, ad quam deflexit. Ita Palaus *tom.* 1. *tract.* 4. *disp.* 2. *punct.* 1. *n.* 6. Lugus *disp.* 16. *n.* 291. Dicastillus *n.* 536. Ant. a Spiritu S. *num.* 493. & aliis relatis, Leander *disp.* 8. §. 3. *q.* 17.

§. V. *De peccatis Luxuriæ?*

80. Quæres 8. *An, qui habet votum castitatis, si peccet cum Muliere habente votum, debeat utrumque votum in Confessione explicare: similiter si Conjugatus peccat cum Conjugata, an debeat explicare utriusque conjugium?*

Resp. affirmative, quia in tali peccato reperitur violatio duplicis castitatis Deo per votum sacræ, seu violatio duplicis voti, & per consequens duplex peccatum numero diversum. Idem dicendum de Conjugato peccante cum Conjugata, quia ibi reperitur duplex injustitia respectu utriusque Conjugis, una, qua violat proprium Matrimonium, altera, qua procurat, seu concurrit ad violationem alterius Matrimonii, ac proinde duplex adest malitia numero diversa, necessario in Confessione explicanda. Ita Palaus *loco supra cit. disp.* 3. *punct.* 3. *n.* 9. Lugus *disp.* 16. *n.* 140. *&* *n.* 258. Candid. *disquis.* 24. *art.* 23. *dub.* 25. *&* 30. Diana *part.* 3. *tr.* 4. *resol.* 164. Vasquez, Sanchez, Suarez, Bonac. & alii communiter, quos affert, & sequitur Leander §. 3. *q.* 54.

81. Quæres 9. *An Sæcularis, qui se polluit tangendo Monialem, Religiosum, seu habentem votum castitatis, teneatur aperire circumstantiam voti, vel sufficiat ipsi dicere: me pollui manibus alterius, seu tangendo alium?* Non esse confitendam circumstantiam voti, docuit Lamas apud Dianam *part.* 3. *tract.* 4. *resol.* 53. affirmant Tamb. *in meth. expedit. Confess. lib.* 2. *c.* 7. §. 10. *n.* 66. ubi habet: si quis se polluat manibus alterius viri, vel feminæ, vel suis alium quis polluat, debet id explicare propter cooperationem cum alterius peccato; immo si te tuis manibus polluas Uxoratum, vel Sacerdotem, &c. debes id explicare, quia cooperaris ad adulterium, vel sacrilegium; at si te suis manibus alius polluat, parum refert pro tuo peccato contra castitatem, quod ille fuerit vir, vel femina, vel Sacerdos; tunc enim (si aliud non addatur) se habent illæ manus ut merum instrumentum, & solum adest cooperatio cum alterius te polluentis peccato. Ita Tamburinus *ibi.*

82. Resp. tamen necessario explicandam esse circumstantiam voti. Ratio est, quia Religiosus te polluendo, seu cooperando ad tuam pollutionem, vere committit actum impudicum contra castitatem, & violat votum emissum, ut dixi supra *dub. præced. quæsito* 4.; ergo etiam tu, qui cooperaris ad peccatum illius, concurris ad violationem voti; ergo debes circumstantiam voti violati in Confessione explicare. Ita Leander §. 3. *q.* 13. Sequuntur Diana *par.* 9. *tract.* 9. *resol.* 65. Candidus *disquis.* 24. *art.* 24. *dub.* 17. & alii apud Leandrum.

83. Quæres 10. *An in peccatis carnis debeat explicari circumstantia copulæ consummatæ, vel sufficiat dicere: commisi peccatum grave contra castitatem cum Soluta?* Hoc ultimum affirmasse nonnullos Recentiores, testatur Luysius, Turrianus *de Pœnit. q.* 9. *art.* 2. *disp.* 24. *dub.* 1. *ad* 5. quia inter tactus impudicos, & copulam nulla apparet differentia specifica.

84. Resp. esse necessario explicandam circumstantiam copulæ, & dicere, quod ille, *qui habuit copulam cum Soluta, satisfacit Confessionis præcepto, dicens: commisi cum Soluta grave peccatum contra castitatem, non explicando copulam*, est propositio 25. inter damnatas ab Alexandro VII. Ratio esse potest, quia virtuti castitatis diverso modo opponitur copula, quam opponantur tactus, & oscula; nam copula opponitur tamquam actus consummatus, per quem cum effectu damnum proli infertur, alii vero actus opponuntur tantum tamquam dispositiones ad actum consummandum, & quia specialem habent deformitatem, seu turpem delectationem, ratione cujus specialiter prohibentur. Ita Doctores communiter apud Lugum *disp.* 16. *n.* 238.

85. Hic statim dubitatur: *an, & quando tactus impudici sint in Confessione explicandi, tamquam peccata numero distincta ab ipsa copula?*

Resp. tactus impudicos, oscula, amplexus, & actus hujusmodi libidinosos, fornicationem præcedentes, aut immediate consequentes, non esse peccata distincta, nec necessario exprimenda, explicata copula, quia unum quid cum illa constituunt, illi tamquam inchoantes, isti tamquam complentes copulam consummatam, qua explicata, censentur etiam prædicti actus sufficienter explicati, nisi forte actus subsequentes, ex intentione peccantis, ad novam copulam ordinentur, quia tunc cum non essent complementum actus præcedentis, sed inchoatio subsequentis, essent peccatum numero distinctum a copula præcedente; sicut etiam essent peccatum distinctum, si non fierent immediate, vel paullo post, sed longo temporis intervallo post fornicationem. Ita Doctores communiter, Lugus *disp.* 16. *n.* 554. Palaus *tom.* 1. *tract.* 2. *disp.* 2. *punct.* 1. *nu.* 5. Navarrus *cap.* 6. *n.* 17. Diana *part.* 1. *tract.* 7. *resol.* 42. Anton. a Spiritu S. *disp.* 8. *sect.* 2. §. 1. *n.* 434. & aliis pluribus citatis, Leander *disp.* 8. §. 6. *qu.* 6. *&* 8.

86. Quod

86. Quod si prædicti actus fierent propter solam delectationem, sine intentione, & ordinatione ad copulam, essent necessario explicar[illegible], quia habent propriam malitiam, attenta, seu explicata etiam qualitate personæ, cum qua habentur, an cum Soluta, cum Moniali, vel Conjugata. Si vero prædicti actus fiant sine intentione ad copulam, & postea, mutato animo, in eadem occasione progrediantur ad copulam, *an tunc debeant explicari tamquam peccata diversa?* variant Doctores: aliqui affirmant, quia tales actus nullam habent connexionem cum copula postea sequuta. Diana *part.4. tract.4. resol.* 205. referens Hurtadum *disp.9. de Pœnit. diffic.6.* Lugus *disp.* 16. *n.* 556. Ant. a Spiritu S. *n.*434. sed Leander supra *q.*10. cum Recentioribus a se consultis satis probabiliter negat, quia licet in dicto casu deficiat finis operantis, non deficit tamen finis ipsius operis, ratione cujus sufficienter connectuntur, & unum quid constituunt cum opere principali, quod postea sequitur, & unum constituunt peccatum in genere moris, ac remanent explicati, explicata fornicatione.

87. Quæres 11. *An in peccato Sodomiæ teneatur pœnitens explicare, fuerit ne agens, vel patiens?* Negant plures, quia peccatum utrimque pertinet ad eamdem speciem peccati contra naturam, cujus malitia habetur ex concubitu personæ ejusdem sexus; sed hæc ratio concubitus cum persona ejusdem sexus tam servatur in agente, quam in patiente; ergo tam agens, quam patiens in ratione concubitus cum eodem sexu, seu in Sodomia eodem modo se habent. Ita plures, quos refert Diana *part.3. tract.4. resol.* 159. *& part.5. tr.* 14. *resol.* 56. *& part.7. tr.* 10. *resol.* 8. Mazuchell. *de casib. reserv. disp.2. cap.* 22. *diffic.* 1.

88. Resp. affirmative, quia ex parte agentis intervenit pollutio propria, quæ non datur in patiente, & diversum est peccatum voluntarie pollui, & solum cooperari pollutioni alterius, ut optime docet Lugus *disp* 16. *nu.* 243. ac proinde debet necessario explicari circumstantia agentis propter malitiam, quam affert Lugus *ibidem*, Tambur. *in methodo Confess. lib.2. c.7. n.*73. Dicastill. *disp.9. num.* 45.

89. *An sit explicanda persona, cum qua committitur Sodomia, an sit mas, vel femina?* affirmant Bonacina *de Matrim. q.4. punct.* 11. *n.*7. Diana *part.* 1. *tr.7. resol.* 2. & apud ipsum Tannerus, & Zanardus, quia existimant esse diversæ speciei. At ego existimo non esse necessarium, quia licet concubitus iste cum femina non sit rigorosissima Sodomia, tamen ad Sodomiam reducitur; unde satisfaceret dicendo, peccavi contra naturam, nisi forte mulier esset Conjugata, aut voto castitatis adstricta, vel Consanguinea, aut Affinis, quia tunc deberet etiam explicari circumstantia personæ, vel etiam, ut ostendat, se non incidisse in casum reservatum, si Sodomia cum masculis solum sit reservata, non vero cum feminis. Ita Mazuchellus *loco cit. num.* 24. Leander *q.* 31. & alii. Qui præpostere virginem cognovit, non tenetur fateri circumstantiam virginitatis, quia in Sodomitico congressu cum virgine non committitur stuprum, cum claustrum virginale non violetur. Ita cum Candido, & Bonacina Ant. a Spiritu S. *num.* 442.

90. Qui Sodomitice peccavit cum duobus fratribus, vel cum a se baptizatis, vel cum eo, quem de Sacro Fonte levavit, vel cum filio a se adoptato, non tenetur has circumstantias in Confessione explicare, quia nulla est lex specialis, quæ illos coitus prohibeat, præter legem naturalem prohibentem Sodomiam; unde sufficit dicere, se Sodomiam commisisse. Ita Azorius, & Bonacina, quos refert, & sequitur Candidus *tom.2. disquisit.24 art.*23. *dub.*24. Mazuchellus *supra*. Diana *part.6. tract.* 12. *resol.* 17. Ant. a Spiritu S. §. 10. n. 455.

91. Quæres 12. *An qui peccavit cum muliere mortua, teneatur hanc circumstantiam aperire, vel sufficiat dicere, commisi pollutionem?* Teneri circumstantiam aperire, docet Pelizzarius *in Manuali Regular. tom.* 1. *tract.4. cap.* 3. *nu.*7. quia talis copula malitiam habet bestialitatis; sed illum impugnat, & bene Diana *part.9. tr.9. resol.* 1. quia bestialitas est actio viventis cum vivente alterius speciei; & ipse vult, esse tantum peccatum pollutionis: ducitur, quia, tunc fit pollutio mediante instrumento inanimato, ex ratione, qua solum peccatum pollutionis committeret, qui peccaret cum statua, vel pictura, adeoque sufficit in Confessione dicere, commisi pollutionem, nisi forte taliter peccans affectum haberet fornicationis, adulterii, aut stupri, pro qualitate mulieris, quia tunc deberet talem affectum explicare. Ita etiam tenent Leander §. 3. q. 59. & Ant. a Spiritu S. §. 19. *n.*466.

92. Existimo, explicandam esse circumstantiam mulieris mortuæ, quia talis concubitus est quædam sævities in corpus, & honestatem illius mulieris; sicuti qui inimicum mortuum adhuc percuteret, scinderet in partes, easque disperderet, deberet in Confessione exprimere actum feritatis adhibitum erga mortuum; ergo etiam debet exprimere concubitum contra pietatem, reverentiam, & humanitatem, quam erga cadavera exercere debemus. Accedit, quod mortui non amittunt jus ad propriam famam, & honestatem, & sic non possunt eorum cadavera dehonestari per turpem illum concubitum. Ita tenet Gabriel a S. Vincentio *in suis Consil. & Respons. respons. ult.*

93. Quæres 13. *An qui pollutionem habet cum puero nondum doli capace, vel cum femina dormiente, vel cum bestia, extra concubitum, teneatur in Confessione explicare hujusmodi circumstantias, vel sufficiat dicere: habui pollutionem?*

Resp. non esse illas circumstantias explicandas, quia licet omnia illa diversa sint in genere entis, conveniunt tamen in genere moris; siquidem peccatum mollitiei venereæ constituitur ex voluntaria pollutione absque concubitu quocumque, & sic illa pollutio procurata per quodcumque instrumentum, sive conjunctum, sive separatum, dummodo absit concubitus in facto, vel in intentione, non importat differentiam specificam. Ita Cajet. & Azorius, quos citat, & sequitur Diana *part.7. tract.*12. *resol.*15. Mazuchellus, quem refert *ibid.* Diana *resol.*23. Dicastillus, Trullench, & Caramuel, quos affert Ant. a Spiritu S. *sect.* 2. §. 3. n. 438.

94. Qui puerum, vel feminam deosculatus est in pudendis, non teneri hanc circumstantiam partium pudendarum expresse fateri, cum non mutet speciem, sed sufficere se accusare de osculo facto cum puero, vel cum muliere, docet Diana *part.3. tract.4. resol.*225. Qui se polluit inter crura alterius, inter mamillas, vel brachia, vel in ore, seu alia parte corporis, non tenetur illam partem corporis aperire, cum istæ materialiter se habeant, sed satis est aperire intentionem, seu finem, & qualitatem personæ; puta, cognovi mulierem liberam, aut puerum extra vas. Bonac. *de Matrim. q.4 punct.* 11. n. 15. quem refert Anton. a Spiritu S. §. 13. *n.*462. ubi etiam docet, coeuntem cum puero supercubando, sicuti super mulierem, non teneri hanc circumstantiam fateri, sed sufficere, si dicat: me pollui actibus alterius, nam illa circumstantia est solum aggravans. Idem dicit de muliere cum altera, veluti cum viro succumbente, propter eamdem rationem; secus si præpollere cum alia dormiat, nam tunc peccatum commisit Sodomiæ saltem reductive. Ita etiam tenet Mazuchell. *de Casib. reserv. disp.* 2. *c.* 22.

95. Quæ evenire solent inter Conjugatos, facilius dicentur suo loco, cum de usu Matrimonii erit sermo,

§. VI. *De cogitationibus Venereis.*

96. QUæres 14. *An in delectatione morosa debeat explicari circumstantia personæ, de qua sumpta est delectatio, an Mulier sit Soluta, Conjugata, Monialis?* Delectatio morosa est simplex complacentia objecti illiciti cum plena advertentia, & consensu voluntatis, sine intentione operis exequendi. Dicitur morosa, non a mora temporis, cum possit esse momentanea, & instantanea, sed a mora rationis, ac voluntatis, quæ postquam plene advertit objectum malum, adhuc moratur sibi complacendo in ea delectatione, vel non expellendo, cum possit, & debeat expellere. Dicitur simplex complacentia, prout distinguitur a desiderio efficaci objectum consequendi.

97. Conveniunt scriptores, delectationem de copula Sodomitica, seu bestiali, necessario esse explicandam, quia hujusmodi circumstantiæ transfundunt in actum malitiam specie diversam, a qua non potest actus delectationis praescindere. Conveniunt etiam, delectationem de copula cum Conjugata, Moniali, seu Consanguinea, prout reduplicative tali, explicandam esse, quia istæ circumstantiæ sic volitæ transfundunt malitiam diversam sacrilegii, incestus, & contra justitiam. Difficultas ergo est, quando hujusmodi circumstantiæ non sunt specialiter intentæ, & volitæ: *an debeat in Confessione explicari, vel sufficiat dicere: habui turpem delectationem circa Mulierem, non exprimendo, an sit Soluta, Conjugata, Monialis, aut Consanguinea*, in quo sensu

98. Prima Sententia docet, explicandam esse circumstantiam personæ, quia pro diversitate objecti diversificantur specie delectationes, quæ sumunt malitiam ab objecto, & ab omnibus circumstantiis in illo repertis, etiamsi reduplicative non intendantur. Ita Suarez, Lorca, Martinez, Lessius, Sylvius, & Cajetanus apud Madernum *s.2. tr.7. disp.4. de peccatis ar.6.* Bonac. *de Matrim. q.4. pun.*8 *n.*18. Candidus *disquis.* 24. *art.*23. *dub.*16. Lugus *disp.* 16. *n.* 377. Facundez, & alii.

99. Secunda Sententia, quam veriorem existimo, negat, existimans omnes delectationes morosas esse ejusdem speciei, nec specie differre, si quis delectetur de copula cum Soluta, Conjugata, Moniali, seu Consanguinea, quando hujusmodi circumstantiæ non sunt expresse, & reduplicative volitæ. Ratio est, quia delectatio tantam habet malitiam, quanta repræsentatur in objecto; sed qui per simplicem delectationem delectatur de copula cum aliqua muliere, potest tantum considerare copulam cum muliere pulcra, abstrahendo ab hoc, quod talis mulier sit Conjugata, Monialis, aut Consanguinea; ergo tunc illa delectatio specificata tantum a muliere, quia pulcra, præscindendo ab aliis circumstantiis, quæ sunt in illa muliere, non contrahit illarum circumstantiarum malitiam, & sic delectatio simplex semper erit ejusdem speciei, circa quamcumque mulierem versetur.

100. Conf. ex discrimine, quod intercedit inter desiderium, & simplicem complacentiam; nam desiderium, seu voluntas efficax alicujus objecti fertur in objectum, prout est a parte rei cum omnibus circumstantiis, & ab illo taliter circumstantiato specificatur, ac proinde desiderium

peccan-

peccandi cum Soluta, specie differt a desiderio peccandi cum Conjugata, seu Moniali, propter diversitatem objecti, quod totam malitiam, quam habet, transfundit in actum. At simplex complacentia, licet possit ferri in objectum, & in omnes circumstantias, quas habet a parte rei, regulariter tamen ab illis præscindit, & specificatur ab objecto, præcisive ab illis circumstantiis, quæ parum delectationi deserviunt: v. g. quis delectatur de copula habita, vel habenda cum aliqua muliere, præscindit ab eo, quod sit Conjugata, Monialis, aut Consanguinea, & solum considerat rationem mulieris pulcræ, a qua sic præcisive considerata specificatur delectatio, quæ proinde non contrahit malitiam aliarum circumstantiarum, & inde non erit necesse illas in Confessione exprimere, Ita Vasquez, Reginaldus, Azorius, Gaspar Hurtado, Castro Palaus, Coninch, Layman, Sanchez, Oviedo, quos affert, & sequitur Madernus *supra*, Bossius *part. 3. moral. tit. 1. num.* 2283. Diana pluribus in locis *part. 1. tract. 7. resol.* 48. *part. 3. tract. 4. resol.* 67. nec dissentire videtur Leander *disp.* 8. §. 2. *q.* 20. nec illam improbabilem existimat Bonacina *loco citato*.

101. Dices: delectatio venerea de Sodomia est specie diversa a delectatione venerea de fornicatione; ergo etiam delectatio venerea de Conjugata, seu Moniali, specie differt a delectatione de simplici fornicatione, cum nulla videatur assignabilis disparitas. Sed contra, dato antecedente, nego consequentiam: disparitas est, quia malitia sodomiæ, & bestialitatis, & fornicationis spectant ad genus luxuriæ, a quo non possunt præscindere; at malitia Conjugatæ, Monialis, & Consanguineæ non spectant ad genus luxuriæ, sed ad alias virtutes, nempe ad religionem, justitiam, & pietatem, a quibus proinde potest delectatio præscindere, ac proinde haberi poterit delectatio venerea de muliere pulcra, præscindendo ab eo, quod sit Monialis, Conjugata, vel Consanguinea: non vero potest haberi delectatio venerea de sodomia, aut bestialitate, præscindendo ab illarum differentiis.

102. Dices 2. Delectatio venerea non solum est mala ex motivo malo, sed etiam est mala ex caussalitate, quam ex natura sua habet in opus externum; nam quando adest delectatio venerea in voluntate, sequitur etiam delectatio in appetitu, in quo vim habet excitandi ardorem corporis, & commovendi materiam libidinis ex diversis partibus, quæ omnia ex natura sua usque ad perfectionem actus consummati ordinantur; ergo sicut voluntas efficax imbibit omnes illas malitias objecti, quia tendit ad opus; ita delectatio hæc inefficax.

Resp. delectationem veneream commoventem, & excitantem appetitum sensitivum, habere illam malitiam, quæ sumitur ex objecto movente, & excitante; si enim objectum sit licitum, ut in Conjugatis, delectatio erit licita; si objectum sit malum, & apprehendatur secundum omnes circumstantias, transfundit totam malitiam, quam habet, in actum delectationis. Si vero apprehendatur inadæquate, secundum rationem mulieris pulcræ, transfundit solum malitiam fornicationis; nec valet eadem ratio de actu efficaci, qui cum feratur in objectum realiter consequendum a parte rei, imbibit omnes, & singulas malitias, quas habet objectum a parte rei, nec potest ab illis præscindere.

103. Quæres 15. *An Religiosus, vel Conjugatus, si mente delectetur de copula cum aliqua muliere, peccent contra votum castitatis, & contra fidem conjugii?*

Resp. Religiosum per talem delectationem veneream peccare contra votum castitatis, per quod specialiter sibi interdixit omnem delectationem veneream tam internam, quam externam, ut docet Madernus *cit. art.* 7. *n.* 8. *in fine*, Lugus *disp.* 16. *n.* 386. Candidus *disquis.* 24. *art.* 24. *dub.* 13. Castro Palaus *tom.* 1. *tract.* 2. *disp.* 2. *punct.* 10. §. 4. *n.* 4. Vasquez, Bonacina, Reginaldus, Coninch, & alii communiter apud Leandrum *q.* 22. De Conjugatis major est difficultas, quia per conjugium non videntur Conjuges se obligare ab his delectationibus abstinere, sicut obligantur voventes castitatem; siquidem hæ delectationes solent alteri Conjugi esse incognitæ, nec per illas privantur copula sibi debita, nec injuriam patiuntur, & sic non sunt contra justitiam, sed solum contra temperantiam, ut docent Palaus *loco cit.* & alii apud Leandrum *q.* 24.

104. Existimo tamen, etiam Conjugem per delectationem veneream cum alia muliere peccare contra fidem Conjugii, quia peccat contra fidem Conjugii, & Matrimonii se polluendo, cum sibi interdixerit usum sui corporis, nisi ad finem Matrimonii; ergo etiam contra eamdem peccabit per illam delectationem veneream cum alia muliere; siquidem talis delectatio semper affert secum turpem corporis commotionem, estque principium pollutionis, Conjugibus interdictæ extra usum Matrimonii; & ita tenere Fidelium praxim docet Leander; sequuntur Bonacina *quæst.* 4. *punct.* 8. *de Matrim. n.* 19. Lugus, Candidus, Sanchez, Salas, & alii communiter apud Leandrum.

105. Quæres 16. *An qui desideravit habere copulam cum Titia matre, & cum Francisca ejus filia, teneatur hanc circumstantiam aperire?*

Resp. negative, quia incestus contrahitur solum, quando quis de facto habet copulam cum muliere, non autem per desiderium copulæ cum matre, & cum filia. Si prius de facto habuisset carnalem copulam cum matre, & postea desideraret peccare cum filia, utique deberet hanc circumstantiam explicare, quia per illam copulam factam cum matre fit affinis filiæ, cum qua desiderando peccare, contraheret malitiam incestus: at per solum desiderium peccandi cum matre, nulla contrahitur affinitas. Ita Diana *part.* 10. *tract.* 15. *resol.* 13. Tancredo, & Bordonus, quos sequitur Ant. a Spiritu S. *disp.* 8. *sect.* 2. §. 12. *n.* 460.

106. Qui unico actu voluntatis voluit cum pluribus feminis peccare, si illæ sunt ejusdem rationis, non debet necessario explicare numerum feminarum, sed sufficit, si dicat, unico actu plures mulieres concupivi, quia, ex supradictis, est unicum peccatum; & quamvis plures habeat malitias numero distinctas, non sunt tamen omnes distincte explicandæ, nisi sint malitiæ speciei diversæ: qua ratione deberet explicare qualitatem, & numerum feminarum, si concupisceret Conjugatam, Monialem, Consanguineam, Solutam, quia tunc actus ille contraheret malitias specie diversas. Ita Leander §. 3. *quæst.* 15.

§. VII. *An possit, & debeat in Confessione manifestari Complex, & Socius peccati?*

107. Difficultas procedit in casu, quo non possit pœnitens integre confiteri suum peccatum, sine manifestatione Complicis, si videlicet peccavit cum propria sorore bene nota Confessario: *an tunc possit, & debeat confiteri tale peccatum, non obstante infamia, quam incurrit Complex apud Confessarium?* Et quidem certum est, te non posse Complicem manifestare sine necessitate, unde teneris prius quærere alium Confessarium, qui Complicem non agnoscat, nec in ejus notitiam possit devenire, cui integre confitearis sine læsione famæ proximi, & hac de caussa differre Confessionem, si speras brevi adventurum Confessarium ignotum. Certum etiam est, te non posse Complicem manifestare, si prudenter timeas Confessarium inde sumpturum occasionem complicem male tractandi, vel infamandi, aliudve grave damnum inferendi. Si autem nullum aliud damnum sequatur Complici præter infamiam, quam incurrit apud Confessarium, nec possis habere alium Confessarium ignotum, nec expectare, quia instat præceptum, vel Confessionis, vel Communionis, tunc

108. Prima Sententia docet, te posse, ac teneri reticere peccatum, ex cujus manifestatione Complex infamiam incurrit apud Confessarium, illudque differre quoadusque invenies Confessarium ignotum, cui possis integre confiteri, sine læsione famæ proximi; quod adeo verum aliqui existimant, ut doceant, nec etiam in mortis articulo te posse Complicem manifestare, sed teneri, vel alium quærere Confessarium, vel omittere peccatum, vel circumstantiam, ex qua Complex dignosci possit. Ratio est, quia obligatio conservandi bonam famam proximi, seu ipsum non infamandi, magis urget, quam obligatio faciendi Confessionem materialiter integram, illa siquidem oritur ex præcepto naturali, hæc ex præcepto positivo; sed in dato casu, faciendo Confessionem materialiter integram, infamaretur Complex apud Confessarium, qui bene illum cognoscit, & bonam de illo habet existimationem; ergo tunc potest, & debet reticeri peccatum manifestativum Complicis, ne apud Confessarium infametur: maxime quia Complex sæpe vellet suum peccatum potius manifestari pluribus, quam suo Prælato, qui prius bonam de illo habebat existimationem, & post talem notitiam non amplius habebit: Ita tenent Navar. Armilla, Lopez, Jo: de Cruce, Scotus, Bannez, Valentia, Faii, Villalobos, Pitignanus, Fabrus, quos citat, & sequitur Diana *p.* 1. *tract.* 7. *resol.* 49. & *p.* 3. *tr.* 4. *resol.* 64. sequitur etiam Ant. a Spiritu S. *sect.* 3. §. 26. *n.* 548. ubi pro eadem citat Viguerium, Marsilium, Vivaldum, Bassæum, Trullench, & Medinam.

109. Inde inferunt, Pœnitentem, qui Complicem revelavit, peccare non solum contra caritatem, sed etiam contra justitiam, cum obligatione famam restituendi, quod faciet dicendo Confessario extra Confessionem, sed sub sigillo, *erravi, dum tibi unum Complicem pro alio dixi*; & in casu, quod famæ restitutio sit impossibilis, aut inutilis, excusabitur ratione impotentiæ. Ita cum Bassæo verbo *Circumstantia* §. 6. Ant. a Spiritu S. *n.* 550. Inferunt etiam, Confessarium non posse suum peccatum declarare in Confessione, si inde revelet peccatum pœnitentis auditum in Confessione, quia præceptum de sigillo arctius est, quam præceptum de integritate.

110. Secunda Sententia communior, & sequenda docet, posse, & debere pœnitentem in eo casu integre confiteri suum peccatum, non obstante infamia, & notitia Complicis apud Confessarium: probant aliqui ex generali ratione, quod non sit grave damnum, & gravis infamia manifestare defectum proximi apud unum virum cordatum, & pium, qui secreto retinebit, ob utilitatem spiritualem, seu temporalem ipsius, vel ad petendum consilium, seu orationis auxilium, quæ ratio fundamentum habet ex D. Thoma 2. 2. *q.* 73. *art.* 2. dicente, manifestationem peccati alterius posse esse licitam, si fiat ex rationabili caussa, & servatis debitis circumstantiis; sed in præsenti casu datur rationabilis caussa, ut Complicis peccatum manifestetur, ad servandam integritatem Confessionis; ergo licita est manifestatio, &

inde

inde etiam obligatoria; nam præceptum servandi integritatem Confessionis urget, quoties servari potest. At quia hoc fundamentum est examinandum in propria materia de detractione, melius

111. Probatur ex voluntate Christi, qui instituendo hoc Sacramentum cum obligatione integritatis, sicut obligavit pœnitentem ad manifestandum omnia mortalia, & omnes circumstantias mutantes speciem, ut constat ex Trid. *sess.* 14. *c.*5. & ad subeundam infamiam apud Confessarium; ita propter eamdem integritatem voluit, & obligavit ad manifestandum peccatum Complicis, etiam cum infamia ipsius, apud Confessarium. Accedit, quod Complex censetur cessisse juri suo ad propriam famam, dum sciebat, pœnitentem debere suum peccatum fateri etiam apud Confessarium, cui Complex est notus, si commode accedere non poterit ad Confessarium ignotum. Ita docent D.Thomas, D.Bonav. Durandus, Ricardus, Suarez, Vasquez, Lugus, Bonacina, & alii plusquam 40. Doctores, quos referunt, & sequuntur Leander *disp.* 5. *de integrit. Confess. q.*60. Aversa *q.*10. *sess.* 15. & Franc. a Jesu Maria *c.*8. *punct.*5. *n.*127. sequuntur Madernus *q.*4. *art.*7. Palaus *tr.*23. *disp. unic. punct.* 11. *n.*7. Tambur. *in meth. Confess. lib.*2. *c.*9. §.2. & alii magis communiter.

112. Hinc facile respondetur ad fundamentum primæ Sententiæ, præceptum naturale conservandi bonam famam proximi, seu ipsum non infamandi, non obligare absolute, sed solum si illa infamatio non sit necessaria ad aliquod majus bonum consequendum, & adsit veritas delicti, quod est exprimendum, ut evenit in casu nostro, ubi talis infamatio est necessaria ob integritatem Confessionis, & fructus inde percipiendos. Maxime, quia Complex, ut dicebam, constituendo se socium criminis, videtur cessisse juri suo, ut tale peccatum possit in Confessione explicari: nec illa proprie est infamatio, quia nec fit animo infamandi, & indirecte tantum fit ad manifestandum proprium peccatum, ut observat Madernus *num.* 17.

113. Dices: quando ex confessione alicujus peccati timetur aliquod grave damnum, sive pœnitenti, sive alteri, potest illud peccatum taceri; ergo etiam potest taceri, si sequatur infamia Complicis. Sed contra, dato antecedente, negatur consequentia. Dupliciter potest malum evenire ex manifestatione peccati, primo ex natura ipsius confessionis, secundo ex malitia, seu imprudentia Confessarii; malum, quod hoc secundo modo sequitur, excusat ab integritate Confessionis, non vero, quod sequitur primo modo; nam malum illud cum sit intrinsecum Confessioni, non potest quis obligari ad Confessionem, nisi obligetur ad malum id subeundum; diminutio famæ, sive propriæ, sive Complicis, ad Confessarium est necessario connexa cum Confessione, & sic Deus, obligando ad Confessionem, obligat etiam ad illam infamiam subeundam, non autem ad subeunda alia mala, quæ non sunt connexa cum Confessione, & sequuntur ex malitia, seu imprudentia Confessarii.

114. Quæres 17. *An manifestari possit Complex peccati venialis, aut mortalis alias confessi?*

Resp. negative; nam peccata venialia, vel mortalia, alias rite confessa, non sunt materia necessaria: tenemur alia confiteri ad salvandam integritatem Confessionis, quæ procedit tantum pro mortalibus, & sic nulla datur causa, cur pœnitens possit denigrare Complicis famam ita graviter apud Confessarium, cum tam facile possit illam conservare. Ita Madernus *n.* 21. & Lugus *n.* 411.

115. Quæres 18. *An non solum possit manifestari persona Complicis, sed etiam alia, quæ non fuit Complex, sed solum occasio, seu objectum peccati; ut si Filius occidat Matrem gravidam ex adulterio, vel occidat quempiam, qui publice reputabatur Laicus, sed ipse sciebat, eum esse Religiosum apostatam, an teneatur exprimere gradum maternitatis, & simul graviditatem Confessario, qui veniet in cognitionem adulterii commissi a Matre, seu apostasiæ commissæ a Religioso apostata?*

Resp. affirmative, propter assignatam rationem servandæ integritatis Confessionis.

116. Quæres 19. *Quanto tempore teneatur Pœnitens expectare Confessarium, qui Complicem non agnoscat?*

Resp. non teneri regulariter expectare ultra diem, aut biduum, quia magnum est incommodum vivere in peccato lethali, & diutius expectare remedium reconciliationis, quod alias per Contritionem obtinere difficile est. Ita cum Lugo docet Tambur. *loco cit. n.*11. qui *n.* 13. notat, sine alia expectatione, & alio Confessario ignoto non requisito, posse Pœnitentem licite manifestare Complicem propter solam consolationem, quam sentit cum amico, & docto Confessario: quia tunc non est propria criminis diffamatio, ut notavimus supra ex D. Thoma; & quia in sententia multorum non est peccatum, saltem mortale, revelare secreto alterius crimen uni, vel duobus viris prudentibus, a quibus non revelabitur, multo magis si manifestetur propter consolationem uni Confessario; & quia passim Fideles, etiam timorati, non sunt solliciti de Complicibus celandis Confessario, quod est signum, fieri posse sine peccato.

„ *Aliam hinc deducere poteris pernecessariam notionem in praxi observandam; nullo modo scilicet Confessario ipsi licere Complicis nomen a Pœnitente inquirere. Quamobrem prætereunda hic non sunt, quæ apud Benedictum XIV. leguntur in sua Synod. Diœces. lib.* 6. *c.*6. *ubi fuse non minus, quam erudite, Patrum, atque Conciliorum innixus auctoritatibus, sententiam hac de re tenendam, ab omni prorsus dubio solutam, hisce verbis exponit, quam postmodum Apostolicis litteris confirmatam in fine hujusce Tomi, suo positam loco inter Bullas, quæ ad Pœnitentiæ Sacramentum spectant, ex Bullarii Tom. I. decerptam, videre commode poterit.* Cavere debet Confessarius, ne occasione, seu prætextu exquirendi a Pœnitente peccati, quod confitetur, circumstantias, eumdem inducat ad pandendum nomen Complicis, hoc est personæ, cum qua peccatum illud perpetravit. Etenim, quidquid sit, quando liceat Pœnitenti sui criminis Socium libere, & sponte Confessario revelare; certum tamen est, raro evenire posse, ut liceat Confessario Complicis nomen a Pœnitente sciscitari, multoque minus ad illud sibi patefaciendum eumdem obligare. Et nihilominus haud ita pridem rumor ad nos pervenit, aliquot Sacramenti Pœnitentiæ Ministros, suffultos quorumdam Theologorum aut falsa, aut male intellecta doctrina, cœpisse, non solum a Pœnitentibus Complicis nomen exquirere, sed ad illud sibi aperiendum, locumque insuper designandum, ubi is habitaret, eosdem adigere, denegata renuentibus alterutrum manifestare Sacramentali absolutione; hujus vero perniciosæ praxis hanc præferebant caussam, videlicet; ut ipsi Complicem postea corriperent, atque ita in ejus tantum utilitatem hujusmodi uterentur revelatione. Verum Nos, gravia considerantes mala, quæ inde necessario consequebantur; Proximi enim lædabatur fama, arctum Sacramentalis Confessionis sigillum periclitabatur; absterrebantur Fideles a suis culpis Confessario integre, prout ceteroquin opus est, manifestandis; rixæ, & discordiæ dissem:nabantur, & tota demum perturbabatur Communitas: idcirco, pro Nostro Supremi Apostolatus munere, prædictum, tunc primo pullulantem abusum, priusquam inolesceret, præsocandum duximus Nostris Apostolicis litteris, quæ habentur *Nostri Bullarii to.* 1. *pag.* 535. aliisque duabus posterioribus Constitutionibus *to.* 2. *ejusdem Bullarii* propediem edendis.

Quod autem faciendum fuit a Nobis, qui omnium Ecclesiarum gerimus curam, non illico fieri decuisset a quolibet Antistite, cui unius particularis Ecclesiæ commissum est regimen; is siquidem sollicitus esse debet de sua excolenda Diœcesi, non de insectandis abusibus, quos audit in aliena inolescere, nisi prudenter prævideat eosdem, si non statim retundantur, suam pariter esse mox subituros; ubi enim abusus non est, quando novæ constitutionis fræno vitium cohibetur, quod numquam Diœcesim invasit, injuriam sibi fieri credunt Diœcesani, putantes nimirum, se quodammodo infamari, quasi reos criminis, quod ipsi non admiserunt. Ad Præsules vero, si forte eorum Diœceses exitiosus ille morbus inficeret, spectabat sane opportunis sanctionibus eum quantocius propulsare; quod sanctissime factum legimus in pluribus antiquis Synodis. In Synodo enim Bajocensi anni 1300. *c.* 82. (*collect. Harduin. tom.*7. *col.* 1238.) habetur: *in Confessione sibi caveant Sacerdotes, ne inquirant nomina personarum, sed circumstantias tantum, quæ possunt aggravare peccatum.* In Synodo Lingonienfi anni 1400. *Caveant Sacerdotes, ne in Confessione inquirant ab iis, quorum audiunt Confessiones, ut nominent eis expresse personas, cum quibus ipsi confitentes peccaverint, nisi esset tale peccatum, quod oporteat exprimi aliquid de persona; puta, peccavi cum filia mea naturali, vel spirituali, vel nepte; & hoc casu non debet dici nomen proprium, aut cognomen personæ.* In Synodo Leodicensi anni 1405. *inhibemus Sacerdotibus, statuendo, & omnibus Confessoribus, ne a Confitentibus nomina illorum, cum quibus peccaverunt, inquirant, vel circumstantias, per quas possint nomina eorum designari. Quod si fecerint, ab officio audiendi Confessiones noverint se ipso facto esse suspensos.* In Synodo Senonensi anni 1524. *in audiendis Confessionibus caveant Sacerdotes, ne inquirant loca mansionum, & nomina personarum, cum quibus peccaverunt Confitentes.* His concinunt Synodus Carnotensis anni 1526. Synodus Parisiensis anni 1557. Statuta Synodalia Ecclesiæ Trecensis, & Sitridi Archiepiscopi Coloniensis, quæ videri possunt in Tractatu historico, & dogmatico *de secreto inviolabili Confessionis*, edito anno 1708. a Langlet Du-Fresnoy *pag.* 223. & *seqq.* In aliis autem innumeris Synodis, quamquam speciatim agatur de Sacramento Pœnitentiæ, nulla tamen occurrit peculiaris Constitutio, qua expresse prohibeantur Confessarii, ne a Pœnitentibus Complicum nomina exquirant, quia scilicet ejusmodi detestandus abusus non in omnes irrepserat Diœceses, ac proinde non ab omnibus erat speciali Constitutione repellendus. „

DUBIUM IV.

De Circumstantia, Ubi.

117. Tertia circumstantia *Ubi* denotat locum delicti, & proprie denotat locum Sacrum, a quo delictum

ctum in eo commissum contrahi rationem Sacrilegii contra reverentiam debitam locis Deo dicatis, quæ circumstantia est necessario in Confessione explicanda, cum non augeat, sed mutet speciem peccati. Nomine loci Sacri venit Ecclesia consecrata, vel benedicta, & Cœmeterium ad sepulturam Fidelium benedictum, & deputatum.

118. Quæres 1. *An omne peccatum mortale in loco Sacro commissum habeat malitiam Sacrilegii necessario in Confessione explicandam?* Affirmat Joan. Medina *tract. 2. de Pœnit. quæst. 9.*

Resp. negative, quia licet omne peccatum factum in Ecclesia contrahat aliqualem irreverentiam erga locum Sacrum, cum etiam confabulationes in Ecclesia repræhendantur; non tamen contrahit malitiam mortalem, sed venialem, quæ reducitur ad genus Sacrilegii, & ideo non est de necessitate explicanda in Confessione, sed bene de consilio, sicut alia venialia. Ita Cajetanus, Suarez, Vasquez, Lugus, & alii, quos sequitur Leander *disp.* 8. §. 4. *qu.* 2.

119. Illa autem peccata contrahunt mortalem malitiam Sacrilegii, quæ non solum prohibentur ratione sui, sed specialiter prohibentur ratione loci Sacri; hujusmodi sunt homicidium peccaminosum, aut gravis effusio sanguinis, voluntaria effusio seminis humani, furtum, & violatio immunitatis Ecclesiæ. Per homicidium, & effusionem sanguinis, & seminis polluitur Ecclesia, ut diximus supra *tract.* 5. *c.* 8. *dub.* 6. ubi explicavimus ea, quæ ad Ecclesiæ pollutionem pertinent.

120. Quæres 2. *An effusio sanguinis, & seminis, si occulte fiat in Ecclesia, contrahat malitiam Sacrilegii in Confessione explicandam?* Negant omnes illi, qui existimant hujusmodi actiones tunc solum contrahere malitiam Sacrilegii, quando per illas polluitur Ecclesia; sed Ecclesia non polluitur per hujusmodi actiones, quando sunt occultæ, sed tantum quando sunt publicæ, & notoriæ; ergo tunc solum contrahunt malitiam Sacrilegii, non vero si occulte fiant. Ita Vasquez, Sotus, Rodriquez apud Leandrum §. 4. *qu.* 9. Pontius *de Matrim. lib.* 10. *c.* 10. *n.* 15. Naldus verbo *Sacrilegium n.* 12. Diana *p.* 1. *tr.* 7. *resol.* 26 *& p.* 7. *tr.* 11. *resol.* 31. cum aliis a se relatis, hanc Sententiam probabilem putat, quamvis probabiliorem dicat contrariam.

121. Resp. tamen affirmative. Ratio est, quia voluntaria seminis, & sanguinis effusio est specialiter ab Ecclesia prohibita ob reverentiam loci Sacri, & sic contrahit malitiam Sacrilegii, sive publice fiat, sive occulte, quia utroque modo gravem infert irreverentiam loco Sacro. Nec obstat, quod per illam effusionem occulte factam non polluatur, quia non ideo est sacrilega, quia per illam polluitur Ecclesia, sed quia est specialiter prohibita ob reverentiam loci Sacri; quod conf. ex eo, quod si tale crimen occultum postea propaletur, & sciatur, remanebit Ecclesia polluta; ergo etiam a principio fuit Sacrilegium tale peccatum, cum non incipiat esse contra prohibitionem Ecclesiæ, quando publicatur. Ita Suarez, Raphael de la Torre, Sanchez, Bonacina, Lugus, & Candidus, quos affert, & sequitur Leander *sup.* Ant. a Spiritu S. *sect.* 3. §. 1. *n.* 563. Franc. a Jesu M. *c.* 8. *n.* 101. Philibert Marchinus *tr.* 3. *de Sacrif. Missæ p.* 3. *c.* 10. *n.* 7. *&* 8. ubi advertit, quod licet quælibet voluntaria seminis effusio facta in loco Sacro sit sacrilega, non tamen Ecclesia egebit reconciliatione, donec delictum fiat publicum.

122. Quæres 3. *An tactus, aspectus, & verba turpia ratione loci Sacri habeant specialem malitiam Sacrilegii in Confessione explicandam?* Prima Sententia affirmat, omnes actus impudicos contrahere malitiam Sacrilegii. Secunda universaliter negat de omnibus. Tertia distinguit, & concedit de actibus magis impudicis in partibus inhonestis, & pudendis, & negat de aliis levioribus. Auctores pro unaquaque Sententia congerit Leander §. 4. *q.* 11. 12. *&* 13.

123. Resp. tactus etiam turpes, & impudicos habitos in Ecclesia sine periculo pollutionis, non contrahere malitiam specialem Sacrilegii in Confessione aperiendam. Ratio est, quia deformitas, & specialis malitia Sacrilegii non consurgit ex jure naturæ, sed ex sola prohibitione Ecclesiæ, quæ cum non loquatur de tactibus, sed de copula, & pollutione, per quas Ecclesia violatur, non est unde habeant illam speciem Sacrilegii gravis. Sunt quidem graviora peccata propter indecentiam, non tamen mutant speciem peccati, & ideo non est necessario explicandum, factos fuisse in Ecclesia, modo absit periculum pollutionis; nam prohibitio pollutionis comprehendit ea, quæ ex se tale periculum mortale afferunt. Ita sentiunt Leander *supra*, Lugus *disp.* 16. *n.* 464. Sanchez *de Matrim. to.* 3. *lib.* 9. *disp.* 15. *n.* 21. Homobon. *de exam. Eccles. p.* 1. *tr.* 5. *c.* 12. *q.* 77. Facundez *præcept.* 2. *lib.* 4. *c.* 4. *n.* 31. Bonacina *q.* 4. *de Matrim. punct. ult. n.* 8. Coninch, Valentia, Henriquez, Vasquez, quos affert, & sequitur Diana *part.* 1. *tr.* 7. *resol.* 25.

124. Quæres 4. *An, & quale furtum factum in Ecclesia contrahat malitiam Sacrilegii in Confessione explicandam?* Furtum tripliciter contingere potest: primo si sacrum de loco sacro fureris: secundo si sacrum de non sacro: tertio si non sacrum de sacro, ut constat ex c. *Quisquis* 17. *q.* 4. At quia res non sacra dupliciter potest esse in loco sacro, primo quasi per accidens, ut esset crumena divitis existentis in Ecclesia; secundo quasi formaliter, quia est specialiter tradita in custodiam Ecclesiæ, aut commodata ad usum, & ornatum Ecclesiæ. Omnes conveniunt, furtum rerum hoc secundo modo existentium in Ecclesia, esse verum Sacrilegium, quia saltem in hac significatione verificari debet textus d. cap. *Quisquis*, tum quia illa, quæ Ecclesiæ custodienda traduntur, Ecclesiæ sunt, & aliquo modo sacræ, ipsaque Ecclesia, vel potius Deus, qui ibidem præest, in sui tutelam suscipit: & sic fit injuria Ecclesiæ, & Deo, si ab ejus potestate sibi commissum eripias.

125. Loquendo autem de aliis rebus profanis casu, & per accidens existentibus in Ecclesia: Prima Sententia docet, quodlibet furtum, cujuscumque rei profanæ factum in Ecclesia, contrahere malitiam Sacrilegii, quia textus in c. *Quisquis* absolute, & universaliter loquitur, ac determinat Sacrilegium esse, si non sacrum de sacro fureris, nec limitat ad sacrum depositum, & in custodiam traditum; ac proinde nec nos limitare debemus, maxime quia hæc limitatio non augeat, seu potius diminuat honorem loci sacri. Ita Palaus *to.* 2. *tr.* 11. *disp. unic. punct.* 4. *n.* 3. Sequuntur Suarez, Valenria, Vasquez, Navarrus, Nugnus, quos refert, & sequitur Bonac. 1. *præc. decal. q.* 6. *disp.* 3. *punct. unic. nu.* 17. Layman, Reginaldus, & alii, quos affert Diana *part.* 1. *tr.* 7. *resol.* 27.

126. Secunda Sententia, quam veriorem puto, affirmat solum de rebus in custodiam traditis, & de illis, quæ ad ornatum mutuantur Sacristæ, non vero de aliis, quia aliæ res profanæ accipiuntur quidem materialiter in loco sacro, sed non de loco sacro, quia ad locum sacrum nullo modo pertinent; quare qui furatur crumenam divitis existentis in Ecclesia, vel tapetem, baldachinum, vel sellam, quam aliquis Nobilis præmisit ad Ecclesiam pro sui commoditate, non committit Sacrilegium. Nec obstat lex, quæ videtur universaliter loqui, quia intelligi debet in sensu formali, nimirum de non sacro aliquo modo spectante ad Ecclesiam, quæ per illius ablationem censeatur injuriam pati. Ita Lugus *disp.* 16. *n.* 470. Sotus, Henriquez, Cruz, Lessius, & Zerola, quos sequitur Diana *loco cit.* Aversa *q.* 10. *sect.* 11. Antonius a Spiritu S. *sect.* 3. §. 5. *n.* 614. & aliis pluribus relatis, Leander §. 4. *q.* 17.

127. Qui furatur in loco sacro rem sacram, debet utramque circumstantiam explicare, quia duplex committit Sacrilegium, alterum per ablationem rei sacræ, alterum per ablationem de loco sacro. Ita D. Thom. 2. 2. *q.* 99. *art.* 3. aliique communiter, distinguentes specie Sacrilegium erga rem sacram, erga locum sacrum, & erga personam sacram. Lugus *n.* 471. Aversa *q.* 10. *sect.* 11. Diana *p.* 8. *tr.* 7. *resol.* 76. Leander *q.* 22. Qui dum confitetur, pecuniam, seu crumenam furatur a Confessario, non committit Sacrilegium, si non assumat Confessionem, ut medium ad furandum, sed tantum per accidens occasione data furatus est; committit tamen Sacrilegium non ratione furti, sed ratione Sacramenti, quod voluntarie facit irritum, nisi forte, mutata voluntate, pœniteat, & de omnibus se accuset; si vero furatur rem parvam & modicam pecuniam, & non est usus Sacramento, ut medio ad hunc finem, non committit Sacrilegium, nec peccatum mortale. Ita Lugus *n.* 473. Leander *q.* 19. & Ant. a Spirit. S. *n.* 616.

128. Qui extra Ecclesiam existens desiderat habere copulam in Ecclesia, ibique furari, vel aliquem occidere, tenetur circumstantiam loci explicare, quia illæ actiones, cum sint volitæ ut exercendæ intra Ecclesiam, contrahunt ex parte objecti malitiam Sacrilegii; secus vero si in Ecclesia existens desideraret illas exercendas extra Ecclesiam, quia tunc Ecclesia non intrat tamquam circumstantia rei volitæ, ac proinde non refundit in actum desiderii malitiam Sacrilegii. Leander *q.* 24. *&* 25. Pollutio habita in Cellis Religiosorum, in Dormitorio, & in Campanili, non contrahit malitiam Sacrilegii, quamvis Prior Conventus Dormitorium singulis noctibus benedicat, & aqua lustrali aspergat, quia hujusmodi loca, licet dicantur sacra quoad privilegium gaudendi immunitate, non tamen ad hoc, ut reconciliari debeant, si sanguinis, aut seminis effusione violentur. Sic Navarr. Corduba, Henriquez, quos refert, & sequitur Sanchez *lib.* 9. *de Matrim. disp.* 15. *n.* 42. Facundez, Diana, Azorius, Hurtado, Lugus, quos citat, & sequitur Leander *q.* 26. Item valet de privatis Oratoriis domorum, etiamsi cum facultate Episcopi Missa in illis celebretur, nam non sunt loca sacra Sacrilegii circumstantiam afferentia, si occisio, vel sanguinis, aut seminis effusio habeatur. Leander *q.* 25. Ant. a Spir. S. *sect.* 3. §. 3. *n.* 586.

129. Quæres 5. *An si Sacerdos gestans Eucharistiam peccaret aliquo turpi actu interno, committeret Sacrilegium?*

Resp. satis probabiliter affirmative, quia graviter peccat contra Religionem, & reverentiam debitam tanto Sacramento: quod etiam affirmat Lugus *disp.* 16. *n.* 526. de illo, qui statim post sumptionem Eucharistiæ haberet copulam, seu pollutionem voluntariam; excusabitur tamen, si hoc faciat post quadrantem horæ, quia sacræ species post tale tempus sunt consumptæ, ut cum Tambur. & Tancredo notat Ant. a Spir. S. *n.* 569.

130. Si vero quis fornicetur gestando Reliquias appensas collo, licet esse speciale peccatum necessario in Confessione exprimendum doceat Philiar. *de offic. Sacerd. t.* 1. *par.* 2. *lib.* 3. *c.* 9. contrarium tamen dicendum est, quia nullo jure id prohibetur, nec cultui debito Reliquiis, Sanctis, ac Imaginibus directe opponitur, cum non sit turpis

eorum

eorum contrectatio, sed comitanter tantum se habeat ad actum venereum, sicut ad quodvis aliud peccatum. Sic Sanchez, Facundez, Filliucius, Diana, Lugus, Candidus, Bonacina, quos affert, & sequitur Leander §. 4. *q.* 15.

DUBIUM V.

De Circumstantia, quibus auxiliis.

131. Circumstantia *quibus auxiliis* denotat media, quibus aliquis utitur ad patrandum peccatum, seu ad consequendum finem pravum, & illa sunt necessario exprimenda in Confessione, quoties afferunt specialem malitiam; ut si ad sollicitandam mulierem, vel ad occidendum, utaris aliqua superstitione, seu dæmonis invocatione, aut etiam abutaris rebus sacris, quia tunc præter fornicationem, & homicidium, intervenit Sacrilegium, aut aliud peccatum. Quod si media secundum se sunt indifferentia, nec specialem afferunt desformitatem, non sunt necessario in Confessione exprimenda, ut esset, occidere gladio, vel sclopeto, parare arma, conscendere equum, pergere ad locum ad occidendum; hæc enim materialiter se habent, & facta occisione, sufficit dicere: *inimicum occidi*, quia reliqua non afferunt specialem deformitatem.

132. Ad hanc circumstantiam reducitur habere socios, & cooperatores ad peccatum, ut si ad furandum, seu occidendum habuisti socios, & maxime si illos induxisti ad tale peccatum, quod pertinet ad genus scandali ob peccatum proximi, de quo supra plura diximus. Hic solum dubitatur: *an sit necesse in Confessione exprimere circumstantiam inductionis?* Omnes conveniunt, non esse necesse talem circumstantiam exprimere, quoties volentem, & jam paratum induxisti; ut si cum Meretrice in lupanari exposita peccasti, illamque ad peccatum invitasti, quia cessat ratio scandali, & formalis inductionis, cum illa jam esset parata, & exposita, ac in actuali, seu virtuali voluntate peccandi. Ita Navarrus, Suarez, Azorius, Henriquez, Medina, Lopez, Vasquez, Lugus, Diana, & alii, quos affert, & sequitur Leander §. 5. *q.* 3.

133. Si vero interveniat formalis inductio, & non expositam, nec paratam induxisti ad peccatum, tunc prima Sententia docet, explicandam esse circumstantiam inductionis, quoties talis circumstantia non censetur sufficienter explicata, explicato actu principali. Ratio est, quia inductio invitantis, & sollicitantis ad peccatum, quamvis directe non intendatur ruina spiritualis proximi, est scandalum activum indirecte volitum, cujus malitia specie distinguitur a peccato, ad quod inducitur, sive sit in specie scandali directe, sive reductive. Sic qui invitat, & inducit mulierem ad fornicandum, ultra peccatum, quod facit contra castitatem, peccat etiam peccato scandali contra caritatem, inducendo illam ad peccatum; ergo debet talem inductionem in Confessionem explicare. Certe si quis invitaret mulierem ad peccandum cum aliquo tertio, deberet sine dubio hanc circumstantiam scandali activi explicare; ergo etiam tenetur explicare, quando mulierem invitat ad peccandum secum propter eamdem rationem. Ita Lorca, Villalobos, Beccanus, Coninch, Filliucius, Ledesma, Gaspar Hurtado, quos citat, & sequitur Diana *p.* 3. *tr.* 4. *resol.* 114. Palaus *to.* 1. *tr.* 6. *disp.* 6. *punct.* 3. *n.* 4. Ant. a Spiritu S. *disp.* 8. *sect.* 4. *n.* 622. Franc. a Jesu M. *c.* 8. *punct.* 4. *n.* 106.

134. Secunda sententia, quæ magis placet, negat, esse explicandam circumstantiam inductionis, quando inductio fuit ad idem numero peccatum, quod a pœnitente explicatur in confessione, & est commune duorum, ut quando mulierem etiam non paratam quis induxit ad fornicandum; sufficit enim tunc manifestare fornicationem, non manifestata inductione, dummodo sollicitatio non sit facta per violentiam, aut preces adeo importunas, quæ æquivaleant violentiæ. Ratio est, quia, moraliter loquendo, inductio ad peccatum, & peccati commissio pro una transgressione reputantur, solumque est differentia majoris gravitatis in sollicitante, quam in simplici cooperante; uterque siquidem participat cum femina in suo peccato, eitque caussa cooperans ad ejus ruinam, adeoque videtur solum aggravari magis malitia per sollicitationem, intra eamdem speciem; quod idem dicendum asserit Lugus *disp.* 16. *n.* 141. de invitantibus alios ad confabulandum in Missa de præcepto; illi enim non sunt interrogandi a Confessario, an ipsi provocaverint socios ad colloquendum, vel non, nam utroque modo provocando, vel non provocando, cooperati sunt ad confabulationem, & peccatum aliorum. Id Lugus *supra*, Vasquez *q.* 91. *ar.* 1. *dub.* 4. Aversa *q.* 10. *sect.* 10. Leander §. 5. *q.* 5.

§. VI. *De Circumstantia, Cur.*

135. Circumstantia *Cur*, seu *propter quid*, denotat finem, ob quem fit opus peccaminosum; & quidem si opus malum fiat propter finem pravum diversæ speciei, ut dum quis furatur propter fornicandum, debet utique circumstantia finis in confessione explicari, cum superaddat malitiam specie diversam. Si vero finis sit moraliter malus in eadem specie, ut si quis furetur uni equum, ut pergat ad expillandam domum alterius, tunc se habet hæc intentio, ut peccatum numero diversum, & ut tale explicandum, quod si medium de se indifferens, aut bonum ordinetur ad finem malum, ut si studeas ob finem pravum furandi, vel eas ad agrum animo furandi, aut fornicandi, debebit illa intentio, & finis explicari, quia tunc malitia finis non est circumstantia peccati, cum non supponat peccatum, sed dat totam speciem peccato.

136. Difficultas igitur est, quando finis non est de se mortaliter malus, sed vel solum venialiter, vel indifferens, vel etiam bonus, medium autem est malum; ut si quis furetur ad se vane ornandum, vel ad studendum, vel ad dandam eleemosynam, vel si Sacrum omittas propter studium: *an tunc debeat etiam explicari ipse finis, vel sufficiat explicare furtum, seu omissionem Sacri, non explicato fine studendi, seu alio fine etiam venialiter malo?* Aliqui volunt, explicandam esse circumstantiam finis, quia videtur addere novam speciem malitiæ mortalis, quatenus videtur constitui ultimus finis in ea re, quæ præfertur Deo, & ob quam non veretur graviter offendere, & deserere Deum: ita innuit Palaus *to.* 1. *tract.* 2. *disp.* 2. *punct.* 9. §. 1.

137. Resp. non esse explicandam, & inde satis erit explicare omissionem sacri non explicato fine studendi. Ratio est, quia voluntas studendi, quamvis sit mala pro illa circumstantia temporis, non habet tamen malitiam diversam a malitia omissionis sacri, cum tota ipsius malitia proveniat ab ipsa omissione, qua proinde explicata, remanet explicata tota malitia peccati. Conf. qui omittit sacrum propter studium, non magis peccat, quam si omitteret absque tali voluntate, manendo otiosus; sed si omitteret sacrum manendo otiosus, non peccaret nisi peccato omissionis sacri; ergo nec aliter peccat qui omittit sacrum, ut studeat: quod magis patet in eo, qui furatur ad dandam eleemosynam; iste enim non peccat nisi peccato furti; ergo etiam qui sacrum omittit, ut studeat, solum peccat omissione sacri. Ita tenent Palaus *supra*, & *disp.* 3. *punct.* 3. *n.* 14. Lugus *disp.* 16. *n.* 479. Ant. a Spiritu S. *sect.* 5. *n.* 627. Aversa *q.* 10. *sect.* 10. Suarez, Henriquez, Diana, Bonacina, & alii communiter, quos affert, & sequitur Leander §. 6. *q.* 3.

138. Dices: qui omittit sacrum propter studium constituit in studio rationem ultimi finis, illud præferendo Deo; ergo peccat non solum omissione sacri, sed etiam contra Caritatem, quæ præcipit Deum diligere, ut finem ultimum, & prohibet constituere hujusmodi finem in aliqua creatura. Sed contra resp. omittentem sacrum propter studium, aut aliud opus voluntarium, constituere ultimum finem in creatura non formaliter, sed interpretative; hoc autem non constituit speciale peccatum, nec dat specialem malitiam, sed est conditio generalis consequens omnia mortalia; quicumque enim mortaliter peccat, plus diligit hoc modo creaturam, quam Deum: constituere autem in creatura ultimum finem, tunc solum dat specialem malitiam contra Caritatem, quando expresse, & directe intenditur creatura ut ultimus finis, quod in Viatoribus finem habentibus, raro, aut numquam contingit.

139. Quæres: *an circumstantia finis mali possit explicari seorsim: v.g. qui furatur propter fornicationem, potest ne illas malitias confiteri seorsim, puta: furatus sum, & postea per alium actum distinctum habui intentionem fornicandi, aut fornicatus sum?* Negant Sylvester, Megala, Nugnus, quos affert Diana *part.* 3. *tract.* 7. *resol.* 23. volentes, pœnitentem debere explicare simul medium, & finem, dicendo: furatus sum propter fornicationem.

140. Resp. sufficere pœnitenti, si dicat: furatus sum, & postea habui intentionem fornicandi, quia licet illæ malitiæ habeant aliquam subordinationem inter se, ut medium, & finis, re vera tamen est ibi duplex malitia in specie atoma, scilicet furti, & fornicationis, adeoque qui confitetur furtum, & fornicationem, utramque malitiam explicat, & statum suum, etiam si non explicet unam ordinasse ad aliam. Ita Diana *loco cit.* & aliis pluribus relatis, Leander §. 6. *q.* 5. Lugus *disp.* 16. *n.* 645.

141. Quæres 2. *An ille, qui peccat cum spe veniæ, alias non peccaturus, teneatur hanc circumstantiam explicare?* Res. esse talem circumstantiam explicandam, si speret sibi remittenda peccata sine propria pœnitentia, quia talis est præsumptio hæretica: secus vero si speret consequi misericordiam per pœnitentiam, & confessionem illius peccati, quia talis circumstantia non mutat speciem peccati, sed potius minuit; si peccat cum proposito agendi rite pœnitentiam, vel ad summum auget intra eamdem speciem, si vult perseverare in tali peccato, aut peccat contra vehementissimam inspirationem, quam habet non peccandi. Ita D. Th. Cajet., Navar., Facundez, Diana, Lugus, quos affert, & sequitur Leander *qu.* 12. Nec etiam tenetur circumstantiam aperire, qui peccat ex confidentia obtinendi jubilæum, aut bullam Cruciatæ, alias non peccaturus, & poterit per jubilæum absolvi, nam privilegium tantum valet quantum sonat, & indulgentiæ latissime sunt interpretandæ, ut docet Anton. a Spiritu S. *disp.* 8. *sect.* 5. *num.* 630.

DUBIUM VII.

De Circumstantia, Quomodo.

142. Circumstantia *Quomodo* denotat modum, quo commissum est peccatum: potest autem hic modus considerari tum ex parte ipsius objecti, & operis externi, tum ex parte operantis, & consensus interni; ex parte operis externi consideratur violentia, si fuit commissa in furto, quia mutat speciem, & est rapina; sicut copula cum femina relućtante est species raptus, ab ordinaria fornicatione distincta; si quis in occidendo homine, discerpat membra cadaveris, extrahendo jecur, & similia, quæ contrahunt malitiam feritatis, & sævitiæ, ut ait D. Thomas 2.2. *q.* 159. *art.*2. vel si post necem addat novam speciem injuriæ erga cadaver. Item si in peccato luxuriæ, vel etiam in copula conjugali licita, quis modum extraordinarium adhiberet cum periculo effundendi semen extra vas naturale, quo periculo constitueretur peccatum contra naturam, de quo fusius dicetur suo loco, cum sermo erit de usu Matrimonii. Huc etiam spectat modus peccandi ex consuetudine, de qua dictum est supra *dub.* 2. §. 5. reducitur etiam modus durationis, qui non est circumstantia necessario exprimenda, nisi forte contingat, quod ob durationem multiplicentur numero peccata mortalia, ut docet Palaus *tr.* 23. *disp. unic. pu.*9. *n.* 11. quem sequitur Franc. a Jesu Maria *cap.* 8. *pu.* 4. *n.* 113.

143. Ex parte operantis, & consensus interni consideratur magna vehementia, & intensio actus, qua fertur in objectum pravum, ut si summo, & ferventi odio persequatur inimicum, si summa delectatione per longum tempus tactibus, & blanditiis fuerit cum muliere diversatus, quæ circumstantia non mutat speciem, sed tantum est aggravans, ac proinde non est necessario confitenda juxta ea, quæ supra diximus, & Suarez ipse *disp.* 22. *sect.* 4. *nu.* 13. fatetur, non oportere pœnitentem esse de tali circumstantia sollicitum in confessione exprimenda ob majorem gravitatem, nisi forte redundet in aliquem effectum externum, qui ex alio capite debeat manifestari; & hunc esse fidelium etiam sapientum, & timoratæ conscientiæ usum cum Hurtado, & aliis, docet Leander §. 7. *q.* 2.

144. Item consideratur, num quis peccaverit ex errore, sive ignorantia, vel ex certa scientia: & quidem si ignorantia fuit inculpabilis, ita ut excuset a culpa, excusat etiam ab obligatione confitendi; si vero ignorantia fuit vincibilis, & culpabilis, non est necessario explicanda, quia peccatum factum ex ignorantia culpabili est ejusdem speciei cum facto ex certa scientia; sive enim Missam omittas scienter, sive ex ignorantia præcepti, cum tamen adverteres debitum inquirendi, semper est peccatum ejusdem speciei, ut docent Diana *par.* 3. *tr.* 4. *resol.* 140. Navarr. Suarez, Sanchez, Vasquez, Lugus, & alii, quos affert, & sequitur Leander §. 7. *quæst.* 14.

145. Verum tamen est, quod in ordine ad Censuras Ecclesiasticas, aliquando id est necessarium explicare, ut notat Leander, quia sæpe ignorantia excusat ab illis; sicut etiam est explicanda, quando ignorantia ita minuit peccatum, ut ex mortali efficiatur veniale: item quando quis ignorantia exponitur periculo peccandi in alia specie, ut cum quis peccat cum femina, quam ignorat an sit soluta, vel conjugata; tunc enim exponitur periculo adulterii, incestus, aut Sacrilegii, si sit consanguinea, aut voto castitatis adstricta.

146. Item consideratur, num quis peccaverit ex conscientia erronea, putans esse peccatum mortale, quod revera non erat, ut si violavit jejunium, putans, sed falso, esse vigiliam, & quidem omissa tali circumstantia sufficere, si dicat, violavi jejunium, docent Diana *par.* 3. *tr.* 4. *resol.* 162. Sayrus, Suarez, & Lugus, quos affert, & sequitur Leander §. 7. *q.* 17. quia idemmet in specie peccatum commisit, ac si revera esset obligatio jejunandi: unde puer, qui falso putat, se teneri ad jejunium, & non jejunat, committit peccatum ejusdem speciei cum eo, quod committit adolescens obligatus ad jejunandum, ut docet Lugus *disp.* 16. *n.* 498. Quod atique verum puto, si Confessarius sufficienter cognovit, fuisse commissum peccatum mortale, secus si non cognovit; ut si pœnitens dixit, die externa, quam falso putabat esse vigiliam, aut diem festum, non jejunavi, non audivi sacrum, nec fuit a Confessario interrogatus de suo errore; tunc enim certior factus deberet supplere defectum, & repetere illud peccatum cum sua qualitate; ideoque prudens Confessarius audiens aliquos simplices se accusantes de quibusdam factis, quæ revera non sunt peccata, ut pueros se accusantes comedisse mane festivo ante Missam, debet eos interrogare de circumstantia erroris, & admonere de veritate in futurum, ut optime notat Aversa *q.* 10. *sect.* 10.

147. *An vero pœnitens non solum debeat explicare peccatum commissum, sed etiam quod se exposuerit periculo peccandi?* affirmant nonnulli apud Leandrum; sed verius est, non teneri, satisque esse explicare peccatum principale commissum, cujus periculo se exposuit, quando inter periculum, & peccatum subsequens non intercessit talis, & tanta mora, quæ sufficiat ad distinguendum unum peccatum ab alio. Ratio est, quia tunc periculum nihil aliud est, quam quædam voluntas indirecta peccati sequentis, quæ moraliter facit unum cum ipso peccato sequuto, prout docent Lugus *disp.* 16. *n.* 511. Diana *p.* 1. *tr.* 7. *resol.* 4. Bonacina, & alii, quos sequitur Leander *q.* 18. Eodem modo, qui positus in gravi tentatione non oravit, cum teneretur, succumbendo tentationi, non tenetur circumstantiam omissæ orationis explicare, quia non obligat per se, sed per accidens, & reducitur illius omissio ad peccatum, quod vitari debebat per orationem; talisque omissio in præsenti facit unum moraliter cum peccato commisso. Sic contra Sanchez, Fabrum, & alios, tenent Ant. a Spiritu S. *sect.* 6. *n.* 633. Diana, & Lugus *supra*.

DUBIUM VIII.

De Circumstantia, Quando.

148. Circumstantia *Quando* denotat tempus, quo peccatum commissum est, de quo præcipue dubitatur: *an circumstantia temporis Sacri, in quo fuit commissum peccatum, debeat in Confessione explicari?* Affirmant plerique apud Leandrum §. 8. *q.* 2. & Lugum *disp.* 16. *n.* 515. omne peccatum mortale commissum in die festo, ita inde aggravari, seu induere novam speciem malitiæ, ut debeat in Confessione necessario explicari, quia hæc videtur specialis irreverentia contra sanctitatem talis diei, & contra cultum Divinum iis diebus præscriptum, magis quam facere opera servilia alioquin licita; hoc saltem aliqui affirmant de atrocibus quibusdam peccatis, & sollemnioribus quibusdam diebus, ut die Paschatis, Jovis, & Veneris Sancti, vel etiam si peccavit eo die, quo confessus est, aut communicavit.

149. Communis tamen, & vera Sententia negat, hujusmodi circumstantiam esse necessario confitendam. Ratio est, quia licet peccatum commissum in die festo habeat inde aliqualem gravitatem, non mutat tamen speciem peccati, ut debeat in Confessione explicari, ut patet ex praxi Fidelium, & Confessariorum, qui numquam de hoc curant, aut interrogant; patet etiam exemplo loci Sacri, quod non est explicandum, nisi in certis peccatis, quæ specialiter prohibentur ob observantiam loci Sacri, ut diximus supra de circumstantia *Ubi*; ita eodem modo dici debet de reverentia diei festi, aliqua peccata esse prohibita, ut operari, & omittere Missam in die festo, non vero reliqua peccata, quæ proinde ratione temporis Sacri non contrahunt specialem malitiam necessario explicandam, cum non sint specialiter prohibita fieri in die festo; nulla enim specialis Ecclesiæ prohibitio invenitur, nec etiam pro certis sollemnioribus diebus, aut de certis atrocioribus delictis, ne ea sacris diebus committantur, sicut extat specialis prohibitio quorumdam delictorum in locis sacris, quæ proinde dat quoque specialem malitiam Sacrilegii mortalis: & quamvis peccatum dici possit opus servile spirituale, non tamen corporale, de quo procedit præceptum Ecclesiæ.

150. Inde circumstantia diei festi numquam erit necessario explicanda, quia numquam, per se loquendo, affert specialem malitiam mortalem, nisi peccata fiant in contemptum diei festi, etiamsi committantur in die Paschatis, Jovis, aut Veneris Sancti, ut docent communiter Doctores apud Leandrum §. 8. *q.* 2. & 3. & apud Dianam *p.* 1. *tr.* 7. *resol.* 32. etiamsi committantur illa die, qua quis communicavit, ut contra aliquos docet Homobon. *de exam. Eccles. p.* 1. *tr.* 5. *c.* 12. *q.* 81. secus Sacerdotes, qui communicant quotidie, deberent semper hanc circumstantiam explicare in singulis peccatis. Bene tamen advertit Lugus *disp.* 16. *n.* 524. talem, ac tantam posse esse hujusmodi irreverentiam, ut attingat peccatum mortale; puta, si quis die Veneris Sancti vellet ludos publicos, Comœdias, & ludrica spectacula exhibere, sicut in baccanalibus; illa namque esset gravissima irreverentia contra sacratissimum diem Passionis Christi. Item si aliquis ab ipso Altari, in quo celebravit, iret ad peccandum cum Concubina; committeret enim gravissimam irreverentiam contra Divinum Eucharistiæ Sacramentum, ut cum aliis docet Leander *supra q.* 4. quod debet intelligi, si ab Altari immediate procedat ad fornicandum: secus si post horæ quadrantem, & jam vestibus sacris exutus, ut notavimus supra *dub.* 4. *quæsito* 5.

DUBIUM IX.

An debeat in Confessione explicari effectus secutus, vel sufficiat explicare caussam datam?

151. Mortale venenum alicui propinasti, & moritur, cum jam mortem impedire non potes, quæritur: *an sufficiat in Confessione dicere, te mortale venenum alicui dedisse, ut moreretur, vel sit necesse addere, mortem esse secutam?* idem valet de pollutione secuta ex causa voluntaria, & culpabili data, de abortu secuto ex caussa voluntaria præhabita, & aliis similibus effectibus, qui sequuntur ex causa voluntaria data, sed tunc quando jam impediri non possunt. Affirmant quamplures, explicandam esse non solum causam datam, sed etiam effectum secutum, quia effectus sic sequens est voluntarius in causa, est pars, &

consum-

consummatio, seu complementum peccati, & ita sane communis usus observare videtur, quem approbat etiam Vasquez 1.2. *q.94. c.3.* & ait, non esse impediendum. Hanc Sententiam tenent Palaus *to.1.tr.2. disp.1.punct.3. n.7.* Sanchez *de Matrim. lib. 9. disp.45. n.* 30. Sotus, Lopez, & alii; limitat Aversa *q. 10. sect.* 2. ut sit vera, quando non fuit retractata, & revocata prava voluntas, quia tunc effectus sequens participat eamdem denominationem malitiæ, & conjungitur moraliter cum illa mala voluntate; secus si fuit illa prava voluntas per pœnitentiam retractata; nam tunc interrumpitur continuatio, & conjunctio, ac velut unitas moralis cum illa prava voluntata.

152. Secunda Sententia magis probabilis, & quæ magis placet, absolute docet, non adesse necessitatem explicandi in Confessione effectum externum secutum, sed solum caussam voluntarie datam. Ratio est, quia in Confessione solum debent necessario explicari peccata; sed ille effectus, quando sequitur, non est formaliter peccatum, sed effectus peccati: ut enim opus aliquod externum sit peccatum, non sufficit liberam sui caussam dedisse, sed necesse est, ut semper maneat sub libera potestate operantis; at quando homo dormit, vel ebrius est, non peccat, nec est in sua potestate illum effectum a posita caussa impedire; ergo talis effectus non potest dici liber, nec etiam denominative, & extrinseca, & sic non debet effectus ille necessario in Confessione explicari, cum non sit formaliter peccatum, sed dumtaxat effectus peccati; & ita sentiunt Vasquez, Granados, Azorius, & alii, quos refert, & sequitur Bonacina *de Legib. disp.* 2. *q. 4. punct. 4. n.8.* Lugus *disp.16. sect. 9. num.* 440. Diana *p.1. tr.7. resol.64. & p. 3. tr. 4. resol. 67. in fine.* Antonius a Spiritu S. *disp.6. sect. 3. n.* 338. & aliis relatis, Leander *disp.* 8. *§.8. q.*25.

153. Dices: talem effectum non esse quidem in se formaliter, & intrinsece liberum, & malum, bene tamen extrinsece, & denominative a libertata, & malitia voluntatis, a qua procedit, quod sufficit, ut debeat explicari in Confessione, sicut explicari debet peccatum externum, quamvis sit liberum solum extrinsece, & denominative.

Resp. actionem externam peccaminosam esse manifestandam, quia pendet ab actuali influxu, & actu libero voluntatis, cum quo constituit unum peccatum; at effectus consequens, cum non pendeat ab actuali influxu voluntatis, non constituit unum cum illa peccatum; non enim potest esse peccatum actuale in illo, qui actu non peccat, nec peccare potest, qui actu non agit, sed dormit, aut ebrius est; quin potest esse in gratia, si per pœnitentiam fuit revocata, & retractata voluntas, quando de novo ponitur effectus pollutionis, vel occisionis prævisæ, & antea volitæ.

154. Dices 2. effectum secutum non semper esse peccatum, nec manifestandum in Confessione, sed tunc solum, quando per pœnitentiam non est retractata voluntas præterita mala, quia tunc effectus sequens participat eamdem denominationem malitiæ, & conjungitur moraliter cum illa mala voluntate: secus si fuit illa prava voluntas per pœnitentiam retractata, nam tunc interrumpitur continuatio, & unitas moralis cum illa prava voluntata, & effectus naturaliter sequitur ex illa caussa apposita, quæ non est amplius voluntaria. Ita Palaus *supra*, & Aversa *q.10. sect.2.*

Resp. effectum secutum non denominari malum, & voluntarium a voluntate præsenti, quæ non retractata in talem effectum adhuc influat, sed a voluntata præterita, a qua sola tamquam a caussa dependet; sed semper eodem modo dependet a voluntata præterita mala, sive fuerit hæc retractata, sive non, quia semper verum est dicere, talem effectum ortum habuisse ab illa prava voluntate, & ab illa de præsenti non caussari siquidem voluntas nullum alium habet influxum, quam posuisse caussam, quam jam nunc tollere non potest; ergo vel semper, vel numquam talis effectus est peccaminosus, & in Confessione explicandus, quia semper, & eodem modo pendet ab illa voluntate prava; si ergo non est necessa illum explicare, quando voluntas fuit retractata, nec erit necesse illum explicare, quamvis non fuerit retractata.

155. Dices 3. Qui alteri propinavit venenum, tunc incipit dici homicida, quando alter moritur; ergo tunc commisit peccatum homicidii.

Resp. denominationem homicidæ importare duo, scilicet actionem ex parte mortem inferentis, & passionem ex parte illius, qui moritur, seu positionem termini ultimi, qui est mors. Qui dedit venenum, jam est homicida ex parta sui, quia posuit caussam, & totam actionem necessariam, ut mors sequatur, non denominatur tamen homicida, quia nondum positus est ultimus terminus, quo posito, datur tota, & adæquata denominatio homicidæ.

156. Non negaverim, explicandum aliquando esse effectum secutum, non quia in se sit peccatum, aut voluntarium, sed propter Ecclesiasticam pœnam excommunicationis, & irregularitatis, quæ ex effectu secuto aliquando incurritur, vel propter obligationem restituendi, seu resarciendi damna, quæ ex effectu secuto contrahitur, vel propter reservationem appositam, effectu secuto: quibus cessantibus, qui post applicatam caussam, antequam sequatur effectus, non potest ipsum impedire, tenetur tantum Confessioni subjicere caussam datam, & internum actum voluntatis, non effectum secutum, maxime si voluntatem, per quam applicaverat caussam, per pœnitentiam revocavit.

157. Hic statim dubitatur: *an ille, qui propinavit venenum, si antequam sequatur effectus, quem amplius impedire non potest, doleat, & confiteatur, incidat in censuram, morte secuta, vel in casum reservatum?* Affirmant illi, qui asserunt necessitatem confitendi effectum secutum, etiamsi antecedenter fuerit prava voluntas per pœnitentiam retractata. Ita Sanchez *lib.9. de Matrim. disp.45. n.30.* ubi asserit, eum, qui percussit hominem, & confessus est percussionem, teneri mortem postea subsecutam confiteri; & qui confessus est procurationem abortus, ante abortum secutum, teneri postea ipsum abortum secutum confiteri; idemque sentiunt Sotus, & Lopez apud Dianam *part.8. tr.7. resol.*85.

158. Resp. propinantem venenum, qui jam per confessionem justificatus est, secuta morte, seu abortu, non incidere in reservationem, & consequenter non teneri denuo confiteri. Ratio est, quia nullus tenetur sua peccata semel rite confessa iterum confiteri; sed qui propinavit venenum, jam fuit rite confessus sua peccata, explicavitque suam occidendi intentionem, & fuit valide absolutus a Confessario, quia non habebat casum reservatum ante secutum homicidium, & abortum; ergo non tenetur amplius de illo peccato confiteri, cum effectus postea subsecutus naturaliter sit secutus ex caussa data, non libere, nec voluntaria, ex eo quod prava voluntas sit recisa per pœnitentiam, & peccatum sit dimissum per Sacramentalem absolutionem. Conf. quia quando omissio, vel actus est solum voluntarius in caussa, retractata caussa, non est in se ipso colpabilis effectus, ut præter superius dicta patet exemplo ejus, qui in principio navigationis projicit Breviarium in mare, qui non peccat actualiter in sequentibus omissionibus, si contritus coram Deo voluntatam retractavit; secus esset in gratia, & absque novo consensu in peccatum mortale incideret, quod est falsum, & per annum continuo peccaret, si dedisset venenum, quod continuo ageret per annum. Cum igitur secuto effectu non habeat peccatum, qui antequam sequeretur, confessus est, & absolutionem obtinuit, quam obtinere potest a quocumque Sacerdota habente facultatem absolvendi a mortalibus, cum ante secutum effectum peccatum non sit reservatum, non tenebitur secuto effectu iterum confiteri, & consequenter liber erit a reservatione: secus dicendum, si non fuisset tale peccatum ante secutum effectum confessus, quia tunc non posset absolvi, nisi ab habente facultatem super reservata. Ita docent Henriquez *lib. 5. de pœnit. c.5. n.5. in comment. lit. z.* Facundez *p. 2. Eccles. l.8. c.7. n.17.* Diana *p.8. tr. 7. resol.*85. Marchellus *de casibus reservat. disp.2. c.7. q. 3. diff.* 2. Aversa *loc. c.* Homobonus *de casib. reser. p.3. c.7. sect.2. except.* 3.

159. Quoad censuras major est difficultas, & duæ sunt Sententiæ satis probabiles. Prima Sententia negat, censuras incurri, quando fuit prava voluntas revocata.

Ratio est, quia censura incurri non potest sine peccato; sed quando sequitur mors ex inflicto vulnere, aut veneno propinato, non datur peccatum, quia jam fuit per pœnitentiam retractatum, & deletum, ut supponitur; ergo secuto effectu non potest incurri excommunicatio. Deinde quia censura est pœna medicinalis non ad punitionem, sed ad emendationem ordinata; ergo qui jam est emendatus, & sanus non erit illa dignus. Item excommunicatio, & aliæ censuræ requirunt contumaciam in subjecto; sed qui voluntatem retractavit, & modis, quibus potest, conatus est effectum impedire, jam non est contumax; ergo non potest tunc censuram incurrere.

160. Hanc sententiam tenent Diana *supra*, tam de censuris, quam de reservatione; & apud illum Hurtadus in materia *excom. diff.* 15. *n.*73. Palaus *t.1. tr.2. disp.1. punct.3. n.2.* & apud ipsum Tabiena *excom.5. casu* 1. Bonacina *disp. 1. de censuris q. 1. punct.6. nu.6.* in casu simili dicens, quod mandans homicidium, ubi est lata excommunicatio contra homicidas, non incurret excommunicationem ipso secuto, si antequam sequeretur dictum homicidium pœniteret, & vellet, si posset, revocare mandatum, & fecit omne posse suum, ut talis revocatio deveniret ad mandatarium, & in casu simili Andreas a Matre Dei *in cursu morali t. 2. tr.10. c.1. punct.* 12. *n.*153. ubi alios pro se citat.

161. Quod asseruit de censura, dicendum consequenter est de irregularitate, quæ pariter non incurritur sine peccato; non enim loquimur de irregularitate, quæ incurritur ob defectum significationis, aut lenitatis, sed quæ incurritur propter delictum, quod quia, morte secuta, nullum est, cum sit jam per pœnitentiam deletum, nec etiam debet irregularitas incurri, ut expresse docet Andreas a Matre Dei *l. c. n.*151.

162. Secunda Sententia, quæ est communior, probabilior, & sequenda, affirmat incurri excommunicationem, & irregularitatem effectu secuto. Ratio est, quia ille, qui propinavit venenum, aut lethale vulnus inflixit, vere peccavit applicando causam, ex qua sequitur mors & abortus, illudque peccatum est sufficiens, ut incurratur excommunicatio secuto effectu, quamvis effectus sine nova culpa sequatur. Siquidem Ecclesia juste punire potest per censuras peccatum illud commissum, ut illud punit per excommunicationem, & irregularitatem, quas tamen incurri non vult, nisi

labore, & damno sermonem, vel examen protrahere. Bonacina *disp.* 5. *q.* 5. *sect.* 2. *punct.* 2. §. 4. *n.* 19. & aliis citatis, Leander *quaest.* 31.

9. Quarto excusat grave scandalum, quod timeri potest, quando pœnitens cogitur communicare, aut celebrare, & facere debeat Confessionem nimis prolixam, aut generalem de pluribus annis ob invaliditatem præcedentium Confessionum, tunc forte detectam: casus contingere potest, quando Sacerdos defert Communionem infirmo, qui petit reconciliari, & Sacerdos in reconciliatione invenit illum multas Confessiones invalidas fecisse: vel etiam si sanus non possit sine scandalo Communionem omittere, nec habeat tempus pro integra Confessione, in qua sunt repetendæ præcedentes invalidæ; tunc enim licitum erit facere Confessionem dimidiatam, quantum tunc fieri in illa angustia potest, quia tunc urget casus vitandi scandali, quod est notabile nocumentum, propter quod potest pœnitens dimidiare Confessionem. Ita Granad. *contr.* 7. *disp.* 5. *sect.* 3. n. 20. quem sequitur Diana *par.* 5. *tr.* 3. *resol.* 73. *& tr.* 14. *resol.* 53. Leander *q.* 57. Aversa *sect.* 15. Ant. a Spiritu S. n. 667.

10. Quinto excusat periculum frangendi sigillum Confessionis, ut si non possit integre confiteri peccatum suum, nisi revelet aliud peccatum in Confessione auditum, ex cujus revelatione Confessarius veniat in cognitionem illius, qui tale peccatum patravit, quia præceptum non frangendi sigillum Confessionis magis censetur obligare, quam præceptum de integritate Confessionis, quamvis utrumque sit divinum.

11. Denique excusat Confessio alias rite facta, ut si fiat Confessio de peccatis alias rite confessis; tunc enim pœnitens potest unam partem hodie confiteri, & cras alteram, sive eidem, sive distincto Confessario, & qualibet vice absolvi. Quin immo ex peccatis confessis potest ea, unde gravis infamia timetur, reticere; & quamvis dixerit Confessario, se velle generalem totius vitæ Confessionem apud eum facere, id non sufficit, ut teneatur sub mortali peccata omnia alias rite confessa ei declarare, ut notavimus supra *cap.* 2. *dub.* 5.

12. Solet etiam numerari inter caussas excusantes ab integritate materiali Confessionis, quando pœnitens habet casum reservatum, & alia peccata non reservata; dicunt enim nonnulli, quod potest prius confiteri Superiori sola peccata reservata, & alia postea alteri Confessario: vel e contra, quod posset prius simplici Confessario confiteri sola non reservata, & postea Superiori ea, quæ sunt reservata. Sed de isto casu agemus inferius, cum sermo erit de reservatione *cap.* 16. *dub.* 5. *&* 6.

13. Qui ob mortis periculum, aut justa existente caussa absolvitur, non præmissa integra Confessione peccatorum mortalium, quamvis ab omnibus saltem indirecte absolvatur, si pœnitens de omnibus contritus, vel saltem attritus sit; tenetur tamen, cessante periculo, aut caussa, peccata omissa manifestare in alia Confessione, & Clavibus subjicere; nec oppositum tueri, aut affirmari potest post Decretum Alexandri VII. damnantis illam propositionem, quæ est in ordine 11. *Peccata in Confessione omissa, seu oblita ob instans periculum vitæ, aut ob aliam caussam, non tenemur in sequenti Confessione exprimere.*

D U B I U M II.

Quænam sint observanda circa Confessionem non integram.

14. Quando quis justam, & rationabilem caussam sibi videtur habere, peccatum aliquod tacendi, & non faciendi Confessionem integram, primo debet, si commode potest, quærere, & invenire alium Confessarium, apud quem non sit caussa tacendi, & apud ipsum facere Confessionem integram, quia præceptum integritatis obligat, quando servari potest; si autem haberi potest copia alterius Confessarii, jam cessat justa, & rationabilis caussa dimidiandi Confessionem, & sic non potest illam dimidiare. Non censetur autem habere copiam alterius Confessarii, quando pro illo inveniendo deberet conficere longum, & sibi laboriosum iter, juxta conditionem suæ personæ; nec censetur habere Puella, quæ solet cum comitatu Matris, aut Parentum adire, certam Ecclesiam, & Confessarium, ut notat Aversa *loco citato*, non tamen sufficit sola erubescentia, aut diminutio famæ apud Confessarium, ut supra notavimus.

15. Secundo requiritur necessitas Confessionis faciendæ, quæ censetur adesse, quando urget præceptum communicandi, seu celebrandi, aut quando non potest illam sine scandalo, aut infamia propria omitti, aut differri; si enim possit sine gravi incommodo aliquantulum differri, expectando copiam alterius Confessoris, utique differenda est, ne fiat Confessio dimidiata, sed integra; præceptum siquidem de integritate Confessionis servandum est, quoties sine gravi incommodo servari potest, ut docent Suarez *disp.* 23. *sect.* 2. n. 7. Coninch *disp.* 3. *dub.* 9. *n.* 77. Palaus *tr.* 23. *disp. unic. punct.* 12. n. 5. Non tenetur tamen quis diu differre Confessionem, ut expectet copiam alterius Confessarii, quia diu privari fructu hujus Sacramenti est nocumentum notabile, ad quod vitandum licebit non integre confiteri, quando aliter non potest ea defectu Confessarii, maxime si gravetur aliquo peccato mortali, quod non potest absque periculo manifestare. Ita Suarez, Coninch, Palaus citati, & Lugus *disp.* 16. *n.* 416. ubi dicit, nimiam esse dilationem ultra biduum in eo, qui habet peccatum mortale non confessum, aut in Sacerdote quotidie celebrare assueto.

16. Justa existente caussa dimidiandi Confessionem propter celebrationem Missæ, aut receptionem Eucharistiæ, debet fieri Confessio aliorum peccatorum, tacito solum peccato, de quo probabiliter timetur grave incommodum, quia præceptum non communicandi absque prævia Confessione in eo, qui habet conscientiam peccati mortalis, majus est, & fortius urget, quam præceptum non dimidiandi Confessionem, & sic observari debet præmittendo Confessionem possibilem. Non possunt plura reticeri, quam postulet justa caussa, seu periculum probabiliter imminens; & de illo peccato, quod quis tacet, debet dicere quantum sine periculo potest; nimirum debet, si potest sine periculo, illud dicere in genere, vel remoto, vel proximo, tacendo in propria specie, si potest dicere quoad consensum internum, tacendo quoad opus externum, si potest dicere quoad substantiam, tacendo circumstantiam, ea qua imminet periculum, quia Confessio integre facienda est quantum moraliter fieri potest; in proposito autem casu integre fieri potest saltem quoad peccatum in genere, vel quoad effectum internum, de quo nullum probabiliter imminet periculum. Ita Coninch *dub.* 9. *n.* 95. Diana *par.* 9. *tr.* 9. *resol.* 56. Candidus *disquis.* 24. *art.* 24. *dub.* 13. Leander *q.* 52. Aversa *citata sect.* 15.

17. Quod si pœnitens unum tantum peccatum mortale habeat, quod juste tacere potest: *an teneatur tunc confiteri venialia, si instet præceptum Confessionis, seu Communionis?*

Resp. negative, per se loquendo, quia non datur præceptum confitendi venialia, sed mortalia. Dixi, *per se loquendo*, quia in mortis articulo teneretur confiteri tunc venialia, aut peccatum aliquod mortale præteritum, ut sic securo medio consulet tunc suæ saluti, si forte non habeat veram, & perfectam Contritionem. Idem dicendum in casu, quod debeat recipere Eucharistiam, vel alia Sacramenta, nec habet, nisi Attritionem; tunc enim deberet disponi per Sacramentum Pœnitentiæ ad recipiendam gratiam necessariam ad digne suscipienda alia Sacramenta. Ita Aversa *supra*, Navarrus in *manuali* c. 7. Suarez *disp.* 23. *sect.* 2. *n.* 6. Lugus *disp.* 19. *n.* 531. Leander *disp.* 5. *q.* 50.

18. *Utrum vero, qui ex justa, & rationabili caussa peccatum aliquod in Confessione tacet, teneatur habere de illo Contritionem?*

Resp. negative, & sufficere illum habere Attritionem de omnibus, quia virtute absolutionis confertur gratia, quæ directe remittit peccata confessa, indirecte vero illa, quæ ex justa caussa reticentur, sicut & alia, quæ ex oblivione inculpabili non dicuntur, ut habet Trid. *sess.* 14. *c.* 5. Diana *p.* 9. *tr.* 9. *resol.* 56. Lugus n. 533. & Leander *disp.* 5. *q.* 51. tenetur tamen pœnitens, data opportunitate, peccata omissa confiteri, ut ab illis directe absolvatur, non quidem tenetur confiteri quamprimum, sicut ex Decreto Tridentini tenetur quamprimum confiteri Sacerdos, qui non præmissa Confessione celebravit, sed potest ea reservare in primam Confessionem, quam faciet, sive annualem, sive ex devotione, in qua non occurrat amplius justa caussa tacendi, & tunc non poterit amplius tacere, & in aliam Confessionem differre. Ita Aversa *supra*, Ant. a Spiritu S. *n.* 673. Suarez, Coninch, Reginaldus, Valentia, quos citat, & sequitur Bonacina *disp.* 5. *q.* 5. *sect.* 2. *p.* 2. §. 4. n. 21.

D U B I U M III.

An possit absolvi Infirmus, qui solum in genere confitetur se commisisse peccata?

19. Circa absolutionem dandam Infirmis in articulo mortis constitutis plura solent inquiri; & primo: *an possit, & debeat absolvi moribundus, qui solum in genere dixit, se peccasse, & sensibus destitutus non potuit peccatum aliquod in particulari exprimere?* Negant plures, quia pœnitens, dicendo Sacerdoti tantum in genere, se peccasse, se esse peccatorem, nullam ei specialem notitiam præbet, quam antea non haberet, cum esse peccatorem commune sit omnibus hominibus; ergo non sufficit illa confessio, nec potest virtute illius absolvi. Conf. quia absolutio debet directe cadere super aliquod peccatum in particulari, ut indirecte reliqua omnia dimittat; ergo necesse est, quod manifestetur peccatum aliquod in particulari, nec sufficit illa confessio in genere. Ita Sotus, Cano, Ledesma, Abulensis, Navarrus, Conradus, Grafsis, Anglet, Nugnus, Alvarez, quos afferunt Diana *p.* 3. *tr.* 3. *resol.* 1. & Aversa *q.* 10. *sect.* 16.

20. Communis tamen, & vera Sententia omnino sequenda affirmat, posse absolvi. Ratio est, quia integritas Confessionis quoad species, numerum, & circumstantias peccatorum non est ita necessaria ad essentiam hujus Sacramenti, ut justis de caussis non possit sæpe omitti; potest enim licite absolvi, qui propter oblivionem, ignorantiam, aut impotentiam non integre confitetur, ut vidimus *supra dub.* 1. ergo etiam poterit absolvi, qui solum in genere de suis peccatis se accusat, quando propter impotentiam descendere non potest ad speciem, & numerum illorum. Conf. quia si

quis recordetur se peccasse mortaliter, & oblitus est cujus speciei fuerit illud peccatum, debet in genere confiteri, se peccatum mortale commisisse, cujus nequit in particulari meminisse; ergo etiam poterit in casu nostro moribundus absolvi, qui solum in genere confitetur, se peccasse, nec potest ad particularia descendere; tunc enim accusatio illa generalis facta in ordine ad Sacramentalem absolutionem obtinendam est sufficiens, & præbet materiam sufficientem absolutionis. Ita tenent Doctores communiter, D. Antonin. Medina, Corduba, Sylvester, Ricardus, Vasquez, Coninch, Hurtadus, & alii, quos referunt, & sequuntur Lugus *disp.* 17. *num.*8. Leander *disp.* 5. *q.* 38. Diana *p.*3. *tr.* 3. *resol.* 1. Aversa *sect.* 16. Anton. a Spiritu S. *disp.* 10. *sect.* 1. *n.* 102.

21. Ad fundamentum contrariæ Sententiæ respondetur, non esse necesse, ut pœnitens præbeat notitiam novam Sacerdoti de re antea ignota, sed sufficit, ut se accuset, quæ accusatio fieri potest de re aliunde nota, ut per se patet; facta autem Sacramentali absolutione, absolutio directe cadit super peccatum in genere, prout est offensa Dei, & indirecte super peccata in specie, quod non debet esse mirum; nam realiter omnia peccata tolluntur per illam absolutionem, sed quia non explicatur nisi peccatum in genere, absolutio dicitur directe cadere super peccatum in genere, & indirecte super peccata in specie, secundum quam rationem non fuerunt manifestata.

22. Hinc sequitur, Confessarium non solum posse, sed lege caritatis teneri absolvere pœnitentem, qui tantum in genere se peccasse dixit, quia cum hæc Sententia sit valde probabilis, tum propter rationem, tum propter auctoritatem Doctorum, licite potest in praxi illam sequi, & ad hoc tenetur lege caritatis, ut prosit ægroto ad æternam salutem, qui si forte non haberet nisi Attritionem, damnaretur, & cum beneficio absolutionis salvus fieret. Ita cum Suarez, Vasquez, & aliis, quos congerit, & sequitur Diana *supra resol.*9. Lugus *supra nu.*20. & Aversa *sect.* 16. ubi notat, posse absolutionem impendi simpliciter, absolute, & sine conditione ob allatam rationem, & tot Doctorum auctoritatem. Idem valet, si pœnitens unum tantum veniale dixisset, quia per illam absolutionem potest a peccatis mortalibus justificari. Ita Lugus *nu.* 21. & Leander *quæst.* 39.

23. *An vero Sacerdos, qui, dicta Confessione generali in principio Missæ, statim est sensibus destitutus, possit virtute illius Confessionis generalis, qua se peccatorem confessus est, sacramentaliter absolvi?* Affirmat noster Marchinus *de pest. par.* 3. *c.*13. *n.*15.

Resp. non posse ex hoc capite absolvi, quia illa Confessio non fuit Sacramentalis ordinata ad recipiendam absolutionem Sacerdotis in foro Pœnitentiæ. Diana *p.*3. *tr.*3. *resol.*2. Lugus, Layman, & alii, quos affert, & sequitur Leander *q.* 40.

24. Infertur 2. non solum posse, & debere absolvi moribundum, qui peccatum in genere ore confessus est, sed etiam qui hoc nutibus, & signis manifestavit, & dixit, se dolere de peccatis, se velle confiteri, vel si rogatus a Sacerdote, *an se accusat de suis peccatis?* & ut signum præbeat inclinatione capitis, tunsione pectoris, vel compressione manus, vel alio simili, & ipse tale signum præstat, quia hæc est etiam confessio peccati in genere, quæ non solum fieri potest ore, sed etiam nutibus, & signis, ut diximus suo loco, & tenent omnes Auctores supra citati.

25. Major difficultas: *An possit, & debeat absolvi Infirmus, qui talia signa doloris, & pœnitentiæ facit coram Sacerdote, sine ordine explicito ad Confessionem?* Negant Suarez *supra n.*13. Vasquez, Bonacina, Megala, & alii, quos refert Diana *supra resol.* 2. quia in eo casu deficit Confessio necessaria ad hoc Sacramentum; quæ Sententia vera esset, ac sequenda, si certo constaret, talia signa præstari ad alium effectum sine ullo ordine ad claves: sicut diximus supra, absolvi non posse Sacerdotem, aut Clericum, qui in principio Missæ, aut in Choro, facta Confessione generali, subito sensibus destituitur. At si non constat talia signa nec ordinari, nec non ordinari ad Claves, & Sacramentalem absolutionem; *an tunc possit, & debeat absolvi?*

26. Resp. posse, & debere absolvi, quia cum omnes Catholici soleant in eo articulo petere Confessarium, præsumendum est, Infirmum velle sacramentaliter absolvi, & illa signa devotionis, & pœnitentiæ, ut tunsionem pectoris, junctionem, vel elevationem manuum, oculorum elevationem in Cælum, vel directionem in aliquam piam Imaginem, & similia, possunt rationabiliter præsumi esse ordinata ad obtinendam Sacramentalem absolutionem. Quod si omnibus perpensis dubium sit: *an illa signa oriantur ex pœnitentia, & dolore de peccatis, an potius ex mœrore, & angustia morbi?* poterit absolutio impendi sub conditione, quia sic nulla fit injuria Sacramento, & aliunde contingere potest, ut Infirmus virtute absolutionis liberetur a peccato mortali, & salvetur. Ita Lugus *disp.*17. *n.*29. Diana *supra*, Aversa *sect.* 16. Anton. a Spiritu S. *disp.* 10. *n.* 709. Layman, Zambranus, Pharaonius, Filliucius, Reginaldus, quos citat, & sequitur Leander *q.* 41.

DUBIUM IV.

An possit Infirmus absolvi, qui Confessarium petiit, aut signa pœnitentiæ dedit in absentia Sacerdotis?

27. PRima Sententia absolute negat, posse Sacerdotem licite, & valide absolvere Moribundum, qui, eo absente, Confessionem petiit, aut signa doloris exhibuit, quia Confessio, qua pœnitens se accusat coram Sacerdote de suis peccatis, est materia essentialis hujus Sacramenti; ergo non sufficit, nec valet Confessio facta in absentia; maxime quia contingere potest, quod vel nuntius falsa referat Sacerdoti, vel interim pœnitens mentem mutaverit, unde merito a Clem. VIII. in Decreto edito die 20. Junii anno 1602. fuit damnata illa propositio: *Licere per litteras, vel internuntium Confessario absenti peccata sacramentaliter confiteri, & ab eodem absente absolutionem obtinere*, ut notavimus supra *cap.* 3. *dub.* 7. & ita tenent non solum Auctores, qui dubio præcedenti negarunt, sufficere peccatum in communi confiteri, sed etiam Petrus Fait, Franc. Coquerus, Didacus, Alvarez, Lavorius, Turrianus, & Alphonsus de Leone, quos affert Diana *p.*3. *tr.*3. *resol.* 4.

28. Secunda Sententia distinguit, & dicit, posse, ac debere absolvi moribundum, quando aliquis coram illo testatur Confessario, eum voluisse confiteri; secus si Confessarius non sit certior factus de intentione moribundi, nisi in absentia illius. Ratio est, quia de essentia hujus Sacramenti est, quod confessio, & absolutio fiant præsente Confessario, & Pœnitente. Quando autem Confessarius invenit moribundum sensibus destitutum, si astantes testificent illum Confessionem petiisse, vel signa Contritionis dedisse, tunc sunt veluti interpretes, qui pœnitentiam, & desiderium moribundi exponunt Sacerdoti, & infirmus per illos Sacerdoti præsenti confitetur: at si testes exponant desiderium moribundi, ipso absente, tunc illa est confessio facta per nuntium in absentia, quæ a Pontifice fuit damnata, & improbata, ac proinde in primo, non in secundo casu debet absolutio impendi. Ita, pluribus citatis, Diana *p.*3. *tr.*3. *resol.*7. & Bonacina *disp.* 5. *q.* 5. *sect.* 2. *p.* 2. §. 4. *n.* 10.

29. Tertia Sententia, quam puto probabiliorem, & in praxi sequendam, docet, Confessarium posse absolvere moribundum sensibus destitutum, qui Confessionem petiit, aut signa doloris dedit, etiamsi hujus rei attestatio non fiat coram ipso Infirmo, quia sic habetur ex pluribus Conciliorum, & Pontificum Decretis; nam in Concil. Arausicano I. *c.*11. relato in cap. *Qui recedunt* 26. *q.*6. sic habetur: *Subito obmutescens baptizari, aut pœnitentiam accipere potest, si voluntatis præteritæ testimonium aliorum verbis habeat:* & in Concil. Carthagin. IV. *cap.* 63. relato in cap. *Qui infirmitate*, habetur: *Is, qui pœnitentiam in infirmitate petit, si casu, dum ad eum Sacerdos invitatus venit, oppressus infirmitate obmutuerit, dent testimonium, qui eum audierant, & accipiat pœnitentiam*, Idem habet S. Leo Papa Epist. 89. relata in cap. *His, qui in tempore*; & in Rituali Romano, jussu Pauli V. edito, decernitur: *Si inter confitendum, vel etiam antequam incipiat confiteri, vox, & loquela ægri deficiat, nutibus, & signis conetur, quoad fieri potest, peccata pœnitentis cognoscere, quibus utcumque, vel in genere, vel in specie cognitis, vel etiam si confitendi desiderium sive per se, sive per alios ostenderit, absolvendus est.* Ratio esse potest, quia nihil obstat, quominus Confessio sic facta sit materia sufficiens hujus Sacramenti ad recipiendam absolutionem; quamvis enim pœnitens in isto casu non se accuset per propriam personam, accusat tamen se per Interpretem, quæ accusatio, licet non sit ordinario modo facta, sed extraordinario, est tamen vera accusatio sufficiens in casu necessitatis ad absolutionem obtinendam. Et ita tenent D. Thomas, D. Antoninus, Paludanus, Pitigianus, Sylvester, Angelus, Sylvius, Vasquez, Suarez, Coninch, Beccanus, Kellisonus, Gamachæus, Lugus, Valentia, Medina, Reginaldus, Filliucius, Layman, & alii communiter, quos affert, & sequitur Aversa *q.* 10 *sect.* 17. Leander *q.* 43. 44. & 45. Ant. a Spiritu S. *disp.* 10. *sect.*3. Franc. a Jesu Maria *c.*8. *punct.*6. *n.*147. Madernus *q.*4. *art.*10. Marchinus *de peste part.*3. *c.*13. *n.*8. & alii innumeri, quos affert, & sequitur Bossius noster *part.*1. *moral. tit.* 1. §. 25. *n.* 363.

30. Quod vero debeat Confessarius absolvere moribundum, non solum quando coram infirmo testes asserunt, illum Confessionem petiisse, vel signa contritionis dedisse, sed etiam quando id asserunt in absentia; inde patet, quod Concilium, & Rituale Romanum, necnon Auctores satis communiter non distinguunt de testimonio dato in præsentia, seu absentia infirmi. In Concilio Carthag. supra relato solum dicitur: *Dent testimonium, qui eum audierant, & accipiat pœnitentiam*; & in Rituali Romano: *si confitendi desiderium, sive per se, sive per alios ostenderit, absolvendus est*. Deinde, quia cum infirmus sit sensibus destitutus, nec possit amplius loqui, aut signa dare, aut dicta testium approbare, parum refert, quod testes deponant in præsentia, seu absentia infirmi, quia semper verificatur, Confessionem fuisse factam in absentia Sacerdotis; testificatio enim adstantium non est nova confessio, cum non possit ab infirmo approbari, sed est testificatio confessionis factæ in absentia

sacer.

Sacerdotis, & sic vel in utroque, vel in neutro casu debet absolvi. Et ita expresse tenent Marchinus, Madernus, & Bossius, cum aliis ab ipso citatis *n.* 379.

31. Nec obstat, quod possit nuntius falsa referre, aut potuerit pœnitens intentionem mutare, quia hoc idem dici potest de quacumque Confessione facta per interpretem, qui potest falsa referre, & in ordinariis Confessionibus potest pœnitens mentiri, & falso dicere, se esse dispositum, cum vere non sit, & tamen solet absolutio impertiri: ita etiam in casu nostro, in quo minus periculum timeri potest, quando constitutus in mortis articulo quærit remedium animæ suæ, & aliquis de hoc ipso testatur, erit absolutio danda, quæ proderit, si nuntius vera refert, & pœnitens non mutavit voluntatem.

32. Ad Decretum Clementis VIII. damnantis Confessionem factam per nuntium, aut per litteras in absentia Confessarii, resp. Clement. VIII. declarasse hunc casum de moribundo, qui, absente Sacerdote, Confessionem petiit, & signa doloris dedit, & postea sensibus destitutus absolvitur a superveniente Confessario, non comprehendi suo Decreto, ut anno 1608. 16. Aprilis testati sunt ex eo audivisse Card. Bellarminus, & Archiepisc. Armacanus, qui præterea litteras sua manu subscriptas dedit Francisco Florentino e Societate Jesu Provinciali in Belgio, & P. Leonardo Lessio, prout referunt Coninchus, Sancius, & Lugus apud Madernum, & Bossium. Extra hunc casum extremæ necessitatis, Confessio semper facienda est Sacerdoti præsenti, & absolutio semper danda a Sacerdote pœnitenti præsenti, nec in ullo umquam casu conferri potest a Sacerdote absente, quod est principaliter damnatum in Decreto Clementis VIII.

33. *An vero possit Sacerdos absolvere moribundum, quando illi, qui testantur de voluntate, & petitione Confessionis, hoc non audierunt ab ipso infirmo, sed ab aliis, unde sunt testes tantum mediati?*

Resp. sufficere testes mediatos, qui dicant audivisse ab aliis testibus fide dignis, quia notitia mediata est vera notitia; & in Rituali Romano habetur: *Si confitendi desiderium per se, vel per alios ostenderit, absolvendus est*, quod etiam verificatur de notitia solum mediata; sufficit etiam unus testis, quia, ubi non agitur de præjudicio alterius, creditur uni testi; nec requiritur, quod talis testis sit fidelis; quamvis enim sit infidelis, vel hæreticus, quando credibile est, in hoc casu non mentiri, potest illi dari fides, quia parum illi interest, quod infirmus absolvatur, & potius vellet tale Sacramentum non ministrari. Sic Lugus *disp.* 17. *sect.* 5. Bossius *loco cit. n.*367. Madernus *n.*12. Ant. a Spiritu Sancto *n.*714. Leander *q.* 44.

34. Colligitur ex dictis, Sacerdotem supervenientem non solum posse, sed etiam debere absolvere moribundum sensibus destitutum, quando in ejus absentia, & ante ejus adventum petiit Confessionem, quia Clemens VIII. non solum dixit, hunc casum non comprehendi in suo Decreto, sed addidit, se puniturum illum Sacerdotem, qui noluisset talem pœnitentem absolvere, ut asserunt omnes præcitati Doctores; & ratio est, quia ad minus hæc Sententia est probabilis, & talis, ut tuta conscientia possit illam Sacerdos amplecti; ergo ad id tenetur, cum lege caritatis teneatur quis subvenire proximo graviter periclitanti circa æternam salutem, quando absque gravi incommodo id facere potest; sed potest prodesse moribundo talis absolutio, & absque gravi incommodo potest illam Sacerdos impendere; ergo ad id tenetur ex caritate; fieri enim potest, ut cum tali absolutione salvetur infirmus, qui sine illa damnaretur defectu sufficientis Contritionis. Addit ulterius Madernus *n.* 15. cum Vasquez, Sancio, Lugo, & Arriaga, posse absolutionem dari absolute, & non conditionate, quia hæc Sententia est valde probabilis; quoties autem operamur ex assensu probabili, possumus operari absolute absque alia conditione apposita.

DUBIUM V.

An possit absolvi Moribundus sensibus destitutus, qui nec Confessionem petiit, nec signa doloris dedit?

35. Major difficultas est: *an possit a superveniente Confessario moribundus absolvi, qui nec Confessionem petiit, nec ulla signa doloris dedit, seu non constat dedisse, quia nullus est, qui possit de hoc testari, & moribundus jam est sensibus destitutus, ut non possit amplius signa dare?* Communis Sententia negat, quia Concilia, & Patres asserunt infirmum absolvendum, quando adstantes testantur, Confessionem petiisse, & signa doloris dedisse; & Rituale Romanum a Paulo V. editum, in instructione ad Parochos ait, moribundum fore absolvendum, si Confessionis desiderium per se, vel per alios Sacerdoti ostenderit; & ratio est, quia confessio externa, & sensibilis peccatorum, est materia proxima, & necessaria Sacramenti Pœnitentiæ, sine qua dari non potest absolutio Sacramentalis, ut constat ex Trident. *sess.* 14. *can.* 9. ubi habetur: *Si quis dixerit, non requiri Confessionem pœnitentis, ut Sacerdos eum absolvere possit; anathema sit*; sed quando pœnitens nullum signum doloris dedit, seu nullus est, qui possit de dato signo testimonium ferre, nulla datur confessio externa, & sensibilis; ergo non potest Sacramentaliter absolvi. Non enim sufficit sola Contritio, & Attritio interna, sed requiritur externa, & sensibilis manifestatio, & accusatio tacta ore, scripto, vel alio signo sensibili ab ipso pœnitente, aut ab alio, qui a pœnitente audierit: quæ quidem manifestatio non solum debet esse sensibilis in se, sed etiam ipsi Confessario, qui tamquam Judex non potest beneficium absolutionis impendere, nisi ei aliquo modo, & signo exteriori constet de accusatione. Ita Suarez, Vasquez, Coninch, Layman, Reginaldus, Turrianus, Henriquez apud Leandrum *disp.* 5. *q.* 46. Diana *par.*4. *tr.*4. *resol.* 92. & *par.*9. *tr.*6. *resol.*20. Lugus *disp.*17. *sect.* 3. Bossius *supra nu.* 383. Madernus *qu.*4. *art.*9. & alii apud Aversam *q.* 10. *sect.* 18.

36. Secunda Sententia docet, posse, & debere in illa extrema necessitate moribundum absolvi sub conditione, quando erat solitus christiane vivere, & Confessionem semel saltem in anno frequentare. Ratio est, quia de homine illo, qui christiane vivebat, præsumi debet, vel saltem prudenter dubitari potest, quod in illo periculo constitutus, si vel per modicum tempus sui compos extitit, non solum actu interno Confessionem desiderasse, sed externo, & sensibili actu desiderium illud expressisse, quod videtur esse virtualis Confessio externa pro absolutione concedenda in tam extrema necessitate sufficiens: quare non absolvitur in isto casu moribundus, de quo certo constet, nullum signum dedisse, sed de quo prudenter dubitari potest, quod signum dederit, & confessionem petierit, prout facere solent in eo statu Fideles.

37. Conf. Quando prudenter dubitatur: *an signa edita a moribundo proveniant ex angustia, vel ex compunctione cordis?* Omnes fere concedunt, posse, & debere absolvi sub conditione, quia sic nulla fit injuria Sacramento, & aliunde contingere potest, ut infirmus virtute absolutionis liberetur a peccato mortali, & salvetur; ergo etiam potest, & debet dari absolutio sub conditione, quando prudenter dubitari potest, ut contingit in casu nostro, signum dedisse, & Confessionem petiisse, quamvis nullus sit, qui hoc audiverit, & nuntiare possit. Nam in Sacramentis simpliciter necessariis ad salutem, cujusmodi sunt Baptismus, & Pœnitentia, quando non potest haberi materia certa, potest in extrema necessitate adhiberi materia dubia: sic licite administratur Baptismus, urgente illa necessitate, in liquore, de quo dubitatur, an sit aqua naturalis: ita in extrema necessitate licitum erit absolvere in dubio confessionis, quia si forte moribundus eo modo, quo potuit, confessionem petiit, jam adhibuit ex parte sua materiam necessariam, se aliquo modo accusando, & officium Judicis implorando, & ad Sacrum Pœnitentiæ Tribunal aliquo actu externo confugiendo; & ideo cum hoc dubio materiæ poterit, immo & debebit impendi forma absolutionis, maxime si tunc Extremæ Unctionis Sacramentum moribundo ministrari non possit.

38. Conf. 2. ex facto Clementis VIII. de quo fertur, quod videndo quemdam cadentem ex fabrica Divi Petri, absolutionem ei dedit dicens: *Si es capax, ego te absolvo a peccatis tuis;* quando enim agitur de periculo æternæ salutis, omni modo possibili occurrere debemus, maxime quia per conditionem in absolutione appositam cessat omnis irreverentia Sacramenti, & periculum Sacrilegii. Hanc Sententiam practicandam docuit Alexander Ludovisius tunc Archiepiscopus Bononiensis, postea Summus Pontifex Gregorius XV. in Memoriali Confessar. Bononiæ, edito anno 1623. *cap.*1. *de forma Sacram. Pœnit. n.*16. *Quia*, inquit, *contingere potest, moribundum esse tantum attritum, unde damnaretur, nisi absolvatur;* & id probat auctoritate Sacerdotalis Romani ex D. Antonino, dicentis: *Infirmus, qui amisit loquelam, vel usum rationis, si bene vivebat, quamvis non petierit Sacramenta, debet præsupponi contritus, & Sacerdos faciat absolutionem ab omni sententia, & peccato*, ubi sermo est de absolutione non solum a censuris, sed etiam a peccatis, quæ est Sacramentalis, ut bene advertit Aversa *q.*10. *sect.*18. eamdem tenent Homobon. *de exam. p.*1. *tr.*7. *c.*18. *q.*84. Mollesius *in Summa t.*1. *tr.*2. *c.*5. *n.*48. & 49. referens Gabrielem Lotherium Sacerdotem suæ Religionis, Patrem Salmeronem Societatis Jesu, & Patrem Lugum Capucinum: Antonius de Litteratis, Bartholom. de S. Fausto, Jacobus Bayus apud Aversam, Gabriel a S. Vincentio *de Sacram. pœnit. disp.*7. *q.*2. dicens, quod licet alias opposita fuerit Sententiæ, re tamen maturius considerata, & cum viris doctis discussa, & ob facti contingentiam hanc sequi, & precatur Lectorem eamdem sequi, si casus occurrat. Ant. a Spiritu S. *disp.* 10. *sect.* 4. & probabile putat Diana *par.* 3. *tr.* 3. *resol.* 8. & *p.*9. *tr.*9. *resol.* 20. plures pro eodem refert.

39. Ad fundamentum contrariæ Sententiæ dici potest, non fore dandam absolutionem quando certo omnino constaret, pœnitentem nullum dedisse signum, nec ullo modo Confessionem petiisse, quia tunc deficeret materia proxima nempe sensibilis, & exterior confessio pœnitentis saltem generalis, & confusa, sed dandam esse absolutionem, quia rationabiliter præsumitur, & prudenter dubitatur adesse materiam sufficientem exterius manifestatam; siquidem omnes fideles solent in illo periculo confessionem petere. Addunt aliqui, quod, ipsum christiane vixisse, est virtualis quædam, & sensibilis petitio Confessionis saltem debita pro articulo

culo mortis, in quo nullus debet præsumi immemor suæ æternæ salutis.

40. Hæc sententia, cum sit valde probabilis, censeo illam esse in praxi securam, & practicandam, quia ex una parte Sacerdos sic operando non exponitur periculo errandi cum operetur ex sententia valde probabili propter auctoritatem tot gravium doctorum, & cesset omnis irreverentia Sacramenti propter conditionem in absolutionem appositam; & ex alia parte negando absolutionem exponeret moribundum periculo æternæ damnationis, si forte non haberet nisi attritionem, quæ cum Sacramento sufficeret ad salutem; ergo debet, & tenetur illum absolvere. Ita Doctores satis communiter, etiam illi, qui dicunt oppositam esse speculative veriorem, & probabiliorem. Ita Suarez, Vasquez, Coninch, Cruz, Megalius, Lusius, Turrianus, Sylvius, Filliucius, & alii, quos citat, & sequitur Diana *p.3.tr.3.resol.9.* Leander *disp.5. q.47.*

41. Quæres *quid dicendum, & faciendum, quando moribundus ex delirutione mentis expresse dicit, se nolle absolvi: aut in casu, quo quis in actu fornicario, & peccaminoso subito desiceret, & sensibus destitueretur?*

Resp. esse absolvendum, si Confessario constet repugnantiam provenire ex delitamento, maxime si ante delirium Confessionem petierit, & signa pœnitentiæ dederit, vel si solitus erat confessionem frequentare, & christiane vivere, quia de illo idem præsumendum, quod de aliis, ut supra dictum est. Si autem ille erat publicus peccator, & malis moribus imbutus, dubitari potest repugnantiam provenire ex pravo habitu voluntatis adhuc perseverante, & sic non deberet absolvi. De illo vero, qui actu peccaminoso sensibus destitueretur, sic habet Tambur. in Methodo confess. lib.2.c.10.§.1.n.12. *Resp. tunc non esse præsumendum attritum, atque adeo nec absolvendum docent communiter: sed ego sub prædicta conditione.* Si es capax absolutionis, *vix illum regulariter sine absolutione dimitterem, non quia velim absolvere non dispositum, sed quia rarissime eveniet, ut tam cito sensibus, quis, dum actu peccat, destituatur, ita ut vicinus morti non velit suæ saluti consulere per aliquam attritionem.* Idem habet Ant. a Spir. S. *disp.10.sect.4. n.721.* quia communiter videmus, homines vulneratos vel in domo Meretricis, vel in actu furandi, si loqui possint, petere absolutionem; & sic etiam qui in actu fornicandi sensibus destituitur, potuit in aliquo temporis intervallo dedisse signa doloris, ac proinde sub conditione debet absolvi.

„ *Idipsum & asseritur, & fortissimis rationibus, necnon & auctoritatibus a Sanctiss. D. N. Benedicto XIV. comprobatur in sua Notificatione posita sub n.22. in qua agitur de absolutione cuicumque scelestissimo viro in articulo mortis constituto, impertienda. Perlegant, quæso, quæ hac de re Sapientissimus Pontifex scripserit, Confessarii omnes, & memoriæ sedulo hoc idem mandent, ne unquam in re tanti momenti cæcutiant; agitur enim de re gravissima, scilicet de salute animæ a Salvatore ipso pretio magno redempta. Hæc autem sunt Pontificis verba:* Inter ceteras controversias, quæ a Studiosis Sacræ Antiquitatis proponuntur, illa præsertim adnumeratur: *Concederetur ne absolutio* (inquit P. Mabillon *in suo Tractatu studiorum Monastic.*) *pro singulis peccatorum generibus? negaretur ne alicui, licet in articulo mortis? Disciplina Ecclesiastica esset ne quoad hoc ubique uniformis?*

„ Cum autem in disquisitione rerum, quæ ad veterem Ecclesiæ historiam pertinent, ab exiguo monumentorum numero difficultas plerumque oriatur, pro disceptatione, quam modo exposuimus, tot, ac tanta monumenta ante oculos perpendenda observantur, ut magis periti Scriptores in duas partes contrarias abierint. Aliqui, nempe Albaspinæus, Petavius, Lupus, Juenin, ac Martene eam sententiam tuentur, ut Sacram non modo Communionem, sed etiam Sacramentalem absolutionem scelestissimis hominibus, cum animam agerent, denegatam fuisse fateantur, licet veræ pœnitentiæ signa palam ostenderent, cujus judicium, & confessionis votum Divino Judici relinquebatur. Alii vero, inter quos Morinus, & Natalis Alexander, id numquam accidisse contendunt. Postremus locus inter eos, qui in hac opinione versantur, tribuendus est Tournely *p.2. suor. Prælection. Theologic. de Sacram. Pœnit. & Extremæ Unct. pag.* 167. *edit. Parisien.* 1728. & P. Josepho Augustino Orsi ex Ordine Prædicatorum, non quidem eruditionis, doctrinæque ratione habita, sed quod postremi omnium monumenta ingenii sui in lucem protulerint. Orsi præsertim in dissertatione historica, quam super hac re confecit, quæque Mediolani anno 1730. excusa fuit, argumenta satis accurato studio refellit, quæ ab Albaspinæo contrariæ sententiæ principe, ac duce *in suis Ecclesiasticis observationib.* luculenter asseruntur.

„ Verum, ut omittamus quæ olim contigerint, & quæ ad peculiares solum Ecclesias referuntur, uti Carolus Witasseus *tract. de Sacram. Pœnit. p.2. q.6.* expendit, numquam Sedes Apostolica, unitatis centrum, & omnium Ecclesiarum magistra, improbavit, ut cuivis nefario homini, qui veram pœnitentiam apertis indiciis testetur, absolutio concedatur. Cælestinus quidem Pontifex (*Epist. ad Episcop. Viennen. & Narbonen.*) initio Sæculi V. pravam consuetudinem vehementer objurgat, quæ in Provincias Viennensem, ac Narbonensem irrepserat. *Agnovimus* (inquit) *pœnitentiam morientibus denegari, nec illorum desideriis annui, qui obitus sui tempore hoc animæ suæ cupiunt remedio subveniri. Horremus, fateor, tantæ impietatis aliquem reperiri, ut de Dei pietate desperet, quasi non possit ad se quovis tempore concurrenti succurrere. Quid hoc, rogo, aliud est, quam mortem morienti addere, ejusque animam sua crudelitate, ne absoluta esse possit, occidere? salutem ergo homini adimit quisquis mortis tempore speratam pœnitentiam denegarit.* Si ad posteriora tempora deveniamus, ex Jure Canonico (*inter Clementin. tit. de Pœnit. & Remiss. cap.1.*) legimus Constitutionem Clementis V. in Concilio generali Viennensi, in qua sæcularium quorumdam Judicum audacia graviter comprimitur, qui capite damnatos impediebant, ne sua prius scelera Sacerdoti commode confiterentur: *Cum secundum statuta Canonica ultimo depascendis supplicio negari, si petunt, non debeat Pœnitentiæ Sacramentum, abusum damnabilem in quibusdam partibus contra hoc introductum aboleri omnino volentes, Justitiarios omnes, & Dominos temporales, ut ab hujusmodi desistant abusu, hortamur in Domino, & obsecramus per viscera misericordiæ Jesu Christi. Locorum Ordinariis nihilominus injungentes, ut eos ad hoc, cum primum commode poterunt, diligenter moneant, & si necesse fuerit, Ecclesiastica censura compellere non omittant.* Tridentina quoque Synodus *sess.* 14. *cap.* 7. postquam de reservatione delictorum a Summo Pontifice, & quolibet Episcopo pro sua Diœcesi statuenda sermonem habuit, his deinde verbis utitur: *Hanc autem delictorum reservationem consonum est divinæ auctoritati non tantum in externa politia, sed etiam coram Deo vim habere. Verumtamen pie admodum, ne hac ipsa occasione aliquis pereat, in eadem Ecclesia custoditum semper fuit, ut nulla sit reservatio in articulo mortis, atque ideo omnes Sacerdotes quoslibet pœnitentes a quibusvis peccatis, & censuris absolvere possint.*

Et profecto nullum est peccatum tam grave, tamque acerbum, quod vera pœnitentia non deleatur, ut habetur capite *Firmiter: de summa Trinitate, & Fide Catholica: Et si post susceptionem Baptismi quisquam prolapsus fuerit in peccatum, per veram potest semper pœnitentiam reparari.* Deus ipse (*Ezech. c. 33. v.12.*) in gratiam, & amicitiam se peccatores recepturum fatetur, si ad meliorem frugem traducantur: *Tu itaque, fili hominis, dic ad filios populi tui: justitia justi non liberabit eum in quacumque die peccaverit, & impietas impii non nocebit ei in quacumque die conversus fuerit ab impietate sua.* Insuper (ut tradit S. Augustinus in *Enchyrid. c.98.*) *Quis porro tam impie desipiat, ut dicat. Deum malas hominum voluntates, quas voluerit, quando voluerit, in bonum non posse convertere? sed, cum facit, per misericordiam facit; cum non facit, per judicium non facit.*

CAPUT X.

De occasionibus Peccatorum vitandis.

DUBIUM I.

An possit absolvi, qui est occasione proxima peccandi?

Peccandi occasio est omne id, quod ex natura sua, vel ex circumstantiis inducit ad peccatum, & duplex est: alia proxima, alia remota. Occasio proxima dicitur illa, in qua quis positus semper, aut fere semper peccat, ut qui in lodo ordinarie blasphemat, qui retinet domi concubinam, & similia: occasio vero remota dicitur, in qua interdum homo cadit, sed sæpe resistit, seu in qua quis positus nec semper, nec frequenter peccat. Occasio proxima peccandi alia dicitur voluntaria, quæ scilicet relinqui potest sine scandalo, & damno proprio, alia necessaria, seu involuntaria, quæ non potest relinqui sine scandalo, vel damno proprio.

2. Resp. primo existens in occasione remota peccandi licite potest absolvi. Ratio est, quia in humano commercio difficillimum est, ac moraliter impossibile ab omnibus iis occasionibus se liberare, & juxta S. Paulum 1. *ad Cor. cap.* 5. deberemus omnes de mundo exire, cum fere in omnibus statibus sit occasio remota peccandi; talis siquidem esse potest valetudo, morbus, divitiæ, paupertas, Uxor, Parentes, Filii, Consanguinei, Amici, & alia omnia: quare Confessarius non solum potest, sed tenetur absolvere pœnitentem qui non est paratus tollere, aut fugere occasiones remotas peccatorum. Salubre tamen consilium est, nonnullas periculosiores vitare, fugere nimirum colloquia prava, nimiam mulierum familiaritatem, curiosos aspectus, & similia, quæ possunt esse incentiva peccandi,

3. Resp.

3. Resp. 2. Qui voluntarie manet in occasione proxima peccandi, per se loquendo, non est absolvendus, nisi illam omnino deserat. Ratio est, quia ille qui vult remanere in occasione proxima peccandi, vult manere in morali periculo labendi, & consequenter non habet verum, & efficax propositum non peccandi, seu vitandi peccatum, juxta illud Ecclesiastici 27. *Qui amat periculum, peribit in illo*, non solum scilicet peribit in peccato, quod postea committet, sed etiam in ipso periculo, quia & ipsum periculum ex tunc est peccatum volitum in caussa; ergo cum occasio proxima peccati, & periculum proximum peccandi, sint penitus idem, non potest absolvi qui in occasione proxima voluntarie manet. Quod verum est non solum quando occasio proxima est ad aliquod peccatum in particulari, sed etiam quando est ad peccatum in communi, id est modo ad unum, modo ad alterum; ut si quis haberet socium, seu amicum, ex cujus conversatione sæpe rueret in varia peccata, sive furandi, sive fornicandi, sive blasphemandi, aut quid simile. Ita Lugus, Suarez, Dicastillus, quos affert, & sequitur Ant. a Spiritu S. *tr.* 5. *disp.* 3. *sect.* 10. *n.* 134. quia sicut non potest esse propositum cum voluntate peccandi in communi: ita etiam non potest esse cum voluntate habendi occasionem peccandi mortaliter in communi; & proinde hujusmodi occasio proxima indefinite ad varia peccata non minus vitari debet, quam occasio determinate ad aliquod genus peccati. Sic docent Auctores communiter.

4. Dixi, *non esse absolvendum, qui voluntarie manet in occasione proxima peccandi*, quia si occasio illa non esset voluntaria, sed necessaria, vel quia omnino tolli non potest, vel non sine magno scandalo, gravi, & magno detrimento, seu infamia; ut si esset puella sub cura parentum, quæ nec posset deserere domum, nec per se expellere, aut detegere illum, qui sibi est occasio proxima peccandi, tunc posset absolvi, dummodo pœnitens vere esset contritus, cum proposito amplius non peccandi, & vitandi quantum poterit illam occasionem: ut non loquendi sola cum solo, præsertim in loco solitarie, fugiendi ejus aspectum, & præsentiam quantum fieri potest, & adhibendi alia media, orationis, & devotionis, &c. quia cum occasio non sit illi voluntaria, non tenetur illam dimittere, ut docent communiter Doctores cum Bonacina *q.* 4. *de Matrim. punct.* 14. *n.* 11. Magna tamen necessaria est prudentia in Confessario in dignoscenda illa occasione, an vere sit necessaria, nec possit dimitti sine gravi detrimento, quia tres extant Sententiæ damnatæ ab Innocent. XI. quæ sunt in ordine 61. 62. & 63. I. *Potest aliquando absolvi, qui in proxima occasione peccandi versatur, quam potest, & non vult omittere, quin immo directe, & ex proposito quærit, aut ei se ingerit.* II. *Proxima occasio peccandi non est fugienda, quando caussa aliqua utilis, aut honesta non fugiendi occurrit.* III. *Licitum est quærere directe occasionem proximam peccandi pro bono spirituali, vel temporali nostro, vel proximi.*

5. Dices: tenetur homo potius pati quamcumque jacturam, quam positive consentire in peccatum mortale, juxta illud Christi Domini Matth. 18. *Si manus tua, vel pes tuus scandalizat te, abscinde eum, & projice abs te: si oculus tuus scandalizat te, erue eum, & projice abs te, &c.* sed permanere in occasione proxima peccandi, est velle peccatum in caussa; ergo debet homo pati potius quodcumque damnum, quam permanere in occasione proxima peccandi.

Resp. numquam licitum esse, nec mortaliter, nec venialiter peccare ob vitandum quodcumque damnum, quia non sunt facienda mala, ut veniant bona; occasio autem proxima, quando non est voluntaria, non est peccatum, sed periculum proximum peccandi, quod potest permitti ad vitanda gravia damna, quia tunc, cum non sit libere volitum, sed permissum, non est peccatum, ut cum Navarro, Suarez, Sanchez, & aliis docet Palaus *to.* 1. *tr.* 2. *disp.* 2. *punct.* 9. §. 3. *n.* 8.

6. Hinc sequitur, non esse absolvendum, qui est in occasione proxima concupiscendi feminam, quam occasionem sine gravi detrimento potest, & non vult deserere, quia non est necesse peccatum esse opere consummatum, sed sufficit esse solum in voluntate, ut teneatur quis occasionem illius proximam, & liberam vitare; inde qui domi habet feminam, quam sæpe concupiscit, quamvis cum illa carnaliter non peccet, aut qui est solitus frequentare domum, in qua est femina, quam concupiscit, tenetur feminam ejicere, & occasionem dimittere, si sæpe admonitus a Confessario a prædictis pravis desideriis non desistat, quia hujusmodi desideria sunt peccata mortalia ex præsentia feminæ occasionem sumentia; ergo tenetur talem occasionem vitare, & feminam abjicere. Ita Graffius, Navarrus, Chapeavilla, quos referunt, & sequuntur Leander *disp.* 7. *qu.* 42. & Palaus *tract.* 2. *disp.* 2. *punct.* 9. §. 3. *n.* 2.

7. Sequitur 2. nec esse absolvendum, qui est in occasione proxima scienter faciendi opus dubium, an sit mortaliter peccaminosum, vel non? quia voluntarie se exponit periculo peccandi mortaliter, ut docet Cajetanus *in Summa* verb. *Periculum*, ubi sic ait: *Periculo peccandi se exponere, dupliciter evenit: primo faciendo scienter opus dubium, an sit licitum, vel illicitum; & hoc modo exponere se periculo peccandi, est peccatum; & si agitur de licito, aut illicito mortaliter, est peccatum mortale.* Ita etiam Lopez, & Sanctius, quos sequitur Leander *supra q.* 33.

8. Quæres: *An possit absolvi, qui exercet artem per se licitam, quæ tamen est illi occasio peccandi, nec illam vult dimittere?*

Resp. posse absolvi etiam arte non dimissa, dummodo cum vero dolore proponat emendationem. Ratio est, quia ars illa, cum sit per se licita, honesta, non est occasio peccandi per se, sed per accidens, & peccatum, quod sæpe contingit, non provenit ex natura occasionis, sed ex fragilitate peccantis, de quo proinde idem dicendum, ac de illo qui habet consuetudinem peccandi, blasphemandi, murmurandi, aut se polluendi, qui si vere contritus est, & firmum ostendat emendationis animum, potest, ac debet absolvi. Ita Navarrus, Tannerus, Jo: Sancius, Cajetanus, Armilla, Suarez, quos affert, & sequitur Thom. Hurtadus *tr.* 1. *c.* 5. *resol.* 5. *n.* 55. Reginaldus *to.* 2. *praxi lib.* 8. *n.* 19. Graffius *part.* 1. *decis. lib.* 1. *c.* 28. *n.* 23. Palaus *supra n.* 17.

9. Hinc sequitur, posse absolvi Sartores, qui, dum consuunt, sunt in occasione proxima furandi, Muliones, & Nautæ vitiantes vinum, & triticum aqua, si proponant in posterum abstinere; nam officium Sartoris, Mulionis, & Nautæ ex se non est illicitum, sed necessarium, & utile Reipublicæ. Ita Lessius, & Diana, quos refert, & sequitur Hurtad. *sup. n.* 64. Similiter Mercatores, & Scribæ non tenentur ab officiis propriis abstinere, quamvis habeant in illis occasionem peccandi, quia non est occasio illis voluntaria per se inducens ad peccatum, sed necessaria, quam cum gravissimo detrimento vitare non tenentur. Ita Navar. Graffius, Ant. Fernand. Jo: Sanchez, quos sequitur Palaus *sup. n.* 12.

10. E contra vero, non esse absolvendos illos, qui exercent ludos cum periculo vitæ, quales sunt funambuli, qui videlicet per funes gradiuntur in sublimi, docet Mazuchellus *de casib. reserv. disp.* 2. *c.* 4. *diff.* 3. *n.* 103. quia hujus generis homines, ut plurimum in iis ludis moriuntur, & citat Sylvestrum, & Graffium. Mihi tamen verius est illos absolvi posse, quia talem artem exercentes excusantur a peccato, ut docet Escobar *lib.* 32. *c.* 26. illis verbis: *Excusari etiam possunt, qui sui corporis agilitate ambulant supra funem; quamvis enim sit actio periculosa, experimento constat raro eis accidere præcipitium.* Favet Lopez, quamvis in partem oppositam inclinet *c.* 63. dicens: *Peccat mortaliter Jaculator, si utatur joco cum vitæ suæ periculo probabili, ut funambulus supra funem excelsiori loco suspensum incedens, secus est, si absque tali periculo suam artem exerceat.* Cum ergo raro præcipitium accidat, non potest talis ars esse illicita; secus peccarent Nautæ, & qui domos ædificant, quia illi aliquando merguntur, & isti præcipitantur. Si ergo isti excusantur, quia mors raro accidit, ita etiam possunt excusari funambuli. Et ita tenent Navarr. *c.* 15. *n.* 8. Sayrus *lib.* 7. *c.* 9. *n.* 27. Tambur. *lib.* 6. *in Decalog. c.* 2. §. 2. *n.* 12. Trullench *lib.* 5. *in Decalog. cap.* 3. *dub.* 2. *n.* 17.

11. De Alchimistis alii affirmant, alii negant esse absolvendos, prout tenent, artem illam esse licitam, vel illicitam. Credit Mazuchell. *n.* 104. hujus artis professores esse maxime suspectos, cum huic hominum generi valde familiare sit ex Chymica professione ad Dæmonum invocationes, & pactiones accedere, ut docuit Emericus 3. *p. tit. de signis, quibus Neomantici hæretici cognoscantur.*

12. Absolvendos esse censeo Artifices Taxillorum, Chartarum, Latrunculorum, vel, ut vulgo dicitur, Schaccorum, quia hæc non præbent peculiarem, sed generalem tantum occasionem peccandi, & frequenter homines ementes, illis utuntur ad sublevationem tædii, & laboris, non vero ad peccatum. Eadem ratione absolvi possunt venditores fucorum, & ornamentorum, quibus Mulieres se ornant, etiamsi illa vendant Meretricibus, ut notat Mazuchellus *ibidem*.

D U B I U M II.

Quid dicendum sit de Confessario, Chirurgo, & aliis, quibus officium est occasio peccandi?

13. Quæres 1. *An possit absolvi Parochus, & quilibet alius Confessarius, qui in audiendis Confessionibus sæpe labitur in voluntarias pollutiones, aut turpes delectationes?* Negant Diana *p.* 3. *tr.* 5. *resol.* 3. & apud ipsum Villalobos, Megala, Lessius, quia numquam licitum est exponere se formali periculo peccandi: qui enim amat periculum, peribit in illo; sed Parochus, & Confessarius, excipiendo confessiones, se exponunt formali periculo peccandi; ergo non possunt ita se exponere, & consequenter non possunt absolvi, si non desistant.

14. Resp. Parochum posse absolvi, quia occasio illa non est sibi voluntaria, sed necessaria ratione officii, quod non tenetur deserere, etiamsi experiatur voluntarie pollui, occasione desumpta ex auditis in confessione, sed sufficit si pœniteat, & proponat amplius non consentire. Ita Palaus *sup. n.* 13. Ant. a Spir. S. *tr.* 5. *disp.* 3. *n.* 144. Leander *disp.* 7. *q.* 47. ubi citat Navarrum, Josephum ab Oriu, Sancium, & Hurtadum. Hoc idem dicendum censeo de publico Confessario, qui sine scandalo, vel dedecore, aut gravi damno non potest desistere ab audiendis confessionibus, etiamsi inde habeat occasionem peccandi, quia talis occasio non censetur voluntaria, sed necessaria, ac proinde potest absolvi, si vere pœniteat, & proponat emendationem; secus dicendum

dum

dum de Confessario, qui tantum ex devotione confessiones audit, & ab illis audiendis sine scandalo, & magno detrimento posset desistere; iste enim non debet absolvi, nisi desistat, quia voluntarie, & sine caussa remanet in periculo, & occasione proxima peccandi. Ita Leander *q.46.* ubi advertit, idem esse dicendum de Confessario, qui quoties audit confessionem certæ cujusdam personæ peccat, & de pœnitente, qui idem facit, quoties accedit ad certum quemdam Confessarium: poterunt tamen absolvi, si non possunt sine magna nota recedere, & desistere, si vere pœniteant cum vero proposito emendationis. Ita etiam Diana, Navarrus, Villalobos, & alii apud Leandrum.

15. Quæres 2. *An possint absolvi Medicus, & Chirurgus, qui in medendis Feminis, maxime in partibus secretioribus, sæpe peccant per pollutionem, aut turpem delectationem?* Negant Diana, & alii, quia non est licitum se exponere periculo peccandi. Affirmant e contra Leander *q.48.* Ant. a Spiritu S. *n.144.* quia non tenentur officium deserere.

16. Resp. posse absolvi, quando nullus alius esset Medicus, seu Chirurgus, qui posset, vel sciret morbum curare, vel quando non possunt se retrahere sine magno dedecore, & gravissimo detrimento, quia tunc non dicuntur amare periculum, quod necessitate compulsi subeunt, adeoque si recte sint dispositi per dolorem, & propositum emendationis, poterunt absolvi.

17. Quæres 3. *An possint absolvi quidam homines, vulgo Contrabandieri, qui se exercent in asportando vinum, frumentum, &c. si a tali exercitio non desistant, aut desistere serio non promittant?*

Resp. non posse absolvi, quia se exponunt periculo peccandi, & voluntarie manent in occasione proxima. Ratio non desumitur ex defraudatione gabellarum, quæ potest peccatum inferre cum obligatione restitutionis: de hoc enim sufficienter agemus suo loco; sed ex eo, quod hujusmodi homines pravam semper habeant voluntatem, saltem habitualem, resistendi, & vim inferendi, si opus fuerit, satellitibus, qui sunt ministri publicæ Potestatis, usque ad sanguinis effusionem, & mortem, adeoque etiam injuste occidendi: sed prava hujusmodi voluntas est peccaminosa, & homicidium injustum; nam ex D. Paulo; *Qui potestati resistit, Dei ordinationi resistit;* ergo hujusmodi homines semper sunt in peccato, & sic incapaces Sacramentalis absolutionis, nisi a tali exercitio desistant. Ita expresse Bonac. *q. 1. de restit. punct.1. n.6.* ubi fatetur, hujusmodi transferentes triticum, ut plurimum habere intentionem percutiendi, vulnerandi, vel occidendi publicos justitiæ ministros, si illos obvios habeant. Qui autem habet intentionem inferendi grave damnum, & injuriam publicis justitiæ ministris, graviter peccat, ut etiam ait P. Navar. *lib.2. c. 3. n.* 347. & Molina *to.4. disp.15. n. 3.* ubi citat Covaruviam, & Sotum; adeoque negandam esse absolutionem illis, qui triticum transferre solent extra territorium, nisi proponant abstinere.

18. Nec obstat si dicas, illos id agere ad propriam defensam, ne capiantur a satellitibus, & merces suas perdant; nam satellites, cum sint ministri justitiæ, juste procedunt in captura, & hujusmodi homines injuste se defendunt violenter resistendo, & occidendo, ac proinde debent desistere, & non desistendo peccant, & redduntur incapaces Sacramentalis absolutionis. Confirmari potest ex eo, quod hujusmodi homines se exponunt periculo solvendi pœnas gravissimas a lege statutas, ut sunt confiscatio bonorum & damnatio ad triremes, quod non videtur immune a peccato mortali, maxime si id vergat in notabile damnum familiæ.

19. Hoc idem dicendum est de Histrionibus, & Comœdiantis, qui scandalosas, & obscenas solent comœdias repræsentare; ii enim sunt in periculo proximo peccandi, nec possunt absolvi, si non desistant: secus vero si modestas, & honestas faciant repræsentationes; tunc enim possunt absolvi, etiamsi occasione artis aliquando peccent. Ita cum aliis Hurtad. *tr.1. c.5. a n.66.* Ant. a Spiritu S. *n.144.* & hoc idem afferunt de hospita, servis, & ancillis diversorii, qui non tenentur diversoria dimittere etiamsi tale Officium sit illis occasio peccandi, quando illa sunt propria, aut per annos conducta, vel si non habeant alium modum vivendi. Non potest tamen hospita tenere ancillas malæ vitæ, ut illarum occasiones hospites alliciantur, ut augeatur concursus, & lucrum; scandala enim illa, & occasiones sunt illi voluntariæ, unde non debet absolvi, nisi meretrices ejiciat.

20. Quæres 4. *An possit absolvi, qui ignorat Doctrinam Christianam, & sæpe admonitus addiscere non curavit?* Certum est, non posse absolvi, qui ignorat Mysteria Sanctissimæ Trinitatis, & Incarnationis Domini nostri Jesu Christi, & oppositum asserere est damnatum ab Innocent. XI. proposit.64.

21. Resp. posse absolvi, dummodo pœniteat negligentiæ præteritæ, & serio proponat emendationem. Ratio, quia sic accedendo ad Sacramentum pœnitentiæ habet omnem dispositionem, quam potest, & tenetur habere pro eo tunc: ideo enim non potest absolvi concubinarius, aut qui est in aliqua occasione proxima peccandi, quia tempore Confessionis potest, & tenetur relinquere concubinam, & occasionem proximam, quam si non vult relinquere, jam redditur indispositus: at Rusticus tempore Confessionis non potest tunc addiscere mysteria, quare si pœniteat negligentiæ præteritæ, & proponat emendationem, erit sufficienter dispositus ad absolutionem. An vero debeat absolutio differri quousque mysteria didicerit, idem est dicendum ac de recidivo, qui sæpe proposuit sine fructu emendationem, de quo infra.

22. Quæres 5. *An possit, & debeat absolvi pœnitens, qui non vult proximo condonare injuriam.*

Resp. posse, & debere absolvi, si odium personale non habeat, nec velit vindictam privatam, sed publica auctoritate faciendam, quia licet quilibet teneatur odium deponere, & privatam vindictam relinquere, non tenetur tamen condonare injuriam in ordine ad vindictam auctoritate publica faciendam, ut dicetur suo loco, & docent Azor, Filliucius, Navar. Cajet. quos affert Ant. a Spiritu S. *n. 168.* ubi cum Tacredo ait, non esse cogendos parentes occisi ut omnem injuriam condonent malefactori, sed esse absolvendos, quando ex animo deposuerunt odium, nec quærunt vindictam privatam.

DUBIUM III.

An possit absolvi pœnitens, antequam ejiciat Concubinam.

23. Existentem in proxima, & voluntaria occasione peccandi posse bis, ter, & quater absolvi, antequam de facto Concubinam ejiciat, quamvis promissum factum de illa ejicienda non adimpleverit, docuit Joan. Sancius *disp. 10. n.4.* cui favet Leander *q.35.* quia ex secunda, immo & tertia, aut quarta promissione facta, & non adimpleta, de Concubina expellenda, aut alia occasione proxima vitanda, non sumitur judicium grave de defectu dispositionis pœnitentis, qui proinde licite poterit absolvi. Sic etiam Medina, Corduba, Tabiena, & alii quos affert Leander.

24. Resp. non esse absolvendum Concubinarium, seu existentem in occasione proxima voluntaria, nisi prius Concubinam ejiciat, seu occasionem deserat. Ratio est, quia experientia constat, pœnitentem absolutum raro, aut numquam occasionem dimittere, maxime si sit ex illis, qui semel in anno ad Confessionem accedunt, sed iidem, & gravioribus peccatis se implicare: & quamvis forte possit Confessarius, antequam occasionem dimittat, semel, & iterum pœnitentem hujusmodi absolvere; quando vere fidit expulsurum; hoc tamen raro, & maxima prudentia practicandum est, quin potius cogendus est pœnitens, ut a se Concubinam, & peccandi periculum expellat. Ut enim bene advertit Palaus *to.1. tr.1. disp.2. punct.9. §.3. n.18.* Confessarius non solum officium Judicis, sed Medici debet exercere circa pœnitentem, ac proinde, esto judicet esse rite dispositum ad absolutionem ratione firmi propositi, quod de præsenti habet, ideoque possit ex officio Judicis illi absolutionem concedere; at ex officio Medici tenetur medicamentum apponere, quod videt esse necessarium ad præcavendum futura peccata; timere enim juste potest non fore removendam occasionem, si absolutionem, non remota occasione, concedat. Ita Palaus, & ex illo Diana *p.5. tr. 14. resol.107.* & a fortiori, qui docent, nec etiam prima vice esse absolvendum Concubinarium, si prius non expellat Concubinam. Ita Rodriquez, Navarrus, Anton. Fernandez, Sylvester & alii, quos affert Palaus; censeo ergo, rarissime, aut fere numquam absolvendum esse Concubinarium, si prius Concubinam non dimittat, quia rarissime contingit, prius absolutum illam dimittere.

25. Quæres: *An possit absolvi Concubinarius, antequam ejiciat Concubinam, quam sine gravi detrimento in honore, divitiis, aut corpore non potest ejicere?* Plures solent casus enumerari, in quibus dicunt, absolvendum esse Concubinarium, antequam Concubinam ejiciat, quam domi retinet. Primo, si illi mutuos dedit centum aureos, quos non est amplius recuperaturus, si illam ejiciat; vel e contra, si femina non esset recuperatura centum sibi debita, si domum Concubinarii desereret. Secundo, si Concubina sit nimis utilis Concubinario ad lucranda bona temporalia. Tertio, si ejiciendo Concubinam incurrat ipse, vel illa detrimentum famæ, & honoris, ut si illa sit bonæ famæ, & si exeat e domo Nobili, in qua est, magnam jacturam in fama, & divitiis patietur, multo magis si adsit periculum vitæ, sive Concubinæ, sive Concubinarii. Ratio est, quia in hujusmodi casibus pœnitens non dicitur velle occasionem peccandi, & in illa voluntario permanere, sed tantum illam permittere, ne damnum in vita, honore, aut pecunia incurrat; & deinde poterit absolvi toties, quoties opus fuerit, etiam non ejecta Concubina. Ita Sancius, & alii, quos citat, & sequitur Leander *q. 36.*

26. Resp. posse absolvi Concubinarium antequam Concubinam ejiciat, quando sine magno scandalo, aut mortis periculo, non possit illam ejicere, dummodo cum vero dolore proponat emendationem, & media adhibeat a prudenti Confessario præscripta ad vitandum peccatum, quia cum agatur de damno gravissimo, occasio illa non censetur voluntaria. At si agatur de detrimento aliquo temporali subeundo, censeo, non esse absolvendum, maxime si occasio sit diuturna, nec ulla appareat emendatio; nam quilibet tenetur saluti propriæ consulere, etiam cum temporali detrimento:

to: *Quid enim prodest homini, si mundum universum lucretur, animæ vero suæ detrimentum patiatur?* Adde, quod damnata fuit ab Alexandro VII. propositio illa in ordine 41. *Non est obligandus Concubinarius ad ejiciendam Concubinam, si hæc nimis utilis esset ad oblectamentum Concubinarii, vulgo regalo, dum deficiente illo, nimis ægre ageret vitam, & aliæ epulæ tædio magno Concubinarium afficerent, & alia famula nimis difficile inveniretur.* Si ergo absolvi non potest Concubinarius, non relicta Concubina, quamvis sibi utilis sit pro commoditate corporali; ita non poterit absolvi, quando agitur de solo damno temporali, quod postponi debet æternæ saluti, quæ ex tali occasione proxima periclitatur. Ita Palaus *supra n.* 14.

27. Quæres 2. *An possit absolvi, qui non vult dimittere Mulierem, quæ olim fuit sua Concubina, sed jam per multos annos non peccat cum illa?*

Resp. non posse absolvi, si ea cohabitatione cum tali Muliere oriatur Scandalum apud populum, vel inter vicinos, qui existimant, illum adhuc vivere in concubinatu. Ratio est, quia tenetur removere scandalum, quamvis paucorum sit, & ideo tenetur ejicere de domo Concubinam, aut eam non amplius invisere, si ex visitatione præbeat scandalum: quod verum puto, etiamsi Concubinam visitet caussa alendi filios, qui apud illam sunt, aut caussa subministrandi necessaria pro victu, ut amplius cum aliis non peccet, quia licet illa subventio sit opus Caritatis respectu fœminæ, & justitiæ respectu filiorum, illam tamen præstare potest occulte, & per alios, absque eo, quod Fœminam visitet cum scandalo videntium frequentem ingressum in illam domum, ut cum aliis docet Beja *par.* 1. *casu* 14. Idemque dicendum de illis, quos populus credit esse Concubinarios, quamvis tales non sint, quia tenentur vitare scandalum. Sic Navar, Sylvester, Grafius, Villalobos, quos affert, & sequitur Palaus *supra n.* 19. & cum aliis Leander *q.* 43. Si vero cessavit scandalum, & peccandi periculum, quia mulier grandæva facta est, aut deformis; tunc poterit absolvi, quia jam non censetur in periculo proximo peccandi, Palaus *n.* 16. & Leander *quæst.* 41.

28. Si quis domi habeat Mulierem, cum qua raro, puta bis, vel ter in anno peccavit, repentina libidine correptus, & sperat fore, ut non amplius relabatur, absolvi posse docet Bonacina *de matrim. q.* 4. *punct.* 14. *n.* 12. quamvis Mulierem non ejiciat, quia non dicitur esse in occasione proxima. Sequitur cum aliis Leander *q.* 40. Candid. *disquisit.* 24. *ar.* 27. *dub.* 7.

29. Quæres 3. *An possit absolvi filiusfamilias, qui solet peccare cum famula domus suæ, vel cum propria Sorore, aut Cognata?*

Resp. affirmative, si vere pœniteat cum firmo proposito non peccandi, quia cum non sit in libertate filii servam expellere, neque fratris sororem, aut cognatam, non dicitur esse in occasione voluntaria: quod idem dicendum est de omnibus illis, qui non sunt sui juris, qui in domo, in qua sunt, habent Concubinam, quam nec possunt ejicere, nec domum relinquere sine scandalo, & manifestatione tertii, ut cum Sancio docet Hurtad. *tr.* 5. *c.* 6. *n.* 188. Inde maritus, qui præpostere utitur Uxore, quamvis sit in occasione proxima, dormiendo cum illa, tamen non tenetur discedere, multo minus Uxorem a domo ejicere, sed sufficit, si habeat firmum propositum non relabendi. Ant. a Spiritu S. *n.* 146.

30. *An vere possit absolvi Juvenis, qui paupertate pressus dormit cum alio in eodem lecto, cum quo tactus impudicos, & molitiem habet?* Affirmat Ant. a Spiritu S. *n.* 151. quando ille non habet alium commodum, quia non tenetur homi cubare cum magno detrimento salutis, & ille accubitus virorum in eodem lecto non est actio per se mala, nec ita moraliter influens in peccatum, sicuti esset accubitus viri cum fœmina in eodem lecto, qui non potest esse licitus, quia maxime inducit ad peccatum, estque illi moraliter connexus; homo vero cum homine cubans non tam ex occasione, quam ex fragilitate peccaret. Unde poterit absolvi si firmiter proponat emendationem.

31. Quæres 4. *An possit absolvi sponsus, qui frequenter visitat sponsam, cujus occasione peccat?*

Resp. posse absolvi, quando visitationes sunt secundum morem patriæ, a quibus non potest sine nota, & dedecore abstinere, quia putaret sponsa se contemni ex quod illam non visitaret, sicut alii sponsi faciunt: quod idem valet de sponsa, quæ ex locutione, & aspectu sponsi patitur distillationem, & pollutionem; non enim tenetur fugere aspectum sponsi, si alias non habeat justam caussam, & excusationem, cum aspectus, & verba sint honesta, & secundum morem patriæ, & sine nota, ac dedecore non possunt vitari. Diana *p.* 2. *tr.* 15. *resol.* 31. Ant. a Spiritu S. *nu.* 160.

32. Quæres 5. *An possint absolvi Adolescentes, qui versantur cum Feminis laborando, & conversando, si sæpe ex tali occasione consensu, tactibus vel copula peccent?*

Resp. posse absolvi, quando in eadem domo cum feminis non cohabitant, quia illa tunc non censetur occasio proxima, sed remota; non enim ex tali occasione semper, vel fere semper solent homines peccare: & aliunde ad tollendam illam occasionem deberet pœnitens in eremum abire, ne sic liber esset ab omni consortio feminarum. Leander *q.* 34. Candid. *disquis.* 24. *art.* 27. *dub.* 9. & cum Dicastillo, & Lugo, Anton. a Spiritu S. *n.* 131.

33. Quæres 6. *Quid sentiendum sit de consuetudine illa morose agendi cum Amasiis indifferenter sive liberis sive conjugatis, & maxime cum illis, quæ in nostris etiam Regionibus in dies crescit?*

Resp. non esse tollerandam, sed prorsus tollendam, cum vix possit a peccato mortali excusari; licet enim visus, & aspectus Mulieris, & mutua illorum collocutio non per se tendat ad concubitum, sicut tactus, amplexus, & oscula, ac proinde delectatio, quæ ex tali aspectu formæ, vel pulcritudinis oritur, possit, ac sæpe soleat non esse venerea, ut si quis formam alicujus Mulieris ob quamdam curiositatem, & vanitatem contempletur, quo casu potest esse culpa venialis; tamen quia ex hujusmodi visu sæpius repetito, familiari colloquio, ac familiari consuetudine sæpius repetita, oriri solet delectatio venerea, cum spirituum generationi deservientium commotione, lethali culpa non caret, ut communiter tradunt Doctores, maxime quando sine caussa, & justo titulo continuatur conversatio, & familiaris consuetudo, caussans hujusmodi delectationem, ita ut etiam circumstantia personæ, cum qua talis mortalis oblectatio habita est, in confessione sit explicanda. Adde, quod talis consuetudo morose agendi, *maxime* cum Muliere conjugata, illique inserviendi, ut quotidiana constat experientia, solet esse depravata morum corruptela, rixarum, homicidiorumque caussa, & origo, necnon effrænatæ libidinis fomentum, animæ, & corporis, lapsæ, & honoris, ac bonorum temporalium deplorabile exitium, & scandalum honestis, ac timoratis hominibus præbere solet, ut cum Sayro *in Clav. reg. lib.* 8. *c.* 7. *n.* 31. Sanchez *lib.* 9. *disp.* 46. *n.* 13. Bonacina *q.* 4. *de Matrim. pu.* 9. Lopez *p.* 1. *instruct. consc. c.* 30. & aliis, docet Homobon. *vol.* 1. *consult. part.* 2. *resp.* 159. ubi cuncl. dit, ita morose agentes, tamquam peccati periculo obnoxios, non esse absolvendos, donec veram emendationem ostendant. Ita etiam Tolet. Azor. & Grafius *ibidem citati*.

DUBIUM IV.

De absolutione danda, seu differenda Recidivo, qui habet consuetudinem peccandi.

34. Consuetudo peccandi in eo differt ab occasione proxima, quod occasio est extrinseca, seu denotat objectum extrinsecum ad cujus præsentiam, & cujus occasione quis labitur in peccatum, ut cum quis domi retinet Concubinam, vel eam habet in domo, ad quam facilem, & sine impedimento habet accessum, & cum ea solet carnaliter commisceri; at consuetudo tota est ab intrinseco sine objecto extrinseco sollicitante, & impellente ad malum, ut cum quis assuetus est pollutionibus, juramentis, blasphemiis, & aliis hujusmodi vitiis, & ab aliquibus vocatur occasio intrinseca, quæ a propria fragilitate dependet.

35. Dubium est: *an qui versatur in occasione proxima, quam tollere non potest, vel qui habet consuetudinem peccandi, blasphemandi, mentiendi, se polluendi &c. si sæpius admonitus, sæpius absolutus, non resipiscat, sed rursum, atque iterum relabitur in eadem, & majora peccata, debeat statim absolvi, vel possit, ac debeat Confessarius differre absolutionem per aliquod tempus?* Et quidem conveniunt omnes Doctores, absolutionem posse differri de consensu ipsius pœnitentis, ut melius instruatur, attentius consideret miserum statum, in quo reperitur, & firmiorem concipiat propositum non relabendi. Item posse, & debere differri, quando non satis constat de proposito confitentis, quamvis ipse dicat, se dolere, & habere firmum propositum, si aliunde Confessarius habeat rationabile fundamentum dubitandi de tali proposito, vel si Confessarius indigeat consilio, vel studio ad absolvendum. Tertio negandam esse absolutionem, quando Confessarius rationabiliter judicat, pœnitentem esse indispositum. Quarto posse ipsum absolvere, si prudenter judicet pœnitentem esse dispositum, quia ob peccata, quæ non pendent ex occasione extrinseca, sed ex fragilitate peccantis, non est differenda necessario absolutio pœnitenti disposito, & contrito, quia eo ipso, quod de peccatis dolet, removet omnem occasionem, & facit totum id, quod facere tenetur. Ita Palaus *to.* 3. *tr.* 14. *disp.* 1. *punct.* 9. *n.* 6. Sanchez *in Summa tom.* 1. *lib.* 2. *cap.* 32. *nu.* 45.

36. Difficultas tota est: *an sine pœnitentis consensu expediat aliquando absolutionem differre, ut melius probetur, & disponatur, etiamsi Confessarius posset probabiliter judicare, pœnitentem esse bene dispositum cum vero dolore, & proposito?* Negat Joan. Sancius *disp.* 6. *n.* 6. quia pœnitens in isto casu jus habet ad absolutionem, quam proinde non potest Sacerdos negare, nec differre sine consensu pœnitentis.

37. Resp. 1. habenti consuetudinem peccandi, & afferenti semper eadem peccata absque ulla emendatione, potest Confessarius negare, seu differre absolutionem, prout melius expedire judicaverit. Ratio est, quia, quando ex circumstantiis dignoscitur, pœnitentem non habere sufficientem dolorem, & firmum propositum non relabendi, est illi neganda, seu differenda absolutio, donec appareat spes aliqua emendationis; & in casu nostro sufficienter colligitur

ex illa

ex illa uniformitate, & frequentia lapsus, absque alia emendatione, consuetudinarium non habere verum dolorem, & firmum propositum. Qui enim efficaciter, & serio proponit emendationem, quam potest adimplere, non ita facile obliviscitur sui propositi, adhibet media necessaria pro emendatione, divinum implorat auxilium, & saltem per aliquod tempus perseverat, & difficilius, vel rarius cadit. Ergo si eadem facilitate, & frequentia semper cadat, signum est non habere verum dolorem, & propositum, quamvis ore dicat se habere; adeoque illi deneganda est, seu differenda absolutio, donec spes aliqua emendationis appareat. Conf. quia Innocent. XI. damnavit illam propositionem, quæ est in ordine 60. *Pœnitenti habenti consuetudinem peccandi contra Legem Dei, Naturæ, aut Ecclesiæ, etsi emendationis spes nulla appareat, nec est neganda, nec differenda absolutio, dummodo ore proferat, se dolere, & proponere emendationem*. Ex qua sufficienter colligitur, Confessarium posse absolutionem negare, seu differre, quando nulla apparet spes emendationis, & stante illa facilitate, uniformitate, & frequentia lapsus, nulla apparet spes emendationis; ergo Confessarius potest negare, seu differre absolutionem.

38. Dices: non est deneganda, seu differenda absolutio pœnitenti, qui semper in eadem peccata venialia relabitur, etiamsi illorum occasionem non auferat; ergo etiam poterit absolvi, qui semper eadem peccata mortalia committit, quia dolor, & propositum non peccandi non minus requiritur in confessione venialium, quam mortalium: & si cum frequenti lapsu in venialia potest stare dolor sufficiens, & propositum pro illorum confessione requisitum: ita cum frequenti lapsu in mortalia potest stare dolor, & propositum necessarium pro Confessione.

Resp. posse utique consuetudinarium aliquando absolvi, quando ex circumstantiis, & qualitate personæ Sacerdos prudenter judicat, illum esse recte dispositum cum vero dolore, & proposito, quod non est incompossibile cum frequenti lapsu, quando nulla est occasio externa tollenda; & quia regulariter ex frequenti lapsu absque ulla emendatione prudenter judicamus, non adesse verum dolorem, & propositum; ideo diximus, prudentem Confessarium posse negare, seu differre absolutionem, prout melius expedire judicaverit. Nec est eadem ratio de peccatis venialibus, quorum occasiones, quia sunt frequentissimæ, attenta etiam humana fragilitate, non possumus ita facile judicare carentiam doloris, & propositi ex frequenti lapsu, sicut possumus illius carentiam judicare ex frequenti, & facili lapsu in mortalia; & ideo non est deneganda, seu differenda absolutio propter frequentiam venialium, bene tamen propter frequentiam mortalium.

39. Resp. 2. potest Confessarius sine consensu pœnitentis illi differre absolutionem, non solum quando illa dilatio est necessaria, sed etiam quando est utilis ad emendationem in futurum, etiamsi pœnitens tunc credatur esse bene dispositus. Ratio est, quia licet pœnitens recte dispositus, confessione facta, jus habeat ad sententiam, & absolutionem, non tamen jus habet, ut statim proferatur; potest enim Judex arbitrari, quomodo, & quando debeat utilius proferri sententia, nec tenetur statim, lecto processu, illam proferre.

40. Conf. quia Sacerdos non solum est Judex, sed etiam Medicus, & licet possit tamquam Judex absolvere pœnitentem, quem judicat dispositum; si tamen prudenter credat, pœnitentem statim absolutum facile relapsurum, & dilationem cedere in ipsius utilitatem, poterit tamquam Medicus absolutionem differre, ut sic pœnitens melius agnoscat gravitatem peccati, necessitatemque emendationis, ut reddatur magis cautus, ut confirmetur in proposito non peccandi, ne ita facile postea relabatur. Experientia certe constat, plures pœnitentes propter facilitatem absolutionis perseverare in illa mala consuetudine peccandi, & aliquando impœnitentes mori, & alios per negationem, seu dilationem absolutionis ad meliorem frugem reversos pristinam vitam emendasse; quorum unus, quem statim absolvere recusavi, ut melius agnosceret suum pessimum statum, & orationibus, aliisque bonis operibus melius disponeretur, aperte dixit, tanto tempore non perdurassem in peccato, si hoc modo Confessarii mecum egissent. Nec potest pœnitens conqueri de dilata absolutione, quæ cadit in ipsius utilitatem, cum in hoc Sacramento Sacerdoti tamquam Medico se curandum tradidit. Et ita tenent Lugus *disp.* 14. *n.* 169. Aversa *q.* 11. *sect.* 3. Suarez, Henriquez, Reginaldus, Sayrus, Sanchez, Villalobos, & alii, quos sequitur Leander *disp.* 7. *q.* 50.

41. Cavendum tamen est, ne medicina convertatur in venenum; si enim ex dilata absolutione majus damnum spirituale timeatur, quam speretur utilitas, quia pœnitens tædio affectus, & ægre ferens dilationem, non redibit, peccata occultabit, aut in desperationem actus, vitiis laxabit habenas; tunc satius erit statim absolvere, quam non absolutum dimittere, ut docent Lugus *disp.* 14. *n.* 168. Leander *q.* 50. & Ant. a Spiritu S. *disp.* 3. *sect.* 13. ubi pensatis omnibus censet, utilius esse absolutionem semper impendere, quam illam differre; nam frequentia confessionis, & frequens beneficium absolutionis magis prodest, quam dilatio absolutionis; quare sæpissime etiam Recidivus, qui non habet occasionem proximam, quam tollere teneatur, si gravitatem peccatorum agnoscit, & habet sufficientem dispositionem, non est absolutione privandus, quin potius hortandus, ut sæpe veniat ad confessionem, & quidem in peccatis mollitiei, consulunt Doctores, & solent Confessarii injungere frequentiam confessionis apud eumdem Confessarium, ut illius hortatione, & gratia Sacramentali adjutus, fortius surgat, & constantius perseveret. Quod conf. ex eo, quod hoc Sacramentum non solum est a Christo institutum ad delenda peccata præterita, sed etiam ad præcavenda futura; ergo potius consulendum multoties est, quam differendum. Quod totum remittitur prudentiæ Confessarii, qui pro diversitate personarum, & circumstantiarum judicabit, quid utilius sit; aliquando nimirum, differendam esse absolutionem, cum speratur utilitas, seu non differendam, si non speratur utilitas, sed majus damnum.

CAPUT XI.

De Confessione invalida, & repetenda.

DUBIUM I.

Quando Confessio peccatorum sit repetenda propter invaliditatem provenientem ex parte Pœnitentis.

Cum ex præcepto divino teneamur verum Sacramentum suscipere, ut supra suo loco dictum est, quando confessio peccati mortalis fuit nulla, & invalida, tenetur pœnitens Confessionem repetere, & hujusmodi peccatum iterum confiteri, sive nullitas oriatur ex parte pœnitentis, de quo agemus in præsenti, sive ex parte Sacerdotis, de quo in sequenti. Primo igitur ex parte pœnitentis confessio est nulla, & repetenda, quando fuit facta sine debito dolore, & proposito emendationis, quia defuit pars essentialis, & necessaria hujus Sacramenti, cujusmodi est dolor, & contritio cordis: defuit autem dolor, & Contritio, si confessus est cum affectu, seu complacentia ad aliquod peccatum mortale, aut sine proposito relinquendi proximas occasiones peccandi, quas sine incommodo, & facile relinquere potest, vel sine proposito emendandi vitam in posterum, & servandi præcepta divina. Ita Navar. Suarez, Vasquez, Coninch, Layman, & Bonacina, quos refert & sequitur Palaus *tom.* 4. *tr.* 23. *punct.* 12. *num.* 1.

2. Secundo, si fuit facta cum Attritione falsa quantumvis existimata vera, quia non potest dari verum Sacramentum Pœnitentiæ sine vera, & reali attritione supernaturali; nam ex Trident. *sess.* 14. *c.* 4. ad valorem Sacramenti Pœnitentiæ requiritur verus dolor supernaturalis; sed dolor existimatus, & putatus non est verus dolor; ergo non sufficit ad valorem Sacramenti, sicuti non sufficit ad Baptismum aqua solum existimata, etiamsi invincibiliter ignoretur, & oppositum asserere est damnatum ab Innocent. XI. damnante illam propositionem in ordine 57. *Probabile est sufficere Attritionem naturalem modo honestam*, & ita tenent Doctores communiter.

3. Tertio, si confessio non fuit integra, quia voluntarie sine justa caussa omisit peccatum aliquod mortale, vel circumstantiam, aut numerum debitum explicare; tunc enim tenetur ex integro repetere confessionem invalidam, & insuper confiteri hoc Sacrilegium, quod fecit voluntarie mutilando confessionem, & quoties id fecerit. Similiter qui mentitur in materia gravi dicendo, quod non fecit, reddit confessionem invalidam, nisi excusetur simplicitate, vel ignorantia; secus autem si confiteatur veniale, quod non fecit, quando tale peccatum non est tota materia confessionis, quia peccatum veniale non est materia necessaria, nec mutat notabiliter judicium Confessarii, sicut fateri peccatum mortale, quod non fecit, ut dictum est supra *c.* 6. *dub.* 5.

4. Quæres: *an qui ex ignorantia, inadvertentia, seu negligentia peccatum aliquod omisit, teneatur confessionem repetere?*

Resp. non teneri, quando ignorantia, seu inadvertentia, & oblivio fuit invincibilis, & inculpabilis, solumque teneri ad supplendum postea defectum, ad confitenda scilicet illa solum peccata, quæ fuerant prætermissa, quando postea pœnitens cognoscet, seu recordabitur, illa esse peccata mortalia, quæ prius talia non existimabantur; & inde solent excusari pueri a repetenda Confessione, qui in præcedentibus aliquod mortale tacuerunt, invincibiliter ignorantes esse mortale, sed grandiores facti, mortale esse cognoscunt. Hac de caussa Diana *p.* 3. *tr.* 4. *resol.* 108. excusavit a repetenda Confessione puerum, qui usque ad decimum tertium annum non se accusavit de pollutionibus, quas ordinarie faciebat, invincibiliter ignorans, illas esse peccatum, tunque satis in prima Confessione se accusare de pollutionibus factis. Eadem ratione excusantur rudes, & illiterati a repetendis confessionibus, in quibus ex ignorantia invincibili verum numerum peccatorum, aut circumstantias necessarias non expresserunt; sufficit enim, quod cognito errore modo possibili suppleant; quod omissum est: unde Rusticus,

cus, qui grosso modo sine certo numero peccatorum mortalium indocto Parocho bona fide confessus est, non tenetur postea, detecto errore, repetere confessiones factas, quia fuerunt validæ, & fructuosæ. Ita Diana *p.3.tr.4.resol.* 89. Lugus *disp.16.n.*577. Navar. Henriquez, Sylvius, & alii, quos affert, & sequitur Leander *disp.*5. *q.*71.

5. Probabile tamen est, quod ille, qui peccata omisit inculpabiliter ignorans esse peccata, non solum non teneatur præcedentes confessiones repetere, sed nec omissa in illis peccata confiteri; cum enim ob ignorantiam excusetur a culpa, liberatur etiam ab obligatione illa exponendi in confessione, in qua solum peccata debent necessario exponi, ut tradit Bordonus *in Miscellan. decis.* 321. ubi hac ratione excusat virum alioquin prudentem, & scientem, qui antea in suis confessionibus numquam se accusavit de desideriis carnis, furti, odii, &c. eo præcise, quia putabat ea non esse peccata, nec de illis umquam dubitavit esse peccata; nam stante bona fide, quæ secundum omnes a peccato excusat, ille non peccavit, & inde ex hoc capite non tenetur reficere Confessiones, nec hujusmodi desideria alias non confessa, modo confiteri, quamvis, si velit, possit illa, talia qualia sunt in se ipsis, pro quiete suæ conscientiæ, simul cum aliis peccatis, confiteri.

6. Quod si ignorantia, seu negligentia fuit vincibilis, & mortaliter culpabilis, sive sit ignorantia facti, sive juris, quatenus ignoraret peccatum a se commissum esse mortale, vel teneri ad confessionem; tunc reddit Confessionem irritam, Sacrilegam, & repetendam, ut cum aliis docet Leander supra *q.*70. Diana *part.*10. *tr.*14. *resol.* 19.

7. Quæres 2. *An ille, qui fecit Confessionem voluntario nullam, tacendo præ verecundia peccatum aliquod mortale, sed postea oblitus talis defectus, per plures annos, aut menses bona fide fuit integre confessus, cognito errore, teneatur omnes prætritas Confessiones repetere?*

Resp. non teneri Confessiones bona fide factas iterare, quia illæ fuerunt validæ, sed solum tenetur repetere illam, seu illas, quas mala fide non integre fecit, quia illa, seu illæ fuerunt nullæ, nec illa peccata umquam fuerunt directe absoluta: quare debent illa, seu illæ necessario repeti, non aliæ. Ita Lugus *disp.*16. *n.*599. Madernus *q.*4. *art.*8. *n.*14. Idem dicendum de illo, qui confessus est majorem numerum peccatorum lethalium, quam habebat; nam si mala fide, & scienter hoc fecit, tenetur Confessionem repetere, & insuper confiteri peccatum in illa commissum: secus vero si bona fide majorem numerum expressit, putans illa habere, non tenetur, cognito errore, dicere majorem numerum dixisse, quia esset excusatio potius, quam accusatio. Ita Bonac. Megala, Diana, Lugus, quos sequitur Leander *q.*74.

8. Quæres 3. *An qui propter periculum mortis, aut angustiam temporis non fuit integre confessus, teneatur iterum confiteri, & verum numerum, ac species peccatorum exprimere?*

Resp. affirmative, quia licet per confessionem in tali angustia, & necessitate factam, pœnitens obtinuerit remissionem omnium peccatorum, ea tamen fuerunt remissa cum obligatione manifestandi, si convaluerit, aut memoriæ occurrerint, in prima confessione; est namque obligatio juris divini omnia, & singula peccata in Confessione manifestandi, quando fieri potest, & in memoriam veniunt ad obtinendam absolutionem directam; idque hodie est certissimum, cum ab Alexandro VII. damnata fuerit propositio illa in ordine 11. *Peccata in Confessione omissa, seu oblita ob instans periculum vitæ, aut ob aliam caussam, non tenemur in sequenti Confessione exprimere.*

DUBIUM II.

An sit invalida, & repetenda Confessio facta ab Excommunicato, antequam absolvatur ab Excommunicatione.

9. Certum est, irritam esse, ac repetendam confessionem mala fide factam ab Excommunicato, antequam absolvatur ab excommunicatione, scienter tacendo excommunicationem, vel accedendo ad Confessarium non habentem jurisdictionem, quia pœnitens sic accedendo, mortaliter, & sacrilege peccat contra prohibitionem. Difficultas est: *an valeat Sacramentum, quod suscipit Excommunicatus bona fide, immemor excommunicationis, vel in casu gravis necessitatis vitandi scandalum, seu infamiam?* Negant Vasquez, Finellius, Hurtadus, Megala, & alii multi apud Dianam *p.*3. *tr.*4. *resol.* 78. & apud Leandrum *disp.*5. *q.*77. Ratio est, quia Excommunicatus non est capax recipiendi Sacramentum, adeoque nullum est, si ei conferatur defectu jurisdictionis in Sacerdote non potente illum absolvere.

10. Resp. valere Sacramentum, nec esse repetendam confessionem factam in casu posito, sive excommunicatio sit reservata, sive non. Ratio est, quia licet prohibita sit absolutio a peccatis ante absolutionem a censuris, & graviter peccet, qui scienter, & sine caussa illam confert, & recipit; non tamen est irrita, nec pœnitens est absolute incapax talis absolutionis: cum ergo in casu posito naturalis oblivionis, ignorantiæ invincibilis, aut gravis necessitatis non peccet contra prohibitionem, valida erit confessio, & absolutio data. Ita Navar. Cajet. Petrus Soto, Suarez, Layman, Bonac. Sylvius, & alii plures, quos affert, & sequitur Leander *supra q.*77. Lugus *disp.*16. *n.*612. Ant. a Spiritu S. *disp.*9. *sect.*5. *n.*690. Madernus *q.*4. *art.*8. *n.*15.

11. Ad fundamentum oppositum facile respondetur, pœnitentem non esse absolute incapacem, nec deesse in eo casu jurisdictionem in Sacerdote; licet enim potuerit Ecclesia tollere jurisdictionem a Sacerdote respectu excommunicati, & sic irritare Sacramentum; id tamen ex nullo textu, aut capite constat fecisse, sed solum prohibuisse: cum autem prohibitio ad illum casum non extendatur, sequitur, quod sit valida confessio facta, & absolutio data, quamvis censura esset reservata, ut bene notat Suarez *de censuris disp.* 10. *sect.* 3. *n.* 15.

12. Quæres: *An sit invalida confessio facta cum Confessario excommunicato?*

Resp. esse invalidam, & repetendam, quando fuit facta cum Confessario excommunicato vitando, & non tollerato, cujusmodi est publicus percussor Clerici, aut nominatim denuntiatus, quia iste propter excommunicationem caret jurisdictione, & consequenter nulla est, & irrita absolutio ab illo data; secus vero, si confessio facta fuit cum Confessario excommunicato tollerato, & non vitando. Ita tradunt Navarrus, Valentia, Lugus *disp.* 16. *n.*598.

13. Quod si Confessarius communi errore, & titulo colorato credebatur habere jurisdictionem, quia nesciebatur esse excommunicatus; tunc valida erit confessio cum eo facta, & absolutio ab eo data, quia in isto casu Ecclesia supplet jurisdictionem, qua caret excommunicatus vitandus, ut ex *L. Barbarius ff. de Officio Prætoris* tradunt Sanchez *de Matrim. lib.*3. *disp.*22. *n.*46. Bonacina *de Matrim. q.*2. *punct.*8. *n.*31. & 32. Lessius *de Just. & Jure c.*26. *dub.*6. & alii apud Leandrum *q.*79. dicentes, hoc verum esse, quamvis pœnitens sciat occultam excommunicationem Confessoris, quia scientia particularis non tollit jurisdictionem, quam jus commune, aut Ecclesia confert in isto casu; peccaret tamen mortaliter pœnitens, si Confessarium, quem scit esse excommunicatum vitandum, induceret ad ministrandum Sacramentum.

DUBIUM III.

Quando Confessio sit invalida, & repetenda propter defectum Confessarii.

14. Ex parte Confessarii Confessio redditur nulla, & repetenda, si careat jurisdictione ordinaria, vel delegata; & hoc vel quia non est approbatus, vel quia est publice suspensus ab officio, vel publice excommunicatus non tolleratus, ut supra dicebamus; si sine intentione protulit absolutionem: si non protulit integram, sed omisit aliquam partem essentialem, quia sine jurisdictione, & absolutione non subsistit Sacramentum Pœnitentiæ.

15. Quæres: *An sit invalida, & repetenda Confessio facta cum indocto, & ignaro Confessario?* Conveniunt omnes esse invalidam, & repetendam, quando pœnitens ex industria quærit Confessarium, quem scit imperitum, & insufficientem ad suum spirituale remedium, quia nescit discernere gravitatem peccati, quando sit facienda restitutio, removenda occasio, & similia, quia sic accedendo videtur velle male judicari, & confiteri, non restituere, seu permanere in occasione proxima cum affectu ad peccatum. Quod si bona fide accessit ad Confessarium expositum, & cognoscat illum esse ita imperitum, & indoctum, tenetur illum deserere, & alium idoneum quærere, nisi forte abundet scientia in pœnitente, qui agnoscat gravitatem peccatorum, & illam indicet Confessario, qui sciat suas obligationes, paratus illas adimplere, quia tunc scientia pœnitentis supplet ignorantiam Confessoris.

16. Difficultas est: *quando pœnitens non ita doctus bona fide accessit ad hujusmodi Confessarium ignorantem, quem vidit expositum, an teneatur postea Confessionem repetere, si admoneatur de impertia illius Sacerdotis?* Affirmant nonnulli, quia confessio facta hujusmodi Confessario indocto, qui nescit distinguere mortalia a venialibus, numerum, circumstantias, & gravitatem peccatorum, perinde est, ac si esset facta dormienti, amenti, vel ignoranti idioma, quæ certe est nulla, ac repetenda, tum quia absolutio datur per modum sententiæ, ad quam valide ferendam requiritur cognitio caussæ, quoad substantialia diversificantia; ergo confessio facta Sacerdoti ignoranti, & nescienti in communibus peccatis distinguere mortale a veniali, & unam speciem ab alia, saltem quoad ea genera peccatorum, quæ pro ratione loci, & personarum occurrere regulariter solent, non est valida, sed iteranda, cognita ignorantia Confessarii. Ita Bossius *de Jubilæo sect.* 3. *casu* 2. §. 5. *n.*168. Sylvester, Corduba, Gabriel, Cajetanus, Vasquez, Victoria, & alii apud Leandrum *q.* 84.

17. Resp. Confessionem bona fide factam esse validam, & non repetendam. Ratio est, quia ad validitatem absolutionis non requiritur in Confessario, quod sciat discernere inter omnes species peccatorum, aut distinguere mortale a veniali, sed sufficit, quod peccata intelligat, & cognoscat esse materiam sufficientem, & illa, qualia sunt, absolvat; sed

sed in dato casu Sacerdos habet aliqualem notitiam saltem materiæ sufficientis, peccata intelligit, & absolvit; ergo valide ab omnibus absolvit: & si forte defecit in satisfactione congrua injungenda, hic non est error substantialis, ob quem debeat repeti confessio. Conf. quia in articulo mortis confessio scienter facta tali Sacerdoti, non existente alio magis idoneo, valida est; ergo etiam valida est facta extra articulum mortis; si enim Sacerdos ob defectum scientiæ non posset valide absolvere extra illum articulum, neque posset in illo; & e converso, quia articulus extremæ necessitatis non conferret illi Sacerdoti capacitatem, quam non habet; tum quia ex communi Doctorum sententia valet confessio, tametsi Confessarius, & pœnitens non cognoscant totam gravitatem culpæ; puta si in particulari existiment veniale, quod est mortale, idque non solum quoad aliqua minus communia, sed etiam quod quæcumque alia; ergo etiam valet absolutio data a Confessario indocto. Ita tenent Suarez, Sanchez, Coninch, Filliucius, Villalobos, quos affert, & sequitur Leander *q.*84. Aversa *qu.*10.*sect.*19. Lugus *disp.* 16. *sect.* 1. §. 1. Diana *p.*3.*tr.*4.*resol.* 121. & *p.*5. *tr.*14.*resol.* 22. Madernus *q.*4.*art.*8. & alii apud ipsos.

18. Quod si pœnitens propter ignorantiam Confessarii non expressit numerum, aut omnes species peccatorum, seu circumstantias mutantes speciem, utique tenetur, errore cognito, hæc omnia declarare: non quia teneatur repetere confessionem, sed quia tenetur supplere defectum, & dicere ea, quæ prætermisit. Quamvis autem absolutio sit valida, Confessarius tamen ignarus, & Superior illum exponens, mortaliter peccant, ob evidens periculum male, & injuste administrandi hoc Sacramentum; in quo conveniunt utriusque Sententiæ Doctores.

19. Quæres 2. *An sit repetenda confessio, quando Sacerdos ob surditatem, animi distractionem, vel somnum, aut aliam ob caussam peccata non intellexit?*

Resp. si ante confessionem, vel in ipsa confessione agnoscas, Confessarium dormire, seu peccata non intelligere, teneris utique expectare, donec excitetur, vel illum excitare, ut tua peccata intelligere, & cognoscere possit; & si opus est, ab illo quærere, an peccata jam dicta intellexerit; secus confessio esset invalida, sacrilega, & repetenda ex defectu debitæ expressionis, & integritatis, non minus, quam si scienter peccata taceres. Quod si bona fide confitearis, putans te audiri, & percipi, & postea cognoscas, nullum peccatum fuisse auditum, & perceptum; tunc totam teneris repetere confessionem, quoad materiam mortalem, & necessariam. Si autem cognoscas, unum, aut alterum peccatum determinate non fuisse intellectum ob somnum, vel distractionem Confessarii, vel ob strepitum externum, qui impedivit auditum, teneris defectum supplere, & repetere peccata, quæ non fuerunt audita, non vero reliqua, quia confessio fuit valida, & fructuosa, prout docent Henriquez *lib.* 5. *Summæ c.* 14. *n.*5. Layman *lib.*5. *tr.*6.*c.*9.*n.*5. Palaus *tr.*23. *disp.unic.punct.* 12. *nu.* 3. Lugus *disp.* 16. *n.*606. Ratio est, quia essentia, & effectus Sacramenti Pœnitentiæ consistere potest absque integra, & specifica tuorum peccatorum explicatione, quæ est ex solo præcepto divino positivo, a cujus observatione ob ignorantiam excusaris. Ita etiam Diana *p.*4.*tr.*4. *resol.*198. & hoc solum voluit *p.*3.*tr.*4. *resol.*109. quando dixit, se consuluisse quibusdam Monialibus, quarum Confessarius aliquando dormiebat, non fuisse obligatas confessiones repetere ob defectum solius Confessarii.

20. Quod si discernere nescias, quænam peccata fuerint, vel non fuerint a Confessario audita; in isto casu, vel potes prudenter dubitare de omnibus, & singulis, & tunc debes sine dubio omnia repetere: si autem dubitas de aliquo solum vage, & in communi, debes etiam confessionem repetere, quando illa fuit brevis, & sine magno labore, & incommodo repeti potest, utpote recenter facta; secus vero, si fuit valde prolixa, & multo tempore antea facta, ut non possit absque ingenti labore repeti, quia ad hanc extraordinariam diligentiam non obligat integritas confessionis, quando culpa non fuit ex parte pœnitentis, sed propter somnolentiam Confessarii; satisque erit confiteri in genere quoddam peccatum grave, quod nescitur quale sit. Hoc idem dicendum est, quando dubium est inter quamplures personas, quarum confessiones idem Sacerdos audivit, & dormitando, cujus peccata non intellexit; si enim non constat de persona, cujus peccata non fuerunt audita, non tenentur omnes suas confessiones repetere, quod esset onus nimis laboriosum, & exorbitans. Ita tenent Lugus *disp.* 16. *nu.*606. & *seqq.* Ant. a Spir. S. *disp.*9. *sect.*5. & Leander *quæst.* 86.

21. Quæres 3. *An sit repetenda confessio, quando pœnitens non adimplevit pœnitentiam, estque illius oblitus?* Affirmant nonnulli, quamvis præcedens confessio valida fuerit, quia pœnitentia, seu satisfactio est pars hujus Sacramenti, quam de novo pœnitens debet petere, si est illius oblitus, nec potest ad æqualitatem injungi, nisi repetitis præcedentibus peccatis.

22. Resp. non esse necessario repetendam, quia satisfactio non est pars essentialis sed integralis hujus Sacramenti, cujus tota essentia subsistit sine satisfactione adimpleta, modo illam acceptaverit, & illius defectum supplere poterit aliis actibus, & pœnitentiis, in hoc mundo tolleratis, aut saltem in Purgatorio.

D U B I U M IV.

Qualiter Confessio invalida sit repetenda.

23. Quando confessio invalida iteranda est apud alium Confessarium diversum a primo, conveniunt omnes, repetendam esse ex integro, iterum explicando omnia peccata distincte secundum speciem, numerum, & circumstantias, perinde ac si numquam facta fuisset, addendo insuper peccatum, quod tacuit, & Sacrilegium, quod commisit invalidando confessionem. Ratio est clara, quia prior confessio, cum sit huic Confessario prorsus ignota deservire non potest, ut Sententiam absolutionis concedat: & ita pro certo Madernus *q.*4.*art.*8.*n.*17. Bonacina *disp.*5.*q.*5. *sect.*2.*punct.*3.*n.*15. Palaus *pu.* 12.*num.*3. & eum aliis Leander *q.* 90.

24. Si autem confessio facienda est apud eumdem Confessarium, apud quem facta fuit prima invalida, & ipse recordatur peccatorum, quæ illi antea pœnitens fuit confessus, admittunt omnes, non esse confessionem ex integro repetendam, sed sufficere, si unico verbo pœnitens dicat, accuso me de omnibus illis peccatis, quæ in prima confessione manifestavi, & addat peccata omissa, Sacrilegium commissum, & alia nova si habet; hoc enim sufficit ad dandam Sacerdoti notitiam totius status pœnitentis, ut valeat de ipso judicare, & absolvere; nam etiam quando per notitiam mere humanam, extra confessionem peccata essent nota Sacerdoti, satis esset dicere: accuso me de illis peccatis, quæ tibi sunt nota. Ita Suarez, Coninch, Layman, quos refert, & sequitur Palaus *n.* 4. Bonacina *dicto n.*15. & alii communiter.

25. Si vero Sacerdos non recordetur, in hoc differunt Doctores; nam plures volunt, confessionem esse distincte, & explicite repetendam, vel quia necessaria est in Confessario distincta notitia peccatorum, ut asserit Corduba *in summa q.*6. vel quia præcedens Confessio non fuit Sacramentalis, & sic non potest esse materia præsentis absolutionis, ut voluit Suarez *disp.*22.*sect.*6.*n.*7. quem sequitur Coninch *disp.*7.*n.*11. Verum alii probabilius asserunt, quod, si Confessarius recordetur saltem in confuso de statu conscientiæ pœnitentis, vel de satisfactione a se illi injuncta, non est necessarium distincte confessionem repetere, sed satis est uno verbo se accusare de omnibus peccatis tunc dictis, & de Sacrilegio commisso, ratione cujus fuit invalida Confessio; quia licet requiratur distincta notitia in Confessario, ac proinde sit facienda distincta confessio pœnitentis, non est tamen necesse, quod adsit tunc, quando danda est absolutio, sed satis est, quod antea fuerit, & quod tunc saltem in confuso recordetur de statu conscientiæ pœnitentis: secus esset moraliter impossibile, quod Confessarius memoriæ teneat omnia peccata secundum speciem, & numerum, maxime si confessiones sint longæ, & per plures dies fiant. Sufficit ergo, quod Sacerdos recordetur status conscientiæ pœnitentis, & possit congruam injungere pœnitentiam, & præcedens notitia sit Sacramentalis, & apta materia absolutionis, quando pœnitens breviter se accusat de iis, quæ antea dixerat. Ita tenent Navar. Vasquez, Valentia, Toletus, Lugus, Arriaga, Aversa, quos affert, & sequitur Madernus *n.* 18. & aliis pluribus citatis, Leander *qu.*91. Palaus, & Bonacina supra.

26. Quæres: *an qui oblitus est circumstantiæ mutantis speciem, teneatur postea repetere peccatum integrum, vel sufficiat confiteri circumstantiam omissam?* Repetendum esse peccatum integrum cum sua circumstantia dixerunt Nugnus *q.*9.*art.*2.*d.* 3. Sylvester verbo *Confessio* 1. *q.* 10. Megala *p.* 1.*l.*3. *c.*10.*n.*2. & inclinat Lugus *disp.* 16. *sect.* 16.

27. Resp. aliquando repetendum esse peccatum integrum cum sua circumstantia, aliquando sufficere solum circumstantiam dicere; aliquæ enim sunt circumstantiæ, quæ in sua specie satis explicari non possunt sine peccato, cui adjunguntur, & illæ si fuerunt oblitæ, debet per accidens repeti totum peccatum in alia Confessione ad explicandam ejus circumstantiam. Sic qui peccavit cum muliere conjugata, aut consanguinea, si hanc circumstantiam non explicavit, debet totum peccatum repetere, quia incestus, seu adulterium non potest separari a fornicatione, nec sufficit dicere, peccavi contra justitiam, aut contra pietatem, quia pluribus modis peccari potest contra justitiam, & pietatem debitam conjunctis, unde non potest circumstantia sufficienter explicari, nisi ut fornicationi conjuncta: qui per violentiam violavit virginem, non potest violentiam explicare distinctam a fornicatione: & qui percussit Clericum, & confessus est percussionem contra hominem, oblitus explicare, illum esse Clericum, non sufficit, si postea dicat: commisi Sacrilegium, quia, cum multæ sint species Sacrilegii, non potest hæc species explicari, nisi conjuncta cum percussione: quod idem valet de aliis similibus.

28. Aliæ deinde sunt circumstantiæ, quæ in sua specie ultima bene possunt explicari sine connexione cum tali materia, & objecto, & illæ si fuerunt prætermissæ, possunt separa-

separatim explicari, licet melius sit utrumque repetere. Sic habens votum castitatis, si peccavit cum muliere, si confessus est fornicationem, sufficit, si postea dicat, non servavi, seu violavi votum in re gravi, quia circumstantia voti addit fornicationi malitiam omnino disparatam, quæ totu potest esse, & explicari sine fornicatione, sicut diximus supra *c.8. dub.6.* in furante propter fornicationem, posse divisim explicare, semel furatus sum, semel habui animum fornicandi, quia licet materialiter sit idem opus, continet tamen plures deformitates morales formaliter distinctas, & specie diversas, quæ proinde possunt invicem separari, & separatim explicari. Ita Bonacina *disp.5.q.5. sect.5.p.2.§.3.n.9.* Ant. a Spir. S. *sect.6.* n. 694. Henriquez, Coninch, Suarez, Valentia, Reginaldus, quos affert, & sequitur Marchantius n. 19.

29. Dices, inde sequi non solum in diversa, sed etiam in eadem confessione posse istas circumstantias separatim explicari, dicendo: semel fornicatus sum, semel votum violavi in re gravi; quod non videtur dicendum, quia hoc modo deciperet Confessarium significando, se duo peccata fecisse, non solum formaliter, & specifice, sed etiam materialiter, & numerica distincta.

Resp. concedendo sequelam, quia quando malitia circumstantiæ non est necessario connexa cum peccato, sed potest in sua specie ultima explicari sine tali connexione, nil obstat, quin in eadem, seu in diversa confessione separatim dici possit, ut supra notavimus de malitia finis. Nec sequitur, pœnitentem decipere Confessarium, quia non dicit, se duo peccata commisisse, sed permittit Confessarium id apprehendere in qualitate non necessaria; dicendo enim fornicatus sum, & violavi votum, non significant in qua materia, tam potest intelligi de una, quam de alia materia, quam pœnitens significare non tenetur, & per accidens decipitur Confessarius, si putat fractionem voti fuisse in diversa materia, quod non dicit pœnitens. Ita etiam Suarez, Coninch, Reginaldus, Filliucius, quos affert, & sequitur Diana *p. 1. tr. 7. resol. 23. & 45.*

CAPUT XII.

De Satisfactione Sacramentali.

DUBIUM I.

An possit Homo condigne satisfacere Deo pro pœna temporali relicta post remissionem culpæ.

SAtisfactio, quamvis aliquando confundatur cum restitutione; proprie tamen ab illa distinguitur in eo, quod restitutio significat actionem illam, qua res aliena redditur proprio Domino: satisfactio vero actionem illam, qua injuria alteri illata compensatur, & in præsenti significat actionem, qua Deo satisfacimus pro peccatis. Cum autem in peccato consideretur culpa, & pœna, potest satisfactio sumi pro compensatione culpæ Deo illatæ, & hoc fieri solet per contritionem, & attritionem, de quibus supra diximus: vel pro compensatione pœnæ temporalis debitæ propter culpam; quæ compensatio, vel potest fieri extra Sacramentum ex opere operantis per opera ipsius debitoris, vel intra Sacramentum, & dicitur satisfactio Sacramentalis, & ex opere operato, de qua maxime loquimur in præsenti.

2. Resp. primo potest Homo etiam de condigno, & ad æqualitatem satisfacere Deo pro pœna temporali, quæ remanet post remissionem culpæ. Prima pars aperte constat ex Scriptura, quæ toties commendat orationes, jejunia, eleemosynas, aliaque pia opera ad avertendam iram Dei, & ad redimendas pœnas debitas peccatis, estque definita in Trid. *sess. 14. c. 8. & 9.* necnon *Can.* 12 13. & 14. ex quibus colligitur, tribus modis nos satisfacere posse pro pœnis, quæ remanent post remissionem culpæ. Primo patienter sustinendo pœnas a Deo inflictas. Secundo exequendo, quæ a Confessario in satisfactionem imponuntur. Tertio opera pœnalia sponte suscipiendo, estque res satis per se clara.

3. Quod etiam possit homo justus satisfacere de condigno, & ad æqualitatem, videtur definitum in Bulla S. Pii V. & Gregor. XIII. contra Michaelem Bajum, in qua damnatur hæc propositio, quæ est in ordine 77. *Satisfactiones laboriosæ justificatorum non valent expiare de condigno pœnam temporalem restantem post culpam condonatam.* Sumitur etiam satis clare ex Trid. *locis supra citatis*: ratio est, quia homo justus potest de condigno mereri vitam æternam, ut suppono ex tractatu de Gratia; ergo a fortiori potest condigne satisfacere pro pœnis restantibus, dimissa culpa, cum sit multo plus, æternam vitam mereri, quam remissionem pœnæ temporalis consequi; & ita tenent DD. communiter.

4. Resp. 2. plures requiruntur conditiones ad hoc, ut opera nostra sint condigne satisfactoria pro pœna temporali. Primo enim requiritur status viæ, ut homo sit viator; nam solum tempus hujus vitæ est tempus merendi, qui autem sunt in Purgatorio possunt satispati non vero satisfacere, sicut nec mereri, & hoc ex divina ordinatione determinante tempus præsentis vitæ pro certamine, & merito. Secundo requiritur status gratiæ, ut homo sit in gratia; nam opera, quæ fiunt in peccato mortali, sicut non valent ad meritum, ita neque prodesse possunt ad condignam satisfactionem ex opere operantis, unde nec reviviscunt, quia sunt opera mortua, non mortificata; juvant tamen hujusmodi opera bona in peccato mortali facta, ut Deus de congruo conferat auxilia efficacia, ad hoc ut homo resurgat a peccato, unde non sunt omittenda, ut cum Suario, & aliis notat Ant. a Spiritu S. *n.* 1588.

5. Tertio requiritur, ut opus satisfactorium sit aliquo modo liberum, & voluntarium, quia debet esse opus morale, quod sine libertate esse non potest, tum quia sicut homo voluntarie peccavit, ita etiam debet voluntarie satisfacere: sufficit autem, ut vel a voluntate eliciatur, aut ab ea imperetur, aut saltem voluntas libere acceptet pœnas ab extrinseco inflictas, illas enim patienter tollerando satisfacit. Debet esse opus moraliter bonum, & honestum, vel saltem per actum voluntatis moraliter bonum acceptetur, & in satisfactionem offeratur: non est tamen necesse, quod ille actus voluntatis sit in se formaliter supernaturalis, formaliter procedens ex imperio Caritatis, sed sufficit, quod fiat ab homine justo in gratia existente, & quod ad finem supernaturalem referatur, quia sic sufficienter dignificatur a gratia sanctificante, ut etiam de merito dici solet. Non est necesse, ut actus procedat ex formali intentione satisfaciendi, sed sufficit, ut procedat a quacumque voluntate Deo placendi, idest sive formali, sive virtuali, vel a desiderio suæ æternæ salutis, quia sicut ad merendum sufficit, ut quis faciat opera digna præmio, ita ad satisfaciendum sufficit facere opera digna satisfactione.

6. Non requiritur ad satisfaciendum, ut sit opus consilii, & supererogationis, sed sufficit opus etiam aliunde debitum ex præcepto, aut voto; nam sicut præcepta servando meremur vitam æternam, ita per opera, quæ præcepta sunt, possumus pro peccatis nostris satisfacere: ex eo enim, quod opera sint præcepta non tollitur, quominus sint libera bona, & pœnalia, & per consequens satisfactoria: quinimmo Ecclesia ad hunc finem præcipit jejunia, & alias corporis afflictiones, ut pro peccatis satisfaciamus. Aliqui volunt non quæcumque opera bona, sed solum pœnalia, & afflictiva valere ad satisfaciendum, quia satisfactio exhibetur Deo loco pœnæ, quæ esset luenda, & sic debet habere aliquid pœnalitatis, & molestiæ, quam homo patiatur; & propter hoc Trident. *sess. 14. c. 8. & 9. & can. 13. & 15.* opera satisfactoria appellat pœnas vel sponte assumptas, vel a Confessario injunctas. Alii e contra asserunt, bona opera etiam non pœnalia, sicut sunt meritoria, ita esse satisfactoria; sed utramque Sententiam bene conciliant Suarez *disp. 37. sect. 6.* Coninch *disp. 10. dub. 4. concl. 2.* Lugus *disp. 24. sect. 3. n. 41.* dicentes, sola quidem opera pœnalia esse satisfactoria, sed omnia bona opera esse aliquo modo pœnalia, & ita omnia esse satisfactoria, quia omnia aliquo modo opponuntur sensualitati; ex quo fit, ut, per se loquendo, opera magis pœnalia sint magis satisfactoria, si cetera sint paria.

7. Denique requiritur ex parte Dei promissio, ad hoc ut opera nostra sint infallibiliter satisfactoria, & ulterius vitæ pœnas remittant. Nam licet opera hominis justi, quatenus a gratia procedunt, habeant ex se, citra aliam promissionem Dei, condignitatem aliquam ad merendum, & satisfaciendum; tamen ut per illa infallibiter conferatur præmium, & remittantur pœnæ Purgatorii, requiritur divina promissio acceptantis pœnas libere assumptas in hoc mundo pro pœna, quæ esset luenda in Purgatorio; independenter enim a divina promissione, nulla ratio afferri potest, quæ Deum cogat ad acceptandas pœnas istius vitæ pro pœnis Purgatorii. Quæ omnia fuerunt fuse disputata *in Tract. de Divina Gratia in quæstionib. de merito*, & illa in præsenti breviter delibasse sufficiat.

DUBIUM II.

Quid sit Satisfactio Sacramentalis, & quem effectum habeat?

8. SAtisfactio Sacramentalis bene, & convenienter definitur: quod sit *voluntaria compensatio pœnæ temporalis debitæ ob injuriam Deo illatam, consistens in operibus pœnalibus a Confessario taxatis*, quia nimirum pœnitentia Sacramentalis injungitur a Confessario in satisfactione pro reatu pœnæ temporalis remanentis post culpam deletam. Ita tenent communiter Doctores cum Bonacina *disp. 5. q. 5. sect. 3. punct. 1.* & Leander *disp. 6. punct. 1.* Hæc satisfactio a Confessario injuncta dicitur Sacramentalis, quia est pars Sacramenti Pœnitentiæ, ut docet Trident. *sess. 14. c. 8.* non quidem essentialis, quia vere hoc Sacramentum conficitur, & confert gratiam ante satisfactionem expletam; nulla autem res potest esse sine sua parte essentiali: propositum autem satisfaciendi præcedens absolutionem, potius spectat ad Contritionem, sed est pars integralis spectans ad materiam proximam hujus Sacramenti, ut supra diximus suo loco. Dubium est: *an habeat*

aliquem effectum ex opere operato, & quem effectum habeat, an nimirum habeat solum remittere pœnam, vel etiam conferre gratiam sanctificantem?

9. Resp. Hæc satisfactio Sacramentalis a Confessario injuncta, & a pœnitente impleta ex opere operato, caussat remissionem pœnæ temporalis remanentis post culpam deletam. Ratio est, quia hujusmodi satisfactio habet producere aliquem effectum ex opere operato: secus non haberet majorem efficaciam, quam satisfactio non Sacramentalis, quæ voluntarie fit a pœnitente extra Sacramentum: quod dici non potest, quia cum sit pars Sacramenti, & habeat significationem Sacramentalem, debet ex opere operato producere effectum, quem significat; significat autem remissionem pœnæ temporalis, cum sit punitio peccati, & quædam commutatio pœnæ debitæ in eam, quæ a Confessario imponitur; unde debet ex opere operato caussare majorem remissionem, quam sit illa, quæ correspondet merito operantis. Ita communiter Doctores, quos affert, & sequitur Leander *q. 3. Dixi, a pœnitente impleta*, quia satisfactio non caussat ex opere operato hanc remissionem statim ac fuit a Confessario imposita, sed postquam fuit a pœnitente impleta, quia Sacramentum non habet suum effectum ex opere operato, nisi quando re ipsa suscipitur; ergo neque satisfactio, quæ est pars Sacramenti, habebit suum effectum, nisi quando erit impleta; quod si perficiatur ante absolutionem, non tamen remittit pœnam temporalem, nisi post absolutionem, quia pœna non remittitur, nisi remissa culpa, quæ tollitur per absolutionem.

10. Difficultas esse potest: *an semper remittat totam pœnam?* Affirmant Gabriel, Major, Sotus, Medina, quos citat Vasquez *q. 94. art. 2. dub. 6. a. 3.* & Suarez *disp. 38. sect. 2. a. 2.* quando Confessarius taxavit, & imposuit pœnitentiam, quam arbitratus est sufficientem, quia habuit a Christo potestatem taxandi, & imponendi pœnitentiam in judicio Sacramentali. Verum contraria Sententia est probabilior, quia pœnitentia debet esse revera proportionata pœnæ luendæ in Purgatorio, ut illam extinguere possit; si autem non est proportionata, quamvis Confessarius sit arbitratus esse talem, non extinguit totam pœnam, sed majorem, aut minorem, prout major, aut minor est pœnitentia. Ita Suarez, Vasquez, Meratius, Lugo, Bonacina, Nugnus, & alii, quos affert, & sequitur Ant. a Spiritu S. *disp. 21. sect. 1. n. 1598.*

11. Ad rationem oppositam dicendum est, Sacerdotem non habere potestatem a Christo, ut per quamcumque pœnitentiam ab eo impositam totam Purgatorii pœnam extingueret, sed solum plus, aut minus, pro majori, aut minori satisfactione, juxta mensuram, & proportionem, quam Deus ipse taxavit, & novit. Non negaverim tamen, satisfactionem esse posse talem, & tantam, & ita proportionatam peccatis, ut deleat totam pœnam, quæ cum sit finita, potest adæquari per satisfactionem finitam. Addo, satisfactionem impositam a Confessario plus de pœna remittere, prout cum majori devotione, & dispositione adimpletur; nam sicut Sacramentum cum meliori dispositione susceptum, majorem confert gratiam; ita & hæc pars Sacramenti plus de pœna remittit ex opere operato; quod esse debet motivum pœnitentibus, ut majori devotione, & perfectione injunctas satisfactiones studeant adimplere.

12. Quæres: *an satisfactio Sacramentalis, ultra remissionem pœnæ, habeat etiam ex opere operato caussare augmentum gratiæ sanctificantis?* Non procedit difficultas de satisfactione, ut imposita a Confessario, & acceptata a pœnitente in ipsa actuali susceptione Sacramenti, quæ licet specialiter denotet commutationem pœnæ debitæ peccatis in aliam temporalem; tamen dici potest, quod simul cum aliis partibus concurrat ad producendam, & caussandam gratiam; sed de ipsa executione satisfactionis, quamplures volunt, ultra remissionem pœnæ, caussare etiam augmentum gratiæ ex opere operato, ultra illam, quæ fuit primo collata in Sacramento. Ratio est, quia pœnitentia Sacramentalis est vera pars integralis Sacramenti Pœnitentiæ; ergo sicut aliæ partes, & Sacramentum totum caussant gratiam ex opere operato, ita & illa pars integralis: quod aperte indicant verba illa Sacerdotis dicentis: *Quidquid boni feceris, & mali sustinueris, sit tibi in remissionem peccatorum, augmentum gratiæ, & præmium vitæ æternæ.* Ita tenent Cajetanus, Sotus, Suarez, Facundez, Rodriquez, & Loysius Turrianus, quos affert, & sequitur Leander *disp. 9. qu. 6.* Candidus *disquis. 24. art. 30. dub. 4.* Diana *p. 3. tr. 4. resol. 70.* & probabilem putat Franc. a Jesu Maria *c. 10. punct. 1. n. 14.* & ad ipsum Gonet *disp. 13. art. 3.*

13. Resp. pœnitentiam Sacramentalem non caussare ex opere operato augmentum gratiæ sanctificantis, sed dumtaxat remissionem pœnæ. Ratio est, quia nullum potest assignari fundamentum, a quo sufficienter colligamus, satisfactionem concurrere ad augmentum gratiæ ex opere operato, cum non sit per se instituta ad significandam remissionem culpæ, sed tantum remissionem pœnæ relictæ ex culpa. Nec obstat, quod sit pars integralis Sacramenti ad hoc, ut dicatur caussare novam gratiam, sed sufficit, quod gratiam caussaverit simul cum aliis partibus, quando fuit a Sacerdote injuncta, & a pœnitente acceptata in ipsa susceptione Sacramenti: nec est necesse, quod iterum eamdem gratiam, vel ipsius augmentum causset, quando executioni mandatur, sed sufficit, quod tunc caussat remissionem pœnæ temporalis relictæ, quæ est veluti complementum gratiæ, cum ad hoc sit specialiter instituta. Verba illa Sacerdotis: *Quidquid boni feceris*, se habent solum per modum invocationis, & benedictionis, ut sequentia opera proficiant pœnitenti, juxta suam propriam conditionem; secus si omnia opera subsequentia induerent per illa verba rationem satisfactionis Sacramentalis, & hæc dicatur habere vim producendi gratiam, quodcumque opus bonum semper de novo produceret, & augeret gratiam ex opere operato, quod nullo modo videtur dicendum, & homo semper teneretur esse in gratia, ne impedimentum poneret tali augmento. Hanc Sententiam tenent Vasquez, Coninch, Ochagavia, Sancios, Palatius, Præpositus, Hurtado apud Leandrum, Lugo *disp. 25. a. 2.* Ant. a Spir. S. *disp. 21. sect. 1. n. 1599.* Palaus *punct. 22. §. 2. n. 5.* Aversa *q. 14. sect. 3.* Madernus *q. 5. ar. 2.* & apud ipsum Amicus, Arriaga, & Martinonus.

14. *An vero satisfactio Sacramentalis saltem conferat auxilia quædam actualia, ut præservetur, & emendetur pœnitens a peccatis?* Negat Lugus *supra n. 6.* nam Sacramenta non solent conferre talia auxilia, nisi dando gratiam habitualem, in qua jus tale fundatur: asserunt Madernus *n. 5.* Filliucius *tr. 8. c. 2. n. 33.* & Aversa supra; & quidem satis probabiliter, quia ex sua institutione imponitur hæc satisfactio in Sacramento non solum in vindictam, & punitionem peccatorum præteritorum, sed etiam ad præservationem, & custodiam in futurum, ut colligitur ex Trident. *sess. 14. c. 8.* ibi: *Magnopere a peccatis revocant, & quasi fræno quodam coercent hæ satisfactoriæ pœnæ, cautioresque, & vigilantiores in futurum efficiunt pœnitentes*; non tantum ex opere operantis, sed etiam ex opere operato, virtute Sacramentali, conferendo divina auxilia ad hoc necessaria; & sic dicendum est, talia auxilia conferre: & quamvis Sacramentum totum conferat auxilia, caussando gratiam habitualem cum jure ad illa; nil tamen obstat, quin pars integralis, quæ successive ponitur, possit nova conferre auxilia.

DUBIUM III.

An peccet Pœnitens, si pœnitentiam adimpleat in peccato mortali; & an illa tunc habeat suum effectum?

15. PEccare mortaliter pœnitentem, & non satisfacere præcepto Confessarii, si pœnitentiam sibi injunctam exequatur, & adimpleat in peccato mortali, ac proinde repetendam esse, docuerunt Alensis *4. p. q. 85. memb. 1.* Archidiac. *de pœnit. dist. 3.* Tabiena *V. satisfactio n. 9.* Barbosa *in Collectan. ad sess. 13. c. 8. n. 6.* & ex parte Suarez *disp. 38. sect. 8. n. 7.* & probabile putat Facundez *præcep. 2. lib. 9. c. 4. n. 21.* Ratio est, quia sic adimplens pœnitentiam, ponit obicem ejus effectui, scilicet remissioni pœnæ, & multo magis si dicatur etiam habere vim conferendi gratiam ex opere operato; sicut enim, qui scienter ponit obicem toti Sacramento, peccat mortaliter, ita & qui ponit obicem parti illius mortaliter peccare debet, vel saltem peccabit venialiter contra reverentiam debitam Sacramento, ut voluit Sotus *in 4. d. 19. q. 1. sect. 4. ad 3.* & affirmat Suarez supra, & Leander *q. 8.*

16. Resp. adimplentem pœnitentiam in peccato mortali satisfacere præcepto Confessarii, non peccare mortaliter, nec venialiter, nec teneri illam repetere. Colligitur ex usu, & praxi fidelium; non enim Confessarii alioquin docti, & timorati obligare intendunt pœnitentes, ut in statu gratiæ pœnitentiam adimpleant; ita quod si aliquis forte lapsus in novum peccatum, exequatur opus injunctum, debeat illud repetere in statu gratiæ, numquam ab illis petunt, an pœnitentiam in præcedenti Confessione impositam sint executi in statu gratiæ, vel peccati, quod utique deberent facere, si hoc esset necessarium, nec deberent diuturniores, & longas pœnitentias injungere propter evidens periculum, quod saltem tota non fiat in statu gratiæ; nec pœnitentes ipsi putant se peccare graviter, si pœnitentiam exequantur in statu peccati.

17. Ratio est, quia in omnibus aliis præceptis de Jejunio, de Missa audienda, de Officio recitando, non requiritur status gratiæ, sed sufficit ponere rem præceptam; nam finis præcepti non cadit sub præcepto; ergo etiam in præsenti sufficit pœnitentem ponere rem a Confessario præceptam, ut illi satisfaciat. Nec obstat quod per pœnitentiam factam in peccato mortali ponatur obex, & impediatur effectus satisfactionis, quia non ponitur obex, nec impeditur effectus principalis Sacramenti, nimirum gratia sanctificans, quæ caussatur a partibus essentialibus, quamque non caussat executio pœnitentiæ caussantia tantummodo remissionem pœnæ; & hunc effectum minus principalem impedire, non est peccatum mortale, nec gravis irreverentia Sacramenti, & forte nec etiam est peccatum veniale; secus non deberet audiri Missa, nec recipi benedictio summi Pontificis, vel Episcopi in Peccato, quando conceduntur indulgentiæ, quia impeditur remissio pœnæ. Adde, non esse certum impediri remissionem pœnæ per pœnitentiam factam in peccato mortali, ut mox dicam; hanc sententiam

tenent

tenent magis communiter Doctores, Marsilius, Palud. Palat. Adrian. Medina, Cajet. Sylvester, quos affert, & sequitur Aversa *q. 13. sect. 6.* Madernus *q. 5. art. 1.* Lugus *disp. 25. n. 32.* Diana *p. 3. tr. 4. resol. 70. & part. 4. tract. 4. resol. 241.* Leander *disp. 9. q. 8.* Bonacina *q. 5. sect. 3. punct. 4. n. 15.*

18. Majus dubium est: *an pœnitentia in peccato mortali facta producat suum effectum remissionis pœnæ ex opere operato, in quo discrepant Doctores.* Prima sententia negat, talem satisfactionem habere tunc, vel habituram postea effectum, quia facta in peccato mortali est opus mortuum, quod non reviviscit. Ita Adrianus, Ledesma, Valentia, Hurtad. Torrian. Præpositus, Ochagavia apud Aversam *q. 14. sect. 8.* & Leandrum *q. 11.*

19. Secunda sententia valde probabilis affirmat habere tunc suum effectum remittendo pœnam illi proportionatam ex opere operato. Ratio est, quia hæc satisfactio non pensatur, nec valorem accipit ex dignitate, & merito operantis, sed ex meritis Christi per illam applicatis, quorum effectus non impeditur a peccato mortali existente in subjecto, quia illud est quidem obex gratiæ recipiendæ, non tamen remissionis pœnæ consequendæ; nulla enim potest afferri ratio, cur existens in peccato mortali, non possit ex meritis Christi consequi remissionem pœnæ debitæ peccato jam remisso quoad culpam, quamvis non possit consequi remissionem pœnæ debitæ novo peccato, quod habet, quæ utique distincta, & diversa est a prima, nec remitti potest nisi prius sit ablata culpa. Nec obstat, quod opus illud non sit meritorium ex defectu hominis satisfacientis non habentis statum gratiæ requisitum ad meritum; nam satisfactio Sacramentalis non remittit pœnam ex opere operantis per modum meriti condigni, sed ex opere operato per modum Sacramenti mortuorum, applicando merita Christi, quorum intuitu remittitur pœna. Ita Vasquez, Marsilius, Medina, quos affert, & sequitur Diana *p. 5. tr. 13. resol. 78.* sequitur Navar. *de pœnit. dist. 6. c. 1. n. 40.* Scotus, & Kellisonius apud Aversam.

20. Tertia Sententia, quæ est communior, & probabilior affirmat, satisfactionem factam in peccato non habere quidem statim suum effectum remissionis pœnæ propter indignitatem subjecti, sed habituram postea, recedente fictione, & peccato. Ratio primæ partis est, quia peccatum mortale existens in pœnitente non solum est obex gratiæ suscipiendæ, sed etiam pœnæ remittendæ, non tantum debitæ novo peccato nondum remisso quoad culpam, quod est per se clarum, sed etiam pœnæ debitæ peccatis remissis; quod patet a pari de aliis Sacramentis vim habentibus remittendi pœnam, & præsertim Extremæ Unctionis, quæ si recipiatur ab homine existente in peccato mortali, & indisposito ad gratiam, nullam omnino pœnam remittit, nec etiam relictam ex culpis antecedentibus jam deletis; ergo pariter satisfactio, si exequatur ab homine existente in peccato nullam tunc pœnam remittit, cum pœnitentia sit pars integralis hujus Sacramenti, & id quod est obex Sacramenti, debet etiam esse obex effectus partis illius. Conf. quia si satisfactio haberet vim conferendi gratiam ex opere operato, ut plures admittunt, illam non conferret tunc subjecto existente in peccato, sed postea ablato peccato; ergo idem dicendum est de remissione pœnæ.

21. Ratio vero secundæ partis est, quia si contingat dari Sacramentum pœnitentiæ validum, & informe, habet suum effectum, recedente fictione, quod etiam præstant alia Sacramenta valide sumpta; ergo pariter Sacramentalis satisfactio valide adimpleta, si tunc non caussat suum effectum, debet illum caussare recedente peccato; cum enim sit pars Sacramenti, debet sequi naturam, & conditionem illius, & habere similem vim conferendi suum effectum obice remoto. Conf. quia sicut non tenetur quis iterare confessionem informem, ita non tenetur repetere satisfactionem factam in statu peccati, adeoque si, recedente fictione, redit effectus Sacramenti confessionis ex opere operato debitus, debet etiam, recedente fictione, redire effectus satisfactionis ex opere operato. Nec obstat, quod satisfactio facta in peccato sit opus mortuum, quod non reviviscit; nam est opus mortuum prout est opus operantis, nec habet effectum correspondentem merito operantis; tamen prout est opus Sacramentale, & ut illi a Confessario virtute Sacramenti applicantur merita Christi, est opus ex se, & ex natura sua vivum, mortificatum tamen ratione subjecti, ita quod non possit in illo statu habere suum effectum ex opere operato, bene tamen recedente fictione, & peccato. Ita Cajet. Victoria, Suarez, Henriquez, Reginaldus, & alii, quos sequitur Bonacina *q. 5. sect. 3. pu. 4. n. 17.* Aversa *q. 45. sect. 8.* Madernus *q. 5. art. 1.* Lugus *disp. 25. nu. 40. & 41.* Layman *l. 5. tr. 6. c. 15. n. 10.* & aliis citatis Leander *q. 11.*

22. Quæres: *an possit satisfieri pœnitentiæ impositæ a Confessario per actionem ex aliqua parte peccaminosam; puta tenetur quis ex pœnitentia sibi a confessario imposita, jejunare, Missam audire, seu facere eleemosynam, illam facit ex vanagloria, seu cum alia circumstantia vitiosa: quæritur, an sufficiat ad pœnitentiam implendam, vel requiratur opus undiquaque bonum?*

23. Resp. per actionem ex aliqua circumstantia venialiter solum peccaminosam posse adimpleri pœnitentiam, & præceptum Confessarii, non vero per actionem mortaliter peccaminosam. Ratio primæ partis est, quia ad satisfaciendum aliis præceptis Ecclesiasticis sufficit opus secundum substantiam bonum, licet ex aliqua circumstantia venialiter malum; nam præceptum cadit supra substantiam, non supra modum; sic qui Missam audit, aut preces recitat cum aliqua levi distractione, & negligentia, adimplet præceptum Ecclesiæ; ergo etiam adimplet præceptum Confessarii, qui pœnitentiam adimplet cum aliqua vanagloria. Conf. quia opus solum venialiter malum potest esse meritorium, & satisfactorium ex opere operantis, ut suppono ex dictis in tractatu de gratia, in quæstionibus de merito; ergo etiam potest esse satisfactorium ex opere operato, si fuit a Confessario impositum.

24. Ratio secundæ partis est, quia opus mortaliter malum, & peccaminosum, sicut est provocatorium divinæ indignationis, & pœnam æternam meretur; ita non potest esse satisfactorium, nec habere effectum ex opere operato; ad hoc enim requiritur, ut sit instrumentum morale applicativum meritorum Christi, & cujus intuitu Deus pœnam condonet; sed quoties opus est intrinsece malum, & provocativum divinæ indignationis, non potest applicare merita Christi, nec movere Deum ad remittendam pœnam; ergo non potest habere effectum ex opere operato, & per consequens non sufficit pro implenda pœnitentia a Confessario imposita. Ita Madernus *q. 5. art. 1. n. 13. & seqq.* Leander *q. 12.* & apud ipsum Ledesma, Sotus, Vasquez, Valentia, Facundez *præcept. 2. Eccles. l. 9. c. 4. num. 10.* Ant. a Spiritu S., & alii apud ipsos.

25. Hinc sequitur, pœnitentiam per actum mortaliter malum adimpletam non reviviscere, nec caussare postea effectum obice remoto, quia, cum non fuerit valida, non potest reviviscere, sed est repetenda. Nec obstat, quod Baptismus, & alia Sacramenta, si per actum ex aliqua circumstantia pravum, & sacrilegum suscipiantur, habent adhuc suum effectum recedente fictione, & Baptismus remittit totam pœnam præcedentibus peccatis debitam; nam Baptismus taliter susceptus fuit validus, & non repetendus, proinde nil mirum, si, recedente fictione, producat postea effectum, quem non produxit in prima sui susceptione propter indignitatem subjecti; at Sacramentum Pœnitentiæ, si sacrilege suscipiatur, non est validum, sed irritum, & nullum, ac necessario repetendum, & sic non potest reviviscere; quod idem dicendum est de Pœnitentia, quæ est illius pars integralis, quæ, si fuit invalida, non potest postea caussare effectum, sed debet necessario repeti.

26. Quæres 2. *An sit necesse, quod pœnitens satisfactionem adimpleat ex animo, & intentione satisfaciendi, vel sufficiat, quod opus injunctum materialiter faciat sine intentione, immo cum intentione positive contraria non satisfaciendi; puta, quis habuit a Confessario pœnitentiam recitandi Rosarium, aut jejunandi die Veneris, jejunavit, & Rosarium recitavit ex sua devotione, sine animo satisfaciendi pro pœnitentia, seu etiam cum animo positive contrario non satisfaciendi: quæritur, an nihilominus tale jejunium, & Rosarium sufficiat pro pœnitentia imposita?* Affirmat Diana *part. 6. tr. 6. resol. 43.* Lugus *disp. 25. n. 37.* Sanchez, & Arriaga, quos sequitur Madernus *q. 5. art. 1. n. 20.* quia ad satisfaciendum in aliis præceptis non requiritur intentio; ergo nec ad satisfaciendum obligationi impositæ a Confessario. Deinde, quia pœnitens, acceptando pœnitentiam, censetur habere saltem intentionem habitualem eam adimplendi, quod sufficit.

27. Resp. requiri intentionem, & animum satisfaciendi, saltem virtualem. Ratio est, quia licet ad satisfaciendum præceptis, & legibus sufficiat ponere opus præceptum absque intentione observandi legem; requiritur tamen in adimplenda satisfactione ex titulo, & ratione Sacramenti, cujus satisfactio est pars integralis, vim habens conferendi effectum Sacramentalem ex opere operato. Nam Confessio, quia est pars Sacramenti Pœnitentiæ, debet fieri cum intentione confitendi, & absolutio debet dari a Confessario cum intentione absolvendi, saltem virtuali; ergo etiam pœnitentia in satisfactionem imposita, debet executioni mandari a pœnitente cum intentione saltem virtuali satisfaciendi; & inde si executioni mandetur sine intentione, & multo magis, si cum expressa intentione non adimplendi pœnitentiam, non erit satisfactio Sacramentalis, seu pars Sacramenti. Nec videtur sufficiens intentio solum habitualis, qua pœnitentiam acceptavit, quia licet intentio solum habitualis sufficiat in suscipiente Sacramenta, quando ille mere passive se habet, ut contingit in Baptismo, & Extrema Unctione; non tamen sufficit, quando requiritur actio suscipientis, ut se habet contactus materiæ in ordine, & satisfactio in hoc Sacramento, ad quam requiritur intentio saltem virtualis. Ita Vasquez *opusc. de benefic. cap. 4. §. 1. art. 3. dub. 7. nu. 115.* Aversa *q. 13. sect. 6. in fine.*

DUBIUM IV.

An Confessarius teneatur imponere pœnitentiam, & quando debeat illam imponere?

28. RESP. Confessarium teneri, regulariter loquendo audita confessione pœnitentiam aliquam imponere

 pro

pro peccatis. Colligitur ex cap. *Omnis utriusque sexus de Pœnit. & Remiss.* & ex Trid. *sess.* 14. *c.* 8. ubi habetur: *Debent Sacerdotes Domini, quantum spiritus, & prudentia suggesserit pro qualitate criminum, & pœnitentium facultate, salutares, & convenientes satisfactiones injungere*. Ratio est, quia pœnitentia est pars integralis hujus Sacramenti; ergo, per se loquendo, tenetur Confessarius sub mortali pœnitentiam imponere, ut sic integrum conficiat Sacramentum. Tum quia Christus dedit Sacerdotibus potestatem non tantum ad solvendum, sed etiam ad ligandum, ut habetur e *cit. c.* 8. *Claves Sacerdotum, non ad solvendum dumtaxat, sed & ad ligandum concessas, etiam antiqui Patres, & credunt, & docent;* ergo debet Confessarius non solum solvere pœnitentem per absolutionem, sed etiam ligare per pœnitentiæ impositionem: hoc enim postulat hoc Sacramentum, quod cum sit per modum judicii, ita debet in eo beneficium absolutionis impendi, ut simul ex aliqua parte vindicetur, & compensetur injuria Deo illata: & cum Sacerdos sit non solum Judex, sed etiam Medicus, debet pœnitentis saluti consulere, nec eum privare salutari remedio, & fructu ex satisfactione proveniente. Quare jure divino, ex modo quo institutum est hoc Sacramentum, tenetur Sacerdos, per se loquendo, sub obligatione gravi, & peccato lethali, satisfactionem imponere, in quo conveniunt Doctores communiter, quos dabunt Leander *q.* 14. & Bonacina *q.* 5. *sect.* 2. *punct.* 1.

29. Dixi, *per se loquendo*, quia dantur aliqui casus, in quibus excusatur Sacerdos a satisfactione imponenda. Primo, quando pœnitens est omnino impotens, quia est in articulo mortis, & sensibus destitutus; si vero non sit omnino impotens, & sensus habeat, imponenda est aliqua pœnitentia levis, quam tunc adimpleat; puta invocationem Nominis Jesu, & aliam sub conditione, si vivat, commodiori tempore adimplendam, quia tenetur, quantum possibile est, facere Sacramentum integrum, & perfectum quoad omnes partes etiam integrales. Bonacina, Navar. Facundez, Suarez, Lugus, & alii communiter. Aliqui addunt, posse pœnitenti injungi, ut patienter ferat infirmitatem, quod non approbat Bonacina, quia fieri potest, ut molestiam afferat infirmo timenti, se non rite satisfacere pœnitentiæ injunctæ.

30. Secundo excusant Confessarium ab imponenda pœnitentia, quando probabiliter credit, pœnitentem jam integre satisfecisse intensissimo dolore, & aliis bonis operibus, ac pœnitentiis sponte susceptis; vel quando pœnitens est lucraturus Indulgentiam plenariam, & multo magis si esset in promptu subeundi Martyrium, per quod plenissime satisfieri pro peccatis non est dubium. Verum hæc possunt excusare Confessarium ab imponenda pœnitentia gravi, & proportionata peccatis, non vero ab omni, quia potest, & debet facere Sacramentum integrum: & quidem credendo pœnitentem ex integro satisfecisse per alia bona opera, cum non possit naturaliter esse certum, exponeretur periculo faciendi Sacramentum non integrum, si nullam imponeret pœnitentiam. Lucraturo vero indulgentiam poterit hoc idem pro pœnitentia injungere, ut lucretur indulgentiam. Ita Bossius *de Jubil. sect.* 1. *casu* 20. Palaus *tr.* 23. *pu.* 21. §. 2. *n.* 9. Rodriquez, Filliuc. & alii, quos affert, & sequitur Leander *q.* 17. & 20.

31. Tertio excusant, quando scrupulosus sæpe intra eamdem horam redit cum novis peccatis, ut iterum absolvatur, quia pœnitentia pro prima Confessione imposita censeri debet pro aliis imposita esse, ut docent Facundez *præcep.* 2. *l.* 9. *c.* 34. & Lugus *disp.* 25. *n.* 50. Verum si in secunda, & tertia Confessione nova datur absolutio, fit utique novum Sacramentum, & sic debet nova imponi pœnitentia, ut fiat Sacramentum integrum; poterit tamen imponi pœnitentia levissima, vel etiam novo titulo illa, quæ fuit in prima Confessione imposita; nam opus alias debitum potest in satisfactionem Sacramentalem injungi, ut docet Bonac. *num.* 3.

32. Quarto excusant, quando pœnitens nullam esset acceptaturus, vel exequuturus pœnitentiam; tunc enim expedit ejus infirmitati consulere, & nullam imponere, ne id, quod in medicinam, & favorem pœnitentis est institutum, vertatur in laqueum, & ruinam. Verum cum pœnitens teneatur pœnitentiam acceptare, si nullam, nec etiam levem vult admittere, non censetur dispositus ad recipiendum beneficium absolutionis. Ita Bonacina *n.* 5. Palaus *n.* 11. Facundez, Reginaldus, Candidus, Lugus, quos sequitur Leander *q.* 19.

33. Quinto excusat a lethali, si pro peccatis venialibus, aut pro jam confessis, pro quibus erat levissimam pœnitentiam impositurus, secluso contemptu, nullam imponeret, quia licet obligatio imponendi pœnitentiam sit de genere suo gravis, obligans sub lethali, tamen ex levitate materiæ redditur levis, & in illo casu Confessarius non deficeret in re gravi, subtrahendo leve quid de integritate Sacramenti; nam parvitas materiæ, sicut in aliis rebus; ita in obligatione imponendæ pœnitentiæ satis probabiliter admittenda videtur. Ita Lugus *disp.* 25. *n.* 47. Diana *p.* 6. *tr.* 6. *resol.* 44. Aversa *q.* 23. *sect.* 2. Anton. a Spiritu S. *disp.* 21. *num.* 1604.

34. Resp. 2. liberum esse Sacerdoti pœnitentiam injungere, sive ante, sive immediate post absolutionem, quia utrovis modo detur, sufficit ad integritatem Sacramenti, nec datur præceptum aliquod in contrarium; congruentius tamen est quod imponatur ante absolutionem juxta communem usum, & praxim Ecclesiæ, ne forte pœnitens post absolutionem obtentam recuset pœnitentiam acceptare: & quia non potest Confessarius pœnitentem absolvere, qui non est legitime dispositus, cujusmodi non est, qui pœnitentiam acceptare recusat: vel melius, quia pœnitentia est pars integralis hujus Sacramenti, se habens per modum materiæ, materia autem debet præcedere formam, & ita tenent Suarez, Filliuc. Navar. Molfes. quos citat, & sequitur Bonacina *q.* 5. *sect.* 3. *punct.* 2. *n.* 19. Diana *p.* 3. *tr.* 4. *resol.* 136. Candidus *disquisit.* 24. *art.* 21. *dub.* 29. Bossius *de Jubil. sess.* 1. *casu* 19. *n.* 32.

35. Executio pœnitentiæ, quæ in vindictam præcedentium delictorum imponitur, absolutionem subsequi debet, & usum jam obtinuit, ut pœnitens prius absolvatur, postea satisfactionem adimpleat; nec Confessarius obligare potest pœnitentem, ut satisfactionem ante absolutionem exequatur, quia pœnitentia Sacramentalis valet ad remissionem pœnæ temporalis alias luendæ in Purgatorio, Non potest autem habere suum effectum, nec pœnam remittere, nisi prius fuerit remissa culpa, quæ per absolutionem remittitur; poterit tamen prudens Confessarius, quando ex justa, & rationabili caussa vellet absolutionem differre, interim exigere a pœnitente, ut aliquid faciat ad ejus dispositionem probandam, ut restituat male ablatum, ut occasionem dimittat, ut pœnitentias adimpleat in aliis Confessionibus ei impositas, & sæpius neglectas, ut bene advertit Aversa *q.* 13. *sect.* 1. Suarez, Reginaldus, & Bonacina supra, & cum aliis Leander *q.* 63.

DUBIUM V.

Quanta, & qualis pœnitentia sit injungenda?

36. Nulla datur determinata mensura pœnitentiæ pro peccatis injungendæ, quia antiqui Canones pœnitentiales assignantes pro quolibet peccato mortali, seu pro quibusdam gravioribus, pœnitentiam septem annorum, vel non sunt in usu, vel procedunt tantum pro foro Ecclesiastico exteriori, non pro foro Sacramentali; sed tota relinquitur prudenti, & rationabili arbitrio Confessarii, qui, considerata quantitate, & gravitate criminum, qualitate, & dispositione pœnitentis, aliisque circumstantiis, debet pœnitentiam taxare, & injungere, ut expresse habetur in c. *Mensuram, de Pœnit. dist.* 1. & c. *Deus, de Pœnit. & Remiss.* & c. *Omnis utriusque sexus*: tenetur tamen sub obligatione gravi, per se loquendo, proportionatam in quantitate pœnitentiam injungere, nec potest sine peccato mortali pro magnis peccatis levissimas pœnitentias imponere, ut colligitur ex Trid. *sess.* 14. *c.* 8. illis verbis: *Debent Sacerdotes Domini, quantum spiritus, & prudentia suggesserit, pro qualitate criminum, & pœnitentium facultate, salutares, & convenientes satisfactiones injungere, ne si forte peccatis conniveant, & indulgentius cum pœnitentibus agant, levissima quædam opera pro gravissimis delictis injungendo, alienorum peccatorum participes efficiantur*. Ratio esse potest, quia Confessarius est Judex, qui debet in taxanda pœnitentia æquitatem observare. Nec obstat, quod pœnitentiæ dicantur arbitrariæ; non enim sic dicuntur, quasi possit Confessarius pro libito quam maluerit pœnitentiam imponere, sed quia debet illam arbitrari secundum prudens, & rationabile judicium juxta æquitatem, habita consideratione circumstantiarum. Ita Doctores communiter, Navarrus, Sotus, Facundez, Diana, Bonacina, Filliucius, quos affert, & sequitur Leander *q.* 106. & *seqq.*

37. Dixi, *per se loquendo*, quia plures assignantur casus, in quibus potest Confessarius absque peccato levem pœnitentiam pro gravibus peccatis injungere, justa nimirum, & rationabili caussa interveniente, ut esset debilitas, ægritudo, & senectus pœnitentis, impotentia majorem pœnitentiam implendi, magnitudo contritionis, tempus Jubilæi, & Indulgentiarum, quia tunc potest pœnitentiam minuere, vel etiam fragilitas pœnitentis, ob quam timetur majorem non acceptaturum, seu impleturum, quia in hoc Sacramento magis intenditur salus pœnitentis, & ejus emendatio, quam satisfactio pro peccatis remissis; ac proinde poterit levior imponi pœnitentia, ne salus pœnitentis ob ejus imbecillitatem exponatur periculo, ut cum aliis docet Ant. a Spiritu S. *disp.* 21. *sect.* 3. *n.* 1607. ubi cum aliis notat, excusari hoc tempore Confessarios, qui pro gravissimis peccatis leves pœnitentias imponunt, ne gravioribus pœnitentiis scandalizentur pœnitentes, & a Confessione retrahantur. Ita etiam Homobonus *de Exam. Eccles. part.* 1. *tract.* 5. *cap.* 15. *quæst.* 93.

38. Ad tollendos scrupulos, & ad solatium Confessariorum docet Diana *p.* 3. *tr.* 4. *resol.* 93. & *p.* 10. *tr.* 16. *resol.* 1. posse a peccato generaliter excusari Confessarios imponentes levem pœnitentiam pro magnis peccatis, si apponant clausulam illam: *Quidquid boni feceris, & mali patienter sustinueris, sit tibi in remissionem peccatorum*: quia homines sæpe multa bona faciunt, & multa mala sustinent, quæ

sic

sic applicata rationem Sacramentalis satisfactionis habent. Ita etiam Homobonus *supra q.94.* ubi ait: *Admonent Doctores, Confessarium debere pœnitenti injungere, ut quidquid boni fecerit, & mali sustinuerit, in suam satisfactionem cedat, qua clausula excusari videntur Confessarii, si vel pro magnis peccatis parvas penitentias injungant.* Ita etiam Beja *in Resp. p.3. casu* 1. Bonacina *q.5. sect. 3. n.13.* Leander *q. 109.* Reginaldus, Filliucius, & iterum Diana *p.9. tr.9. resol. 54.* qui addunt, in hoc casu debere Confessarium verba hujus clausulæ pœnitenti aperire, ut sciat levem pœnitentiam ideo sibi imponi, quia omnia bona opera totius vitæ suæ in satisfactionem suorum peccatorum injunguntur, & acceptantur. Quod quidem licet sit probabile, illud tamen non admittunt Lugus *disp.25. sect.5.* Palaus *disp. unic. pu. 21. §. 3. n.13.* Tannerus, Coninch, & alii negantes, opera facta valere ex opere operato ad remittendam pœnam peccatis debitam, quia ex vi illorum verborum non designantur opera in satisfactionem ex opere operato, sed oratur Deus, ut taliter fiant, ut in satisfactionem peccatorum deserviant; nam per illa verba opera a pœnitente efficienda, æque designantur in augmentum gratiæ, & præmium vitæ æternæ, & tamen in Sententia contraria non habent vim augendi gratiam ex opere operato; ergo neque debent habere vim remittendi pœnam ex opere operato. Vide Dianam *p.9. tr.9. resol.* 54.

39. Circa qualitatem satisfactionis imponendæ, Trid. *cit. sess.14. c.8.* sic monet Confessarios: *Habeant autem præ oculis, ut satisfactio, quam imponunt, non sit tantum ad novæ vitæ custodiam, & infirmitatis medicamentum, sed etiam ad præteritorum peccatorum vindictam, & castigationem.* Unde, regulariter loquendo, imponenda sunt in satisfactionem opera bona pœnalia, quia iis maxime satisfacimus pro pœna peccatis debita. Tria sunt autem hujusmodi opera, ad quæ alia reducuntur; nimirum Oratio, Jejunium, & Eleemosyna: ad orationem reducuntur non solum preces vocales, sed etiam meditationes mentales, pia desideria, actus contritionis, gratiarum actiones, & ea omnia, quæ spectant ad cultum Dei: ad jejunium reducuntur flagellationes, vigiliæ, peregrinationes, & omnes corporis afflictiones, & carnis macerationes: ad eleemosynam reducuntur visitatio infirmorum, & omnia opera misericordiæ in proximos.

40. Debet etiam Confessarius pro sua prudentia singulis pœnitentibus ea opera satisfactionis imponere, quæ puniendis delictis sunt magis proportionata; v. g. guloso jejunia, superbo humiliationem, avaro eleemosynæ largitionem: & quia peccata vel sunt contra Deum, vel contra proximum, vel contra se ipsum: pro peccatis, quæ sunt contra Deum, debent imponi orationes, & peregrinationes ad Loca Pia: pro iis, quæ sunt contra proximum, eleemosyna: & pro iis, quæ sunt contra se ipsum, cujusmodi sunt peccata sensualia, jejunia, & carnis macerationes. Item ea, quæ sunt utilia, & opportuna ad reddendos homines cautiores in futurum, ut pœnitentia non solum sit punitiva pro præteritis, sed etiam præservativa a futuris. Et Confessarius non solum infligat vindictam, ut Judex, sed salubre etiam remedium adhibeat, ut Medicus animæ; ac proinde debet in promptu habere peccatorum remedia, tum generalia desumpta ex consideratione divinorum beneficiorum, mortis incertæ, æternitatis pœnarum, & aliorum, quæ possunt a peccatis retrahere: tum specialia contra vitia particularia, & pœnitentias salutares, tum punitivas, tum præservativas, pro varietate peccatorum, pro quibus maxime videri potest P. Homobonus, qui pro varia opportunitate, & qualitate peccatorum remedia proponit.

41. Habenda est ratio non modo gravitatis peccatorum, sed etiam facultatis pœnitentium, quibus sunt talia opera satisfactoria injungenda, ut ab iis possint commode adimpleri, ut cum Navarro *in Sum. c.26. n.* 28. notavit Aversa, ne videlicet eleemosynas pauperibus, peregrinationes mulieribus, jejunia ægrotis injungat; quinimmo cum pauperibus, & præsertim rusticis, qui ad fodiendam terram, & ad multos labores perferendos sunt a natura destinati, cum difficile admodum orationes, jejunia, & eleemosynas præstare possint, labor, cruciatus, & paupertas injungenda sunt; nam operibus alias debitis Deo satisfacere possumus. Cavendum tamen est, ne pro peccatis occultis, quantumvis gravibus, imponatur pœnitentia publica, quæ possit lædere pœnitentis famam: qua ratione male agunt Confessarii, filiisfamilias, vel uxoribus, quasdam pœnitentias imponentes, quæ adimpleri non possunt, nisi parentibus, & viris afferant suspicionem alicujus gravis peccati. Si tamen peccatum est publicum, non solum potest, sed aliquando expedit publicam pœnitentiam injungere ad tollendum scandalum, ut docet Trid. *sess.24. c.8. de reform.* illis verbis: *Apostolus monet, publice peccantes palam esse corripiendos. Quando igitur ab aliquo publice, & in multorum conspectu crimen commissum fuerit, unde alios scandalo offensos, commotosque fuisse, non sit dubitandum, huic condignam pro modo culpæ pœnitentiam, publice injungi oportet, ut quos exemplo suo ad malos mores provocavit, suæ emendationis testimonio ad rectam revocet viam.* Ita S. Thom. Suarez, Vasquez, Sylvester, Bonacina, Villalobos, Candidus, & alii, quos affert, & sequitur Leander *supra q.* 40. ubi advertit, non ob id violari Confessionis sigillum, quia hæc obligatio imponitur ex consensu pœnitentis, alias non absolvendi, sicut injurianti imponitur onus postulandi veniam ab offenso absque ulla sigilli violatione.

42. Ceterum, quia ob infirmitatem humanam res eo devenit, ut jam pauci inveniantur, qui graviores pœnitentias sibi injunctas exequantur, expedit, ac in praxi receptum est, ut leviores satisfactiones pœnitentibus imponantur, ne pœnarum gravitate deterreantur, & a Sacramentorum susceptione avocentur, quin potius pœnitentiæ levitate ad illorum frequentiam eliciantur. Satius etiam est, pœnitentem ad Purgatorium, quam ad Infernum mittere, & expedit magis de misericordia, quam de severitate rationem reddere, ut loquitur Homobonus *cit. qu.* 94. maxime, quia defectus pœnitentiæ potest aliunde suppleri.

De quantitate, & qualitate pœnitentiæ pro peccatis imponendæ plura videre poteris in fine hujus capitis a Benedicto XIV. decerpta.

DUBIUM VI.

De Pœnitentiis in particulari.

43. Possunt ea omnia in satisfactionem imponi, quibus pœnitens pro suis peccatis satisfacere potest, quia virtus Sacramenti non est minus efficax, quam opus hominis. Et quia potest homo satisfacere Deo pro suis peccatis, non modo sponte, & libere exercendo opera pœnalia, sed etiam patienter tollerando pœnas a Deo immissas, ut innuimus supra, & expresse habetur ex Trid. *sess.14. c. 9.* dicente: *Tantam esse divinæ munificentiæ largitatem, ut non solum pœnis sponte a nobis pro indicando peccato susceptis, aut Sacerdotis arbitrio pro mensura delicti impositis, sed etiam, quod maximum amoris argumentum est, temporalibus flagellis a Deo inflictis, & a nobis patienter tolleratis, apud Deum Patrem per Christum Jesum satisfacere valeamus:* possunt hujusmodi afflictiones, seu potius illorum tollerantia, in satisfactionem pro peccatis a Confessario imponi, sicut de facto ægrotantibus aliqui imponunt, ut patienter ferant infirmitatem.

44. Secundo possunt in satisfactionem imponi non solum opera supererogationis, & alias indebita, sed etiam opera alias debita ex præcepto sive humano, sive divino: cujusmodi sunt auditio Missæ in die festo, & jejunium in Quadragesima; nam cum tale opus sit satisfactorium, & possit virtute clavium elevari, & perficere Sacramentum; nil obstat, quin possit pro pœnitentia imponi, non solum valide, sed etiam ex justa caussa licite, ut ob debilitatem, vel occupationem pœnitentis juxta prudens arbitrium Confessarii, ut bene advertit Aversa *q.13. sect.3.* immo poterit hoc expedire, ut saltem aliqua pars pœnitentiæ imponatur de operibus alias debitis, quando Confessio requirit majorem pœnitentiam, seu pœnitentis conditio plus non patitur, ut cum multis docet Diana *p.3. tr.4. resol.84. & p. 4. tr. 4. resol.241.* Ita etiam tenent Suarez, Coninch, Navar. Vasquez, Valentia, Vivaldus, Sanchez, Sylvester, quos affert, & sequitur Bonacina *q.5. sect.3. punct.2. nu.* 11. Lugus *disp. 25. n.67.* Candidus *disquis.24. art.31. dub.9.* Palaus *pu. 21. §.3.* Aversa *q.13. sect.3.* Ant. a Spiritu S. *disp.21. n.1617.* & aliis pluribus citatis, Leander *disp.9. q.43.*

45. Congruentius tamen est, & cessante caussa, etiam ex obligatione, debet Confessarius opera aliqua libera pro pœnitentia injungere, quia sic congruit æquitati hujus judicii, & quia illa magis coercent, ac retrahunt hominem a peccato; unde peccaret mortaliter, seu venialiter Confessarius pro qualitate rei, si absque ulla omnino caussa imponeret solum opera alias præcepta, ut bene notat Aversa *q.13. sect.3.* Quod si non se explicat Confessarius, nec significat se injungere opera alias præcepta, debet semper intelligi de operibus liberis, alio titulo indebitis, & non præceptis, nisi forte aliud colligatur ex circumstantiis; v.g. si imponat Jejunium, aut Missam audiendam, intelligitur sine dubio de Jejunio libero, & Missa, quæ non sit ex præcepto. Si vero imponat, ut duas Missas audiat in die festo, satisfaciet pœnitens præcepto Ecclesiæ, & Confessoris, duas tantum Missas audiendo. Similiter si imponat, ut per mensem singulis diebus Missam audiat, seu jejunet; ut per annum singulis mensibus confiteatur, & communicet, non tenetur pœnitens occurrente mense, aut die præcepti, duas Missas audire, aut duas & Confessiones, & Communiones facere, ut advertit Diana *p. 5. tr. 14. resol. 31. & 61.* & cum aliis pluribus Leander *q.45.* Si pœnitentia fuit de eroganda certa eleemosyna, satisfaciet obligationi naturali, & Sacramentali, dando illam pauperi extreme indigenti, quia cum sit casus raro contingens, non videtur, Confessarium eum voluisse excludere. Diana *p.3. tr.4. resol.* 84. Candidus *disquis. 24. art.31. dub.* 12. & cum aliis Leander *q.46.* Non tamen satisfaciet dando eleemosynam Patri, vel Matri, vel Fratribus indigentibus, quibus tenetur sucurrere jure naturali, quia illa proprie non est eleemosyna, sed solutio debiti legalis, ad quam potest per Judicem compelli casu, quo sit dives. Ita Suarez, Sanchez, Amicus, quos sequitur Diana *supra, & p.9. tr.4. resol.54.* Bonacina *q.5. sect. 3. n.* 12. Contrarium tenet cum Soto, & Henriquez Leander *q.47.* sic benigne interpretando mentem Confessarii, ne nimis gravetur pœnitens duplicis eleemosynæ largitione.

46. Tertio licet convenientius sit, ut imponatur opera externa, quæ sunt magis pœnalia, magisque accommodata humanæ conditioni, & observantiæ; possunt tamen imponi actus iterat contritionis, invocationis Divini nominis, aut pia aliqua meditatio maxime Novissimorum, quia vere sunt actus meritorii, & satisfactorii, & potest aliquando esse expediens, ut imponantur: sic infirmo graviter ægrotanti invocatio interna Nominis Jesu, ut efficiat actum amoris, seu contritionis. Nec obstat, satisfactionem esse partem Sacramenti, quæ debet esse sensibilis; & præceptum humanum, quale est illud Confessarii, debere esse de actu externo, quia pars quælibet Sacramenti non debet necessario esse sensibilis per se, sed sufficit, quod subjiciatur alteri sensibili, ut diximus de contritione, & dolore, qui fit sensibilis per Confessionem, ita satisfactio fit sufficienter sensibilis per ipsam impositionem Sacerdotis, & acceptationem pœnitentis. Verum Sacerdos, cum acceperit a Christo potestatem ligandi, poterit etiam præcipere in hoc foro actus internos, sicut potest absolvere ab actibus, & peccatis internis. Ita tenent Suarez, Filliuc. Reginaldus, Bonacina, Facundez, & alii communiter, quos sequitur Leander *q.* 27. Diana *p.4. tr.4. resol.* 241. *in fine*. Candidus *art.*31. *dub.* 8. Palaus *punct.* 21. §. 3. *n.* 2.

47. Poterit etiam Confessarius injungere Confessionem, & Communionem faciendam pluries in anno, aut in mense, prout magis judicaverit expedire, & patet ex praxi, & usu Confessariorum, quia frequens Confessio, & Communio est remedium valde opportunum, & utile pro salute Animæ ad præcavenda peccata, nec excedit potestatem Confessarii sic obligare pœnitentem: tum quia frequens Confessio, & Communio est opus bonum meritorium, & satisfactorium, & sic apta materia, ut injungi possit pro penitentia. Ita Vasquez, Facundez, Lugus, quos sequitur Leander *q.* 28. *&* 37. Non tamen potest Confessarius imponere pœnitenti, ut eadem peccata iterum confiteatur absque ipsius voluntate, & consensu, ut cum aliis docet Leander *qu.* 29. poterit tamen ipsum obligare, ut si iterum cadat, statim, hoc est intra unum, aut duos dies, confiteatur. Leander ibidem *q.*30.

48. Quæres 1. *An possit Confessarius pro pœnitentia imponere Officium Mortuorum, septem Psalmos, vel alias orationes recitandas pro Defunctis?* Negant aliqui, quia pœnitentia applicata pro Defunctis nequit esse satisfactoria pro peccatis penitentis. Ita Vega, Pedraza, Sancius, Philippus de Cruce, & Bordonus *t.2. consil. Regul. resol.*70. *q.*4. *n.*26. apud Leandrum *q.* 41.

49. Resp. Affirmative, quia sic habet usus Confessariorum etiam doctrina insignium, sæpe imponentium recitationem officii Defunctorum, vel celebrationem, seu auditionem tot Missarum pro Defunctis, & Catechismus Rom. *de Sacram. pœnit. in fine* commendat Sacerdotibus, ut hujusmodi orationes pro Defunctis pœnitentibus injungat. Ratio est, quia in satisfactione injuncta pœnitenti potest considerari effectus, quem habet ex opere operato virtute Sacramenti, & effectus, quem habet ex opere operantis, prout est opus bonum meritorium, & satisfactorium; quamvis enim primus effectus non possit alteri applicari, quam recipienti Sacramentum, secundus tamen est alteri applicabilis, & ita potest optime applicari animabus Purgatorii, quæ applicatio utilis valde est ipsi applicanti, qui privando se satisfactione correspondente merito operantis, & illam transfundendo in Defunctos, exercet opus Caritatis, & Misericordiæ spiritualis, quod impositum a Confessario vim habet ex opere operato ad remittendum pœnam pœnitentis sic operantis. Ita Lugus *disp.*25. *n.*62. Ant. a Spir. S. *disp.*21. *n.*1620. Diana *p.9. tr.7. resol.*57. Palaus *punct.* 22. *num.* 3. Turrianus, Hurtado, & alii, quos affert, & sequitur Leander *q.* 41.

50. Quæres 2. *An possit Confessarius injungere pœnitentiam omnino liberam faciendam arbitrio pœnitentis, dicendo v. g. recita hoc, aut illud, si volueris?* Affirmant Filliuc. Facundez, Suarez, Villalobos, quos affert, & sequitur Diana *p.* 3. *tr.*4. *resol.*83.

51. Resp. negative, quia Confessarius cum sit judex debet obligare Reum ad penam subeundam; secus, quantum est ex parte sui, relinqueret Sacramentum imperfectum sine sua parte integrali, ut bene advertit Granados *de pœnit. tr.*12. *disp.*4. *n.*4. sequuntur Vasquez, Coninch, Turrianus, Lugus, & Bonac. *q.*5. *sect.*3. *pu.* 2. *n.*63. imposita tamen aliqua, saltem levi, pœnitentia sub præcepto, poterit novam addere sub consilio, prout docent Candidus, Victoria, Henr. Coninch, & Leander *q.* 21. Poterit etiam relinquere arbitrio penitentis, ut hanc, vel illam satisfactionem exequatur, ut oret, vel eleemosynam largiatur, prout magis voluerit. Ita cum S. Thom. Paludano, Suarez, & Reginaldo, Bonac. *sup. n.*7. Poterit etiam pœnitentiam imponere sub conditione: si iterum tale peccatum commiseris, toties jejunabis, aut recitabis Rosarium, qui modus pœnitentiam imponendi valde utilis est ad coercendam pravam consuetudinem, & facilitatem peccandi: debet tamen simul aliquam pœnitentiam absolute faciendam imponere, ne forte Sacramentum omni satisfactione, & hac integrali parte privetur, ut bene notat Aversa *q.*13. *sect.*4. Poterit etiam cum opere aliquo determinato injungere aliud indeterminatum, puta: impono tibi pro pœnitentia tale jejunium, aut orationem, & simul quidquid boni feceris, & mali patienter sustinueris hodie, hac hebdomada, vel mense, ut cum Facundez docet Diana *p.*3 *tr.*4. *resol.*83. & cum aliis pluribus Leander *q.*25. necnon Aversa *q.*13. *sect.*7. ubi notat, semper aliquam obligationem in particulari esse imponendam.

52. Quæres 3. *An possit Pœnitens recitare Rosarium, & alias preces pro penitentia sibi injuncta tempore, quo audit Missam ex præcepto.*

Resp. probabiliter affirmative, quia revera facit opus injunctum, & alias non incompatibile cum auditione Missæ ita sentiunt omnes, qui admittunt, Clericum adimplere suum debitum, recitando Horas Canonicas, dum audit Missam in die festo, quia utrobique est par ratio, nisi Confessarius præcepisset oppositum. Ita Navar. Cajet. Henriq. Suarez, & alii, quos sequitur Leander *q.*54. Hic obiter adverte, orationes, & preces injunctas pro penitentia esse recitandas ea norma, & stylo, idest cum tali integritate, attentione, & reverentia, sicut obligant præcepta Ecclesiastica ad similes preces, ut ad Horas Canonicas, & Missam audiendam; ex quo fit, posse penitentiam adimpleri recitando Psalmos, aut Rosarium alternatim simul cum Socio, ut bene notant Aversa *sect.* 13. *sect.*3. & Leander *q.*69. *&* 70.

53. Quæres 4. *An licite possit Confessarius pro pœnitentia privare pœnitentem Sacra Communione, quando hoc sibi videtur expediens?* Quidam asserunt hoc excedere jurisdictionem Confessarii, ac proinde non posse imponere pœnitentiam de non sumenda Eucharistia tali, vel tali die, & pœnitentem non teneri illam acceptare, nec adimplere: verum oppositum practicatur a Viris doctis, non solum cum personis spiritualibus in experimentum humilitatis, & obedientiæ, sed etiam cum aliis multis titulo pœnitentiæ, cui Sententiæ favet Diana *p.*3. *tr.*4. *resol.* 115. & *p.*10. *tr.*13. *resol.*47. §. *sed ego*, cum Card. de Lugo *de pœnit. disp.*25. *sect.*5. *n.*65. ita etiam Leander *n.*65. *disp.*9. *q.*38. dicens, hanc esse communem praxim fidelium, qui omnes unanimiter hanc practice Sententiam sequuntur, & ingenue amplectuntur, quia præceptum latum de non recipienda Eucharistia est punitivum, & pœnale, & justum, si detur cum hac intentione sub pœnitentia, ac proinde potest a Confessario injungi pœnitenti, & iste tenetur illi parere, & abstinere a sumenda Eucharistia.

D U B I U M VII.

An teneatur Penitens impositam pœnitentiam acceptare, eamque sub mortali adimplere?

54. PRima Sententia negat, pœnitentem teneri injunctam pœnitentiam acceptare, quia non tenetur satisfacere in hac vita pro pœna debita peccatis remissis, adeoque posse absolvi, si sit paratus satisfacere in Purgatorio, vel etiam in hac vita per Indulgentiam, & alia bona opera. Ita Scotus Gabriel, Medina, Sylvester, Villalobos, & alii apud Dianam *p.*2. *tr.*15. *resol.* 52. & *p.* 3. *tr.* 4. *resol.*51. Navar. *in man. c.*26. *n.*20. Beja *p.*3. *resp. casuum conscient. casu* 3. & Cajet. *t.*1. *opuscul. tr.*6. *q.*1. *ad* 2. ubi addit, pœnitentem non solum non teneri satisfactionem acceptare, sed nec teneri illam exequi, si acceptavit, cum non oriatur ex præcepto Confessarii, sed ab acceptatione penitentis, non transcendit obligationem simplicis promissionis, quæ plerumque levis est, & non obligat ad mortale.

55. Res. 1. Penitens obligatur acceptare penitentiam congruam, & discretam. Ratio est, quia Christus *Jo.* 20. dedit Sacerdotibus judiciariam potestam ligandi, quæ quidem potestas extenditur ad penitentias injungendas: & Trident. *sess.*14. *cap.* 8. *&* *can.* 15. expresse damnat: *Si quis dixerit, Claves Ecclesiæ esse datas tantum ad solvendum, non etiam ad ligandum, & propterea Sacerdotes, dum imponunt penas confitentibus, agere contra finem Clavium &c.*; at si penitens non obligatur ad acceptandam penitentiam in hac vita; sed potest eam relinquere in Purgatorio, jam Sacerdos eum non ligat, nec habet potestatem ligandi, cum eodem modo penitens maneat liber sicut antea; ergo si Sacerdos habet potestatem ligandi, & præcipiendi, tenetur penitens injunctam penitentiam acceptare, cum potestati ligandi, & præcipiendi correspondeat obligatio acceptandi, & exequendi. Deinde Confessarius non solum potest, sed etiam tenetur satisfactionem imponere; ergo etiam penitens tenetur illam acceptare: secus frustranea esset talis obligatio in Confessario. Adde, quod Judex potest compellere Reum, ut pareat suæ sententiæ, & subeat penam justam; ergo etiam Sacerdos, qui est Judex in foro Penitentiæ, debet posse obligare penitentem ad penam subeundam. Et ita tenent communiter Doctores, D. Thomas, Ricardus, Major, Durandus, Nugnus, Sylvius, Diana, Gonet, Suarez, Vasquez, Lugus, Arriaga, Coninch, & alii, quos affert, & sequitur Madernus *q.*5. *art.*2. Bonacina *q.*5. §. 3. *punct.* 4. Ant. a Spir. S. *disp.*21. *num.*1621.

56. Ad rationem oppositam facile respondetur, peccatorem, per se loquendo, non teneri satisfacere in hac vita pro pena temporali debita peccatis remissis quoad culpam, sed posse illam relinquere pro Purgatorio; supposita tamen institutione, & receptione Sacramenti, tenetur injunctam penitentiam acceptare, & exequi in hac vita, quia cum subdatur huic judicio, debet parere sententiæ in eo

latæ:

latæ: utrum vero possit satisfacere per lucrationem indulgentiæ, & per alia opera bona, postea dicam. Nec dicas, judicium hoc esse liberum, & voluntarium pœnitenti; quare sicut Confessarius non potest absolvere nolentem absolvi, ita non potest obligare ad pœnitentiam nolentem acceptare, & obligari. Contra enim resp. judicium hoc non esse ita liberum, & voluntarium peccatori, ut possit ad nullum accedere Sacerdotem, sed, supposita culpa mortali, est necessarium, ut accedat ad aliquem, solumque liberum est illi accedere ad istum, vel illum; & posito, quod ad aliquem accedat, tenetur ea institutione hujus Sacramenti acceptare, & exequi pœnitentiam injunctam. Similiter Confessarius non potest absolvere nolentem absolvi, nolentem confiteri, & sic etiam nolentem obligari ad pœnitentiam; illum autem, qui vult confiteri, & absolvi, potest, ac debet obligare.

57. Hæc obligatio acceptandi pœnitentiam injunctam est per se gravis, adeo ut non possit pœnitens absolvi, qui nullam vult pœnitentiam acceptare, quia materia est per se gravis pertinens ad divinam justitiam, & in hoc non potest Sacerdos se conformare Sententiæ oppositæ, & secundum illam sententiam absolvere pœnitentem renuentem pœnitentiam acceptare, juxta regulam tradi solitam, quod possit, & debeat Confessarius absolvere pœnitentem, conformando se ejus opinioni probabili, etiam contra propriam: hoc, inquam, non est admittendum, quia illa sententia non est reputanda probabilis, & tollerabilis in praxi, ut expresse docent Aversa *q.13. sect.5.* Palaus *punct.* 21. §. 4. *n.* 5. Nugnus *in addit. ad 3. part. q.* 13. *art.* 2. *diffic.* 2. *& q.* 15. *art.*1. Franc. a Jesu M. *c.*10. *pun.*4. *n.* 58. Unde potius poterit, ac debebit Confessarius hujusmodi pœnitentem repellere, & non absolvere, nisi pœnitentiam acceptet, & adimplere proponat. Bene tamen advertunt Homobon. *de exam. part.*1. *tr.*5. *c.*15. *q.* 93. Palaus *supra n.* 5. & alii apud Dianam *p.*2. *tr.*1. *resol.* 52. absolvendum esse pœnitentem, qui pœnitentiam delictis commensuratam renuit acceptare, paratus tamen acceptare, & exequi leviorem, quia, posita illa dispositione pœnitentis, debet Sacerdos ea levi pœnitentia esse contentus, quæ in illis circumstantiis est rationabilis, & justa.

58. Resp. 2. Pœnitens sub peccato mortali tenetur implere pœnitentiam legitime impositam, & acceptatam. Ratio est, quia obligatio non solum acceptandi, sed etiam exequendi pœnitentiam injunctam, nascitur a potestate, quam habet Sacerdos ligandi, ac solvendi pœnitentem; at Sacerdos potest ligare pœnitentiis injunctis pœnitentem; ergo iste remanet ligatus, & obligatus sub mortali, si materia sit gravis tum ad acceptandam, tum ad exequendam pœnitentiam, adeo ut potens, & non adimplens, peccet de novo mortaliter. Et ita tenent Doctores communiter supra citati, Palaus n.3. Bonacina *n.*4. Leander *q.*59. Candidus *disquis.* 24. *art.* 30. *dub.*6. Madernus *num.* 8. Suarez, Vasquez, Lugus, & alii.

59. Dixi, *si materia sit gravis*, quia sicut in aliis præceptis parvitas materiæ excusat a mortali, ita pari ratione excusatur a mortali pœnitens, si non adimpleat levem pœnitentiam; v. g. tres, aut quatuor Orationes Dominicas, aut Psalmum *Miserere*, sive hæc sit pars, sive tota pœnitentia injuncta. Et quidem non esse peccatum mortale prætermittere partem aliquam levem pœnitentiæ totalis, omnes admittunt; non sic tamen de tota pœnitentia, quamvis in se levis, quando fuit imposita pro peccatis mortalibus, tunc primo confessis: siquidem Leander *q.*61. & Joan. Sancius *in Select. disp.* 15. *nu.* 14. sustinent, esse peccatum mortale illam non adimplere, quia licet pœnitentia levis, secundum se materialiter considerata, sit levis materia, tamen ut est pars integralis Sacramenti, necessario requisita, ut Sacramentum sit integrum, & perfectum, est materia gravissima; & sicut qui nollet acceptare talem pœnitentiam, non esset absolvendus; ita qui postea non adimpleret, peccat mortaliter: & sicut, qui post sumptam guttam aquæ communicaret, aut qui rem spiritualem venderet minimo pretio, peccaret graviter; ita etiam peccaret graviter, qui non adimpleret pœnitentiam levem injunctam pro peccatis mortalibus alias non confessis.

60. Existimo tamen, non esse peccatum grave omittere totam pœnitentiam, quando est levis, quia talis omissio non irrogat gravem irreverentiam Sacramento, cujus est pars tantum integralis, quia Sacramentum non remanet mutilum, & mancum in re gravi, sed in parte levi: nec esset deneganda absolutio nolenti acceptare pœnitentiam levem, quando alioquin est dispositus, & non meretur gravem, quam utique deberet Sacerdos imponere, si illam mereretur, & posset adimplere. Nec valet paritas de Communione, & venditione rei sacræ, quia præceptum de non communicando post fractum jejunium, & de non vendenda re sacra, consistit in indivisibili, & per se est gravissimum. Ita Bonacina *n.* 4. & apud ipsum Coninchus, Reginaldus, Navarrus, Rodriquez: ita etiam Candidus *loco cit. dub.* 6. Diana *part.*3. *tr.*4. *resol.* 102. *&* 136. Lugus *disp.* 25. *nu.* 50. dicens, esse sententiam omnium Doctorum.

61. *An vero sit peccatum mortale omittere pœnitentiam gravem impositam pro peccatis venialibus, aut pro mortalibus alias rite confessis.?* Alii affirmant, alii negant, prout diversimode considerant materiam esse gravem, aut levem. Aliqui enim desumentes gravitatem, aut levitatem materiæ, non tam ex entitate, quam ex caussa, ob quam imposita est, dicunt, pœnitentiam impositam pro solis venialibus, aut mortalibus jam confessis, non esse gravem, nec obligare sub mortali, quia ad hoc ut materia sit gravis, & inducat gravem obligationem, debet esse necessaria, non libera, hoc est debet illa pœnitentia injuncta cadere super materiam necessariam Confessionis; at pœnitentia, quæ imponitur pro venialibus, aut mortalibus alias rite confessis, non cadit super materiam necessariam, sed liberam; ergo non potest obligare graviter, & sub mortali. Sic Sotus, Paludanus, Ledesma, Layman, Suarez, quos citat, & sequitur Madernus *n.* 9. Aversa *q.* 13. *sect.* 6. Diana *p.* 3. *tr.*4. *resol.* 102. *&* 136. Alii e contra probabilius dicunt, esse gravem obligationem adimplendi hujusmodi pœnitentiam, quia gravitas, & levitas hujusmodi obligationis, sicut & reliquarum, non ex caussa motiva, sed ex materia præcepta desumi debet. Ita Henriquez, Coninch, & Facundez, quos affert, & sequitur Palaus *pun.*21. §.4. *n.*11. Lugus *disp.* 25. *n.* 74. Bonacina *q.*5. *sect.* 3. *p.*4. *n.*4. & aliis citatis, Leander *q.*60. Ant. a Spiritu S. *sect.* 3. *n.* 1923.

DUBIUM VIII.

Quando, & quomodo sit implenda pœnitentia?

62. Circa tempus pœnitentiæ adimplendæ videndum est, an illud fuerit a Confessario determinatum, vel non; si enim non fuit determinatum, impleri debet cum primum commode possit, sicut in re simili de operibus implendis ex voto dici solet, & quia illa videtur rationabilis voluntas Confessarii, ut pœnitens quamprimum satisfaciat pro pœnis debitis, ut retrahatur a peccatis futuris: quare si dilatio fuerit nimia, & valde notabilis, erit peccatum mortale; si brevis, erit veniale, ut advertunt Bonacina *n.* 6. Palaus *n.*12. Reginaldus, Suarez, Coninch, Sayrus apud Bonacinam. Quæ autem sit culpabilis, & nimia dilatio, non potest certo definiri, sed relinquitur definiendum prudentis arbitrio, pro varietate rerum, personarum, & occasionum. Videtur nimis lata illa dilatio, quam admittunt Diana *p.*2. *tr.*15. *resol.*53. *in fine*, *p.*5. *tr.*5. *resol.*15. *& p.* 10. *tr.* 12. *resol.* 52. *q.* 84. & alii apud ipsos, dicentes, pœnitentem posse sine peccato pœnitentiam differre per annum, quia, inquiunt, nullus obligatur præcepto Confessionis statim ac peccat, sed potest differre Confessionem per annum; ergo similiter poterit per annum pœnitentiam a Confessario impositam differre: hoc tamen non bene infertur, quia pœnitentia non solum in vindictam præcedentium peccatorum, sed etiam ad præservandum a peccatis in futurum imponitur, qui finis non obtineretur, si nimium differatur executio pœnitentiæ. Et ita Aversa *q.*13. *sect.*6. Candidus *disquis.*24. *art.*30. *dub.*9. Franc. a Jesu M. *c.* 10. *punct.* 5. & apud ipsum Dicastillus, Tamburinus, & alii.

63. Si vero tempus fuit a Confessario determinatum, imponendo, videlicet, septem Psalmos, seu horarias Preces recitandas die Veneris proxima, vel Jejunium, aut Communionem faciendam tali die in memoriam Passionis, aut in honorem Sancti occurrentis, teneris sine dubio tali tempore pœnitentiam exequi, eamque prætermittendo sine caussa, peccas graviter, aut leviter, pro majori dilatione, & gravitate, seu levitate rei impositæ, quia facis contra obligationem in re gravi; ut patet a simili de obligatione restituendi, vel adimplendi votum. Nec proinde eximeris ab obligatione, sed teneris alia die satisfacere, quia tempus non fuit designatum ad finiendam, seu extinguendam obligationem, sed ad sollicitandam, & non differendam absque justa caussa, ut communiter dicitur de præcepto Ecclesiastico Confessionis annuæ: & præceptum cadit directe circa substantiam operis, in tempus vero, tamquam in circumstantiam accidentalem, ut advertunt Navarrus *in Sum. c.*12. *n.* 54. & Lugus *disp.* 25. *n.*88. Candidus *disq.* 24. *art.* 30. *dub.*8.

64. Nec obstat, quod Jejunium, vel Psalmorum recitatio fuit imposita tali die ob memoriam Passionis, aut in honorem B. Virginis, seu alterius Sancti illa die occurrentis, quia iste non est finis ultimatus, sed finis medius relatus ad finem satisfaciendi pro peccatis, qui finis non cessat, etiamsi cesset finis intermedius, ac proinde non cessat præceptum: fieri tamen potest aliquando, ut pœnitentia tempori alligetur, ut eo transacto, cesset obligatio, quod contingit, quoties pœnitentia est diuturna, & certis temporibus distribuitur; ut si imponatur jejunium servandum in Vigiliis omnium Festivitatum B. Virginis, aut Jejunium, seu Communio singulis diebus Sabbati, vel singulis mensibus; tunc enim si una hebdomada, seu mense Jejunium, seu Communionem omittas, non teneris obligationem compensare, quia intentio Confessarii eam pœnitentiam imponentis videtur esse, ut simul cum tempore cesset obligatio, ne pœnitens nimium gravaretur, si illa persisteret simul cum subsequentibus, prout docent Palaus *supra n.* 14. Cajetanus, Navarrus, Reginaldus, Suarez, & alii, quos affert, & sequitur Bonacina *sect.* 3. *punct.* 4. *n.* 5.

65. Quæres: *an qui pro pœnitentia teneatur singulis mensibus per annum confiteri, possit absque peccato Confession*

nem anticipare, seu differre per aliquos dies ultra mensem? Negat Lugus *n.* 91. quia si differat Confessionem ad principium alterius mensis, non erit necesse iterum confiteri illo mense, atque ita duobus mensibus semel tantum confiteretur, quod est contra mentem Confessarii.

66. Resp. posse pœnitentem absque ullo peccato Confessionem anticipare, seu differre per tres, aut quatuor dies, quia talis videtur esse mens Confessarii, ut non sit reus culpæ mortalis per modicam illam dilationem, modo bis confiteatur mense sequenti; nempe semel in principio pro mense præcedenti, & iterum circa medium, aut finem pro ipso mense sequenti, quod est æquivalenter, & moraliter confiteri singulis mensibus; non enim terminus a Confessario præfixus est mathematice, sed moraliter computandus. Addunt, Confessionem posse sine peccato anticipari, seu differri etiam per sex, & octo dies, si occurat aliqua magna sollemnitas, aut Jubilæum, ne bis intra octo dies cogatur pœnitens confiteri. Aversa *sect.6.* Palaus *n.*12. Sancius *disp.* 13.*n.*9. Diana *p.*3.*tr.*4.*resol.* 100. Leander *q.* 31. & 32.

67. Quæres 2. *An, & quomodo obligetur pœnitens ad circumstantias pœnitentiæ a Confessario injunctæ; v.g. ut recitet Coronam flexis genibus, vel coram tali Imagine: an nimirum satisfaciat illam recitando sedendo?* Negant Diana *p.*3.*tr.*4.*resol.*55. & Sanchez *lib.*4. *Sum.c.*14. a.26. quia aliter recitando non præstat opus injunctum, & sic non satisfacit. Affirmat Leander *q.* 67. pœnitentem satisfacere, non servatis talibus circumstantiis, quia magis attendi debet ad substantiam, quam ad circumstantias accidentales.

68. Resp. cum distinctione, quando pœnitentia injuncta est gravis, & circumstantia levis, tunc obligatio quoad circumstantiam est levis: secus autem, si etiam circumstantia sit gravis, quia tunc transit in substantiam operis, cum non minus sit pœnalis, quam ipsum opus. Sic qui tenetur Coronam recitare coram tali Imagine, satisfacit alibi recitando, quia est mutatio tantum accidentalis, & levis: at qui tenetur illam recitare flexis genibus, non satisfacit, si recitet sedendo, quia deficit pars substantialis. Ita Lugus *disp.* 25. a.90. & Ant. a Spiritu S. *disp.*21. *sect.*3. *n.*1626. Quod si pœnitens non possit exequi circumstantiam a Confessario injunctam, v.g. recitare Rosarium flexis genibus, jejunare tali die, non proinde liberatur a pœnitentia injuncta, sed debet illam exequi eo modo, quo potest, recitare sedendo, seu stando, & jejunare alia die, ut notavimus supra.

DUBIUM IX.

Quisnam possit injunctam pœnitentiam mutare?

69. DUbitatur primo de ipso pœnitente: *an possit auctoritate propria impositam sibi pœnitentiam mutare in aliam æqualem, vel etiam meliorem?* affirmant Diana *p.* 3. *tr.*4. *resol.* 53. & *p.*5. *tr.*14. *resol.*73. Leander *disp.*9. *q.* 102. Villalobos, & alii, qui moventur exemplo voti, quod potest propria auctoritate vuventis in opus evidenter melius commutari, & ex præsumpta mente Confessarii, qui si fuisset rogatus a pœnitente, utique concessisset.

70. Verum communis, & vera Sententia negat, posse pœnitentem auctoritate propria commutare sibi pœnitentiam in opus evidenter melius. Ratio est, quia commutatio pœnitentiæ est actio Sacramentalis, & actus jurisdictionis competentis soli Confessario, qui ex potestate Clavium sibi commissa ligat, & adstringit pœnitentem ad opus determinatum, nec liberam optionem ipsi relinquit in æquale, vel in melius commutandi: tum quia subditus non potest commutare, & convertere opus sibi injunctum in aliud quantumcumque melius; ut recitationem Officii in celebrationem Missæ, auditionem Missæ in Communionem, Jejunium, vel aliud simile opus, in largitionem magnæ eleemosynæ, vel etiam in ædificationem Templi; secus posset quilibet Jejunia Quadragesimæ in alia opera sibi commutare. Nec valet paritas de voto; quod sicut fuit propria voluntate emissum, ita etiam commutari potest in melius; commutatio autem pœnitentiæ est actio Sacramentalis, & actus jurisdictionis, quam pœnitens circa se ipsum exercere non potest. Nec in hoc licet interpretari mentem Superioris, qui, etiamsi ab initio permisisset mutationem, dum tamen certum opus imposuit, jam huic indidit vim Sacramentalem, & vinculum obligationis, quod non potest pœnitens in aliud transferre. Et ita tenent Sanchez, Reginaldus, Coninch, Henriquez, Sancius, Turrianus, Aversa, Arriaga, quos citat, & sequitur Madernus *qu.*5. *art.* 3. Palaus *supra n.*10. Lugus *disp.*25. *nu.*96. Bonac. *q.* 5. *sect.* 3. *punct.* 4. n.12. Ant. a Spir. S. *sect.*4. *n.*1629. & probabiliorem putat etiam Diana *supra*.

71. Dubitatur 2. de Confessario, *an possit injunctam pœnitentiam commutare, qui potest esse idem, qui illam primo imposuit, vel diversus?* Sotus, Vasquez, Nugnus, Ledesma, Angelus, Victoria, & alii apud Madernum *q.*5. *de pœnit. art.*3. negant, hanc mutationem posse fieri ab alio Sacerdote, etiamsi de novo audiat, & absolvat eadem peccata, quia par in parem non habet imperium, nec potest unus Judex mutare sententiam alterius, nisi sit superior, qui per viam appellationis, vel recursus adeatur, quod non habet locum in hoc Sacramentali judicio, & quia pœnitentia est pars integralis primi Sacramenti, quod remaneret mutilum, & imperfectum, si illa non adimpleatur.

72. Communis tamen, & vera Sententia docet, quemlibet Confessarium, etiam inferiorem, posse ex justa caussa commutare in toto, vel in parte, atque dispensando minuere pœnitentiam a priori Confessario impositam. Ratio est, quia quilibet Confessarius, etiam inferior in dignitate, habet æqualem potestatem ad ligandum, ac solvendum, quam primus habebat; sed primus potest pœnitentiam a se datam mutare, & minuere, ut docent communiter Doctores; ergo idem poterit secundus Confessarius. Nec proinde secundus Confessarius exercet imperium in primum, sed in conscientiam pœnitentis, qui illi subdit se ipsum, totumque suum statum, & conscientiam; nec fit injuria priori Confessario, quia hoc non concernit bonum, auctoritatem, seu utilitatem Judicis pœnitentiam imponentis, sed spirituale bonum, & utilitatem pœnitentis, qui cum possit cui maluerit Confessario iterum se subjicere, non per modum appellationis, & recursus, sed per modum repetitionis, cum sit Sacramentum iterabile in favorem pœnitentis, ita poterit ab eodem absolvi, & commutationem pœnitentiæ obtinere. Nec primum Sacramentum remanet mutilum, & imperfectum, quia duplex poterit a secundo Confessario pœnitentia imponi, una in commutationem præcedentis, altera pro præsenti Confessione, & si una tantum imponatur, poterit valere pro prima, & secunda Confessione. Hanc tenet Bossius *de Jubilæo sect.* 1. *casu* 19. *n.*4. & *seq.* ubi *n.*6. infert, non solum posse secundum Confessarium mutare, & mitigare pœnitentiam priorem, sed etiam interdum omnino auferre, & levissimam, aut nullam imponere, si ita videat expedire, ut sic pœnitens accedat melius dispositus, vel cum lucro Indulgentiæ. Hanc Sententiam tenet etiam Madernus *supra*, Palaus *pun.*21. §.*ult.* Bonacina *sect.*3.*punct.* 3. Lugus *disp.* 25. a.101. Candidus *art.*32.*n.*9. Hurtadus, Facundez, Layman, Beja, Diana, Suarez, & alii communiter, quos affert, & sequitur Leander *disp.* 9. *qu.*97.

73. *An vero possit Confessarius inferior, qui non habet potestatem absolvendi a reservatis, mutare, vel minuere pœnitentiam injunctam pro reservatis?* Variant Doctores. Prima Sententia negat, & ratio est, quia ad eamdem potestatem spectat mutare pœnitentiam, ad quam spectat illam imponere; sed pro peccatis reservatis non potest inferior imponere pœnitentiam, cum ab ipsis non possit absolvere, nec de illis judicium ferre; ergo nec potest pœnitentiam commutare. Nec obstat, peccata semel confessa Superiori, non esse amplius reservata, sed posse absolvi a Confessario inferiore, ac proinde posse etiam ab eodem pœnitentiam commutari, nam licet peccata semel confessa non sint amplius reservata, sed possint ab inferiore absolvi, pœnitentia tamen injuncta remanet reservata, cum ad illam exequendam remaneat pœnitens adstrictus superioris præcepto, quod tollere, dispensare, nec mutare potest inferior, nisi urgeat necessitas, vel suadeat utilitas pœnitentis, nec sit facilis aditus ad superiorem, idque ratione Epicheiæ. Ita tenent Madernus *supra* a.10. citans Gonettum, Arriagam, & Lugum, Suarez *disp.* 38. *sect.*10. *n.*14. Navar. Coninch, Valent. Reginald. Vega, Rodriq. apud Palaum *supra n.*6.

74. Secunda Sententia probabilior, & his temporibus communis, affirmat. Ratio est, quia peccata semel rite confessa desinit esse reservata, & manent sicut cetera peccata communia; sed potest quilibet Confessarius mutare pœnitentiam impositam pro peccatis communibus non reservatis; ergo etiam pro reservatis cum nullo jure cautum sit, quod pœnitentia injuncta pro casibus reservatis sit eo ipso reservata, ut non possit mutari, & tolli nisi ab habente facultatem absolvendi a casibus reservatis; quin potius accessorium sequi debet naturam principalis, cum absolutio, quæ est principalis, non sit amplius reservata, nec etiam debet esse reservata mutatio pœnitentiæ, quæ est quid accessorium. Conf. quando Papa commutavit votum Sedi Apostolicæ reservatam in aliud non reservatum, potest Episcopus in hoc secundo non reservato dispensare, ut cum Suarez, Sanchez, & Ledesma, docet Bonacina *q.*5. *sect.* 3. *punct.* 3. *n.*6. quia illud secundum jam non est reservatum; ergo etiam Confessarius inferior poterit mutare pœnitentiam impositam a superiore pro culpis reservatis absolutis, cum jam non sint reservata.

75. Nec per hoc Confessarius inferior exercet jurisdictionem in superiorem, sed in conscientiam pœnitentis sibi subjecti, non habentis amplius casus reservatos. Nec obstat ratio in contrarium adducta; siquidem inferior non dispensat in lege superioris; non enim peccata ideo reservantur, ut pœnitens necessario sequatur judicium superioris de satisfactione injuncta, quin possit aliam adire, sed ideo reservantur, ut se sistat superioris judicio pro absolutione impetranda, ab eoque monita salutis accipiat, ut optime notat Palaus *supra n.* 7. Adde, quod superior præsumitur rationabiliter velle id, quod expedit saluti pœnitentis juxta fragilem ipsius naturam, & consequenter consentire ut pœnitentia commutetur a quolibet Confessario, quando ita expedit saluti pœnitentis. Hanc sententiam tenent Bossius *supra* a. 10. ubi citat Henriquez, Vasquez, Joan. Valeriam, Graffium, Zerulam, & alios: ita etiam Bonacina

disp. 5.

disp.5.q.5.sect.8 p.3.n.6. Candidus *art.32.dub.1.* Diana *p.2.tr.15.resol.53.* Anton. a Spiritu S. *disp.21.n.1634.* Leander *q.98.* & alii apud ipsos.

76. Requiritur tamen justa, & rationabilis caussa, ut unus possit mutare pœnitentiam ab alio impositam, cujusmodi esset necessitas, vel notabilis utilitas, seu magna difficultas pœnitentis, vel si ex fragilitate esset in periculo male exequendi, vel si esset oblita; quia si ad dispensandum in legibus humanis requiritur justa caussa, multo magis illa requiritur ad commutationem penitentiæ, quæ non solum ex præcepto Confessoris est exequenda, sed etiam est pars integralis Sacramenti a Christo instituti, ut cum Navar. Graffio, Henriq. Zerula, Beja, Suarez, Layman, docent Bonac. *loc. cit.* & Bossius *supra n. 14. & 24.* ubi advertit, majorem requiri caussam ad illam minuendam, quam ad eam commutandam in aliam prorsus æqualem, seu majorem; ad hoc enim sufficit absque alia caussa, quod pœnitens id desideret, promptiorque sit, ac animosior ad hanc novam implendam; sicut communiter dici solet de voto, cujus commutatio in æquale non requirit tantam caussam, quantam requirit relaxatio, seu dispensatio. Non sufficit tamen ad eam mutandam, & multo minus ad minuendam, vel relaxandam sola pigritia, seu negligentia penitentis.

77. Limitant aliqui DD. facultatem commutandi pœnitentiam, ut non procedat de penitentia præservativa, & medicinali imposita non tam in vindictam præcedentium delictorum, quam in præservationem, ut penitens retrahatur, & præservetur a futuris. Ita Beja *p.3.casu 1.* Zerula, Suarez, Reginaldus apud Bonacinam *supra pu.3.n.5.* Verum existimo, posse Confessarium ex justa, & rationabili caussa commutare pœnitentiam etiam medicinalem, & præservativam in aliam medicinalem, illamque suspendere, & dispensare, quando non foret absolute necessaria ad præcavendum peccatum. Ratio est, quia cum Sacramentum penitentiæ sit institutum in bonum penitentis, potest Confessarius id, quod bono, & spirituali saluti penitentis, magis expedire judicaverit. Bonac. *loc. cit.* Diana *p.3.tr.4.resol.137.* Lugus *disp.25.infra.* Leander *q.105.* Bossius *loc. cit. de Jubilæo sect.1. casu 19.n.38.* ubi addit, posse id facere Confessarium etiam extra Sacramentum, & Confessionem, quia talis penitentia non est proprie pars Sacramenti.

78 Quæres 1. *an commutatio penitentiæ sit necessario facienda in ipsa Sacramentali Confessione, vel possit fieri extra?*

Resp. faciendam esse in ipsa Sacramentali Confessione. Ratio est, quia mutatio penitentiæ est actus judicialis proveniens a Judice habente clavium jurisdictionem; sed Confessarius non est Judex, nisi in foro Sacramentali intra Confessionem, intra quam, sicut potest pœnitentiam imponere, & facere Sacramentum integrum quantum est ex se, ita potest eamdem mutare, si opus fuerit, tum quia extra Confessionem non potest imponi pœnitentia, quæ sit Sacramentalis, & quæ ex opere operato remittat pœnas peccatis debitas; ergo neque potest relaxari, seu commutari. Excipiunt communiter DD. quando penitens recurrit ad eumdem Confessarium, qui primo imposuit intra tres, aut quatuor dies a Confessione facta, seu intra hebdomadam, quia tunc ob breve intervallum censetur moraliter durare idem judicium: quare sicut Judex potest in continenti interpretari, seu moderari Sententiam suam, ut ait Henriq. *l.5. sum.c.21. §. finali in fine*, quia ea, quæ fiunt in continenti inesse censentur. *L. Legem c. de pactis*, & cap. *Præterea de testibus cogendis*; ita poterit Confessarius post breve intervallum moderari, seu mutare penitentiam a se impositam. Ita tenent Bossius *loco supra cit.* ubi refert Sotum, Henriq. Bejam, Suarez, Facundez, Layman, Pilliugium, & Valerium; ita etiam Bonacina *supra n.7.* Diana *p.2.tr.15.resol.53.p.9.tr.9.resol.54.& p.10.tr.12. resol.43.* Lugus *disp.25. num.110.* Palaus *p.21. §.ult.nu.9.* & alii communiter.

79. Major difficultas est: *an sit repetenda Confessio eorumdem peccatorum, pro quibus fuit pœnitentia imposita?* Et quidem si mutatio facienda est ab eodem Confessario, qui illam primo imposuit intra tres, aut quatuor dies, seu intra hebdomadam, dum adhuc recordatur status pœnitentis, non erit necessario repetenda Confessio, quia censetur moraliter idem judicium, & sic satis erit explicare caussam petendi mutationem; si autem mutatio facienda sit a Confessario diverso, vel ab eodem post longum intervallum, quando amplius non recordatur status penitentis.

Prima sententia docet, iterandam esse confessionem eorumdem peccatorum, pro quibus fuit pœnitentia imposita. Ratio est, quia mutatio penitentiæ est actus jurisdictionis, quam non potest Confessarius exercere judicando, & sententiam proferendo, caussa incognita, maxime quia pœnitentia debet imponi servata æqualitate, & proportione cum gravitate, & multitudine peccatorum, quod fieri non potest, nisi præhabita illorum cognitione, saltem confusa: tum quia Confessarius non alia ratione potest penitentiam mutare, nisi quatenus potest eamdem caussam judicare; sed non potest caussam judicare, nisi eadem peccata præcognoscat; ergo non potest penitentiam mutare, nisi peccata in foro Sacramentali præcognoscat. Ita Palaus *supra n.13.* referens Suarium, Coninchum, Layman, & Bonacinam *sect.3.p.3.n.8.* Ita etiam Vasquez, Reginaldus, Facundez, Molfesius, quos affert, & sequitur Lugus *disp.25.n.107.* Candid. *disquis.24.art.32.dub.4.* Aversa *q.13.sect.8.* obi advertit, non esse necessariam tam exactam repetitionem eorumdem peccatorum ad obtinendam commutationem pœnitentiæ, quam fuerat ab initio ad obtinendam absolutionem, quia jam satisfactum est integritati Confessionis; & sic sufficit alteri Confessario præbere talem notitiam, qua prudenter dirigi possit in permutanda pœnitentia.

80. Secunda Sententia tenet, non esse necessario repetendam Confessionem præcedentium delictorum, pro quibus fuit imposita penitentia, sed sufficere explicare priorem penitentiam, & caussam petendi mutationem. Ratio est, quia in hac mutatione non agitur de peccato tollendo per absolutionem, quæ jam fuit legitime data, & peccatum deletum, nec de justitia, qua imposita est, sed de infirmitate, difficultate, vel minori opportunitate, ac interdum impossibilitate penitentis ad illam implendam, adeoque sufficit talem caussam explicare, sine nova peccatorum manifestatione: siquidem poterit Confessarius in secunda Confessione de tota simul caussa penitentis juxta præsentem dispositionem judicare, tollendo, aut minuendo obligationem, quam habet, prout magis expedire noverit penitenti, idque sufficere non solum ad mutandum in æqualem, sed etiam in minorem, juxta præsentem penitentis dispositionem, docent Bossius *supra n.23.* ubi citat Navar. Zerulam, Bejam, Henriq. Victoriam, Medinam, Bonacinam, & alios Leander *q.100.* & pluribus citatis, Diana *p.2.tr.15.resol.53.* ubi dicit, Auctores primæ Sententiæ illam in cathedra, vel in cella docuisse, sed in Confessionario contrariam Sententiam practicasse; nam onus nimis magnum esset pro Confessariis, & pœnitentibus in commutatione alicujus penitentiæ præteritas iterare Confessiones. Quare hæc Sententia non solum est probabilis, sed in praxi secura, & sequenda, prout etiam probabilem judicat Lugus *disp.25. n.109.*

81. Quæres 2. *an, legitime facta commutatione penitentiæ, liberum sit pœnitenti eligere, quam voluerit, primam, aut secundam?*

Resp. Affirmative, quia commutatio penitentiæ fit in favorem penitentis, qui bene potest cedere juri, & favori suo. Sic Suarez, Reginaldus, Lessius, Sanchez, quos sequitur Bonacina *sect.3. p.3. n.13.* Leander *q.103.* & alii communiter.

DUBIUM X.

De caussis excusantibus ab executione pœnitentiæ.

82. VAriæ assignantur caussæ excusantes ab executione penitentiæ. Primo enim excusatur penitens, si penitentia imposita sit excessiva, immoderata, & indiscreta, attenta gravitate peccatorum, & dispositione penitentis, quia fuit imposita, clave errante, & continet, ut ajunt, errorem intolerabilem: hoc autem judicare poterit, absque nova Confessione Sacramentali eorumdem peccatorum, quilibet vir Doctus a penitente consultus, & sufficienter informatus, qui, cognito errore, poterit relaxare penitentiam, declarando Confessarium errasse in illius impositione; quod idem poterit facere penitens, si judicio, & doctrina polleat, ut cum Soto, Reginaldo, & Layman docet Bossius *loc. supra cit. n.17.* & in isto casu si constat, clavem errasse, & penitentiam fuisse injuste impositam, penitens manet liber ab obligatione, ut nulla opus sit commutatione. Raro tamen, & non sine manifesta ratione hoc judicandum est, ut bene advertit Palaus *punct.21.nu.15.* & in re ambigua, & obscura tutius est penitentiam alieno consilio regi, ut etiam docet Aversa *q.13.sect.8.*

83. Secundo excusatur impossibilitate, quando nimirum penitentia successu temporis, & ob circumstantias occurrentes facta est physice, aut moraliter impossibilis, in quo casu poterit penitens propria auctoritate penitentiam sibi relaxare declarando, se non obligari ad illam, quia cessat obligatio, si actus sit impossibilis, aut incouveniens, nec tenetur loco illius aliud bonum opus præstare, cum non alia, sed ea determinata actio, puta, jejunium, aut eleemosyna fuerit a Confessario imposita. Ita Bossius *n.18.* Quod si penitentia solum ex parte facta sit impossibilis, & illa sit divisibilis, tenetur penitens partem possibilem adimplere: ut si injunctum sibi erat, ut daret decem pro eleemosyna, ut jejunaret per hebdomadam, & non possit dare nisi quinque, nec jejunare nisi bis, tenetur hanc partem adimplere; si vero illa esset indivisibilis, puta semel audire Sacrum, & non possit totum, tu visere Domum Lauretanam, ad nihil tenetur, si non possit pergere nisi uno, aut duobus diebus. Ita Aversa *q.13. sect.6.* & cum aliis Leander *q.64.*

84. Tertio excusatur præcepto Superioris vetantis opera injuncta; ut si Religioso, Mulieri uxoratæ, vel Servo aliqua jejunia, peregrinationes, Ecclesiarum visitationes essent injunctæ, & a Marito, Domino, vel Prælato impediantur, excusantur pro eo tempore, quo ea præcepto Superioris impediuntur; ita tamen, quod, eo cessante, succedat penitentiæ obligatio, quæ præcepto Superioris suspensa quidem erat, sed non extincta. Ita Palaus *supra n.17.* & Aversa *part.13. sect.6.*

85. Quæres 1. *An excusetur ab executione penitentiæ, qui*

qui sive culpabiliter, sive absque alla culpa, oblitus est quid sibi impositum sit? Conveniunt omnes, debere illam adire eumdem Confessarium, si commode potest, ab eoque quærere, quid sibi fuerit impositum, quando potest præsumere, illum adhuc esse memorem pœnitentiæ injunctæ, maxime si illa fuit gravis. Ratio est, quia sciens, legem esse latam, tenetur inquirere de illa, & removere impedientia executionem præcepti, si commode potest; adeoque tenetur interrogare Confessarium de lege pœnitentiæ sibi impositæ, & removere ignorantiam impedientem illius executionem, & hac ratione satisfacere præcepto Confessarii, & integritati Sacramenti. Ita Cajetanus, Sotus, Medina, Navarrus, Coninch, Bonacina, quos affert, & sequitur Palaus *cit. punct.* 21. *n.*18. Bossius *n.*25. Diana *p.*4. *tr.*4. *resol.* 241. Candidus *disq.* 24. *art.* 32. *dub.* 5.

86. Quod si Confessarius pœnitentiæ injunctæ non recordetur, vel si ad alium recurras, quando primus non potest haberi, repetendam esse Confessionem eorumdem delictorum, saltem præcipuorum, ad commutationem penitentiæ obtinendam, & ad integritati Sacramenti satisfaciendum, docent Bonac. *q.*5. *sect.*3. *p.*3. *n.*9. & apud illam D. Antonin. Sylvester, & alii. Communis tamen, & vera Sententia tenet, non esse necessario repetendam Confessionem, etiamsi ea negligentia culpabili quis fuerit injunctæ penitentiæ oblitus, aut voluntarie illam omiserit, sed remanere liberum ab obligatione penitentiæ. Ratio est, quia nullus tenetur iterum confiteri peccata semel rite confessa, & valide per absolutionem deleta, sed tantummodo tenetur penitentiam exequi, quæ si facta sit impossibilis, cessat obligare; sed quando datur totalis oblivio redditur impossibilis; ergo cessat obligare, & sic pœnitens remanet liber ab illius obligatione. Conf. quia non tenetur penitens Confessionem repetere ad obtinendam absolutionem peccatorum, quæ per aliud Sacramentum fuerunt remissa: neque ob remissionem pœnæ, quæ aliis modis, puta bonis operibus, & Indulgentiis tolli potest etiam in hac vita: neque ut satisfaciat præcepto Confessarii, quia per oblivionem factus est impotens, nec aliud opus ejus loco tenetur substituere, quia humana præcepta ad hoc non obligant, ut patet in voto, & jejunio, quod non tenetur in aliud opus commutare, si non potest adimplere: neque demum ut satisfaciat Integritati prioris Sacramenti, quia per oblivionem factus est impotens, & pœnitentia, quæ de novo imponeretur, non esset pars prioris, sed secundi Sacramenti. Quare si oblivio fuit voluntaria, vel ob culpabilem negligentiam, solum tenetur de tali peccato negligentiæ se accusare, non vero Confessionem repetere. Ita Bossius *n.*24. Aversa *q.*13. *sect.*6. Diana *supra resol.*241. Candidus *loco supra cit.* Palaus *n.*19. Lugus *disp.*15. *n.*87. Suarez, Vasquez, & alii, quos affert, & sequitur Leander *disp.*9. *q.*930.

87. Addit Palaus n. 20. in casu oblivionis non teneri penitentem, etiam ex consilio Sacerdotis, ea opera subrogare, quæ plerumque a Confessario sibi solent imponi pro penitentia similium peccatorum, quia si ea opera sunt diversa ab injunctis, non possunt esse pars Sacramenti, ac proinde nequeunt subrogari loco pœnitentiæ Sacramentalis; consultum tamen erit, si opera similia exerceat, vel si in sequenti Confessione aliam similem sibi petat imponi, ut docet Layman *tr.*6. *c.*15. *n.*17.

88. Quæres 2. *An pœnitentia a Confessario imposita possit adimplere per alium?*

Resp. negative, quia est obligatio personalis, quæ per ipsum pœnitentem est adimplenda; namque præceptum Confessarii obligat ipsum pœnitentem, ut per se perficiat tale opus, quod virtute clavium assumitur ad conferendum penitenti effectum remissionis pœnæ; ergo non potest alium sibi substituere, qui loco ipsius penitentiam adimpleat; & contrarium fuit damnatum ab Alexandro VII. in illa propositione, quæ est in ordine 15. *Pœnitens propria auctoritate substituere sibi alium potest, qui loco ipsius pœnitentiam adimpleat*, idque intelligitur de pœnitentia existente in actione personali, non vero de illa, quæ consistit in operibus, quæ per alium tamquam merum instrumentum fieri possunt, qualis est largitio eleemosynæ, quæ per alium fieri potest cum eadem bonitate: quare qui ex præcepto Confessarii tenetur eleemosynam facere, præstare id potest per alterum, non vero qui tenetur jejunare, orationes recitare, servire infirmo, aut Ecclesiam visitare, quia sunt opera personalia exequenda per ipsum penitentem, qui nec tenetur supplere per alium, si forte non possit per se ipsum, sed liber manet ab obligatione, quæ cessat ratione impossibilitatis, ut supra dictum est; & ita tenent DD. communiter, Cajet. Sotus, Suarez, Coninchius, Vasquez, & alii, quos affert, & sequitur Bonacina *q.*5. *sect.*3. *p.*4. *n.*11.

89. Quod si Confessarius pœnitentiam imponat cum declaratione, & licentia, ut possit per alium adimpleri, non erit contra prohibitionem Alexandri VII. per alium adimplere, ut patet ex ipsa proposit. damnata, dum dicit: *Pœnitens propria auctoritate, &c.* & hoc modo ex licentia Confessarii posse per alium adimpleri docet, multis citatis, Leander *q.*90. Sed restat difficultas, an in eo casu pœnitentia de consensu Confessarii per alium facta, id est jejunium, peregrinatio, visitatio Ecclesiæ procurata a penitente, ut ab alio exequatur, sufficiat non solum ad satisfaciendum præcepto Confessarii, sed etiam ad satisfaciendum ex opere operato pro penitente, pro quo exhibetur eadem ratione, ac si ab ipso fieret, quod licet nonnulli affirment, tamen

90. Resp. negative, quia penitentia tunc solum prodest ex opere operato, quando est pars Sacramenti; sed non est pars Sacramenti, nisi quatenus *a* penitente exhibetur, ut colligitur ex Concil. Trident. *sess.*14. *c.*3. dicente, materiam hujus Sacramenti esse tres actus pœnitentis; cum autem opus præstitum ab alio non sit actus penitentis, non potest esse materia Sacramenti, & per consequens non potest prodesse *ex* opere operato virtute clavium ad satisfaciendum. Potest quidem opus procuratum a penitente, & ab alio adimpletam, prodesse penitenti per modum operis operantis, non vero per modum operis operati, de quo solum est præsens difficultas. Quod si a Confessario imponatur penitenti, ut curet pro se celebrari tot Missas, istæ valebunt ad satisfactionem, & remissionem pœnæ, etiam ex opere operato; non quidem operato ab ipso Sacramento penitentiæ, & a virtute clavium, sed operato specialiter ab ipso Sacrificio, & virtute intrinseca ipsius oblationis, perinde ac si solum ex devotione curaret sibi illas Missas celebrari: & ita tenent Aversa *q.*13. *sect.*4. & aliis pluribus citatis, Bonacina *supra punct.*4. *n.*14.

91. Quæres 3. *An possit pœnitentia Sacramentalis per alia bona opera satisfactoria, & per lucrationem Indulgentiæ plenariæ compensari, & hac ratione eximi pœnitentem ab obligatione illam exequendi?* Affirmant satis communiter DD. quia qui consequitur Indulgentiam plenariam, consequitur etiam remissionem cujuscumque penæ debitæ peccatis, hoc enim sonat Indulgentia plenaria; ergo qui illam consequitur, non amplius tenetur exequi penitentiam a Confessario injunctam, quæ hoc præcipue titulo erat exequenda, ut deleretur pena relicta ex peccatis dimissis per absolutionem, ea ratione, qua condonata per Principem pena debita Reo, cessat omnis obligatio illi imposita a Judice. Ita Bonac. *sect.*3. *punct.*4. *n.*7. Diana *p.*3. *tr.*4. *resol.*106. & *p.*8. *tr.*1. *resol.*80. Leander *q.*82. Paulus *cit. punct.*21. *n.*21. addens, ad hanc excusationem non esse necessariam claram, & evidentem notitiam, se Indulgentiam esse consecutum, sed sufficere, si id possit probabiliter conjectari.

92. Hoc idem dicendum asserunt de aliis bonis operibus satisfactoriis, quia est prorsus eadem ratio de illis, ac de Indulgentiis, cum per talia opera possimus consequi remissionem totius penæ debitæ peccatis, & quæ sibi remittenda fuisset per satisfactionem injunctam, ut habetur ex Trid. *sess.*14. *c.*9. dicente: *Tantam esse divinæ munificentiæ largitatem, ut non solum pœnis sponte a nobis pro vindicando peccato susceptis, aut Sacerdotis arbitrio pro mensura delicti impositis, sed etiam, quod maximum amoris argumentum est, temporalibus flagellis a Deo inflictis, & a nobis patienter toleratis, satisfacere valeamus.* Et certe, si, seclusa institutione hujus Sacramenti, poterat homo satisfacere pro pena peccatis debita, hoc idem poterit post institutionem hujus Sacramenti, cum opera bona sponte facta non sint minus satisfactoria, quam prius: & ita tenent Bonacina, Palaus, & Leander *loco supra cit.*

93. Advertunt tamen regulariter vigere obligationem adimplendi penitentiam injunctam, quia vix cuiquam constare potest, se fuisse Indulgentiam plenariam consecutum, aut ad plenum satisfecisse pro tota pena, non enim constat quanta pena sit cuilibet peccato designata, & quanta satisfactio bonis operibus correspondeat, ut inde possit probabiliter inferre, plenam remissionem obtentam esse. Advertunt etiam, manere semper obligationem adimplendi penitentiam medicinalem, & præservativam, quæ injuncta est ad præcavenda in futurum alia peccata, quæ quidem licet sint probabilia,

94. Resp. tamen distinguendo effectum satisfactionis, scilicet remissionem penæ temporalis, ex peccato absoluto relictæ, & obligationem adimplendi talem satisfactionem injunctam, & dico, posse penitentem per lucrationem Indulgentiæ plenariæ, & per alia bona opera satisfactoria consequi remissionem penæ temporalis relictæ post absolutionem, ut probant rationes supra adductæ, non tamen liberari ab obligatione exequendi satisfactionem Sacramentalem. Ratio est, quia executio penitentiæ pertinet ad integritatem hujus Sacramenti, estque de jure divino, & sic, licet possit homo aliis quoque remediis satisfacere pro suis peccatis confessis, adhuc tamen tenetur satisfactionem adimplere, ut faciat Sacramentum integrum. Deinde quia penitentia non solum est in vindictam præcedentium delictorum, sed etiam valde utilis ad præcavenda peccata futura, ut docet Trid. c.8. dicens: *Magnopere a peccato revocant, & quasi fræno quodam coercent hæ satisfactoriæ pœnæ, cautioresque, & vigilantiores in futurum pœnitentes efficiunt;* & hac de caussa Palaus *n.*21. citans Suarium, Reginaldum, & Bonac. ait, raro, vel numquam ob Indulgentiarum consecutionem a penitentiis injunctis excusari penitentem, quia ut plurimum omnes penitentiæ a Confessario designatæ, non tam in satisfactionem peccatorum præteritorum, quam in futurorum medelam designantur, & ut penitens bonis operibus assuefiat.

95. Conf. quia si penitens per lucrationem Indulgentiæ plenariæ, & per alia bona opera satisfactoria excusatur ab obliga-

obligatione exequendi penitentiam injunctam, poterat etiam excusari antea, dum habebat animum aliis remediis satisfaciendis; poterat etiam excusari Confessarius ab imponenda pœnitentia dicenti, se paratum esse aliis remediis satisfacere, quæ tamen non admittuntur, & rejecta fuere supra *dub.4.n.28.* & patet ex praxi, tum Confessariorum imponentium, tum penitentium acceptantium, & exequentium penitentias, etiamsi sint Jubilæum, & Indulgentiam plenariam lucraturi; & supponit Summus Pontifex, qui, concedendo hujusmodi Indulgentiam, præscribit aliqua pia opera præstanda, & advertit Confessarios, ut congruas, & salutares penitentias confitentibus imponant; ergo Pontifex nec ex se intendit tollere per Indulgentiam obligationem penitentiæ Sacramentalis imponendæ, & adimplendæ, & supponit, ex natura rei non tolli. Opera igitur satisfactoria, & Indulgentiæ plenariæ valent pro satisfactione Sacramentali, quantum ad effectum, non quantum ad tollendam obligationem. Et ita tenent cum D.Thoma, Alensis, Paludanus, Valentia, & alii, quos sequitur Averla *q.13.sect. 9.* & probabiliter etiam Diana *q.3. tr.4. resol.* 106.

„ *Plura adhuc in hoc capite dicenda superesse videntur, quæ ad Sacramentalem satisfactionem vel imponendam, vel exequendam attinent. Ea uttamen non omittenda censui, quæ a Sapientissimo nostro prælaudato Pontifice, ut necessaria aliquo modo pertractata fuerunt; illud in primis, quod circa quantitatem pœnitentiæ a Confessariis imponendæ versatur, de qua etsi multa a Giribaldo nostro dicta jam extant in Dub.V. hujusce capitis; plura tamen adhuc a SS. D. N. Benedict. XIV. ad eruditionem præsertim, hic inserta videri possunt. Necnon omittendum aliquid ipsemet Pontifex judicavit circa qualitatem penitentiæ imponendæ; & quamvis Giribaldus, cum de penitentiis in particulari agit in Dubio VI. hujus pariter capitis, illud reticeat, quod spectat ad abusum Confessariorum imponentium quandoquidem pro peccatorum satisfactione celebrationem Missarum; pauca tamen, sed optima, & suis perillustrata auctoritatibus, etiam circa hoc prælibare voluit: quæ omnia, ne quid studioso Lectori desiderandum in hoc Opere supersit, hic ad litteram adjiciendo sic curavi.*

„ *Et primum circa quantitatem hæc habentur in Synod. Diœces. l.7. c.62.* Tanta diligentia Majores nostri disquirebant, quæ unicuique peccato esset imponenda penitentia, ut si enorme aliquod audiretur perpetratum crimen, quod, vel ratione sui, vel ratione adjectæ circumstantiæ, quamdam peculiarem, & graviorem redoleret nequitiam, & turpitudinem, simul statim convenirent Episcopi ad deliberandum, quo penitentiæ genere esset illud expiandum; reque mature discussa, ac tandem deliberata, singuli parœciis suis, quod communi consensu statutum fuerat, significabant. Hujus vetustissimæ Ecclesiæ praxis locupletissimus testis est S. Cyprianus multis in Epistolis, præcipue *Epist.*14. 18.53. & 62. eamque pluribus monumentis comprobat doctissimus Morinus *de Pœnit. lib.4. c.17. & lib.6. c.24. & 15.* Tanti præterea momenti negotium æstimabatur, ut peccatores dignam, suoque reatui æquam subirent penitentiam, ut interdum etiam Romani Pontifices, ea de re exquireretur sententia; & quandoque ad eumdem ipse reus remitteretur dijudicandus, qua, & quanta penitentia a Deo, atque ab Ecclesia reconciliationem consequi mereretur. Theodobertus Francorum Rex Vigilium Papam interrogavit, qua pœnitentia plectendus esset, qui fratris sui uxorem duxerat; cui interrogationi Vigilius satisfecit Epistola ad Cæsarium Arelatensem Episcopum, quam habemus *tom. 1. Concil. Galliæ pag.*246. In Concilio Levomicensi anni 1301. (*collect. Hard. tom.6. part.1. col.* 891.) decretum est: *Si Episcopus Parochianum suum cum testibus, vel litteris Apostolicis ad penitentiam accipiendam direxerit, ut multoties pro gravissimis fieri solet reatibus, in quibus Episcopi ad dignam bastant penitentiam imponendam, hic talis licenter a Papa remedium sumere potest.* Ibidemque circa finem, factum narratur cujusdam militis Vasconis, qui, jubente Vasconum Duce Sancio, seniorem suum occiderat, sed postea penitentia ductus Episcopum adiit, a quo hoc accepit responsum: *Nescio tibi consilium ferre penitentiæ, sed vade quantocius ad Papam Romanum. Si tibi ille penitentiam concedit, & ego gaudeo, & confirmo: si te ille abjecerit, nec a me, nec ab aliquo invenies penitentiam.*

„ Quam autem aut Episcopi, aut Pontifices Maximi certo crimini semel imponendam statuerant, penitentia in codicem referebatur, qui *Liber Penitentialis* est nuncupatus, ut deinceps regula esset, ad quam inferiores Sacerdotes se conformarent: & ne quisquam ab ea recederet, Episcopus in sua Synodo, atque in Diœcesis visitatione, id potissimum investigabat, an quilibet Presbyter librum haberet Penitentialem suæ Diœcesis proprium, & an secundum quod ibi præscriptum erat, pro modo culpæ, penitentiam injungeret. Discimus id ex Burchardo, apud quem *lib.1. post c. 94.* inter ea, quæ Episcopi in Diœcesanis Synodis quærere debent, hoc *interrogat.* 58. continetur: *Est aliquis, qui modum penitentiæ sibi injunctum non custodierit?* atque ex Reginone, suam Canonum collectionem a modo exordiente visitandi Ecclesias, ubi *c.* 98. hæc singulis Presbyteris ab Episcopo, aut Archidiacono facienda proponitur interrogatio: *Si habeat Pœnitentiale Romanum, vel a Theodoro Episcopo, vel a Ven. Presbytero Beda editum, ut secundum quod ibi scriptum est, interroget confitentes, ut Confesso modum pœnitentiæ imponat.*

„ Multi ex hisce libris Penitentialibus ab Episcopis exaratis perierunt; atque utinam ille extaret, quem accuratissime conscripserat Cyprianus, ut ipsemet *Epist.* 52. *ad Antonianum* testatur; inde enim exactissimæ priscorum Patrum, in puniendis peccatis, diligentiæ luculentum haberemus testimonium; sed licet plures ex illis desiderentur, plures tamen, sapientissimo Dei consilio, ad nos pervenerunt, ut ea illis discamus, quinam fuerit in Ecclesia Catholica veræ penitentiæ spiritus. Antonius Augustinus ad suam Juris Canonici epitomam antiquum attexuit Penitentiale Romanum, in novem titulos distributum, in quibus varia recensentur criminum genera, atque ea Conciliis, Summorum Pontificum Epistolis, ac Patrum Sententiis, penitentiæ describuntur pro singulis imponendæ; & fortasse hic liber ille idem est, quem Nicolaus I. se misisse scribit ad Bulgaros, in responsione ad eorum quæsita *cap.*75. *Judicium pœnitentiæ, quod postulatis, Episcopi nostri, quos in patriam vestram misimus, in scriptis secum utique deferent; aut certe Episcopus, qui in vobis ordinabitur, hoc, cum oportuerit, exhibebit* (*tom. 5. collect. Hard. col.* 378.) Post Gratiani Decretum, in editione Romana habentur Canones Penitentiales desumpti ex Summa Astensi, eosdemque Canones a mendis purgatos, qui Librariorum incuria in eos irrepserant, laudatus Antonius Augustinus adjecit libris Penitentialibus, Romano, Bedæ, & Rabani, opportunis, & eruditis notis ale exornatis. Alios antiquos libros Penitentiales in lucem protulit Morinus *in append. ad tract. de Pœnit.* Alios evulgavit Martene *tom. 2. de antiquis Ecclesiæ ritibus.* Liber de remedio peccatorum Ven. Bedæ, & Capitulare Theodulphi Archiepiscopi Aurelianensis, publici juris, fecit Baluzius *tom. 7. miscellanеor. pag.* 21. Muratorius binos Penitentiales ex Italicis deprompsit Bibliothecis, alterum scilicet ex codice ms. Capituli Canonicorum Veronensium, alterum ex codicibus mss. Monasterii Bobiensis, atque ambos edidit *tom. 5. Antiquit. Ital. med. ævi, dissert.* 68. S. Carolus Borromæus non solum vulgatos Canones Penitentiales, sed innumeros alios, ex antiquis Conciliis, aliisque libris Penitentialibus in unum collegit, per decem distribuit Decalogi præcepta, eorumque lectionem summopere Sacerdotibus commendavit. Eamdem vero S. Caroli collectionem, ad Sacerdotum Penitentiæ Sacramentum administrantium instructionem, denuo typis Romanis imprimi jussit Gaspar Card. Carpineus, tempore Pontificatus Innoc. XII. cujus erat in Urbe Vicarius.

„ Jam vero si Episcopus in sua Synodo antiquos Canones Penitentiales renovaret, suisque Constitutionibus annecteret, animo inducendi Confessarios ad penitentias imponendas, quæ pro unoquoque crimine sunt in illis præscriptæ, non solum rigidissimæ Ethicæ sectatorem se ostenderet, sed rem plane impossibilem attentaret. Etenim hac nostra lutulenta ætate, qua Fideles a pristino morum nitore, & sanctitate defecerunt, tot interdum gravissimis sceleribus onerati, ad Sacramentale forum quidam accedunt, ut si iisdem, secundum antiquos Canones Penitentiales, foret injungenda penitentia, hæc ad tot annos esset protrahenda, qui integrum eorumdem vitæ cursum non exæquarent modo, sed excederent, quod *in citat. dissertation.* bene ponderavit Muratorius.

„ At si Episcopus suis Synodalibus Constitutionibus Canones inserat Pœnitentiales, vel eorumdem studium, & cognitionem Sacerdotibus suadeat, aut etiam præcipiat, non ut illos, jam a multis sæculis obsoletos, ad usum revocet, sed dumtaxat, ut eorumdem notitia Confessariis prodesse queat, ad aliqualem proportionem servandam inter diversas peccatorum species, & pœnitentiam, pro singulis imponendam. Ac præterea, ut iidem Confessarii inde argumentum desumant ad aperiendum penitentibus admissorum scelerum gravitatem, quæ tam longa, tam aspera, tamque formidanda vindicta, etiam in hac vita, ab Ecclesia coercebantur; si, inquam, hoc tantum consilio, id ab Episcopo fiat, statim Constitutiones Synodales inclamare, turbas ciere, Clerum, & populum adversum eas concitare, quod aliquando factum scimus, res plane intollerabilis est, atque a nullo cordato viro ferenda. Enimvero quam reprehensionem meretur Episcopus, qui plurium & sanctitate, & doctrina præstantium Præsulum vestigia premit? Quid a S. Carolo hac in re gestum fuerit, jam audivimus; quid alii fecerint Antistites, mox subnectemus.

„ In famigeratis Constitutionibus Matthæi Giberti Episcopi Veronensis, Ecclesiasticæ disciplinæ, ante Tridentinam Synodum, Instauratoris solertissimi, *c.18. tit.6.* statuitur: *Confessarii Canones Pœnitentiales quasi quasdam re-*

„ gulas

gulas ediscant..... *& sciant illos postea sapienter, & discrete moderari, secundum peccati circumstantias, & contritionis qualitatem*. Joan. Franc. Bonhomius Vercellarum Episc. qui floruit post Trident. in suis generalibus Decretis Ecclesiasticæ reformationis *pag.* 213. loquens de Confessario ait: *Canonesque item Pœnitentiales memoria teneat, ut singulis criminibus congruam satisfactionem injungere valeat, simulque ipsis Pœnitentibus, ut promptius, ac libentius, quod jussi erunt, ipsi præstent, diligenter exponat, quam benigne hodie Ecclesia Sancta gravissimas antiquorum Canonum pœnas in mitiores commutandas esse censuerit*. Hoc ipsum a Catechis. Rom. ad tit. *de Pœnit.* hisce verbis insinuatur: *Ut Pœnitentes suorum scelerum gravitatem magis agnoscant, operæ pretium erit eis interdum significare, quæ pœnæ quibusdam delictis, ex veterum Canonum præscripto, qui Pœnitentiales vocantur, constitutæ sint*. In Concilio Provinc. Florent. habito an. 1518. atque a Leone X. confirmato, *pag.* 120. *& seq.* integri referuntur antiqui Canones Pœnitentiales, quibus hæc præfiguntur verba: *Hi sunt Pœnitentiales Canones, quos hic in fine subnectendos duximus ad sublevandam simplicium Clericorum imperitiam, ut, cum viderint, certam a jure pœnitentiam imponi, ipsi melius arbitrium suum informare possint; quomodo, attentis Confessione, fletu, lacrymis, & dolore, dispositione, & facultate Confitentium, pœnitentias salubriter moderari possint; nam qualitas temporum nostrorum, in quibus non solum merita, sed & corpora defecerunt, non patitur rigorem antiquorum Canonum permanere, sed necesse est illum a discreto Sacerdotis judicio temperari*. In Synod. Amerina habita an. 1595. ab Episc. Ant. Maria Gratiano *cap.* 145. legitur: *Pœnitentialium Canonum jure impositas singulis sceleribus pœnas, pœnitentiasque nosse Confessoribus perutile fuerit, cum ut ex iis ipsi melius, certiusque statuere valeant, quæ cuique peccato definienda pœnitentia sit, tum ut Pœnitentes ipsi a Confessoribus de prisci moris severitate edocti, quanto nunc benignius cum illis sancta Mater Ecclesia agat, intelligentes, hanc saltem ei gratiam referant, ut a peccatorum consuetudine ob id diligentius abstineant*. In Synodo Pragensi celebrata an. 1605. & jussu Card. Episc. de Harrac recusa an. 1650. *tit. de Pœnit.* dicitur; *Confessarii Canones Pœnitentiales memoriæ mandent, ut singulis criminibus congruam satisfactionem injungant*. In Syn. Osnabrugensi an. 1628. c. 17. habetur: *Requiritur in Sacerdote scientia Canonum Pœnitentialium*. Similes Episcoporum Italicæ Synodales Constitutiones recensentur a Genetto *to.* 4. *Theol. mor. tr.* 6. *c.* 7. videlicet Cosmæ de Torres Episc. Perusini, Card. Jacobi Sabelli Archiepisc. Beneventani, Card. Jo: Bapt. Leonii Episc. Ferrarensis, Ven. Servi Dei Card. Paulii de Aresio Episc. Placentini, Card. Bonifacii Cajetani Archiepisc. Tarentini, Card. Cybo, Sac. Collegii Decani, Episc. Valiterni, Card. Jacobi Boncompagni Archiep. Bonon. Decessoris nostri.

„ Quæ autem hucusque dicta sunt de Pœnitentialium Canonum utilitate, pluribus argumentis confirmat Card. de Aguire *ad Can.* 11. *&* 12. Conc. Tolet. III. *to.* 2. *collect. maxim. Concilior. Hispan.* eaque nituntur etiam auctoritate Divi Thomæ, qui *quodlib.* 3. *q.* 13. *art.* 1. docet, quidem non esse nunc pœnitentiam præscribendam ad exactam normam antiquorum Canonum, sed simul expedire ait, ut Confessarius pœnitenti significet, quanta pœnitentia pro singulis ab ipso perpetratis flagitiis expiandis esset olim ab Ecclesia definita: *Videtur satis conveniens, quod Sacerdos non oneret pœnitentem gravi pondere satisfactionis, quia sicut parvus ignis a multis lignis superpositis de facile extinguitur; ita posset contingere, quod parvus affectus contritionis in pœnitente nuper excitatus, propter grave onus satisfactionis extingueretur, peccatore totaliter desperante. Unde melius est, quod Sacerdos pœnitenti indicet, quanta pœnitentia esset sibi pro peccatis injungenda, & injungat sibi nihilominus aliquid, quod pœnitens tollerabiliter ferat, ex cujus impletione assuefiat, ut majora impleat, quæ etiam Sacerdos sibi injungere non attentasset; & hæc, quæ præter injunctionem facit, accipiunt majorem vim expiationis culpæ præteritæ, ex illa generali injunctione, qua Sacerdos dicit: Quidquid boni feceris, sit tibi in remissionem peccatorum.*

„ *Quoad vero qualitatem, quid maxime sit cavendum, videri potest in Notif. posita sub n.* 4. *to.* 5. *hisce verbis*: Perpauca de Confessariis verba faciamus, qui a Fidelibus, quos ad Pœnitentiæ Sacramentum excipiunt, stipendia sibi comparant pro Missis; quibus in eadem Ecclesia, ubi Confessiones audiunt, sive in alia deinde satisfaciunt. Non ignoramus licere Confessariis Missas aliquas celebrandas Laicis indicere pro criminum expiatione. Id enim inter opera satisfactoria merito censetur, eo quod crimina sua confitentes aliquam pecuniæ summam impendunt, & tamquam Sacrificii coperatores, peculiari quodam modo participes fiunt ejus fructus, qui *satisfactorius* appellatur. Attamen non ignoramus quæ S. Carolus Borromæus *in Instruct. ad Confess. part.* 4. *Act. Eccles. Mediol.* admonuit, & Confessariis præcepit: *Non modo petat, sed nec velle se habere significet pecuniam, aliamve rem pro suscepti in Confessione laboris munere, immo verbis, vel potius factis ab his omnibus abhorrere demonstret. Cum pro pœnitentia Missas injunxerit; sibi, aut Ecclesiæ suæ, aut Monasterio dicendas non addicat. Quod idem servabitur in restitutionibus incertis, aut votorum commutatione, aliisque hujusmodi. Nec ipse pecuniæ, aliusve rei restituendæ provinciam assumat, nisi necessitas ad id eum adegerit, ne scilicet pœnitens dignoscatur: tumque epocham recipiat ab eo, cui restitutionem contulerit, quam postea pœnitenti tradit: ita denique se gerat, ut nec nimiam avaritiæ labis suspicionem contrahat*. Cum hæc ita se habeant .....

Qui peccata confitentibus Missas celebrandas irrogent, *sub pœna suspensionis ab audiendis Confessionibus ipso facto* præcipimus, ne stipendia sibi, vel Ecclesiis suis tribuenda capiant pro Missis, quibus ipsi, vel alii Sacerdotes in iisdem Ecclesiis satisfaciant. „

CAPUT XIII.

De Ministro Sacramenti Pœnitentiæ.

DUBIUM I.

An solus Sacerdos sit Minister in hoc Sacramento?

SOlus Sacerdos potest esse Minister hujus Sacramenti; sic enim definitum est in pluribus Conciliis; & novissime in Trident. *sess.* 14. *c.* 6. *& can.* 10. Ratio est, quia illi soli possunt absolvere, & esse Ministri hujus Sacramenti, quibus potestas clavium, seu remittendi peccata concessa est; at solis Apostolis, ceterisque Sacerdotibus eorum successoribus data est potestas remittendi peccata, quibus dictum fuit Jo. 20. *accipite Spiritum Sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis retenta sunt*; quibus verbis Dominus clare significavit, sicut Ecclesia semper intellexit, potestatem remittendi peccata, non omnibus concessam esse, sed iis tantum, qui per specialem ordinationem, & Spiritus Sancti gratiam, ad id deputarentur, quales sunt soli Sacerdotes, in quorum proinde Ordinatione eadem illa verba dicuntur; sicut etiam per illa alia verba: *Hoc facite in meam commemorationem*, solis Apostolis, & Sacerdotibus eorum successoribus eorum data est potestas consecrandi Eucharistiam, ut utriusque hujus Sacramenti idem esset Minister habens potestatem super Corpus Christi verum in Eucharistia, & Mysticum in Ecclesia ad remittenda peccata; & cum hoc sit de jure divino institutum a Christo, non potest Ecclesia dispensare, ut aliquis non Sacerdos absolvat a peccatis, sicut dispensare non potest ut aliquis non Sacerdos Eucharistiam consecret, cum utraque hæc potestas solis Sacerdotibus sit concessa. Et quia Ordinatio Sacerdotis apud Latinos constat duplici distincta parte, si forte in Ordinatione alicujus Sacerdotis ob defectum materiæ, formæ, aut quemcumque alium, non fuisset valida illa pars, in qua ei tribuitur potestas consecrandi: consequenter nec esset valida altera pars in qua tribuitur potestas absolvendi, aut si sola prima pars absque posteriori perageretur, nec talis Sacerdos haberet potestatem absolvendi, ut bene inferunt Lugus *disp.* 18. *sect.* 1. & Franc. a Jesu M. *c.* 11. *punct.* 1.

2. Nec obstant illa verba Jacobi *cap.* 5. *confitemini alterutrum peccata vestra*, ex quibus aliqui deduxerunt posse, aut etiam teneri fideles habentes conscientiam peccati mortalis, casu necessitatis, puta in articulo mortis deficiente Sacerdote, confiteri Laico, ut significavit Magister *in* 4. *d.* 17. *c.* 3. non obstant inquam, quia illa verba non intelliguntur de Confessione Sacramentali, sed de Confessione publica, quæ fiebat humilitatis gratia, ut explicant Coninch. *disp.* 8. *dub.* 1. *n.* 6. Sotus *in* 4. *dist.* 18. *q.* 4. *art.* 1. Reginaldus, Sayrus, Medina, Sylvester, & alii apud Vasquez *q.* 93. *art.* 1. *dub.* 1. vel de Confessione Sacramentali, facienda tamen apud idoneos Ministros, idest Sacerdotes: loquebatur enim ad totam Ecclesiam, in qua erant plures Sacerdotes, ut tenent Vasquez supra, & Aversa *q.* 16. *sect.* 1.

3. Nec etiam obstat, quod aliqui objiciunt ex cap. *Fures de furtis*, ubi præcipitur, ut fur communione non privetur, si presbytero, vel Diacono fuerit confessus; non obstat inquam, quia non intelligitur, quod fur possit Sacramentaliter a Diacono absolvi, sicut potest a Sacerdote, sed ita, ut debeat furi a Diacono ministrari Eucharistiam, si ille dederit signa pœnitentiæ, quod est aliquo modo, se peccatorem confiteri. Similiter S. Cyprianus committens absolutionem lapsorum cuidam Diacono, non loquitur de absolutione Sacramentali, sed tantum de externa quadam satisfactione, & reconciliatione, qua publici pœnitentes recipiebantur in communionem Ecclesiæ.

4. Hinc sequitur, hominem in mortis articulo constitutum, deficiente Sacerdote, non teneri Laicis, Diacono, aut inferioribus Clericis confiteri; nam cum talis Confessio non possit esse Sacramentalis, nec ullum effectum habeat ex opere operato; nemo tenetur eo modo confiteri, quia Confessio sola, quæ ordinatur ad absolutionem Sacramentalem, est præcepta, illamque improbat cum Marchino *de peste p.* 3. *c.* 11.

*p.3.c.*11.*n.7.* & Facundez *præcep.*2.*l.7.c.*31.*n.*8. Diana *p.* 5.*tr.*3.*resol.*73. dicens, esse prorsus ineptam. Verum licet plerumque non sit expediens aperire sua peccata Laico, qui per hoc non ligaretur Sacramentali sigillo, sed tantum naturali secreto; negari tamen non potest, aliquando esse utile, & forte etiam necessarium, si cum maturo consilio fiat, aperire Laico aliqua sua peccata ad majorem humilitatem, & contritionem, ad remissionem pœnæ temporalis ex opere operantis, ad recipiendam consolationem, & instructionem a Viro pio, & docto, vel etiam ad discernendum, si forte aliqua restitutionis obligatione teneatur, ut eam adimpleat, vel ut removeat scandala, si quæ dedit: & ita tenent Coninch. *disp.*8.*dub.*1. *n.*6. Hurtad. *disp.* 10. *diffic.* 1. Layman *l.*3.*tr.*6.*c.*10. Granad. Gamachæus, Turrianus, & alii, quos affert, & sequitur Leander *disp.* 11.*q.*4.

5. In casu, quo Confessio fieret Laico, non deberet iste pœnitentes absolvere dicendo: *Ego te absolvo;* nam sic absolvendo fieret irregularis, ut probant Doctores ex c. *si Quis, & C. ex litteris, extra, de cler. non ordinat.* quia textus generaliter loquuntur, & quia gravius peccat Sæcularis hujusmodi actum exercens, quam Clericus non Sacerdos: & ita tenent Avil.7.*p. disp.*9.*sect.*2.*dub.*15. Coninch. *de Censuris disp.*6.*n.*45. Suarez *sect.*4.*n.*3. Alii tamen probabiliter negant, quia talis irregularitas non est in jure expressa; nam textus prædicti solum loquuntur de Clericis, ut patet ex titulo, qui est *de Clerico non ordinato ministrante;* unde verba generalia, quæ in dictis juribus adducuntur, debent explicari, & intelligi juxta titulum, qui eis præfigitur. Ita Henriq. Lugus, Hurtad. & alii, quos affert, & sequitur Leander *q.*6. & in materia propria de irregul. Tambur. *l.*10.*tr.*4.*c.* 14.§.2. Palaus *punct.*18.*n.*50. Bonac. *disp.*7.*q.*3. *punct.*6.*n.* 1.

6. Quæres: *An possit Clericus, vel etiam Laicus, deficiente Sacerdote, absolvere moribundum ab excommunicatione?* Communis Sententia negat, quia Trid. *sess.*14.*c.*7. id solum permittit Sacerdotibus propter necessitatem absolutionis dandæ moribundo, quæ ratio non militat de Laico, aut Clerico non Sacerdote. Ita Suarez, Vasq. Coninch, Layman, Villalobos, Lugus, quos affert, & sequitur Leander *q.* 7. Verum posse Clericum habentem solum primam tonsuram, vel etiam Laicum in absentia Sacerdotis, absolvere moribundum ab excommunicatione, ut post mortem possit sepeliri in loco Sacro, & gaudere beneficio suffragiorum, docent quamplures, quos refert, & sequitur Henriq. *l.*5. *de pœnit. n.*3. Ratio est, quia Ecclesia potest de facto hanc facultatem absolvendi ab excommunicatione concedere Clerico non Sacerdoti, & etiam Laico; ergo dicendum est, illam concessisse pro mortis articulo, ea ratione, qua dicimus concessam esse simplici Sacerdoti facultatem absolvendi moribundum ab omnibus peccatis, eo quod sit capax talis facultatis. Ita etiam D. Anton.3.*p. tit.*17.*c.*4.*cas.*7. Candid. *disp.*21.*art.* 56. *concl.*6. Sylvest. Armilla, Tabiena, Sancius, Ledesma, & alii plures apud Leandrum, idque probabile reputat Diana *p.*3.*tr.*4.*resol.*113. & *p.* 5. *tr.* 3. *resol.* 77. ex quo inferunt Marchinus *de peste p.*3.*c.*12. & Sanchez *l.*2. *summæ c.*13.*n.*13. teneri Laicum, aut Clericum eam absolutionem impertiri, quia cum hæc sit opinio satis probabilis, eamque sequantur multi, & graves Doctores, tenetur etiam illam exequi, maxime quia nullum sequitur inconveniens, & alias potest beneficium magnum, & solamen ægroto impertiri. Fateor non adesse textum concedentem Laicis hanc facultatem; tamen non auderem condemnare Laicum, si in facti contingentia moribundum absolveret ab excommunicatione, stante auctoritate tot Doctorum concedentium id fieri posse, donec clarius constet de mente Ecclesiæ. *An vero, deficiente Sacerdote, vel aliquo homine, id possint etiam Mulieres*: affirmant Delbene *tom.*2.*c.*14.*dub.*18.*sect.*4. *n.*4. sed hoc absolute negandum est; nam cum adhuc sit dubium, an femina sit capax jurisdictionis, non est præsumendum illis esse talem facultatem ab Ecclesia concessam, ut cum Tancredo docet Ant. a Spir. S. *de pœnit. disp.* 11. *sect.* 1. *n.*726.

„ *Plura hac de re perlegere haud recuset Sacerdos, cui Confessionum excipiendarum facultatem Ecclesia Dei contulit, & hoc cum ut debitis imbuatur eruditionibus, tum ut necessariis ornetur doctrinis. Si enim Sacerdotes tamquam stellæ fulgere debent in Fidelium cœtu, fulgeant potissimum eruditione, fulgeant rerum Ecclesiasticarum doctrina, fulgeant Conciliorum, ac Patrum scientia; in tam magni præcipue momenti rebus, in quibus numquam omnes prorsus tolluntur difficultates, sed in plures videntur sæpius abiisse auctores sententias. Quæ omnia satis abunde ad hanc illustrandam Ecclesiæ praxim contra quoscumque Veterum, & Recentiorum errores congessit SS. D. N. Benedictus XIV. in sua Synodo Diœces. lib. 7. c. 15. ubi hæc leguntur.* Bernardus Lemovicensis anno 1374. factus Bononiensis Episcopus suam Synodum coegit, pluresque edidit Constitutiones, quas etiam Bernardi Successores religiose, ac sancte custodiri, & servari jusserunt, uti testatur Sigonius *lib.* 3. *de Episcopis Bononiensibus, in dicto Bernardo.* Illas easdem Constitutiones in posterioribus Bononiensibus Synodis iterum, iterumque publicatas, Augustinus Zanettus Episcopus Sebastenus, Laurentii Campegii Episcopi Bononiensis Vicarius Generalis, & Suffraganeus, anno 1535. typis editas vulgavit. In harum Constitutionum *tit.* 5. *de Pœnit.* hæc habentur: *Nullus alieno Sacerdoti peccata sua confiteatur, nisi prius a proprio petita licentia, & obtenta, quam, nullus requisitus, dolose, vel malitiose denegare præsumat. In quibusdam tamen casibus potest quis alieno Sacerdoti confiteri, a suo non petita licentia. Primo, si Episcopus aliis specialiter delegaverit. Secundo, si peccans in aliena Parochia, iterum vult de peccato illi Sacerdoti illius Parochiæ confiteri. Tertio, si suum domicilium ad aliam transtulit Parochiam. Quarto, quando quis est vagabundus. Quinto, si periculum mortis sibi imminet, nec habere potest proprium Sacerdotem, quo casu, deficiente alio Sacerdote; confiteri potest Laico, ac etiam Feminæ.* Id ipsum dictum comperimus in Diœcesana Synodo Sabinensi, habita anno 1312. ab Arnaldo Faugerio S.R.E. Card. Episcopo Sabinensi, quam ex codice Bibliothecæ Othobonianæ, publici juris, fecit Hannibal Card. Albanus, in Appendice ad suam Synodum pariter Sabinensem, habitam anno 1736. Andreas quoque Minorita Episcopus Megarensis, *in lumine Confessorum*, quod anno 1429. obtulit Jordano Ursino Episcopo Albanensi, S.R.E. Cardinali Pœnitentiario, eamque tradidit doctrinam, uti videri potest in dissertatione, quam Constantinus Ruggerii attexuit citatæ Synodo Sabinensi Cardinalis Albani *pag.* 324. Quomodo autem intelligenda sit ejusmodi doctrina, operæ pretium est hic breviter explicari.

Plerique ex Hæreticis dixerunt, non solum Sacerdotem, sed quemcumque Fidelem, etiam Laicum, posse esse Ministrum Sacramenti Pœnitentiæ, præsertim si probus sit, & justus. Hoc errore imbuti fuerunt Flagellantes, qui, spreto Sacerdotum tribunali, peccata sua Laicis confitebantur, & ab eis absolvebantur, uti videre est *in lib.*3. *de gestis Baldevini de Lutzenburch, Miscellaneor. Baluz. to.*1. Eumdem docuit VViclefus, teste VValdensi *tom.*2. *cap.* 135. & 145. a quibus illum hausit, iterumque excitavit Lutherus apud Rofensem *art.* 13. Quare Henricus VIII. Angliæ Rex in suo Opere *de septem Sacramentis adversus Lutherum*, postquam necessitatem adstruxit, peccata sua aperiendi Sacerdotibus, quam non solum ex pluribus Sacræ Scripturæ textibus, Sanctorumque Patrum testimoniis, sed ex ipsa Fidelium antiqua, & constanti praxi evidenter ostendit, inquiens: *Verum si de Confessione verbum nullum neque nominatim, neque in figura legeretur, neque quidquam a Sanctis Patribus diceretur; tamen cum videam totum populum, tot seculis peccata sua patefacere Sacerdotibus; cum ex ea re tam assidue videam tantum boni proventum, tam nihil enatum mali, aliud neque credere, neque cogitare possem; quam eam rem, non humano consilio, sed divino plane mandato & constitutam esse, & conservatam. Neque enim ulla humana auctoritate populus umquam potuisset adduci, ut occultissima scelera, quorum tacitam conscientiam horrebant, quæ ne prodirent in lucem tanti referebat ipsorum, in alienas aures (qui posset, cum vellet, prodere) tanto cum pudore, tanto cum periculo, tam incunctanter effunderent: neque fieri potuisset, cum tam numerosi Presbyteri, boni, malive, qui promiscue Confessiones audiant, ut audita continerent, etiam hi, qui alias nihil continent, nisi Deus ipse, qui Sacramentum instituit, rem tam salubrem speciali gratia defenderet. Mihi ergo, quidquid ait Lutherus, non ex aliqua populi consuetudine, nec ex institutione Patrum, sed ab ipso Deo videtur instituta, & præservata Confessio.* Postquam, inquam, de Sacramentali Confessione hæc contra Lutherum scripserat, eumdem, alio etiam nomine, exagitat, quod nimirum Confessionem cuicumque Laico, immo etiam Feminæ fieri permitteret, addens: *Nunc igitur judicet quisque, quam vere sentit Lutherus, qui, contra Sanctorum omnium sententiam, Claves Ecclesiæ trahit ad Laicos, trahit ad Mulieres, & ait, verba Christi* quæcumque ligaveritis &c. *non Sacerdotibus tantum, sed omnibus dicta Fidelibus.*

Ecclesiæ itaque Catholicæ certissimum dogma est, solos Sacerdotes posse Pœnitentiæ Sacramentum administrare, & a peccatis absolvere, quoniam ad Sacramentalem absolutionem, qua anima solvatur a culpæ nexu, necessaria est potestas Clavium, quam Christus Dominus solis contulit Sacerdotibus, cum *Joan.* 20. solis Apostolis, eorumque Successoribus, riteque ab his ordinatis, dixerit: *Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis.* Quamobrem S. Ambrosius *lib.* 1. *de Pœnit. cap.* 2. *num.*7. (*tom.* 2. *oper. col.* 392.) loquens de potestate absolvendi a peccatis: *Jus hoc* (inquit) *solis permissum Sacerdotibus est;* & S. Basilius *in regulis brevius tractatis ad interrogat.* 288. *Qui confiteri vult peccata sua, debetne confiteri omnibus, & quibuslibet, aut quibus?* respondet: (*oper. tom.* 2. *pag.* 516.) *Peccata iis confiteri necesse est, quibus Mysteriorum Dei concredita dispensatio est;* ac S. Leo Magnus *Epistol. olim* 91. *nunc* 83. *cap.* 2. ait, divinitus esse ordinatum, *ut Indulgentia Dei, nisi supplicationibus Sacerdotum, nequeat obtineri.* Atque ut

„ missa

missa faciamus alia plurima Sanctorum Patrum testimonia quæ congerunt Suarez *tom. 4. in 3. p. disp. 21. sect. 1.* Vasquez *to. 4. in 3. p. q. 93. art. 1.* Gregorius de Valentia *tom. 4. disp. 7. q. 10. punct. 1.* Natalis Alexander *Hist. Eccles. tom. 3. ad Sæc. III. dissert. 4.* Juenin *de Sacram. dissert. 6. qu. 5. art.* & alii, Eugenius IV. in Decreto Unionis Armenorum (*tom. 9. collect. Hard. col.* 440.) definivit; *Minister hujus Sacramenti est Sacerdos, habens auctoritatem ad absolvendum, vel ordinariam, vel ex commissione Superioris.* Et in Bulla 44. (*Bullar. to. 3. part. 3. pag.* 489.) Leonis Papæ X. inter ceteros errores Lutheri, hic etiam proscribitur: *Quod, videlicet, in Sacramento Pœnitentiæ, ac remissione culpæ, non plus faciat Papa, aut Episcopus, quam infimus Sacerdos; & quando non esset Sacerdos; quam faceret quilibet Christianus, etiamsi Mulier, aut Puer esset.* Ac demum Sancta Tridentina Synodus *sess. 14. cap. 6.* hæc habet: *Declarat sancta Synodus, falsas esse, & a veritate Evangelii penitus alienas doctrinas omnes, quæ ad alios quosvis homines, præter Episcopos, & Sacerdotes, Clavium ministerium perniciose extendunt, putantes, verba illa Domini, quæcumque alligaveritis, &c. & quorum remiseritis &c. ad omnes Christifideles indifferenter, & promiscue, contra institutionem hujus Sacramenti, ita fuisse dicta, ut quivis potestatem habeat remittendi peccata;* & *can.* 10. *ejusdem sessionis* anathema profert adversus eum, qui asserit, *non solum Sacerdotes, sed omnes Christianos esse Ministros absolutionis.*

At primo aspectu, oppositum sensisse videtur S. Cyprianus *Epist.* 12. ubi permittit, Confessionem fieri Diacono, cum Sacerdos abest; ait enim: *Occurrendum puto Fratribus nostris, ut qui libellos a Martyribus acceperunt, & prærogativa eorum apud Deum adjuvari possunt, si incommodo aliquo, & infirmitatis periculo occupati fuerint, non expectata præsentia nostra, apud Presbyterum quemcumque præsentem, vel, si Presbyter repertus non fuerit, & urgere exitus cœperit, apud Diaconum quoque Exomologesim facere delicti sui possint, ut, manu ejus in pœnitentiam imposita, veniant ad Dominum cum pace, quam dari Martyres litteris ad nos factis desideraverunt.* Cypriano adstipulatur, tum antiquissima Synodus Elibertana *can.* 32. (*collect. Hard. tom. 1. col.* 252.) inquiens: *Apud Presbyterum, si quis gravi lapsu in ruinam mortis inciderit, placuit agere pœnitentiam non debere, sed potius apud Episcopum: cogente tamen infirmitate, necesse est, Presbyterum Communionem præstare debere, & Diaconum, si ei jusserit Sacerdos.* Tum Concilium Triburiense anni 895. relatum in cap. *Fures, de furtis*, ubi sic legitur: *Fures, & latrones, si in furando, & deprædando occiduntur, visum est pro eis non orandum; si comprehensi, aut vulnerati, Presbytero, vel Diacono confessi fuerint, Communionem eis non denegamus.* Cum demum alia plurima Veterum testimonia, congesta a Martena *de antiq. Eccles. ritib. to. 1. lib. 1. cap. 6. art. 6. n. 7.*

Attamen hæc, quæ fucum faciunt, rite expensa minime pugnant cum veritate Catholica. Etenim, prætermissis ceteris responsionibus, quæ videri possunt apud nuper laudatos Doctores, & Du-Hamel *tom. 7. Theol. tr. 7. de Pœnit.* hæc sola, quam subnectimus, sufficere posse videtur, ad omnem eluendam difficultatem. Nomen *Exomologesis* non semper apud Patres significat Confessionem arcanam, auricularem, & sacramentalem, sed frequenter usurpatur pro ultimo illo ritu, seu actu externo, qui totius publicæ pœnitentiæ clausula erat, & complementum; cum nimirum publice Pœnitentes humi substrati, flentes, atque ingemiscentes, se ipsos incusabant, veniam exposcebant, & Ecclesiæ tandem reconciliari, atque iterum ad Sacramenta admitti petebant; quemadmodum fuse demonstrant Albaspinæus *lib. 2. observationum, observat.* 26. Morinus *l. 2. de Pœnit. c. 2. n. 4. & 1199.* Petavius *suis in S. Epiph. animadversionibus, ad hæresim* 59. quæ est Novatianorum; & plane constat tum ex Tertulliano *l. de Pœnit. c.* 9. ubi ait: *Exomologesis prosternendi, & humilificandi disciplina est.* Et *l. de orat. c. 7. Exomologesis est petitio veniæ, quia qui petit veniam, delictum confitetur;* tum ex eodem laudato Cypriano *Epist.* 55. ad Cornelium Papam, ubi de lapsis agens, qui publicam pœnitentiam subire detrectabant, hanc palam Exomologesim appellat, inquiens: *Sublata pœnitentia, nec Exomologesi consummata facta, despectis Episcopis, atque calcatis, pax a Presbyteris verbis fallacibus prædicatur;* atque in eodem sensu *Epist.* 11. ait: *Cum in minoribus delictis, quæ non in Deum committuntur, pœnitentia agatur justo tempore, & Exomologesis fiat.* Hanc porro publicam Exomologesim, deficiente Sacerdote, & urgente necessitate, excipere poterat Diaconus, isque potestatem habebat publicum Pœnitentem Ecclesiæ reconciliandi, eo pacto, quo, etiam nunc posset, facultate ab Episcopo accepta, Excommunicatum absolvere, & Ecclesiæ communioni restituere.

De hac Exomologesi loquitur Cyprianus *in cit. Epist.* & de ea intelliguntur ceteri Patres, & Concilia, cum idem, quod Cyprianus affirmant. Quodque hic sit proprius, & genuinus Cypriani, aliorumque Patrum sensus, aperte insinuant posteriores Ecclesiarum Constitutiones, quæ eamdem potestatem faciunt Diacono, excipiendi scilicet Pœnitentium Confessiones, absente Sacerdote, sed simul aperte denegant eidem potestatem Clavium, & auctoritatem absolvendi a peccatis. Concil. Eboracense anni 1195. *tom. 6. part. 2. collect. Hard. col.* 1931.) *Decrevimus etiam, ut nonnisi summa, & gravi urgente necessitate Diaconus pœnitentiam confitenti imponat, & juxta paternorum tenorem Canonum huic ordini Sacerdotali proprie convenire decernat antiquitas.* Constitutiones Odonis Parisiensis Episcopi circa ann. 1198. c. 56. (*tom. 6. part. 2. collect. Hard. col.* 1946.) inquiunt: *Prohibemus districte, ne Diaconi ullo modo audiant Confessiones, nisi in arctissimo necessitate: Claves enim non habent, nec possunt absolvere.* Constitutiones Walteri Episcopi Dulnemensis anni 1255. (*tom. 7. collect. ejusd. col.* 492.) ajunt: *Et quia solis Sacerdotibus est potestas ligandi, atque solvendi commissa; prohibemus, ne Diaconi Confessiones audiant, aut admittant, pœnitentias injungant . . . nisi necessitas urgeat, aut compellat, ut in casu mortis, per absentiam Sacerdotis.* Videri poterunt de hac re differentes Estius *in 4. distinct. 17. §. 13. in fine,* Natalis Alexander *cit. dissert. 4. ad Sæc. III.* & Card. de Aguirre *tom. 1. Concilior. Hispan. pag.* 729. ubi loca, quæ in contrarium objici possunt, ita explicanda censet, ut sensus sit: *Absente Sacerdote, & urgente extrema necessitate, Diaconos olim interdum, & aliquibus locis solitos, ex delegatione Episcoporum, audire Confessiones lapsorum Pœnitentium, non quidem ad absolvendum illos; non enim unquam id facere potuerunt, aut possunt adhuc per delegationem Episcopi, immo nec Romani Pontificis, sed ad explorandum illorum statum, & veram Contritionem, sive plenam conversionem ad Deum.*

Quod autem specialiter attinet ad Concil. Elibertinum, illud nomine *Communionis*, vel intellexit Communionem Eucharisticam, vel Canonicam reconciliationem cum Ecclesia, uti prosequitur Cardin. de Aguirre *loc. cit.* Similiter & textum in cap. *Fures*, nonnulli intelligendum existimant de absolutione ab excommunicatione, qua irretiti erant publici latrones. Alii vero eum interpretantes de Eucharistia, dicunt, allegatum textum id unice permittere, nimirum, ut Diaconus præbeat furi vulnerato Eucharistiam, si ei constet illius Contritione; cum inter ceteros casus, in quibus sufficit Contritio, sine Sacramentali Confessione, ad percipiendam Eucharistiam, enumeretur etiam ille hominis constituti in mortis articulo, cui deest Sacerdos, a quo Sacramentalem absolutionem obtineat. At Antonius Augustinus, in notis ad primam collectionem Decretalium ad cap. *Fures, de furtis* contendit, verba illa, *vel Diacono*, non esse authentica; & revera in antiquis manuscriptis codicibus, illorum loco legitur *vel Deo*. Quod si hoc secundo modo legendum sit, tunc allatus textus Concilii Triburiensis concordat cum Capitularibus Theodori Cantuariensis *cap.* 35. (*Spicilegii to.* 9.) & cum *can.* 30. inter eos, quos Gregor. III. ex variis Patrum sententiis excerpsit (*apud Harduinum tom. 3. col.* 1876.) quibus in locis dicitur, in casu necessitatis, cum scilicet Sacerdos deest, Confessionem faciendam esse *soli Deo*.

Majorem difficultatem faciunt, quæ apud antiquos Patres, & Theologos legimus de Confessione facienda Laico, urgente necessitate: *Tanta itaque vis Confessionis est, ut si deest Sacerdos, confiteatur proximo;* verba sunt textus *in can. Qui vult, de Pœnit. dist.* 6. excerpta ex libro *de vera, & falsa Pœnitentia*, inter opera Augustini, ex quibus Petrus Cantor in *Summa de Sacram. fol.* 203. concludit: *Ecce ex hac auctoritate habemus, quod in necessitate confitendum sit Laico, si Sacerdos desit, & non solum venialia, sed etiam mortalia.* Idem docuere antiquiores Theologi, inter quos D. Thomas in *4. dist. 17. q. 3. art. 3. quæstiunc.* 2. ubi ait: *Minister Pœnitentiæ, cui Confessio est facienda, ex officio est Sacerdos, sed in necessitate etiam Laicus vicem Sacerdotis supplet, ut ei Confessio fieri possit.* Hæc, aliorumque testimonia collecta sunt a Morino *de Pœnit. lib. 8. cap.* 24. Juenin *de Sacram. dissert. 6. q. 5. art.* 2. Martene *cit. lib. 1. cap. 6. art. 6. n.* 8. quibus addi potest, ex Canonistis, Ostiensis *lib. Sum. tit. de Pœnit. & Remiss. n.* 14. ubi casus explicans, in quibus licet alieno, & non proprio Sacerdoti, seu Parocho, peccata sua Sacramentali Confessione aperire, ait: *Tanta est vis Confessionis, quod si immineat necessitatis articulus, ut quia infirmatur ad mortem is, qui vult confiteri, vel oportet eum intrare bellum, & deest Sacerdos, non solum proprius, sed & quilibet; in tali articulo potest etiam Laico, vel etiam Mulieri, si non adsit alius, confiteri.*

Verum hæc omnia facile explicantur. Duobus modis Confessio fieri potest homini Laico; primo, ut ab eo, tamquam a Judice, & Christi Ministro, habente potestatem Clavium, obtineatur Sacramentalis absolutio, & sic ef-

„ sic esset inutilis, perniciosa, & conjuncta cum errore contra Fidem. Altero modo posset quis confiteri Laico, ut ipsa animi demissione, seu humilitate, atque erubescentia Confessionis, magis flectatur Deus ad ei elargiendum uberem gratiam, qua excitetur ad perfectam Contritionem, & justificetur; atque ejusmodi Confessio esset in se proficua, eaque multo tempore in usu fuit. De hac loquuntur Textus, & Doctores supra allegati, quemadmodum se, aliosque explicando, tradit D. Thomas, qui postquam dixerat, posse, deficiente Sacerdote, Confessionem fieri Laico, statim addit, ejusmodi Confessionem esse quidem aliquo modo sacramentalem, quia est conjuncta cum voto Sacramenti, non tamen esse perfectum Sacramentum, nec gratiam causare, ex opere operato, ac propterea reiterandam docet coram Sacerdote. En Angelici verba in responsione ad primum: *Confessio Laico ex desiderio Sacerdotis facta, sacramentalis est quodammodo, quamvis non sit Sacramentum perfectum, quia deest ei id, quod est ex parte Sacerdotis.* Et clarius in responsione ad tertium: *Quamvis, qui Laico confessus est in articulo necessitatis, consecutus sit veniam a Deo, eo quod propositum confitendi, secundum mandatum Dei, quod concepit, sicut potuit, implevit; non tamen adhuc Ecclesiæ reconciliatus est, ut ad Sacramenta Ecclesiæ admitti debeat, nisi prius a Sacerdote absolvatur, sicut ille, qui Baptismo flaminis baptizatus est, ad Eucharistiam non admittitur: & ideo oportet, quod iterum confiteatur Sacerdoti, cum copiam habere potuerit, & præcipue quia, ut dictum est, Sacramentum Pœnitentiæ perfectum non est.* Hanc D. Thomæ explicationem confirmat, ac præterea quænam fuerit, ea in re, Ecclesiæ doctrina, nobis patefacit D. Thomæ coævus, ejusdemque condiscipulus Thomas Cantipratensis: hic siquidem *l. 2. de apibus c. 53.* postquam narravit, Ludovicum Comitem Leodiensem, in extremis constitutum, Christianam Virginem arcessivisse, *eique omnia peccata sua, maximis cum lacrymis recitasse*, statim dicat; *& hoc quidem, non pro indulgentia, quam dare non potuit, sed ut magis ad orandum pro se, tali piaculo moveretur.* Morem istum pandendi peccata sua Laico, cum instabat mortis periculum, & deerat Sacerdos, perdurasse usque ad sæculi XIV. initium, discimus ex Guillelmo Lindevvode, qui per idem fere tempus, uti ex operis præfatione desumitur, glossemata adjecit ad Constitutiones Angliæ: is quippe Glossato *ad tit. de Sacramentis iterandis, vel non, V. Pænit. p. 32.* hæc habet: *Laico posset quis confiteri in necessitate, ut per hoc appareat Ecclesiæ de sua Contritione. Non potest tamen Laicus absolvere, vel ligare, cum non habeat Claves Ecclesiæ.*

„ Sed posteriori ætate ea consuetudo, justis de caussis, cœpit pedetentim remitti, donec tandem penitus obsoleverit, nam Dominicus Soto, celebris Theologus Ordinis Prædicatorum, *in sua relectione de ratione tegendi, & detegendi secretum*, edita Romæ anno 1574. *p. 159. & sequent.* agens de Confessione, quæ in necessitate fit Laico, inquit: *At Confessionem fieri Laico, ubi non est copia Sacerdotis, multa nunc necessariam est, in quacumque necessitate: nam, quamquam Augustinus dicat, tantam esse vim Confessionis, ut ubi non est copia Sacerdotis, faciendo sit proximo, de Pœnitentia distinct. 1. capit. Quem pœnitet; non tamen insinuat, esse præceptam, sed solum id consulit, ut merito verecundiæ majorem gratiam consequatur apud Deum. Immo vero jam non est tanta consuetudo hujusmodi Confessionis, quanta in primitiva Ecclesia, nec forsan est consilium, tametsi eam non damnaverim; mansit enim consuetudo solum inter nautas.* At quidquid sit de assertione tanti viri, hodie neque quoad nautas ejus doctrina videtur recipienda; multa siquidem ea ejusmodi Confessione imminent damna, multa timentur pericula, quæ ponderat Clericatus *de Pœnit. dec. 18. sub n. 13.* neque ea evitantur, aut ideo contemni possunt, quod Laicus Confessionem audiat, ut illam, ea Confitentis mandato, referat Sacerdoti; quoniam a summo Pontifice Clemente VIII. nedum illicita, sed invalida declarata fuit Confessio, facta Sacerdoti, per Internuntium, ut videri potest *in ejus Constitutione Bullar. 87. tom. 3.* Merito propterea Navarrus *manual. cap. 21. nu. 41.*, Gregorius de Valentia *supracit. disput. 7. quæst. 10. punct. 1.*, aliique, ab hoc allegati, concludunt, nisi excuset ab ignorantia, in præsenti rerum statu, graviter eum peccare, qui etiam in casu necessitatis peccata sua confitetur Laico: quia sine ulla caussa semetipsum infamat, & fortasse præbet aliis occasionem de se suspicandi, quod adhæreat Lutheranorum hæresi.

„ Quibus stantibus, ut illuc redeamus, unde digressi sumus, etsi in supra relatis Constitutionibus Synodalibus, tam Bononiensibus, quam Sabinensibus insinuata fuerit Confessio facienda Laico, deficiente Sacerdote, quia nondum hæc consuetudo extincta erat, tempore, quo illæ conditæ sunt; attamen merito in subsequentibus utriusque Ecclesiæ Constitutionibus neque ad titulum de Pœnitentia, neque in ullo alio loco, facta est mentio necessitatis, aut utilitatis prædictæ Confessionis; sed communis doctrina tradita est, de actu Contritionis, in eo rerum eventu eliciendo. „

DUBIUM II.

An omnis Sacerdos possit valide absolvere a peccatis?

7. Potestas, quam habet Sacerdos solvendi, & remittendi peccata vocatur a Patribus, & Theologis, potestas Clavium, & Sacerdotes dicuntur habere Claves Regni Cælorum, idest potestatem aperiendi, & claudendi, solvendi, atque ligandi per ea, quæ Christus dixit Petro, Matt. 16. *Tibi dabo Claves Regni Cælorum*: quæ quidem claves, licet plura importent spectantia ad regimen Ecclesiæ in foro externo, potestatem ferendi leges, & censuras, ac dispensandi in votis; hic tamen considerantur solum in ordine ad Sacramentum pœnitentiæ, & duæ assignari solent, quæ licet ab aliquibus ita explicentur, ut una sit solvendi, & remittendi peccata, altera ligandi, ac retinendi eadem peccata; seu potius imponendi pœnitentiam, dicente Trident. *sess. 14. c. 8. Claves Ecclesiæ non esse ad solvendum dumtaxat, sed etiam ad ligandum*: magis tamen communiter ita explicantur, ut una dicatur clavis scientiæ, altera clavis potentiæ, seu potestatis. Clavis scientiæ non importat habitum scientiæ, seu peritiam prærequisitam in Confessario, ut recte fungatur officio suo, sed importat potestatem cognoscendi, & examinandi caussam, quia nimirum Sacerdos in hoc foro Sacramentali, juridice, & legitime interrogat, teneturque reus fideliter respondere, & fateri, quæ ad caussam pertinent: clavis potentiæ importat potestatem ferendi Sententiam, & pronuntiandi absolutionem.

8. Potestas hæc Sacerdotalis, alia dicitur ordinis, alia jurisdictionis: potestas ordinis est illa, quam accipit quilibet Sacerdos in sua ordinatione, & nihil est aliud, quam Character Sacerdotalis, quo quis a Deo deputatur, ut tamquam minister Christi possit alios judicare in foro Sacramentali, quam tamen statim exercere non potest, cum non habeat subditos, in quos talem potestatem exerceat; potestas autem jurisdictionis est, cum illi assignantur subditi, in quos valeat potestatem ordinis exercere. Difficultas est, an potestas hæc jurisdictionis collata per assignationem subditorum, necessaria sit non solum ad licite, sed etiam ad valide absolvendum, adeo ut Sacerdos ex vi suæ ordinationis præcise, nec licite, nec valide possit absolvere a peccatis mortalibus alias numquam rite confessis; non enim defuerunt, qui dicerent, quemlibet Sacerdotem posse valide hoc Sacramentum administrare, sicut potest valide consecrare, solumque ex prohibitione Ecclesiæ provenire, ut non possit licite hoc munus exercere sine licentia, & deputatione Superioris. Ita sensit Armacanus *lib. 11. q. Armenorum c. 4.* & probabile reputat Almayn *in 4. dist. 17. art. 4.* His præmissis

9. Resp. Sacerdotem nec licite, nec valide posse absolvere a peccatis mortalibus nondum rite confessis, nisi ultra potestatem ordinis, habeat etiam jurisdictionem ordinariam, vel delegatam; sic enim definitum est in Trident. *sess. 14. c. 7.* attestante etiam de perpetua existimatione, & praxi Ecclesiæ, illis verbis: *Persuasum semper in Ecclesia Dei fuit, & verissimum esse Synodus hæc confirmat, nullius momenti absolutionem eam esse debere, quam Sacerdos in eum profert, in quem ordinariam, aut subdelegatam non habet jurisdictionem.* Rationemque assignat: *quoniam natura, & ratio judicii expostit, ut sententia in subditos dumtaxat feratur.* Cum ergo absolutio Sacramentalis sit actus judicialis, & ratio judicii exposcat, ut Sententia feratur in subditos, sequitur, necessariam esse in Confessario jurisdictionem, sine qua non potest esse Judex, nec valide sententiam proferre, & in hoc conveniunt Doctores omnes tamquam in re ad dogma pertinente.

10. Dices: quia Sacerdos in sua ordinatione accepit potestatem offerendi Sacrificium, potest valide consecrare, & sacrificare absque alia facultate; sed etiam accepit potestatem remittendi peccata: ergo potest valide absque alia facultate & jurisdictione peccata remittere, quamvis non possit hoc licite facere propter prohibitionem Ecclesiæ.

Resp. negando paritatem. Disparitas est, quia potestas consecrandi cum non sit judicativa, nec exerceatur per modum judicii, versatur circa materiam independentem ab auctoritate, & jurisdictione Ecclesiæ, quæ proinde non potest impedire valorem, & effectum talis potestatis, quando est applicata circa materiam aptam. At potestas absolvendi cum sit judicativa, & Sacerdos absolvendo se habeat, ut Judex Sententiam proferens, versatur circa materiam determinandam ab Ecclesia; siquidem sententia non potest valide ferri, in nisi subditum, & Sacerdos vi suæ ordinationis præcise, quamvis habeat potestatem judicandi, nullum tamen habet subditum, in quem talem potestatem exerceat, & sic necessario pendet ab auctoritate Ecclesiæ concedentis jurisdictionem ordinariam, aut delegatam in eum, quem absolvere debet, sine qua non potest potestatem judicativam valide exercere, ad eum modum, quo in foro Sæculari nemo potest judicium exercere, nisi in sibi subditum, & nisi fuerit deputatus ad tale judicium.

11. Dices: potestas, quam recipit Sacerdos in sua ordinatio-

patione ad absolvendum, est potestas ferendi sententiam, judicandi, & jus dicendi; ergo est potestas jurisdictionis, ultra quam nulla alia requiritur; sed contra, licet in aliquo sensu potestas ordinis possit dici jurisdictio, non est tamen illa jurisdictio, quæ importat superioritatem erga subditum, sed solum est potestas conferendi tale Sacramentum, sicut & potestas consecrandi, & conficiendi alia Sacramenta; potestas vero jurisdictionis est illa, quæ importat superioritatem erga subditos, & hæc confertur ab Ecclesia per specialem deputationem, & in aliis Sacramentis requiritur tantum ad licitum usum, in hoc vero etiam ad valorem ob specialem rationem prædictam.

12. Hinc sequitur, simplicem Sacerdotem, non habentem jurisdictionem ordinariam, vel delegatam, nec licite, nec valide posse absolvere a mortalibus nondum rite confessis, quia Sacramentum Pœnitentiæ est per modum judicii, & sine jurisdictione nemo est Judex; unde Confessio illi facta est nulla, & repetenda. *An vero quilibet Sacerdos possit absolvere a venialibus, & mortalibus alias rite confessis;* postea dicam. Et ita tenent Doctores communiter, Navar. Suarez, Vasquez, Cajet. uterque Sotus, Palud. Capreolus, Scotus, Ricardus, Bonac. & alii, quos citat, & sequitur Leander *q.8.* Diana *p.6. tr.6. resol.* 52. Aversa *q.16. sect.* 2.

DUBIUM III.

An quilibet Sacerdos possit absolvere a quolibet peccato, & censuris in articulo mortis?

13. RESpond. quemlibet Sacerdotem, etiam non approbatum, in articulo mortis, si desit copia alterius Confessarii, absolvere posse moribundum a quibuscumque peccatis, etiam reservatis, & a quibuscumque censuris impedientibus Sacramentorum susceptionem, quia sic expresse definitur in Concilio Trid. *sess.*14. *c.*7. ubi habetur: *Verumtamen pie admodum, ne hac ipsa occasione aliquis pereat, in eadem Ecclesia Dei custoditum semper fuit, ut nulla sit reservatio in articulo mortis, atque ideo omnes Sacerdotes quoslibet pœnitentes a quibusvis peccatis, & censuris, absolvere possunt;* & in omnibus Constitutionibus Pontificiis, quando apponitur reservatio alicujus delicti, seu censuræ, semper excipitur mortis articulus, in quo libera relinquitur absolvendi facultas. Quare simplices etiam Sacerdotes possunt in mortis articulo absolvere ab omnibus peccatis, etiam reservatis, &, cum nullus excipiatur, poterit etiam absolvere Sacerdos excommunicatus, hæreticus, vel degradatus, suspensus, irregularis, & non tolleratus, quia isti omnes, cum habeant potestatem Ordinis, quia sunt Sacerdotes, habent etiam jurisdictionem, ut pro tali articulo possint moribundum absolvere, ut bene docent Vasq. *q.*93. *art.*1. *dub* 4. Suarez *disp.* 20. *sect.*4. Lugus *disp.*18. *n.*18. Bonacina *q.*7. *punct.*1. *n.*9. Diana *p.*3. *tr.*4. *resol.* 57. & *p.*8. *tr.*1. *resol.*90. & 92. Hurtadus, Granados, Villalobos, & alii communiter, quos sequitur Leander *q.* 16.

14. Difficultas aliqua solum esse potest: *an facultatem hujusmodi habeant ex ipso jure Divino, & institutione Christi,* ut affirmarunt Paludanus, Durandus, Canus, Capreolus, & Ricardus, quos afferunt Vasquez *c.*93. *art.*1. *dub.*3. & Aversa *q.*16. *sect.*3. vel de jure solum Ecclesiastico, ut magis communiter tenent Doctores, cum quibus sentio? Hanc facultatem, & jurisdictionem concedi ab Ecclesia, ab ipso scilicet Summo Pontifice, quia sic colligitur ex verbis Trident. supra relatis: *Pie admodum in Ecclesia Dei custoditum semper fuit, ut nulla sit reservatio in articulo mortis,* & ex ipsa forma reservationis casuum, qua Pontifices solent excipere mortis articulum, quod utique superfluum esset, si non ab ipsis, sed a Christo daretur facultas pro tali articulo. Ratio etiam est, quia hujusmodi facultas non potest dici ordinaria in omnibus Sacerdotibus, cum ista propria sit Pastorum, & Superiorum habentium ex officio curam animarum: ergo est tantum delegata ab ipso Summo Pastore, & Pontifice, qui ab initio omnibus, & singulis Sacerdotibus jurisdictionem plenam pro illo articulo delegavit, quæ proinde a nullo inferiori Prælato tolli, aut limitari potest; ab ipso Pontifice posset utique tolli, aut limitari, sed numquam id permittet Spiritus Sanctus, cum illa sit necessaria pro animarum salute, & recta Ecclesiæ gubernatione, ut proinde ab exordio Ecclesiæ jurisdictio pro illo articulo a Sacerdotibus numquam sublata sit; & ita tenent D. Antoninus, D. Bonaventura, uterque Sotus, Suarez, & alii, quos afferunt, & sequuntur Vasquez, & Aversa *loc. cit.* Lugus *disp.*18. Bonacina *disp.*5. *q.*7. *punct.* 1. Leander *q.* 22.

15. Quæres 1. *An in præsenti materia idem sit articulus mortis, & periculum mortis, adeo ut licitum sit in probabili periculo mortis, quod licitum est in articulo mortis?* Solet distingui articulus mortis a periculo per hoc, quod articulus mortis tunc solum datur, quando ex ægritudine, aut aliunde, certo, & proxime mors instat; periculum vero mortis dicitur, quando datur occasio, in qua frequenter homines pereunt, & quam non possunt commode vitare; qualis est pugna campalis, seu navalis, longa, & periculosa navigatio, partus difficilis, & hujusmodi; in periculo etiam mortis censetur banditus, qui ubique potest impune occidi, vel si dira pestis grassetur.

16. Resp. in præsenti materia, quoad facultatem absolvendi, pro eodem sumi articulum, & periculum mortis; adeo ut simplex Sacerdos non solum in articulo, sed etiam in probabili mortis periculo possit absolvere ab omnibus peccatis, & censuris, quia licet in rigore articulus, & periculum mortis aliquatenus distinguantur, ut supra dixi; tamen ex communi usu Ecclesiæ pro eodem sumuntur, ut patet ex c. *Eos, qui de sentent. Excom. in 6.*; nam morale periculum perinde existimari debet, & in malis ita caveri, sicut eventus ipse. Unde sicut ipsi Fideles non tantum in præcilo articulo, sed etiam in probabili mortis periculo sibi consulere, & sua peccata confiteri tenentur: ita credendum est, piam Matrem Ecclesiam cuilibet Sacerdoti facultatem audiendi, & absolvendi conferre, prout docent Sylvester, Navarrus, Medina, Paludanus, Adrianus, quos affert, & sequitur Suarez *disp.*26. *n.*43. Lugus *disp.*18. *n.*21. Bonacina *n.*10. Diana *part.*3. *tract.*4. *resol.*71. & *par.*5. *tract.* 3. *resol.* 59. ubi quamplures pro eadem Sententia refert.

17. P. Homobonus *t.*2. *consult. part.* 5. *resp.*87. negat, posse dari absolutionem tempore pestis a quolibet Sacerdote, quia non instat mortis periculum: sed intelligi debet de iis, qui se caute custodiunt, & abstinent a commercio aliorum: at illi, qui infectis inserviunt, & cum iis communicant, non sunt in minori periculo, quam illi, qui prælium ingrediuntur, ac proinde simili beneficio gaudere possunt; absolvi posse Bannitum, tamquam constitutum in periculo mortis, docet Naldus *in Sum. V. Absolutio a Censuris, n.*5. & alii plures, si potest a quolibet impune occidi, maxime si sit in loco, & tempore suspecto; de muliere primo paritura, vel alias experta difficilem, & periculosum partum, cum aliis pluribus docet Diana *p.*3. *tr.*4. *resol.* 72. & *p.*5. *tr.*3. *resol.* 63.

18. Quæres 2. *an simplex Sacerdos non approbatus, in articulo mortis possit absolvere, præsente Parocho, aut alio Sacerdote approbato?* Prima Sententia affirmat, eo quod Concilium Trid. in verbis præallegatis amplam, & absolutam facultatem concedit omnibus Sacerdotibus, pro articulo mortis, absque ulla exceptione, & limitatione præsentiæ, sive absentiæ Confessarii approbati; unde cum lex non distinguat, nec nos distinguere debemus, maxime, quia favores sunt potius ampliandi, quam restringendi, ac proinde in nostro casu non est limitanda auctoritas simplicis Sacerdotis. Ita P. Marchinus *de peste part.*3. *c.*3. *n.* 10. & *seq.* ubi habet: *potest simplex Sacerdos in articulo mortis absolvere a quibusvis casibus, & censuris reservatis, non solum in absentia, sed etiam in præsentia cujuslibet Confessarii approbati, vel Parochi, vel Superioris.* Ratio est, quia simplices Sacerdotes pro articulo mortis pares sunt, quoad jurisdictionem, omnibus aliis Confessariis approbatis; nam si isti suam habent jurisdictionem ab Episcopo, illi habent eamdem a Christo, vel a Concilio Tridentino, vel a Papa, neque solum illam habent in defectum aliorum Confessariorum, sed illam habent absolute, & simpliciter; Concilium enim non apposuit istas glossas, & limitationes, sed loquitur absolute; ergo neque nos illas apponere debemus. Eamdem Sententiam sequuntur Diana *p.*1. *tr.*5. *resol.*5. *p.*4. *tr.*4. *resol.* 161. & *p.*5. *tr.*3. *resol.*65. Ant. a Spiritu S. *disp.* 12. *n.*848. Navar., Sa, Petrus de Ledesma, Rodriquez, Vega, & Henriquez relati a Sanchez *l.*2. *sum. c.*13. *n.*6. Barbosa, Villalob., Coriolanus, Comitolus, Conradus, Angles, Zerula, Finellus, & alii relati a Leandro *q.* 18. & probabile putat Lugus *disp.* 18. *n.*23. & certe negari non potest, hanc Sententiam esse valde probabilem tum propter rationem, tum propter auctoritatem.

19. Secunda Sententia communior, & probabilior, magisque usu recepta, negat, simplicem Sacerdotem posse licite aut valide absolvere in præsentia proprii aut alterius Sacerdotis approbati. Ratio est, quia facultas concessa simplici Sacerdoti, ut possit absolvere moribundum in articulo mortis, est propter necessitatem ipsius moribundi, ut patet ex illis verbis Trident. *Ne hac ipsa occasione aliquis pereat,* qui finis cessat, præsente Parocho, vel alio Sacerdote approbato; ergo etiam cessat facultas simplicis Sacerdotis, nam cessante fine legis, cessat ipsa lex. Conf. ex eo quod Ecclesia, licet voluerit morientibus providere circa alia Sacramenta, Viaticum scilicet, ac Extremam Unctionem, illa tamen ministrari non possunt ab alio Sacerdote, nisi in defectum proprii; ergo idem dicendum de Sacramento pœnitentiæ.

20. Neque oppositum probatur ex auctoritate Trident. nam Concilium non loquitur, quasi novum jus condens, novamque facultatem concedens, sed confirmans antiqua jura, & consuetudinem, quæ jam invaluerat in Ecclesia, ut patet ex illis verbis: *in Ecclesia Dei custoditum semper fuit, &c.* ac proinde non plus concessit, quam permitteret consuetudo secundum canones introducta; at per antiquos canones solum concedebatur, ut quilibet Sacerdos posset absolvere, deficiente proprio Sacerdote, ut habetur ex cap. *Aurelius,* c. *Presbyteri,* & c. *ult.* 25. *q.*6. & ex Extravag. *Inter cunctas* §. *Incendiarii* de privileg. & Extravag. 1. §. *Decernimus de sent. excom.* in quibus ponitur limitatio, ut petatur facultas a legitimo Superiore, quando haberi potest, ad absolvendum infirmum periclitantem, sive pro foro externo, sive etiam pro foro interno; & comprobatur ex usu, & univer-

universali Ecclesiæ consuetudine, secundum quam nullus simplex Sacerdos audet, vel solet Confessiones excipere moribundi, præsente Parocho, aut alio Sacerdote approbaro. Ita tenent Theologi communiter, Nugnus, Puteanus, Vasquez, Valentia, Suarez, Coninch, Ochagavia, quos affert, & sequitur Aversa *q.* 16. *sect.* 3. Rosella, Sylvester, Armilla, Covar. Simanca, Corduba, Graffius, Sotus, Ugolinus, quos citat, & sequitur Thomas, Sanchez *l.* 2. *sum. c.* 13. *n.* 7. Madernus *q* 6. *art.* 5. *n.* 6. Lugus *disp.* 18. *n.* 24 Reginaldus, Facundez, Granad. Bonacina, quos affert, & sequitur Leander *q.* 18. Palaus *p.* 13. *nu.* 8. Item Molina *t.* 4. *de just. disp.* 63. dicens, ita fuisse decisum a Gregor. XIII. Turrian. *in selectis centur.* 2. *dub.* 77. dicens, oppositum esse improbabile; & ab eo Pontifice damnatum.

21. Quod si adesset proprius Sacerdos, sed nollet audire, vel absolvere, tunc sine dubio posset id facere simplex Sacerdos, quia adesse, & nolle, perinde est, ac non adesse, & in utroque casu reperitur eadem necessitas, ut bene docent Sanchez *dicto c.* 13. *n.* 8. Lugus *disp.* 18. & Aversa *cit. q.* 16. *sect.* 3. Similiter si Sacerdos approbatus superveniat, cœpta jam, propter periculum mortis, Confessione cum Sacerdote simplici, poterit iste continuare, & prosequi in audienda Confessione, & absolvere, quia per inceptionem factus est legitimus Minister cum necessaria jurisdictione, & sic potest caussam incœptam terminare. Si Confessio facta cum simplici Sacerdote fuit invalida propter mendacium grave forte in ipsa commissum, poterit etiam a simplici illo Sacerdote iterum absolvi, non obstante præsentia proprii Parochi supervenientis, quia prima absolutio cum fuerit nulla, perinde est, ac nondum data. Non tamen potest pœnitens post validam absolutionem, & sublato periculo iterum illi confiteri de aliis peccatis forte oblitis, quia est nova Confessio a priori independens, ut cum aliis notant Diana *p.* 5. *tract.* 3. *resol.* 66. Aversa, & Leander *locis citatis*; si vero pœnitens haberet aliquam excommunicationem reservatam deberet prius ab ea absolvi a superiore superveniente; nam etiam si fuisset ab alio absolutus, adhuc deberet se superiori subjicere: quare dum potest id facere antequam a peccatis absolvatur, debet, ut recte notant Aversa, & Sanchez *loc. cit.*

22. Si pœnitens in periculo mortis constitutus, habeat peccata reservata simul cum non reservatis, nec ullus sit Confessarius, qui possit a reservatis absolvere, sed tantum Confessarius, potens absolvere a mortalibus non reservatis, apud ipsum facienda erit Confessio potius, quam apud simplicem Sacerdotem non approbatum. Ratio est, quia Confessarius approbatus habet saltem facultatem super peccata non reservata, & est ad Confessiones excipiendas expositus, & sic non deest simpliciter Confessarius, cum adsit præsens, qui potest a mortalibus absolvere; ergo apud ipsum facienda potius est Confessio, quam apud simplicem Sacerdotem, qui nullam habet facultatem. Ita Lugus *n.* 38. Aversa *sect.* 3. Si vero cum simplici Sacerdote adsit Confessarius approbatus tantum in aliena Diœcesi, quamvis Suarez *sect.* 4. *n.* 4. & Sanchez *c.* 13. *n.* 10. velint, illum esse præferendum; nulla tamen apparet necessitas, quod debeat præferri, quia cum in isto loco, & super hanc personam nullam habeat jurisdictionem, non differt a simplici Sacerdote, ac proinde liberum est, apud alterutrum confessionem facere, ut cum Diana *p.* 5. *tr.* 3. *resol.* 60. tenet Aversa *dict. sect.* 3. Lugus *disp.* 18. *n.* 37. Leander *q.* 21., & alii apud ipsos.

23. Quamvis Sacerdos quilibet, etiam excommunicatus, irregularis, degradatus, vel hæreticus possit valide absolvere pœnitentem in prædicto articulo, vel periculo mortis ab omnibus peccatis etiam reservatis; si tamen præsens adsit Sacerdos Catholicus, vel a censuris liber, debet iste præferri ceteris, nec pœnitens, conscius illorum impedimentorum, potest apud istos confiteri, cum Ecclesia illis jurisdictionem non tribuat, nisi deficiente alio Sacerdote Catholico a prædictis censuris libero: & dato etiam, quod illi jurisdictionem haberent in præsentia Sacerdotis Catholici, non tamen esset licitum cum excommunicato, & hæretico communicare in receptione Sacramentorum. Si vero pœnitens ignoraret, Sacerdotem esse hæreticum, vel excommunicatum, tunc potest illos eligere, & valide, ac licite apud illos confiteri; nam tunc opinio probabilis Doctorum illis tribuit jurisdictionem, quam alias non haberent, aliis præsentibus, ut cum Dicastillo *disp.* 10. *n.* 387. notat Ant. a Spiritu S. *disp.* 12. *n.* 847. ita etiam Diana *p.* 5. *tr.* 3. *resol.* 58. Advertunt aliqui, Sacerdotem non impeditum esse præferendum cuique alteri; Excommunicatum vitandum præferendum Hæretico; Irregularem præferendum Excommunicato; & Suspensum, vel Interdictum, Irregulari; & ipsum Excommunicatum, Degradato. Verum hanc graduationem, & ordinem non admittit Lugus *n.* 37. quia vix doctissimi viri cum magno studio, & attentione hunc ordinem cognoscere possunt, & sic infirmus, aut moribundus non debet ad hanc subtilitatem speculandam obligari, sed sufficit, quod non impeditum præferat aliis, dum commode haberi potest, quia tunc cessat necessitas adhibendi Ministrum impeditum, & exclusum.

DUBIUM IV.

An quilibet Sacerdos, etiam non approbatus, possit absolvere extra casum necessitatis a peccatis venialibus, & mortalibus alias confessis.

24. Communis sententia concedit, posse quemlibet Sacerdotem simplicem non approbatum ab Ordinario, dummodo non sit excommunicatus vitandus, vel degradatus, absolvere quemlibet pœnitentem, sive Sæcularem, sive Regularem, extra casum necessitatis, a peccatis venialibus, & mortalibus jam rite confessis; idque certum supponunt Doctores ex communi sensu Fidelium, & Theologorum. Hanc facultatem habere Sacerdotes de jure Divino contendunt Vasquez *q.* 91. *art.* 1. *dub.* 6. Kellisonus *q.* 8. *art.* 5. *dub.* 3. Molfesius *tr.* 7. *c.* 15. *n.* 66. *& seqq.* quibus favet Amicus *disp.* 15. *de pœnit. sect.* 1. *n.* 16. adeoque non posse ab Ecclesia auferri, aut limitari: at melius sentiunt alii magis communiter, volentes, esse communicatam ab Ecclesia, nam de facto Ecclesia privat Sacerdotem excommunicatum vitandum jurisdictione, etiam ad confessionem venialium, ut non solum illicita, sed etiam invalida esset absolutio ab illo data; ac proinde hæc facultas, & jurisdictio dependet ab Ecclesia, a qua juste potest auferri. Deinde, quia jurisdictio ad valorem absolutionis per Trident. requisita vel est ordinaria, vel delegata; sed in simplici Sacerdote nulla datur jurisdictio ordinaria, cum sit propria Pastorum animarum; quibus ex officio earum cura, & gubernatio incumbit; ergo solum habet jurisdictionem delegatam a Summo Pontifice, qui ordinariam habet in tota Ecclesia. Ita docent Suarez, Coninch, Henriquez, Bonacina, Medina, quos affert, & sequitur Lugus *disp.* 18. *num.* 44. Madernus *q.* 6. *art.* 2. *n.* 11. Diana *p.* 8. *tr.* 1. *resol.* 55. Palaus *punct.* 13. *n.* 6. Aversa *sect.* 3. Ant. a Spiritu S. *n.* 48. &, aliis citatis, Leander *q.* 11.

25. Nec valet, simplicem Sacerdotem, aut nulla ad hoc indigere jurisdictione, aut illam recipere a pœnitente independenter ab Ecclesia. Contra enim est, quia hoc Sacramentum, quamvis versetur circa solum venialia, semper tamen exercetur per modum judicii requirentis in Ministro jurisdictionem ordinariam, vel delegatam, ut docet Trident. *sess.* 14. *cap.* 7. hæc autem non potest tribui a subditis, qui illam non habent, sed a Superiore; a subdito vero fit dumtaxat electio Sacerdotis, ut bene Aversa *supra*.

26. Inde inferunt, simplicem Sacerdotem posse etiam absolvere a mortalibus jam rite confessis, & absolutis, quia eadem est omnino ratio, ac de venialibus, ut docent Henriquez, Suarez, Granados, Layman, Lugus, Bonacina, & cum aliis Leander *q.* 12. Diana *part.* 8. *tract.* 1. *resol.* 86. Inferunt 2. simplicem Sacerdotem absolventem a venialibus, absolvere etiam indirecte a mortalibus nondum confessis, si quæ pœnitens habet inculpabiliter oblita; nam cum talis Sacerdos per absolutionem venialium faciat verum Sacramentum, confert gratiam, & remissionem omnium peccatorum, cum obligatione tamen pœnitentis confitendi illa peccata mortalia legitimo Confessario, cum venerint in mentem. Ita Suarez, Granados, Facundez, quos affert, & sequitur Leander *q.* 14. Non tamen potest simplex Sacerdos absolvere a peccatis mortalibus in Confessione oblitis, & indirecte jam absolutis, quorum modo est recordatio, quia illa peccata numquam fuerunt directe absoluta, nec Clavibus Ecclesiæ subjecta, & sic non possunt absolvi, nisi ab habente facultatem ad hoc ordinariam, vel delegatam; cum aliis Leander *q.* 13.

27. Inferunt 3. posse Summum Pontificem limitare, & tollere a simplice Sacerdote facultatem absolvendi a venialibus, & mortalibus alias rite confessis, cum ab illo descendat, & concedatur talis facultas: id tamen non posse Prælatum Papa inferiorem, quia delegatio facta a superiore, non potest tolli, & derogari ab inferiori, nisi indirecte per excommunicationem majorem, aut degradationem. Sic Ant. a Spiritu S. *n.* 841. In foro tamen externo corrigi, & puniri posset Sacerdos, qui sine approbatione Confessiones exciperet, quia non debet in hoc foro discerni, an pœnitens habuerit solam materiam liberam, ut advertit Madernus *supra num.* 10.

28. Quamvis hæc omnia sint satis probabiliter dicta, censeo tamen, simplicem Sacerdotem non approbatum, nec licite, nec valide posse a venialibus, aut mortalibus, etiam jam rite confessis, absolvere, prout docet Bordonus *in consf. Regular. to.* 1. *resol.* 36. *q.* 20. *n.* 57. quia ad absolvendum requiritur jurisdictio, quæ simplici Sacerdoti non competit, nec de jure Divino, prout communiter concedunt Auctores Sententiæ oppositæ, si & competeret pro venialibus, competere debet multo magis pro mortalibus, quorum Confessio est necessaria; nec de consuetudine universali Ecclesiæ, de qua non constat, quia non reperitur de illa Textus, Auctoritas, Concilium, aut Papa, qui de illa testetur, nec quis illam dederit. Cum ergo Trident. decernat, neminem audire posse Sæcularium Confessiones, nisi prævia Episcopi approbatione, alias nulla sit attentata absolutio, ut ex communi Doctorum Sententia refert Barbosa *ad c.* 15. *Trident. sess.* 23. *n.* 4. & non minus sit Confessio illa venialium,

quam illa mortalium non absolutorum; sequitur, debere approbari pro utraque. Idem docent Faber *disp. 25. de pœnitent. a num. 71. usque ad 76.* Beja *part. 3. casu* 37. Ludovic. a Cruce *in Bull. disp.* 1. *dub.* 5. *n.* 13. ita etiam Mastrius *in Theol. morali disp.* 21. *quæst.* 8. *art.* 1. *diffic.* 3. *n.* 202. ubi refert Navar. *in Manuali c.* 4. dicere, nullibi legisse, nec vidisse esse in usu hanc consuetudinem, ut Sacerdos non admissus ab Ordinario absolvat a venialibus; & certe nostris temporibus nullum simplicem Sacerdotem non approbatum videmus excipere Confessiones venialium.

29. Hæc Sententia hodie est omnino tenenda, & in praxi sequenda propter Decretum Sacræ Congreg. Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum, datum Romæ 12. Februarii 1679. ubi sic habetur: *Non permittant*, (id est Episcopi) *ut venialium Confessio fiat simplici Sacerdoti non approbato ab Episcopo, aut Ordinario.* Deinde de delinquentibus subdit: *Quicumque Sacerdotes secus egerint, sciant Deo Optimo Maximo rationem reddituros esse, neque defuturam Episcoporum justam animadversionem in contrafacientes, etiam Regulares, etiam Societatis Jesu, & facultate ipsis Episcopis, & Ordinariis, per hoc Decretum per Sedem Apostolicam specialiter attributa.*

DUBIUM V.

Quisnam sit ordinarius Minister hujus Sacramenti.

30. Potestas jurisdictionis, quæ definiri potest: *Moralis quædam extrinseca deputatio facta ab Ecclesia Sacerdoti, dum ei subditos assignat*, duplex est; alia dicitur ordinaria, alia delegata. Potestas, seu jurisdictio ordinaria est illa, quæ alicui competit ratione muneris, officii, seu beneficii, ad quod quis assumitur, quam proinde habent omnes, & soli animarum Pastores, ac Rectores, quibus hoc maxime incumbit, ut Sacramentorum administratione subditos suos pascant, & regant. Jurisdictio delegata dicitur illa, quæ solum habetur ex commissione alterius habentis jurisdictionem ordinariam.

31. Summus Pontifex plenissimam habet jure Divino jurisdictionem ordinariam in tota Ecclesia erga omnes Fideles, illamque accipit cum primum est electus, non quidem ab hominibus a quibus eligitur, sed immediate a Christo, qui dixit Petro, ejusque Successoribus Summis Pontificibus, Matth. 16. *Tibi dabo Claves Regni Cælorum*; ac proinde Pontificis jurisdictio, utpote a Christo immediate collata, est independens a quacumque hominum jurisdictione, nec potest ab Ecclesia limitari, nec restringi, sed est universalis, extendens se ad omnes Fideles ubique terrarum existentes, quos omnes Pontifex sive per se, sive per alios, tamquam oves Christi pascere debet, cum illi in persona Petri dictum sit a Christo Joann. 21. *Pasce oves meas.*

32. Episcopus quilibet in sua Diœcesi ordinariam habet jurisdictionem annexam ejus Officio, quia eo ipso quod quis alicujus loci efficitur Episcopus, accipit jurisdictionem in omnes Fideles suæ Diœcesis. An vero illam habeat immediate a Christo, multi affirmant, alii verius negant, dicentes, illam descendere a Summo Pontifice, a quo potest Episcoporum jurisdictio coarctari, & limitari, tum quoad culpas, quatenus potest aliquos casus sibi reservare, ut habetur ex Trident. *sess.* 14. *c.* 7. tum quoad personas, quatenus potest aliquas, & quas voluerit in illa Diœcesi, ab Episcopi jurisdictione eximere; quod est signum, Episcoporum jurisdictionem esse a Pontifice collatam. Ita cum Dicastillo *disp.* 10. *n.* 99. Bassæo V. *Confessarius* 1. n. 8. Perez *disp.* 41. *sect.* 1. *n.* 3. tenet Ant. a Spiritu S. *disp.* 11. n. 734.

33. De Vicario Generali Episcopi dubitatur: *an habeat jurisdictionem ordinariam in tota Diœcesi, ut possit Confessiones audire, & aliis potestatem concedere?* Negant Archidiaconus, Jo: Andreas, Ancaranus, & Petrus Ledesma, quos refert Villalobos *de Ministro Pœnit. diffic.* 47. *n.* 7. Sotus *in* 4. *d.* 18. *q.* 4. *art.* 3. & alii apud Thomam, Sanchez *lib.* 3. *de Matrim. disp.* 29. *n.* 14. dicentes, communem esse Vicario jurisdictionem Episcopi in foro tantum contentioso, non in foro Sacramentali.

Probabilius tamen est, illum habere jurisdictionem ordinariam in utroque foro, externo scilicet, & Sacramentali, pro administratione Sacramentorum. Ratio est, quia ille est Ordinarius, & vere Prælatus, superior Parochis in tota Diœcesi, unumque tribunal constituit cum Episcopo, cujus personam repræsentat, ut constat ex cap. 2. *de consuetud. in* 6. & ex cap. *Romana* de appellationibus, ut cum pluribus Juristis, & Theologis tenet Sanchez *loc. cit. n.* 15. item Bossius *de Jubilæo sect.* 3. *casu* 2. §. 4. *n.* 109. Averfa *q.* 16. *sess.* 4. Villalobos *diffic.* 47. Azorius cum multis *to.* 2. *lib.* 3. *cap.* 43. & alios referens Leander *q.* 29.

34. Nec dicas: Vicarius Generalis potestatem habet ex commissione Episcopi constituentis illum; ergo non habet potestatem ordinariam, sed delegatam. Contra enim est, quia licet Vicarius nominetur, & constituatur ab Episcopo, jurisdictionem tamen non habet ab illo, sed a Jure, & a Canone, supposita nominatione, ac proinde jurisdictionem habet ordinariam, quæ cum sit eadem cum illa Episcopi, cum quo constituit unum tribunal, durat solum vivente suo Episcopo: nam, eo mortuo, vel amoto ab officio, vel ejus jurisdictione suspensa per censuras, cessat, vel suspenditur jurisdictio Vicarii, ut cum aliis notat Tambur. *de Pœnit. lib.* 5. *c.* 4. §. 2.

35. Eadem ratione Vicarius Capituli, constitutus nimirum a Capitulo, Sede vacante, jurisdictionem habet ordinariam, ut audire possit Confessiones, & aliis audiendi licentiam concedere, quia Capitulum succedit Episcopo in omni eo, quod spectat ad jurisdictionem. Idemque valet de Vicario Generali aliorum habentium jurisdictionem Episcopalem: est enim Ordinarius, cum eamdem habeat a Canone jurisdictionem, quam habet Vicarius Generalis Episcopi. Sanchez *lib.* 3. *de Matrim. disp.* 29. *n.* 4. *supra n.* 109. Vicarius Foraneus nullam habet jurisdictionem, nisi delegatam.

36. Parochus jurisdictionem habet ordinariam pro sua Parochia, non jure divino, sed humano, ut diximus de Episcopis, & patet ex usu, & sensu Ecclesiæ; eamque etiam habet Vicarius, seu Oeconomus, qui, Parocho mortuo, solet constitui, dum de alio Parocho provideatur, quia tales in toto officio Parochi succedunt. Abbates, & Priores proprium territorium habentes, gaudent etiam jurisdictione quasi Episcopali in illo territorio; sicut etiam Cardinales in Ecclesiis sui Tituli. Eamdem jurisdictionem ordinariam habent Legati, seu Nuntii Apostolici in sua Provincia. Archiepiscopus in Ecclesiis etiam sui Suffraganei, sed solum quando actu visitat. Suarez *de Pœnit. disp.* 25. *sect.* 2. *n.* 13. & 14. Extra visitationem potest solum absolvere, quando Suffraganeus Episcopus injuste absolutionem denegaret.

37. Eadem ratione Generales ordinarii Religiosorum in tota Religione, Provinciales in Provincia, Rectores, Præpositi, Priores, Guardiani, & Superiores locales in suo Monasterio, seu Conventu, & universaliter omnes, quibus ex jure, vel privilegiis specialiter commissa est cura animarum, jurisdictionem habent ordinariam; non sic Abbatissa pro suis Monialibus, nam hæc non habet propriam jurisdictionem, sed solum domesticam gubernationem, ut ex Thoma Hurtado recte notat Tamburinus *supra* §. 2. *n.* 12.

38. Prædicti omnes habentes jurisdictionem ordinariam, possunt eam aliis delegare, quia regula generalis est, quod qui habet ordinariam potestatem, hanc aliis possunt delegare. Nec statim inferas; ergo Parochus poterit facultatem concedere simplici Sacerdoti, ut Confessiones audiat suorum Parochianorum: negatur enim consequentia; nam ad hoc Sacramentum ministrandum, ultra jurisdictionem, requiritur approbatio Episcopi, de qua infra; (*vide hæc fusius & a Benedicto XIV. pertractata, & apposita ad Cap.* 14. *Dub.* 1.) adeoque Parochus licet possit exponere ad Confessiones excipiendas in sua Parochia quemlibet Sacerdotem ab Episcopo approbatum, non sic vero Sacerdotem simplicem non approbatum. Ceteri vero absolute possunt, quia eorum delegatio est simul approbatio, ut fusius postea dicam.

39. Quæres: *Quinam sit Ordinarius, & Parochus supradictorum?*

Resp. Summus Pontifex, quamvis sit Ovis Christi, nullum tamen habet Pastorem supra se, sed ipse est supremus omnium Pastor: potest tamen Sacramentaliter absolvi ab alio Sacerdote, quem elegerit, qui tunc accipit potestatem, & jurisdictionem ad illum absolvendum, vel immediate ab ipso Christo, ut aliqui dicunt, vel ab ipso Pontifice, qui ex potestate sibi a Christo concessa optime potest tribuere suo Confessario jurisdictionem supra se, seque illi subditum tradere, cui deinde tenetur Pontifex obedire non minus, quam alii Christiani proprio Confessario, ut cum aliis tradunt Leander *q.* 15. & Diana *p.* 8. *tr.* 1. *resol.* 73. *in fine.* Cardinales vero non habent alium Pastorem ordinarium, quam Papa, quia illud Sacrum Collegium est veluti unum spirituale Corpus, cujus proximum Caput est Summus Pontifex; similiter familia Papæ solum Pontifici, & cui ille designaverit, immediate subditur.

40. Super Episcopos ordinariam habere jurisdictionem Archiepiscopum, & super Archiepiscopos Patriarcham nonnulli dixerunt. Sed jam communiter Doctores admittunt, Pontificem solum habere super hos omnes ordinariam jurisdictionem in foro Sacramentali, ut testatur Aversa *quæst.* 16. *sect.* 4. Lugus *disp.* 19. *sect.* 1. *n.* 2. Sotus, Suarez, Vasquez, Hurtad., quos sequitur Leander *q.* 16. Quoad dignitatem solum, & quoad externam gubernationem in quibusdam actibus, juxta præscriptum Sacrorum Canonum, Archiepiscopus, & Patriarcha supra Superiores, non quoad Sacramenta ministranda, nisi in actu visitationis, ut supra dictum est. Super Parochos immediatam jurisdictionem ordinariam habet proprius Episcopus, qui propterea dicitur Parochus Parochorum; quod etiam valet de quolibet Prælato, auctoritatem quasi Episcopalem habente. Inter Regulares supra Superiorem localem jurisdictionem habet Provincialis, & super istum Generalis, qui in Religionibus exemptis immediate subditur Pontifici.

41. Quæres 2. *Quinam sit proprius Sacerdos, de quo Canones, & Doctores sæpe mentionem faciunt?*

Resp. Sacerdotem proprium illum in jure dici, qui ordinariam in Sacramento Pœnitentiæ jurisdictionem habet, sive illa jurisdictio sit immediata, ut est in Parocho, sive mediata, ut est in Episcopo, & Summo Pontifice. E contra vero Sacerdotem alienum, seu non proprium in jure dici,

qui

qui nullam; vel tantum delegatam habet jurisdictionem, ut cum aliis notat Antonius a Spiritu S. *sect.* 3. *n.* 738.

„ *Ut intelligatur melius quinam habendus sit proprius Sacerdos, cui legitime peccata sua manifestare quis debet, vide quæ habentur in Synod. Diœc. l. 7. c. 54. hisce verbis*: ∴ Diu, multumque olim disputatum fuit, quinam sit *proprius ille Sacerdos*, cui tempore Paschali ab unoquoque Fideli peccata aperienda præcepit Innocen. III. in Concilio Generali Lateranensi *can.* 21., *relat. in cap.* *Omnis utriusque sexus, de Pœnit. & remiss.*, inquiens: *Omnis utriusque sexus Fidelis, postquam ad annos discretionis pervenerit, omnia sua solus peccata confiteatur fideliter, saltem semel in anno, proprio Sacerdoti*. Joannes Launojus in libro, qui inscribitur: *Explicata Ecclesiæ traditio circa Canonem, Omnis utriusque sexus*, prolixe hoc argumentum versans, pluribus probat, *proprii Sacerdotis* nomine Parochum designari. Verum quamquam nemo id audeat inficiari, nemo tamen, salva Fide, negare potest, etiam summum Pontificem in tota Ecclesia, & Episcopum in commissa sibi Diœcesi proprium esse Sacerdotem, qui Fidelium Confessiones excipere, ac facultatem illas excipiendi alteri delegare valeat. Siquidem, ut Nos ipsi *in nostra Notific.* 18. *l.* 1. prænotavimus, qui oppositum sentiret, in errores incideret Joannis de Poliaco proscriptos a Joanne XXII. *apud Raynaldum ad an.* 1321. *a n.* 20. *usque ad* 38.: temere quippe affirmaverat Poliacus, *quod, stante Omnis utriusque sexus Edicto in Concilio Generali, Romanus Pontifex non potest facere, quod Parochiani non teneantur omnia peccata sua semel in anno, proprio Sacerdoti confiteri, quem dicebat esse parochialem Curatum*; & rursus: *Quod Papa non potest dare potestatem generalem audiendi Confessionem, immo nec Deus, quin confessus habenti licentiam, teneatur eadem confiteri proprio Sacerdoti*. Hosce autem errores, auditis prius Theologorum suffragiis, damnavit Joan. XXII., & ne eosdem quisquam deinceps docere, defendere, & disseminare præsumeret, districte vetuit, Constitutione edita Avenione VIII Kal. Augusti, sui Pontificatus anno V.; easdemque assertiones, iterum a nonnullis vindicatas, confixit Alexander V. anno 1409., Constitutione, quæ incipit: *Regnans in excelsis*. Sed nihilominus adhuc remanet controversia, an præfata facultas, quam nullus Catholicorum summo Pontifici, atque Episcopis abjudicat, ita ab illis delegetur aliis Sacerdotibus, ut velint a Fidelibus peccata sua tempore Paschalis, istis aperientibus, satisfieri Canoni, *Omnis utriusque sexus*. Negarunt quamplures ex antiquis, quos tamen strenue confutarunt S. Thomas *opusc. contra impugnantes religionem*, S. Bonaventura *tr. Quare Fratres Minores prædicent, & Confessiones audiant*, Joannes Gerson de statu Privilegiatorum, *considerat.* 5. 6. & 7. Ægidius Carlerius *in* 4. *sent. dist.* 17., Hadrianus *in* 4. *q.* 5. *de Confessione*, etenim ajebat Hadrianus: *Quemadmodum proprii licentia Sacerdotis sufficit, quoniam juxta præceptum Concilii Generalis tenentur confiteri proprio Sacerdoti: ita sufficit licentia Episcopi, summi Pontificis, aut eorum, quibus ad hujusmodi negotia commiserunt suam potestatem, ut est Vicarius Episcopi, & Pœnitentiarius Papæ*.

„ Sed tot, tantorumque Doctorum auctoritate, cui etiam totius Christiani orbis suffragatur consuetudo, minime preterriti aliquot recentiores Auctores, non dubitarunt dimicare, pro necessitate Confessionis faciendæ proprio Parocho, inter quos Bonaventura Basseu in suo Theophilo Parochiali *part.* 4. *art.* 15., Juenin *de Sacram. dissert.* 6. *q.* 5. *art.* 3. §. 1. & 2. & Van-Espen *jur. Eccl. univ. p.* 2. *tit.* 6. *cap.* 5., quibus in locis præterea contendunt, eam quoque esse Synodorum Galliæ, totiusque Gallicani Cleri sententiam. Verum istorum argumenta prævertit Natalis Alexander *hist. Eccles. dissert.* 4. *ad Sæc.* XIII. & XIV., ubi insuper, pluribus allatis monumentis, evidenter demonstrat, Ecclesiam Gallicanam longe aliud sensisse, quam isti venditent Auctores. Enimvero Concilium Provinciale Rothomagense anni 1581. *c.* 37., Concilium Provinciale Aquense anni 1585. *tit. de Pœnit.*, & Cameracense anni 1586., Regulares ab Episcopo approbatos, Sæcularium Confessiones, Paschali tempore audire posse aperte docuere: idemque, perspicuis verbis declararunt Diœcesanæ Synodi, Tolosana anni 1530., Claromontana anni 1538., Suessionensis anni 1561., & Lugdunensis anni 1577.. Cœtus autem totius Gallicani Cleri satis luculenter mentem suam aperuit, cum 25. Aprilis anni 1683. librum approbavit, quem pro Confessione facta cuilibet Sacerdoti ab Episcopo approbato scripserat Pater Bagottus, Societatis Jesu Presbyter, aliumque proscripsit contra Bagotti doctrinam evulgatum.

„ 4. Accedunt Constitutiones summorum Pontificum, Clemens VIII. Apostolicis litteris, anno 1592. ad Belgas datis, omnibus Fidelibus licitum pronuntiavit, Quadragesimæ, Paschatis, & alio quovis tempore, Religiosis Mendicantibus, Presbyteris Societatis Jesu, & aliis Privilegiatis confiteri, dummodo ab Ordinariis fuerint approbati; præcepitque Archiepiscopo Cameracensi, & Episcopo Atrebatensi, ut Parochos in officio continerent, ne prohiberent plebem sibi subditam, quominus Regularibus, tempore Paschali confiteretur: *Præsentibus decreta (ait) sancimus, tam dictis Fratribus Mendicantibus, & Presbyteris dictæ Societatis Jesu, quam aliis Privilegiatis prædictis, quibus id a Sede Apostolica indultum est, idoneis tamen, & ab Ordinario approbatis, peccata sua, etiam Quadragesimali, & Paschali, & quovis alio tempore confiteri licite posse: dummodo tamen iidem sæculares Christifideles sacramentum Eucharistiæ, die festo Paschalis Resurrectionis, in propria Parochia ab eorum Parocho sumant*. Eadem porro controversia iterum excitata inter Archiepiscopum Burdigalensem, & Regulares, Innocentius X. Constitutione edita VII. Idus Februarii 1645. incipiente: *Exponi Nobis*, definivit: *Non posse Archiepiscopus Burdigalensis prohibere Regularibus habentibus privilegia Apostolica, ne a Dominica Palmarum, usque ad Dominicam in Albis inclusive administrare valeant personis sæcularibus Sacramentum Confessionis*.

Utramque Constitutionem eludere tentat citatus Juenin, inquiens, a Clemente VIII., atque Innocentio X. definiri quidem, integrum esse Christi fidelibus confiteri Regularibus, a locorum Ordinariis legitime approbatis, quovis tempore, etiam Paschali: nequaquam autem decernit, per Confessiones Regularibus factas, fieri satisfactioni *Omnis utriusque sexus*. At vanum hoc esse effugium, ad Pontificia declinanda Decreta adinventum, nemo non videt; etenim, quia Sæculares, tempore Paschali, sola excepta Dominica Resurrectionis, sanctissimam Eucharistiam libere percipere possunt in Ecclesiis Regularium, eam tamen inibi percipientes non satisfaciunt præcepto annuæ Communionis, quod in hujus libri *c.* 42. *n.* 3. ostensum est, idcirco Clemens VIII. id in suo Decreto expresse cautum voluit. Idem itaque declarasset, si per Confessionem factam Regularibus, annuæ Confessionis præcepto satisfieri noluisset. Denique nullam similem interpretationem patitur Constitutio Clementis X., incipiens *Suprema*, promulgata XI. Kalend. Junii anni 1670. qua conceptis verbis decernitur, qui Paschali tempore Regularibus ab Episcopo approbatis sua peccata aperiant, satisfacere canoni *Omnis utriusque sexus*. *Eos* (inquit) *qui dictis Religiosis simpliciter approbatis, Paschali tempore, confessi fuerint, Constitutioni quæ incipit* Omnis utriusque sexus, *quoad Confessionem duntaxat, satisfecisse censendos esse*. In eadem insuper Constitutione definivit idem Pontifex, fas esse Fidelibus ægrotantibus absque alia, aut Episcopi, aut Parochi licentia, Sacramentalem Confessionem peragere apud Regularem, jam semel ab Episcopo approbatum, hac tantum adjecta lege, ut Regularis, qui Infirmi Confessionem excipit, teneatur de illa certiorem facere ejusdem Infirmi Parochum: *Regulares simpliciter ab Ordinariis approbatos posse in Diœcesi Episcopi approbantis, quovis anni tempore, & quorumcumque etiam Infirmorum Confessiones audire, absque ulla Parochorum, vel ipsius Episcopi licentia; de qua tamen Confessione teneri dictos Religiosos eorumdem Infirmorum Parochum illico certiorem reddere; & hoc posse illis ab Episcopo sub pœna suspensionis a facultate audiendi Confessiones præcipi: sufficere tamen, ut certioratio hujusmodi fiat saltem per scripturam, apud ipsum Infirmum relinquendam*.

„ Quæ cum ita se habeant, non poterat Episcopus Mindensis obligationem, a qua Fideles, saltem per prædictas Constitutiones, soluti jam sunt, illis iterum imponere, eosque præcepto adigere ad sacramentalem Confessionem soli Parocho, aut de solius Parochi licentia, alteri Sacerdoti faciendam, tempore Paschatis, aut instante mortis periculo? quapropter jure meritoque fuit prædicta Constitutio, Sac. Congreg. judicio, castiganda.

Hoc rursus, ac etiam clarius repetere haud dedignatur SS. D. N. in sua Notific. posita sub n. 18. *l. c. pauca tantum ad uberiorem Cleri sui eruditionem adjiciens; ubi hic legitur*: Sancta Mater Ecclesia, Can. 21. quarti Concilii Lateranensis Cap. *Omnis utriusque sexus, de Pœnit. & Remiss.* qui in jure communi continetur, id præcipit cuilibet Fideli, ut *omnia sua solus peccata saltem semel in anno fideliter confiteatur proprio Sacerdoti* ∴ Nos quidem Joannis Launoii opus illud de intelligentia memorati Canonis Lateranensis perlegimus, qui proprii Sacerdotis nomine Parochum designari contendit. Attamen dissertationem quoque Patris Natalis Alexandri expendimus de Historia Ecclesiastica XIII. ac XIV. Sæculi, in qua Launoii sententia sapienter refellitur. Revera si Joannes XXII. proscripsit Joannis Poliaci Parisiensis opinionem, qui Canonem Lateranensis Concilii male interpretatus, palam affirmaverat, Sæculares, qui Regularibus Sacerdotibus sua crimina confessi essent, ad Confessionem iterandam prorsus obstringi, Parochumque adeundum, ut rite expiarentur, sicut aperte comprobatur in Extravaganti (*Vas electionis*) ejusdem Pontificis, & ex præclaro monumento deducto ex Actis Vaticanis, (*anno Christi* 1321. *num.* 20.) allatoque a Raynaldo; si, inquam, hæc ita se habent, veterem, damnatumque Joannis Poliaci errorem iterum in lucem revocare, uti Raynaldus *tom.* 21. *oper. suor. pagin.* 152. expendit, qui

„ qui Paschali præcepto de Confessione haud satisfieri asserret, nisi Parochus, aut alius Sacerdos, ipsius facultate prius obtenta, seligatur.

„ Jubet igitur Lateranense Concilium, ut proprius Sacerdus, vel alter quipiam illius facultate pro Sacramento Pœnitentiæ adhibeatur. Illud solum perpendendum est, utrum Parochus tantum Sacerdotis proprii nomine intelligatur. Cum tamen inficiari nemo possit Summo Pontifici, & Episcopis, præter Parochos, Sacerdotis proprii titulum convenire, hinc si quis sua crimina vel ipsis, vel etiam Presbyteris, ab eisdem sine ulla limitatione designatis, confiteatur, Concilii Lateran. præcepto satis obsequitur. Ut reliquos omnes, qui gravissime super hac re scripserunt, omittamus, S. Thomam, *opusc. contra impugnantes religionem*, & S. Bonaventuram *tract. quare Fratres Minores prædicent, & Confessiones audiant*, tantum afferimus, ac nominamus. Qui contrariam sententiam audacter tueri voluit, eo paullatim adductus est, ut rem in medium proferret, quæ nulla ratione intelligeretur, Episcopum nempe haud posse suorum Diœcesanorum Sacerdotem nuncupari, nisi cum Sacramentum Confirmationis, atque Ordinis administraret, vel a casibus reservatis absolveret: Sic porro deprehenditur ex Epistola Encyclica a Clero Gallicano pro generalibus Comitiis coacto ad Episcopos Galliæ missa, in qua communem sententiam, quam docuit P. Bagot Soc. Jesu, complectitur, & eum vehementer improbat, qui eumdem auctorem audaci scripto lacessere non dubitaverat.

„ Hinc Pontifex Clemens VIII. anno 1592. in quosdam Galliæ Parochos ita decrevit: *Præsenti Decreto nostro sancimus &c. dictis Fratribus, & Presbyteris dictæ Societatis, quam aliis Privilegiatis prædictis, quibus id a Sede Apostolica indultum est, idoneis tamen, & ab Ordinario approbatis, peccata sua etiam Quadragesimali, & Paschali, & quovis alio tempore confiteri licite posse, dummodo tamen iidem Sæculares Christi fideles Sacramentum Eucharistiæ die Festo Paschalis Resurrectionis in propria Parochia ab eorum Parocho sumant.*

„ Idem confirmat Clemens X. in ea Constitutione, quæ incipit: *Superna*; & eos, qui dictis Religiosis simpliciter approbatis Paschatis tempore confessi fuerint, Constitutione, quæ incipit: *Omnis utriusque sexus*, quoad Confessiones dumtaxat, omnes satisfecisse censendos.

„ Ex iis, quæ hucusque commemoravimus, satis apparet, ut impleatur mandatum Lateranensis Concilii sæpius allatum, atque a Sacra Tridentina Synodo renovatum, quæ pariter jubet semel saltem in anno sumendam esse ab omnibus Paschali tempore Eucharistiam; apparet, inquam, Confessionis præcepto satisfacere, qui peccata sua cuilibet probato Sacerdoti confiteatur, &c.

D U B I U M VI.

Quisnam sit proprius Parochus Vagorum, Itinerantium, & duplex, vel plura habentium Domicilia.

42. QUi fixum habet Domicilium in uno tantum loco, potest sine dubio absolutionem, & Sacramenta recipere a Parocho illius loci, quia ille est proprius Sacerdos, & iste Parochianus, *cap. ult. de Parochiis*; & jam usus obtinuit, ut possit etiam confiteri cuicumque ea approbatis in tali loco; dicitur autem, quis habere alicubi domicilium fixum, qui ibi de facto habitat, animo perpetuo permanendi. Quod si habitationem habeat in duplici Parochia, in quibus æque habitet pro diversa anni parte, puta hyeme in una, & æstate in alia, poterit utrique Parocho, in quorum Parochia habet Domicilia, & cui maluerit confiteri, ab eoque Sacramenta recipere, quamvis eo tempore in ea Parochia non habitet, quia uterque est illi Parochus, uterque proprius Sacerdos, ratione utriusque domicilii. Navarrus, Suarez, Henriquez, quos affert, & sequitur Bonacina *disp.5. q.7. p.2.* Palaus *punct.13. n.10.* Tamburin. *de Pœnit. lib.5. cap.4. §.3.* & cum aliis Leander *q.40.*

43. Dubium esse potest de illo, qui domum habitat sitam in confinio duarum Parochiarum, *cujas debeat dici Parochianus, & a qua debeat Sacramenta recipere?* Verum dicendum est, esse Parochianum illius Parochiæ, in qua patet porta principalis, & magis frequentata illius domus, quia ex aditu judicatur de domo, cui cedat, ut probat Tambur. ex *l. et cui ædes, ff. de Legat. 3.* ita etiam Barbosa *de potest. Episc. allegat. 32. n. 71.* & *potest. Parochi c. 21. n.43.* Quod si utraque porta sit æque principalis, ut in magnis domibus aliquando contingere solet, utriusque Parochiæ erit Parochianus, & ab alterutro poterit Sacramenta recipere, quia humano modo, & secundum communem æstimationem, dicitur habitare in utraque Parochia.

44. Qui tamen habet domicilium in uno loco, sed permanet longo tempore, & majori anni parte in alio, ut sunt Scholares, Milites, Litigantes, & Mercatores, qui diu in aliquo oppido commorantur, possunt Sacramenta recipere non solum a Parocho proprii domicilii, sed etiam a Parocho, in cujus Parochia degit, Sacramento Ordinis excepto, quia ob longam habitationem contrahit quasi domicilium, ut possit a Parocho Sacramenta recipere, ut, multis allegatis, docuit Sanchez *lib.3. de Matrim. disp.23. n.12. & 13.* & *lib.3. sum. c.37. n.14.* Suarez, Reginaldus, Vasquez, Navarrus, Coninch, Filliucius, quos affert, & sequitur Bonacina *n.2.* Palaus *n.11.* Lugus *disp.19. n.7.*

45. Si vero habes fixum domicilium in uno loco, & ad alium divertas recreationis gratia, vel ad aliquod negotium brevi tempore reversurus, non potes in rigore juris ab illo Parocho absolvi, nec alia Sacramenta recipere, quia non contrahis ibi domicilium, vel quasi domicilium, sed diceris hospes, & peregrinus. Et in cap. *Is qui*, de sepultura dicitur, quod hospites, qui decedunt non electa sibi sepultura, non debent sepeliri in Ecclesia, ubi decedunt, sed in sua Parochiali: consuetudine tamen, & tacito Ordinariorum consensu introductum est, ut Sacramenta Pœnitentiæ, & Eucharistiæ recipiant a Parocho loci, in quo inveniuntur, sicut etiam absolvi possint a quocumque alio Confessario legitime approbato. Quod idem valet de Advenis, Peregrinis, & iter agentibus, qui ex tacito consensu, & licentia Ordinariorum possunt absolutionem recipere non solum a Parocho loci, in quo transeunter commorantur, sed etiam a quocumque alio Sacerdote ad Confessiones excipiendas approbato, ne diu cogantur abstinere a Confessione, ac Sacramentorum perceptione. Ita Suarez, Reginaldus, Vasquez, Sotus, Henriquez, Sylvester, Coninch, quos affert, & sequitur Bonacina *punct. 2. n.5.* Lugus *n.7.* Palaus *n.12.*

46. Dubium est: *an ille possit absolvi, qui data opera discedit a suo domicilio, ut declinet proprium Parochum, & occasione itineris confiteatur alteri extra Parochiam?* Negant plures, quia dum intervenit mala fides, & dolus, non præsumitur consensus proprii Parochi; quare licet possit absolvi ab alieno Sacerdote, qui iter agit bona fide, non tamen qui hoc facit in fraudem legis, quia solum in primo casu, non in secundo intervenit consensus tacitus proprii Parochi, & approbatio Summi Pontificis, cum nemini sua fraus debeat patrocinari. Ita Suarez, Vasquez, Coninch, Reginaldus, quos sequitur Bonac. *n.6.* Palaus *n.12.* Lugus *disp. 19. n.7.* Verum alii satis probabiliter existimant, in utroque casu posse itinerantem valide, & licite absolutionem recipere, ex illa regula Juris: *Nullus videtur dolo facere, quando utitur jure suo*; sed unusquisque jus habet iter agendi, & adeundi alium locum, ibique se constituere in statu gratiæ, & qui id facit, nulla utitur fraude, aut dolo. Deinde, quia jure per consuetudinem introducto, hoc passim fit absque eo, quod Episcopi umquam reclament, aut signum aliquod ostendant dissensus: & ita probabiliter tenet Zerola, Mollesius, Filliucius, quos citat, & sequitur Leander *q.39.* Ant. a Spiritu S. *sect. 3. n. 744.* Pontius *lib. 1. de Matrim. cap. 13. §. 1.* Tambur. *lib.5. cap.4. §.3. n.12.*

47. Denique Vagi, qui nullibi habent domicilium fixum, habent pro Parocho illum, in cujus Parochia pro tempore versantur; nam actualis habitatio loci, quam pro tempore habent, succedit illis in locum domicilii; & certe si indigent Sacramentis, Parochus loci, in quo reperiuntur, non solum potest, sed etiam tenetur ea ipsis ministrare, non nisi, quia est proprius ipsorum Sacerdos, cui peccata sua confiteri possunt, & a quo in Paschate, & tempore mortis debent Sacram Communionem recipere. Ita Reginaldus, Vasquez, Coninch, Suarez, Sylvester, Sotus, quos affert, & sequitur Bonac. supra *n.4.* Lugus *n.7.* Ant. a Spiritu S. *n.743.* contra Navarrum, Layman, & Palaum, existimantes, Vagos non solum posse cuilibet Sacerdoti approbato confiteri, sed ab eodem etiam Communionem recipere.

48. Quæres: *an Parochus, & Episcopus extra Diœcesim possint absolvere suum subditum?*

Resp. affirmative, quia hæc jurisdictio cum non sit contentiosa, nec requirat strepitum judicialem, potest ubique exerceri, nec terminatur loco, sed personis. Ita Suarez, Lugus, Zerola, Bonacina, Mollesius, Sylvester, & alii, quos sequitur Leander *q.41.* Ant. a Spiritu S. *n.737.* & pluribus citatis, Barbosa in Trident. *sess.23. c.15. n.19. & 20.* Hoc idem asserunt de illo, qui jurisdictionem habet ab Episcopo delegatam, quam poterit exercere circa subditos delegantis ubicumque eos invenias, dummodo tamen delegatio non sit limitata ad talem locum, vel Diœcesim, prout coarctari, & limitari Mediolani dicit Bonac. *n.10.* Hodie tamen Confessarii Regulares approbati in aliqua Diœcesi, non possunt subditum approbantis extra Diœcesim absolvere, propter Constitutionem Clementis X. incipiens: *Superna*, sub datum Romæ XI. *Kalendas Julii anno* 1670. in qua expresse dicitur: *Religiosos ab Episcopo ad Confessiones Sæcularium in sua Diœcesi audiendas approbatos, non posse in alia Diœcesi eos absque Episcopi Diœcesani approbatione audire, quamvis pœnitentes subditi sint eius Episcopi, a quo ipsi Religiosi jam fuerant approbati.* Hoc tamen non extenditur ad Parochos Regulares, qui non ex privilegio, sed jure ordinario Confessiones excipiunt suorum Parochianorum.

D U B I U M VII.

Quisnam habeat Jurisdictionem delegatam.

49. DElegatam jurisdictionem habent omnes, & soli Sacerdotes, quibus ab Ordinario, seu legitimo Superio-

periore conceditur: potest autem illam concedere, qui jurisdictionem habet ordinariam, quia rectus officii usus postulat, ut Ordinarius vices suas alteri delegare possit, ut habetur cap. *Inter cetera de Offic. Ordinarii*, cap. *cum Episcopus, eodem tit.* 1. *n.* 6. & cap. *Omnis utriusque sexus de pœnit. & remission.*, & tradunt communiter Doctores. Inde Summus Pontifex, qui plenissimam habet jurisdictionem, potest illam cuilibet Sacerdoti delegare in toto Orbe pro quolibet loco, & quibuslibet peccatis; Episcopus in sua Diœcesi, & Parochus in sua Parochia, quod verum est, etsi Parochus non sit Sacerdos, nec Episcopus consecratus. Cand. *disquis.* 24. *art.* 65. *dub.* 3. Ant. a Spiritu S. *sect.* 5. *n.* 755. cum hoc tamen discrimine, quod Pontifex potest alicui concedere facultatem audiendi Fidelium Confessiones, etiam invitis Episcopis, & Parochis, & Episcopus, invitis Parochis; at e contra non potest Parochus potestatem concedere Sacerdoti audiendi Confessiones suorum Parochianorum, invito Episcopo, nec Episcopus invito Pontifice. Licet possit facultas delegari ab Episcopo electo, & confirmato, quamvis nondum consecrato, non tamen potest ab Episcopo electo, sed nondum confirmato, quia ante confirmationem non habet Episcopus actualem jurisdictionem, cum vere nondum sit Episcopus, sed tantum designatus in Episcopum, ut tradunt Bossius *de Jubilæo sect.* 3. *casu* 2. §. 3. *num.* 57. Bonacina, Suarez, Facundez, quos sequitur Leander *q.* 51.

50. In eo, cui deleganda est jurisdictio, requiritur capacitas, nimirum quod non sit impeditus per aliquam censuram, & post Concilium Trident. requiritur etiam approbatio Episcopi, de qua postea dicam. Quare, licet Parochus cum habeat potestatem ordinariam, possit de jure antiquo suam jurisdictionem delegare cuilibet Sacerdoti, etiam non approbato: jure tamen positivo non potest suam jurisdictionem delegare ad audiendas Confessiones suorum Parochianorum, nisi Sacerdotibus approbatis ab Episcopo, cum eorum potestas restricta sit per Concilium Trident. dicens: *Neminem posse audire Confessiones Sæcularium, nisi aut Parochiale beneficium habeat, aut ab Episcopo approbetur*, ut late tradunt Diana *p.* 3. *tr.* 4. *resol.* 146. *p.* 10. *tr.* 16. *resol.* 75. Suarez *disp.* 28. *sect.* 4. *n.* 12. & 13. Candid. *disquis.* 24. *art.* 65. *n.* 4. Lugus *disp.* 21. *n.* 6. & alii communiter.

51. Non desunt Auctores affirmantes, etiam post Concilium Trident. Parochum posse delegare jurisdictionem simplici Sacerdoti non approbato ab Episcopo, eumque exponere ad suarum ovium Confessiones audiendas, quia Parochus hanc facultatem habet a jure, ut patet ex cap. *Placuit* cap. *Omnis utriusque sexus de pœnit. & remiss.* cumque facultas sit inserta in corpore juris, non potest dici fuisse ablatam per Decretum Concilii Trident. *sess.* 23. *c.* 15. *de ref.*; nam ibi solum intendit abrogare privilegia Bullæ, & consuetudines etiam immemorabiles audiendi Confessiones sine approbatione Episcopi, cujusmodi non est illa Parochi delegandi Confessores pro suis subditis; hanc enim non habet Parochus ex aliquo privilegio, neque ex consuetudine, sed ex jure ordinario ratione Officii, cujus proinde debuisset Concilium mentionem facere, si auferre voluisset; & ita tenent apud Dianam *cit. resol.* 146. Magister Joannes Gallo, qui Concilio Trident. interfuit, & Magister Joannes Orellanus, Petrus de Ledesma, Ludovicus de S. Joan. & probabilem putat Joannes de la Crux, & novissime sequuntur Thomas Hurtado *t.* 2. *tr.* 12. *c.* 1. *n.* 2624. & Ant. a Spiritu S. *sect.* 6. *n.* 763. eamdem Sententiam refert, nec impugnare audet Bossius *de Jubilæo sect.* 3. *casu* 2. §. 4. *n.* 130. & 133.

52. Verum existimo, non esse recedendum a communi Sententia supra relata, quia ex Concilio clare constat, neminem posse audire Confessiones Sæcularium, nisi aut Parochiale beneficium obtineat, aut ab Episcopo sit approbatus: quod ita verum puto, ut neque tempore Jubilæi, quando magna est frequentia pœnitentium, nec facilis est recursus ad Episcopum, possit Parochus simplicem Sacerdotem non approbatum exponere, quia adhuc in dicto, aut in alio casu necessitatis repugnaret dispositioni Concilii; etiamsi cum Henriquez oppositum teneat Bossius pro illo casu necessitatis, in quo, ait, posse legitime præsumi, Episcopum de præsenti ratam habere illam delegationem jurisdictionis, & approbare Sacerdotem pro tunc temporis ad audiendas Sæcularium Confessiones, prout etiam tenent Thomas Hurtado, & Diana *p.* 10. *tract.* 16. *resol.* 57.

DUBIUM VIII.

An, qui habet jurisdictionem delegatam, possit eam alteri subdelegare.

53. Regulariter loquendo, delegatus non potest subdelegare, nisi specialiter ab Ordinario, vel a jure illi concedatur; proinde spectanda est forma delegationis; si enim delegato expresse concedatur facultas subdelegandi, poterit sine dubio subdelegare, quia tunc non censetur ipse delegatus subdelegare nomine proprio, sed nomine delegantis, & auctoritate ab eo accepta sicut tradit Glossa cap. *Is cui, de offic. delegat. in* 6. Sanchez plures referens *l.* 3. *de matrim. disp.* 31. *n.* 18. Præcisa vero hac expressione, videndum est quomodo fuerit facta delegatio, quia dupliciter potest alicui jurisdictio delegari: primo, delegando simplex, & purum exercitium talis jurisdictionis, ut est potestas audiendi Confessiones, quæ communiter concedi solet, vel quando Parochus in magna aliqua Sollemnitate, & concursu Sacerdotes advocat adjutores in administratione Pœnitentiæ, & Eucharistiæ. Secundo, committendo, seu delegando ad tempus, vel in perpetuum Officium aliquod, cui est annexa jurisdictio, ut contingit, quando loco Ministri ordinarii, seu loco Episcopi, seu Parochi absentis, ægrotantis, seu mortui, quis interim substituitur ad tale officium ministrandum.

54. Itaque, qui primo modo delegatam habet jurisdictionem, non potest subdelegare, quia non habet jurisdictionem ordinariam, nec loco Ordinarii officium administrat, sed habet dumtaxat exercitium talis jurisdictionis, ac proinde non intelligitur illi concessa facultas substituendi, & subdelegandi, etiamsi illi delegetur universitas caussarum, v. g. ut possit audire omnium confessiones. Inde Confessarii, sive Sæculares, sive Regulares, sive ab Episcopo, sive a Pontifice ad hoc Sacramentum ministrandum expositi, cum facultate absolvendi omnes pœnitentes ab omnibus peccatis, non possunt alteri Sacerdoti subdelegare hanc facultatem, ne ad unum quidem actum, ut recte docent Lugus *disp.* 19. *n.* 15. Aversa *q.* 16. *sect.* 4. Ant. a Spiritu S. *disp.* 11. *sect.* 7. *n.* 769. Tambur. *de pœnit. l.* 5. §. 9. *n.* 6.

55. Similiter Capellanus conductus a Parocho, ut eum adjuvet in audiendis Confessionibus suorum subditorum, non potest subdelegare jurisdictionem sibi commissam, quia Parochus tunc non censetur committere illi suas vices, & officium Parochi, sed solum vult ejus operam, & exercitium actuale, ut quando Capellanum advocat adjutorem in Quadragesima, aut alio magno concursu, ut cum aliis advertunt Sanchez, Lugus, Ant. a Spiritu S. & alii.

56. Quando jurisdictio fuit secundo modo delegata, nimirum quando delegatur non solum purum exercitium, seu officium aliquod vicarium, cui annexa est jurisdictio, potest ille acceptam jurisdictionem ex parte subdelegare. Ratio est, quia dum retinet officium, est quasi Ordinarius, estque ipsi cum officio demandata jurisdictio, quam proinde potest subdelegare, non quidem amplam, & universalem, sicut ipse habet, cum Officium non sit sibi proprium, sed ad aliquem particularem actum, & iterum ad alium, & ita sigillatim, quia, ut inquit Tambur., non præsumitur Ordinarium voluisse adeo rigorose se gerere cum suo universali Vicario, & Officiali, ut ne in casu quidem particulari aliquid possit supra id, quod potest delegatus ad absolvendum; quinimmo congruum, & rectæ gubernationi necessarium esse videtur, ut facultas subdelegandi permittatur: quia tamen officium non gerit tamquam proprium, non potest totam jurisdictionem, quam habet, in alium transferre, sed partem dumtaxat, & ad particularem actum; in quo conveniunt communiter Doctores, & in hoc sensu verificatur illa regula juris, quod *Delegatus ad universitatem caussarum potest subdelegari in casu particulari*, quando nimirum fuit demandatum officium cum jurisdictione, non vero si solum fuit commissum exercitium, & usus jurisdictionis, ut in primo casu supra assignato.

57. Pœnitentiarium Episcopi de more in Ecclesia Cathedrali constitutum ex præscripto Concilii Trident. *sess.* 24. *c.* 8., & eo magis summum Pœnitentiarium Papæ, posse in casu particulari subdelegare alicui Confessario facultatem absolvendi a casibus Episcopo reservatis, affirmant Zenardus *de pœnit. c.* 40. Zerola *in praxi pœnitent. c.* 24. *q.* 17., & in praxi Episcop. V. *Pœnitentiarius*, Piasecius *in praxi Episc. p.* 2. *c.* 1. Homobonus *de Exam. p.* 3. *tr.* 14. *c.* 4. *q.* 21., & *de casibus reservat. p.* 1. *c.* 5. Aversa *q.* 16. *sect.* 4. Diana *p.* 2. *tr.* 17. *resol.* 53., & alii apud ipsos, vel quia jurisdictionem habent delegatam cum facultate subdelegandi, sufficienter expressa in ipsa collatione talis officii, nisi ab Episcopo limitetur: vel quia jurisdictionem habet ordinariam ad casus ipsos reservatos, tamquam ex officio constitutus, sive tamquam Vicarius Spiritualis Episcopi, quoad forum Animæ. Angles *in Flor. Theol. q. de confess. diff.* 6. Zerola *in praxi pœnit. c.* 22. *q.* 5., & Faraonius *de Sacr. pœnit. tr.* 1. *sess.* 18. *casu* 13. conveniens siquidem fuit, ut Vicarius ab Episcopo pro foro conscientiæ institueretur, qui ipsius vice, & auctoritate a casibus, & censuris, Episcopo jure, vel consuetudine, vel ab homine reservatis, absolveret: in his, juramento, impedimento petendi debitum, nec non in irregularitatibus ex delicto occulto provenientibus, exceptis iis, quæ proveniunt ex homicidio voluntario in foro conscientiæ dispensaret, juxta cap. *Liceat*, Concilii Trident. *sess.* 24. Item & absolvendi a casibus reservatis in casu particulari, dum in facto consulitur, facultatem alteri delegare posset, ut cum Zecchio, Joan. Cap. Riccio, Piasecio, Zerola, Tuscho, & Bonacina, docet Homobonus de Exam. *p.* 3. *tr.* 14. *c.* 4. *q.* 21.

58. Quamvis autem Concilium *sess.* 24. *c.* 8. in singulari numero loquens decernat, Pœnitentiarum aliquem constituendum esse, non tamen prohibet, quin Episcopus in Civitate, & Diœcesi plures Pœnitentiarios constituere possit cum eadem omnino facultate etiam subdelegandi in casu particulari, & constat ex declarat. Sacræ Congreg. Concilii relata a Stephano Quaranta in suo Bullario V. *casus reservati*, ubi habetur: *Interim de ipsis Sanctitatis suæ mandato iidem Ordinarii monentur, ut per totam suam Diœcesim*,

ac præsertim iis locis, qui a Civitate, & Cathedrali sede longius remoti sunt, Pœnitentiarios aliquos Sacerdotes constituant, ac delegent, quibus facultatem absolvendi a casibus sibi reservatis concedant, ita ut his quoque liceat, eamdem aliis Confessariis, si opus sit, etiam viva voce impertiri: & quidem Pœnitentiarios in hac Bononiensi Metropolitana Ecclesia constitutos habere facultatem absolvendi a casibus reservatis, eamque in casu particulari subdelegandi, constat tum ex dictis, tum ex speciali declaratione facta in Synodo Diœcesana celebrata Anno 1698. sub Eminentissimo, & Reverendissimo Cardinali Jacobo Boncompagno Bononiæ Archiepiscopo *l.* 2. 5. *circa finem*.

59. Hanc facultatem subdelegandi in casu particulari extendit Diana super *p.* 2. *tr.* 17. *resol.* 53. ad Superiores Regularium, quibus data est facultas absolvendi a casibus Episcopo reservatis; sed immerito, quia si id posset Prælatus Regularis, posset etiam quicumque alius, cui Episcopus talem facultatem absolvendi a reservatis concessisset, cum in hoc Prælatus Regularis nihil differat a simplici Confessario, cui usus tantummodo, exercitium jurisdictionis committitur, non officium, cui sit talis jurisdictio connexa: ac proinde sicut ille non potest, ita nec Prælatus Regularis potest in casu particulari substituere, & subdelegare. Alii hanc facultatem concedunt Archipresbytero rurali, cui ea facultas absolvendi a reservatis sit concessa: sed neque id videtur tutum, si non sit ab Episcopo expressum, cum non sit Pœnitentiarius, cui ex proprio officio a casibus reservatis absolvere incumbit: & ita tenent Aversa *supra*, & Homobonus *de Casibus reservatis, & tom.* 2. *consult. p.* 5. *responso* 148.

DUBIUM IX.

An Jurisdictio delegata exspiret per mortem Concedentis, aut per ejus cessationem ab officio.

60. Jurisdictio delegata potest concedi, aut simpliciter, & absolute absque restrictione temporis, aut limitate ad certum tempus, ad annum, ad sex menses, vel simile spatium. Si concedatur limitate, exspirat per lapsum temporis absque eo quod retractetur; non enim extenditur ultra voluntatem Concedentis, nisi forte Confessio jam cœpta audiri tempore habili, non possit perfici, nisi post illud spatium; tunc enim posse adhuc tempore sequenti compleri docent communiter Doctores apud Lugum *disp.* 19. *n.* 24. Si vero fuit concessa sine restrictione, & limitatione temporis, dubitatur, an illa exspiret per mortem Concedentis, aut per cessationem ejusdem ab officio. Et quidem jurisdictionem in hoc foro a Pontifice delegatam non exspirare per mortem ejus, seu deinceps continuari communiter admittunt Doctores; & patet in Pœnitentiariis, & Regularibus a Summo Pontifice delegatis, constatque expresse cap. *Si super gratia* de Officio delegati in 6. & cap. *sicut nulla* de Præbendis in 6. Diana *p.* 8. *tra.* 1. *resol.* 83. De aliis inferioribus Prælatis controversia est inter Doctores; delegatam siquidem jurisdictionem exspirare per mortem, aut cessationem delegantis, quando res adhuc erat integra, & non cœpta confessio, sentiunt Paludanus, D. Antonin., & alii apud Aversam, & Amicus apud Dianam supra.

61. Resp. jurisdictionem delegatam etiam ab inferioribus Prælatis ad audiendas Confessiones non exspirare morte concedentis, aut finita ejus jurisdictione, sed adhuc durare donec a Successore revocetur, ut constat ex ipsa praxi, quia defuncto Episcopo, & cessante Prælato Regulari a suo officio, adhuc Confessarii antea deputati in suo munere, & officio perseverant in Confessionibus audiendis, non tantum in perficienda aliqua Confessione prius incœpta, sed etiam in novis Confessionibus inchoandis, & cum sæpe contingat, mortem Episcopi non statim per totam Diœcesim divulgari, fierent multæ confessiones invalidæ, si per mortem Episcopi cessaret jurisdictio delegata. Ratio est, quia gratia non exspirat morte concedentis; hæc autem jurisdictio concessa pro foro Sacramentali, computatur inter gratias, cum non solum pœnitentibus, sed etiam ipsis Sacerdotibus sit maxime favorabilis, & nemini odiosa; ergo non cessat per mortem concedentis; quamvis exspiret jurisdictio in materia justitiæ in foro contentioso, quando res est integra, & non cœpta caussa. Const ex juribus supra relatis, quæ licet loquantur de Pontificia delegatione, ratio tamen extenditur etiam ad Episcopalem, & omnem aliam intra suos terminos. Ita Suarez, Heriquez, Sanchez, Graffius, Sayrus, & alii, quos affert, & sequitur Aversa *q.* 16. *sect.* 4. Ant. a Spiritu S. *sect.* 14. *n.* 813. Lugus *disp.* 19. *n.* 39. &, aliis citatis, Palaus *tr.* 3. *disp.* 4. *punct.* 16. §. 4. *n.* 3.

62. Major est difficultas, quando conceditur facultas duratura ad beneplacitum, *an tunc exspiret morte concedentis*; & quidem si dicatur ad beneplacitum Sedis, omnes admittunt, non terminari per mortem, quia Sedes non moritur; item si dicatur; *donec revocavero; donec aliter disposuero*, durat post mortem concedentis, quia non succedit actus contrarius revocationis, vel novæ dispositionis. Si vero dicatur; *ad beneplacitum nostrum*, aliove modo relato ad ipsum concedentem, tunc satis communiter dicunt, finiri morte concedentis, quia tunc cessat illa ejus voluntas, & beneplacitum, cum jam non habeat nec velle, nec nolle. Ita Suarez *disp.* 27. *sect.* 4. Reginaldus *l.* 5, *n.* 95. Aversa *loco cit.* Bonacina *de privilegiis disp.* 1. *q.* 3. *p.* 8. §. 1. *n.* 19., & alii apud Bossium *sect.* 3. *casu* 2. §. 1. *num.* 10.

63. Alii satis probabiliter docent, non cessare, nec spirare morte concedentis. Ratio est, quia *Beneplacitum Nostrum*, idem sonat, ac Beneplacitum Sedis; nam Beneplacitum Episcopi est Beneplacitum Sedis, siquidem Episcopus non potest alia ratione facultatem concedere, quam ut Episcopus in Episcopali Sede constitutus. Quare illa verba, *ad Beneplacitum meum, donec voluero*, in communi modo loquendi, æquivalent illis verbis; *donec revocavero, donec aliter disposuero ad Beneplacitum Sedis*. Quod confirmat Bossius ex eo, quod in favorabilibus, quæ certum finem non habent, perpetua creduntur, & concessionem ad beneplacitum factam dicunt esse perpetuam, pro quo jura, & Auctores adducit. Ita etiam sentit Castro Palaus *to.* 1. *tr.* 3. *disp.* 4. *p.* 16. §. 5. *n.* 5. Emanuel Sà verbo *Gratia nu.* 7., & probabile putat Diana *p.* 6. *tr.* 6. *resol.* 48. Quoad Regulares Beneplacitum durare etiam post mortem Episcopi, cum Bossio, & Bordono affirmat Aversa ex Constit. Clementis IV. incipiente *Exigentibus*, & Extravag. *Inter cunctas*, de privil. §. *ut autem*, ibi: *Datam vero licentiam per Diœcesanorum mortem nolumus terminari*.

64. Quæres: *an licentia, seu facultas alicui data ab Episcopo, seu alio Prælato eligendi sibi Confessarium a quo absolvatur, exspiret mortuo Concedente, vel eo amoto ab officio*.

65. Resp. non exspirare, sed posse post mortem Concedentis eligere Confessarium, etiam re integra, quia est gratia jam illi facta, & beneficium legitime ab illo possessum, ratione cujus potest Sacerdotem eligere; gratia autem facta non spirat morte Concedentis. Sic Navar. in cap. *Placuit, de Pœnitent. dist.* 6. *num.* 35. & 161. Henriquez, Suarez, Sanchez, Nicol. Carz. Basilius de Leon., quos citat, & sequitur Palaus *loco sup. cit.* §. 4. *n.* 7. Leander *q.* 43. Ant. a Spiritu S. *n.* 281. Diana *p.* 8. *tr.* 3. *resol.* 99. Quæ doctrina procedit a fortiori in facultate eligendi Confessorem data per Jubilæum, aut per Bullam Cruciatæ, quæ non exspirat morte Pontificis concedentis. Item in facultate recipiendi Ordines extra tempora, vel non servatis interstitiis, celebrandi in privato Oratorio, comedendi carnes diebus prohibitis, & aliis similibus, quia hæ omnes sunt gratiæ factæ ipsi, cui tales facultates conceduntur, ac proinde perire non debent morte Concedentis, ut cum supradictis doctoribus bene observat Palaus *n.* 7.

66. Quod si facultas concessa fuisset non pœnitenti, sed Confessario audiendi Confessionem alicujus determinati pœnitentis in favorem tantum illius pœnitentis; tunc, re integra, seu non cœpta Confessione, facultatem exspirare morte concedentis, asserunt Sanchez *l.* 8. *disp.* 28. *n.* 73. Lugus *disp.* 19. *n.* 38. Garzia *b. p. c.* 2. *n.* 327. Bonacina *disp.* 1. *q.* 3. §. 1. *n.* 25., quia tunc non est gratia facta, sed facienda, & per Confessarium exequenda, quæ, re integra, exspirat morte Concedentis ex cap. *si cui nulla de præbend. in* 6. Licet hæc sit communis Sententia, & in praxi consulenda, contrariam tamen probabiliter asserunt Salas, Sà, Suarez, Basilius de Leon., quos affert, & sequitur Palaus *n.* 5. quia facultas Confessario data ad absolvendum, vel dispensandum non solum est in gratiam pœnitentis, sed etiam Confessarii, qui ut magis idoneus electus est ad illam absolutionem, & dispensationem concedendam. Ita etiam Diana *supra*, & Ant. a Spiritu S. *n.* 816.

DUBIUM X.

An Error communis cum titulo, aut sine titulo Colorato tribuat Jurisdictionem.

67. Error communis tunc contingit, quando in aliquo loco simplex Sacerdos communiter creditur esse legitimus Confessarius; cum talis non sit; per titulum coloratum intelligitur collatio alicujus officii habentis curam animarum facta a vero, & legitimo Superiore, sed invalida ex parte recipientis ob defectum, & impedimentum occultum; puta irregularitatem, aut aliud canonicum impedimentum: collatio enim illius Beneficii est titulus, sed quia est nulla, & invalida, non est titulus verus, sed deputatus, & coloratus. Idem valet de licentia data ab Episcopo simplici Confessario ad audiendas Confessiones, sed jam terminata, aut revocata, vel alia ratione irrita, seu impedita quoad usum ob occultum defectum supervenientem communiter ignoratum; illa enim licentia est titulus, sed invalidus, & coloratus propter defectum communiter ignoratum.

68. Resp. Sacerdotem habentem titulum coloratum cum errore communi, habere sufficientem jurisdictionem, & facultatem absolvendi, quia ob bonum commune, & favorem Fidelium Ecclesia supplet, & Pontifex approbat hujusmodi Sacerdotem, illique tribuit jurisdictionem necessariam, quæ bona fide adesse putatur. Utrumque enim jus statuit, tam gesta a Judice ordinario, quam a delegato (qualisest Confessarius) habente titulum coloratum, seu putativum, cum errore communi, valere tam in foro externo, quam in interno, quamdiu nullitas tituli ignoratur, idque ob publicam quietem, ne majora scandala, & inconvenien-

nientia sequantur, si, detecta tituli nullitate, omnia gesta per Judicem putativum, præsertim ad totum animæ spectantia, rescindenda forent; & habetur ex dispositione *L. Barbarius*, §. *Si servus*, *ff. de offic. Prætoris*; cum enim servus quidam, qui apud Romanos incapax erat dignitatum, Præfecturam obtinuisset, multaque Decreta in sua Ditione fecisset, dubitatum fuit, an fuissent valida, cum in Jure pro nullis acta servorum habeantur; responsum fuit ab Ulpiano, esse valida, & non esse reprobanda, illis verbis: *Humanius est illa non reprobare, cum etiam potuisset Populus Romanus servo decernere hanc potestatem; sed, & si scivisset, servum esse, liberum effecisset*. Idque habetur C. *Infamis* 3. *q*.7. ubi sic dicitur: *Si servus, dum putaretur liber, ex delegatione sententiam daret, quamvis postea in servitutem depulsus sit, sententia ab eo dicta rei judicatæ firmitatem tenet*. Ubi decernitur, quod quamvis servus incapax sit jurisdictionis, si tamen communiter ignoretur esse servus, & ex delegatione exercuerit jurisdictionem, gesta per ipsum valent, non quia habuerit verum titulum ad exercitium jurisdictionis, sed quia Princeps propter utilitatem publicam illa facit valida; & tenent Doctores communiter, quos affert, & sequitur Bossius *de Jubil. sect.* 3. *casu* 2. §.4. *n*. 144. Sanchez *de Matrimon. lib*.3. *disp*. 22. *n*. 14. & 27. Candidus *disq*. 24. *art*. 63. *dub*.2. Diana *part*.8. *tr*.1. *resol*.94. & cum aliis Leander *q*. 101.

69. Ad hoc autem, ut detur titulus coloratus, non sufficit error unius, aut alterius, seu paucorum putantium, Sacerdotem adhuc esse approbatum, aut legitime possidere Beneficium, sed requiritur communis error in Civitate, seu loco, in quo Sacerdos Confessiones audit, quamvis forte in alio loco notorium sit, illum talem non esse, maxime quando prudenter judicatur, ut verosimiliter non potuerit venire in notitiam hujus loci, quia in isto casu militat ratio publicæ utilitatis, ut nimirum evitentur scandala, quæ orirentur, si Confessiones ibi factæ cum illo communi errore essent nullæ; notitia autem alterius loci, præsertim multum distantis, impertinens est; nam & servus ille in *L. Barbarius* notus erat servus Romæ, & tamen, quia fuerat ignotus in eo loco, ubi Præfecturam gessit, ejus gesta pro omni loco absolute valida fuerunt existimata.

70. *An ille, qui cognoscit talem Sacerdotem non esse approbatum, nec esse verum Parochum, possit nihilominus, stante communi errore, ab illo Sacramenta petere?*

Resp. non posse hoc facere sine peccato, quia petendo Sacramenta ab illo, quem scit non esse verum Parochum, cooperatur peccatis illius scienter usurpantis jurisdictionem, quam ex se non habet, nisi casus urgentis necessitatis, aut alia rationabilis caussa excuset; ut si petas Sacramentum Pœnitentiæ, illud erit nullum, quia peccas cooperando indignæ administrationi, & sic accedis indispositus, & cum obice, & per consequens invalidam absolutionem recipis. Matrimonium coram illo celebratum esset validum: Tambur. *de Pœnit. lib*. 5. *cap*.4. §.7. *nu*. 14. Sanchez, Barbosa, & Garzias, quos sequitur Bossius *supra n*.152.

71. Difficultas modo est: *an pro validitate Confessionis sufficiat solus error communis sine titulo colorato; an nimirum Sacerdos, qui sine ulla approbatione, seu titulo, & auctoritate legitimi Superioris se intrusit ad audiendas Confessiones, vel in officium Parochi, valide Sacramenta ministret, si adsit communis error, vel potius Confessiones illi factæ sint nullæ, & iterandæ, habita notitia inhabilitatis illius Sacerdotis?* in quo discrepant Doctores. Prima Sententia affirmat, sufficere errorem communem, etiam sine titulo colorato, quia motivum adæquatum juris determinantis, valida esse gesta ab habente titulum caloratum cum errore communi, est bonum publicum, quia sequerentur gravia scandala, si Confessiones essent iterandæ, & Matrimonia instauranda; sed hæc eadem ratio militat etiam, quando adest solus error communis sine titulo colorato; ergo debet esse eadem dispositio juris. Ita Diana *p*. 2. *tr*. 16. *resol*.45. *p*. 3. *tract*. 4. *resol*. 122. & *p*. 8. *tr*. 1. *resol*. 94. Basilius Pontius *lib*. 5. *de Matrim. cap*. 10. *n*. 2. & *seqq*. Leander *q*. 102. & aliis pluribus citatis, Ant. a Spiritu S. *disput*.8. *sect*. 4. *num*.751.

72. Secunda Sententia, quæ est communior, & probabilior, negat sufficere errorem communem sine titulo colorato; adeoque repetendam esse Confessionem factam Confessario non approbato, quamvis communi errore putetur approbatus. Ratio est, quia secundum dispositionem utriusque juris, cum errore communi requiritur etiam titulus auctoritate Superioris collatus, licet occulte invalidus; nam in illo servo, de quo *L. Barbarius*, *ff. de officio Prætoris*, cum errore communi reperitur titulus coloratus. Nec obstat ratio in oppositum adducta, quia in jure positivo non licet argumentari ab uno ad aliud, etiamsi militet eadem ratio, sed standum est dispositioni juris. Deinde non militat eadem ratio publicæ utilitatis, quæ quidem exigit, ut gesta per habentem titulum coloratum a legitimo Superiore, cum communi errore, censeantur valida, non autem gesta per intrusum sine titulo a Superiore collato; quin potius publica utilitas postulat, ut ab isto gesta sint in utroque foro irrita, ut via præcludatur fraudolentis fictionibus, præsertim circa Sacramenta. Et constat ex communi praxi omnium Ecclesiarum ubique locorum, secundum quam Confessiones Fidelium factæ Sacerdoti intruso, & fingenti se habere auctoritatem absolvendi; cum tamen a nullo umquam legitimo Superiore acceperit, censentur invalidæ, licet fuerint bona fide, & cum communi errore factæ, si detegatur defectus jurisdictionis, & solent Fideles Confessiones taliter factas reperere. Sic tenent Bossius *num*. 153. Sanchez *dicta disp*. 22. *n*.40. Barbosa *allegat*. 24. *n*.43. & 44. Lessius *lib*. 2. *c*.29. *dub*.8. *n*.68. Suarez, Reginaldus, Coninch, Villalobos, Filliucius, Jo: Valerius, & Facundez, quos affert Diana *p*.2. *tr*.16. *resol*. 45. Homob. *de Exam. p*. 1. *tr*.4. *c*.3. *q*.20. & alii apud ipsos.

73. Nec dicas, quod sequerentur scandala, & perturbationes animarum, si Confessiones, Matrimonium, & Sacramenta ministrata ab eo Sacerdote intruso, qui communiter existimabatur Parochus, & verus Minister, forent invalida, & repetenda.

Resp. hæc etiam sequi, si ministraret Sacerdos sine debita intentione, aut non Sacerdos, qui se fingeret Sacerdotem; & tamen Christus noluit hujusmodi actus auctorizare: ita nec Ecclesia auctorizare voluit actum Ministri intrusi absque Superioris legitima auctoritate, idque ad præcavenda alia inconvenientia, & fraudes, quæ facillime possent a multis committi, si gesta ab intruso, absque titulo a Superiore collato, valida censerentur.

74. Hinc infert Bossius cum Sanchez, & aliis, ad validitatem gestorum non sufficere titulum a quocumque Superiore collatum, sed requiri, ut sit collatus a legitimo Superiore habente alias potestatem illum conferendi; secus gesta non valebunt, quamvis adsit communis error; & sic non valent gesta a subdito Suffraganei, cui non Suffraganeus, sed Archiepiscopus contulit titulum; nec gesta ab eo, cui Vicarius Capituli, Sede vacante, contulit curatum Beneficium, quod spectabat ad Episcopum, nec in eo locum habet *L. Barbarius*.

75. Requiritur insuper ad validitatem gestorum, quod Subjectum ex jure divino, seu naturali non sit incapax jurisdictionis, quia tunc Ecclesia illam supplere non potest; quare si non Sacerdos absolveret, aut consecraret, nihil faceret, quamvis errore communi putaretur Sacerdos, aut Confessarius, quia Ecclesia facere non potest, quod non Sacerdos valide absolvat, aut consecret, cum ad hoc de jure divino sit necessarium Sacerdotium.

DUBIUM XI.

An sufficiat jurisdictio dubia, seu tantum probabilis ad ministrandum hoc Sacramentum?

76. Dubium, aliud est mere negativum, quando in neutram partem potest intellectus determinari per judicium positivum, & probabile, sed suspensus manet, & anceps; aliud positivum, quando pro utraque parte adsunt probabiles rationes, quo modo dici solet opinio probabilis. Omnes fere conveniunt, numquam licitum esse ministrare hoc Sacramentum cum jurisdictione negative dubia propter periculum faciendi Sacramentum irritum, ac nullum, quod non potest esse licitum, nisi in casu extremæ necessitatis, quando remedium magis securum haberi non potest; quo casu absolutio deberet impendi sub conditione, prout docent Suarez *disp*.26. *sect*.6. Lugus *disp*. 19. *n*.28. Coninch *disp*.8. *dub*.6. *n*.43. Quamvis casus extremæ necessitatis, in qua sit licitum uti jurisdictione negative dubia, vix, aut numquam contingere possit; nam si est necessitas extrema, & periculum mortis, jurisdictio non est dubia, sed certa, cum omnes Sacerdotes possint in eo articulo moribundum absolvere ab omnibus peccatis, & censuris; si necessitas non est extrema, non est cur Sacerdos utatur jurisdictione dubia, cum pœnitens non teneatur confiteri, nam deberet adhuc elicere actum perfectæ Contritionis, ne celebraret, vel communicaret in dubio status gratiæ, quod non potest tolli per Sacramentum celebratum cum jurisdictione dubia. Præterquam quod teneretur postea iterum confiteri Sacerdoti habenti jurisdictionem debitam; quare non debet gravari tunc ad confitendum cum eo dubio, ut cum Suarez, & Sancio docet Aversa *qu*. 16. *sect*. 5. *in fine*.

77. Quando occurrit dubium positivum, seu probabile; tunc probabilitas aut versatur circa materiam, & formam Sacramenti, aut circa jurisdictionem Ministri; quando potest haberi materia, & forma certa, numquam licitum est ministrare Sacramentum cum materia, aut forma solum probabili; & oppositum damnatum est ab Innocentio XI. *proposit*.1. inter damnatas. Ratio est, quia veritas Sacramenti non dependet ab existimatione, & opinione nostra, sed a veritate formæ, & materiæ a Christo institutæ, cujus defectum nec Ecclesia, nec opinio probabilis supplere potest; ergo si potest haberi materia, & forma certa, non erit licitum adhibere dubiam, cum periculo faciendi Sacramentum nullum, & irritum, si forte materia adhibita non esset sufficiens. Deficiente materia certa, permissum est ministrare Baptismum sub conditione in materia dubia, ut morituro succurratur omni modo possibili, etiam dubio.

78. Si vero probabilitas versetur circa jurisdictionem Ministri, quam potest Ecclesia supplere, & concedere; puta, an

ra, *an casus aliquis sit reservatus, vel non?* tunc prima Sententia affirmat, non esse licitum ministrare hoc Sacramentum cum sola jurisdictione probabili, quando potest haberi Minister habens jurisdictionem certam, quod probant ex principio generali, quod non liceat in administratione Sacramentorum uti opinione probabili, relicta parte tuta, & certa, ne Sacramentum exponatur periculo nullitatis, cum detrimento animæ, quæ exponitur periculo carendi beneficio Sacramenti, si forte opinio probabilis non sit in rigore vera, quod esset contra Religionem, & caritatem proximi. Ita Nugnus, Peregrinus, Salas, Sancius, Filliucius, quos affert Aversa *qu.* 16. *sect.* 5. & late Philippus a SS. Trinitate *disp.* 12. *dub.* 4.

79. Secunda Sententia communis, & vera, tenet, licitum esse absolvere pœnitentem, quando adest opinio vere probabilis de jurisdictione Confessarii, quia licet illa opinio coram Deo esset falsa, non tamen Sacramentum exponitur periculo nullitatis, nec pœnitens detrimentum aliquod patitur; nam Ecclesia tunc supplet defectum jurisdictionis, seu confert jurisdictionem certam. Si enim quando concurrit error communis cum titulo putativo, Ecclesia confert jurisdictionem certam, adeo ut facta cum tali errore, & titulo, sint valida in utroque foro: ita eamdem tribuit, quando adest opinio vere probabilis de jurisdictione Confessarii; nam tunc concurrit communis error cum titulo putativo, non solum vulgi, sed omnium fere sapientum talem opinionem probabilem existimantium; ergo tunc Ecclesia vera confert jurisdictionem certam, & sic nulla adest irreverentia Sacramenti, nec detrimentum proximi, quamvis illa opinio coram Deo esset falsa. Conf. quia jurisdictio certa confertur etiam ex universali Ecclesiæ consuetudine, ut postea dicam *dub. sequenti*; sed ex universali Ecclesiæ consuetudine omnes fere Sacerdotes absolvunt cum jurisdictione probabili, ut tacite probat Thomas Tambur. *lib.* 5. *de Pœnit. c.* 4. §. 8. ergo signum est, Ecclesiam tunc concedere jurisdictionem certam, ne tot actus irriti sint. Et ita tenent Sanchez, Suarez, Henriquez, Basilius da Leon., Coninch, Filliucius, Reginaldus, Villalobos, Hurtadus, Bossius, & alii, quos affert, & sequitur Leander *disp.* 11. *q.* 103. Lugus *disp.* 19. *sect.* 1. §. 1. Bonacina *de Legib. qu.* 4. *p.* 9. *n.* 9. Aversa *q.* 16. *sect.* 5. Ant. a Spir. S. *sect.* 19. *n.* 824. Diana *p.* 2. *tr.* 13. *resol.* 2. *& tr.* 15. *resol.* 29 *p.* 3. *tr.* 2. *resol.* 3. *& p.* 8. *tr.* 1. *resol.* 93. Palaus *to.* 1. *disp.* 2. *punct.* 5. *num.* 3. Leander *qu.* 79.

80. Hanc Sententiam veram esse non solum in vita, sed etiam in periculo & articulo mortis, cum Perez, & aliis Doctoribus docet Ant. a Spiritu S. *n.* 825. Nec tenetur Confessarius pœnitentem admonere de incertitudine Sacramenti, quia, stante probabilitate jurisdictionis, non exponitur periculo faciendi Sacramentum irritum, cum certam, & indubitatam habeat jurisdictionem ex tacito consensu Ecclesiæ, & ratihabitione de præsenti supplente jurisdictionem. Ad hoc tamen requiritur, ut opinio sit vere probabilis, & ut talis communiter existimetur a Doctis; unde non sufficeret, si probabilitas solum alicui privato appareret, quia non esset error communis requisitus ad tribuendam jurisdictionem, ut cum aliis notat Aversa *supra*.

DUBIUM XII.

De aliis modis, quibus delegatur jurisdictio.

81. Dubitari solet, *an sufficienter delegetur jurisdictio per ratihabitionem; & præsumptam voluntatem Superioris, nec non per consuetudinem legitime introductam?* Et quidem non sufficienter delegari per ratihabitionem de futuro, tenent communiter Doctores. Ratio est, quia ad validitatem hujus Sacramenti necessaria est actualis jurisdictio, quæ absque consensu Superioris non conceditur; sed tempore, quo ministratur Sacramentum non adest consensus Superioris jurisdictionem concedentis; ergo non adest jurisdictio, & inde invalidum est Sacramentum cum ratihabitione de futuro ministratum; nec potest Superior postea illud ratificare, & convalidare, quando amplius non existit. Neque obstat Regula 10. Juris in 6. *Ratihabitionem retrotrahi, & mandato non est dubium comparari*; quia valet tantum de contractibus, aliisque caussis civilibus, quibus, etsi desit aliqua sollemnitas, suppleri postmodum potest, ac si ab initio fuisset. Secus est in Sacramentorum administratione, quæ si a principio fuit invalida, nulla potentia ratificari, & convalidari potest; unde in illis locum habet alia Regula Juris: *Quod ab initio non valet, tractu temporis non convalescit.*

82. Dices: Baptismus, & alia Sacramenta possunt rite ministrari cum sola ratihabitione futuri consensus: ergo etiam poterit hoc modo ministrari Sacramentum Pœnitentiæ.

Resp. negando consequentiam. Disparitas est, quia in Baptismo, & aliis Sacramentis jurisdictio non est necessaria ad validitatem actus, sed ad licitum illum, ut nimirum sine peccato ministretur, ac proinde non requiritur, ut jurisdictio antecedat, sed sufficit, si rationabiliter præsumatur futurus consensus illius, qui licentiam concedere potest; talis enim præsumptio excusat a malitia, quæ in tali actu inesse potest; at in Sacramento Pœnitentiæ, idem valet de Matrimonio, cum jurisdictio sit necessaria ad validitatem actus, qui non potest esse validus, quando ministratur a non habente jurisdictionem, debet præcedere, & cum non possit haberi sine consensu Concedentis, debet etiam talis consensus præcedere, & inesse, quando ministratur Sacramentum, quod proinde non potest pendere a futuro consensu, nec revalidari per approbationem, & consensum supervenientem, ut cum Sylvestro, Navarro, Sanchez, Suarez, & aliis, tradit Palaus *de pœnit. punct.* 14. *num.* 4. & Leander *q.* 97. Bonac. *disp.* 5. *q.* 7. *p.* 4. §. 1. *n.* 13.

83. Ratihabitio vero de præsenti, vel etiam de præterito, signo aliquo externo manifestata sufficit ad valide, & licite ministrandum Sacramentum Pœnitentiæ. Ratio est, quia actualis consensus Superioris non solum expressus, sed etiam tacitus, sufficit ad tribuendam jurisdictionem necessariam pro licita, & valida administratione hujus Sacramenti; nam *taciti, & expressi idem jus est*; at ratihabitio de præsenti est tacitus Superioris consensus, & voluntas rationabiliter præsumpta; ergo sufficit pro validitate, & licito usu Sacramenti: dummodo tamen sit aliquo signo externo manifestata: siquidem jurisdictio debet esse humano modo concessa, & delegata: non delegatur autem humano modo, nisi per vocem, scripturam, aut signa externa, quæ sufficienter exprimunt consensum internum voluntatis. Inde non sufficit consensus mente retentus, & nullo signo externo manifestatus, sicut non sufficit voluntas, & consensus conditionatus, qui adesset, si Superior fuisset præsens, & rogatus concessisset. Ita communiter Doctores, Sylvester, Sotus, Becanus, Homobonus, Facundez, Sanchez, Villalobos, quos affert, & sequitur Diana *p.* 3. *tr.* 4. *resol.* 68. Bossius *de Jubilæo sect.* 3. *casu* 2. §. 4. *n.* 135. Bonacina *loco supra cit.* Leander *q.* 94. Palaus *supra n.* 3. Antonius a Spiritu Sancto *num.* 783.

84. Quænam signa sint sufficienter exprimentia consensum Superioris concedentis facultatem, pendet ex circumstantiis, & judicio prudentis, & consuetudine, prout docent Lugus *disp.* 19. *n.* 23. Sanchez *de Matrim. l.* 3. *disp.* 35. *n.* 22. Tamburinus, & alii. Signum sufficiens est, si Superior rogatus, ut concedat dictam licentiam, nutu capitis, vel oculorum, vel alio signo ab ipso ultato suum consensum ostendat. Item, si Superior constituat Sacerdotem in Vicarium Parochi, vel Oeconomum Ecclesiæ vacantis, vel tribuat aliud Officium, cui sit annexum munus Confessionis.

85. *An vero censeatur consentire, & jurisdictionem concedere Episcopus, si videat Sacerdotem non approbatum audire Sæcularium Confessiones, & non prohibeat, nec contradicat, cum facile possit?* affirmant Vasquez *q.* 93. *art.* 2. *dub.* 2. Aversa *q.* 16. *sect.* 4. Sanchez, Reginaldus, Salas, & alii, quos affert Bonacina *n.* 14. quia cum facile prohibere possit, & non prohibeat, eo silentio sufficienter censetur approbare, & jurisdictionem concedere, juxta Regulam Juris in 6. *Qui tacet in iis, quæ ad ipsum pertinent, & in quibus tenetur contradicere, consentire videtur.* Verum sola taciturnitas non videtur per se sufficiens signum approbationis, & concessæ jurisdictionis, cum possit non contradicere, vel quia putat ipsum ex privilegio, aut aliunde habere jurisdictionem, aut quia falso putet, pœnitentem solum confiteri venialia, aut etiam quia non audet contradicere, ne jurgia, & dissidia moveantur; quo casu: *Qui tacet, neque consentire, nec dissentire videtur.* Quare, ultra taciturnitatem, necessarium est signum aliquod externum, ex quo sufficienter colligatur, Superiorem ratam habere absolutionem, seu facultatem concedere ad absolvendum, ut bene advertit Bonac. *cit. n.* 14. Dato, quod taciturnitas sit aliquando signum jurisdictionis concessæ, non extenditur ultra præsentem Confessionem, quia de licentia præsumpta de una Confessione, non est de licentia ceteris, ut cum Bossio, Henriquez, & aliis, docet Leander *q.* 96.

86. Acquiri etiam jurisdictionem ex consuetudine legitime introducta omnes admittunt, & clare constat ex cap. *Cum contingat de foro compet.* cap. *Romana, de Sent. Excommunic. in* 6. ubi Pontifex prohibens jurisdictionem quibusdam absolvendi a censuris, subjungit: *salva contraria super hoc consuetudine, si quam habent*, adjuncta Glossa, quæ in utroque loco ait: *Nota, quod consuetudo dat jurisdictionem.* Hæc consuetudo non descendit ex sola usurpatione Sacerdotum, vel Populi, sed ex tacito consensu Superiorum, qui, videndo, & tacendo, talem consuetudinem censentur approbare, & dare suum tacitum consensum.

87. Quæres 1. *An Delegatus debeat habere notitiam delegationis, & jurisdictionis sibi concessæ, ad hoc ut valide absolvat, adeo ut si Superior deputet Sacerdotem absentem in Confessarium, aut Parochum, invalida sit absolutio ab illo data post factam delegationem, sed antequam esset illi manifestata, & nota?*

88. Resp. Delegatum debere notitiam habere delegationis, & concessionis sibi factæ. Ratio est, quia delegatio, & jurisdictio debet esse acceptata; non potest autem acceptari ab illo, qui nullam habet delegationis notitiam. Verum tamen est, quod delegatio, & concessio facta Religioni, & Communitati, non debet necessario esse nota, & manifesta singulis de Communitate, sed sufficit, quod cognoscatur, & acceptetur a Generali, vel alio nomine Religionis. Si vero concedatur singulari personæ, necesse est, quod ab illa cognoscatur, & acceptetur, & quamdiu jurisdictionem ignorat, non potest ea valide uti, ut docent

Aver-

Aversa *sect.5.* Coninch *disp 8. n.33.* & in universum Sanchez *lib.3. de Matrim. disp. 36. n.8.* Sufficit tamen notitia habita a nuntio, quem miserat Sacerdos ad Episcopum, ut ab eo peteret facultatem. Valet etiam facultas data ab Episcopo viva voce, quamvis litteræ concessionis nondum essent expeditæ, ut cum Grassio, Suarez, & Barbosa docet Bossius *de Jubilæo sect. 3. casu 2. §. 1. n.13. & 14.*

89. Quæres 2. *An Jurisdictio, & licentia obtenta per dolum, & metum gravem sit valida ita, quod valida etiam sit absolutio data?*

Resp. jurisdictionem, & licentiam exortam per metum gravem esse validam, quia talis concessio est sufficienter voluntaria; nam quæ fiunt ex metu sunt absolute, & simpliciter voluntaria, & involuntaria secundum quid. Ita cum D. Thom. Navar. Durand. Covar. Tancredo, & aliis docet Ant. a Spir. S. *disp.11. sect. 11. n.793.* Palaus *t.1. tr. 2. disp.2. p.9. n.6.* ubi ait, jurisdictionem metu concessam, vel prorogatam valere, quia nullus est Textus, ubi expresse irrita declaretur, ac proinde debet sortiri forum, quod sortiuntur gesta per metum, quæ valida sunt. Ita etiam Sanchez *l.3. de Matrim. disp.39. n. 13.* Lessius *l.2. c.17. dub.7. n.37.* Non desunt, qui invalidam censeant, quia concessio jurisdictionis, inquiunt, est quædam donatio, quæ si fiat meticulose, invalida est. Ita tenent Tambur. *l.5. de pœnit. c. 4. §.5. n.2.* Pontius *l.4. de Matrim. c.8. n.14.* Ludovic. a Cruce *in explic. Bullæ Cruciatæ c. 2. disp. 21. n.6.* Azor. Salas, & alii relati a Palao *loco cit.*

90. Resp. 2. jurisdictionem, & licentiam audiendi Confessiones exortam per dolum, & mendacia, esse validam, si caussa falso exposita sit solum extrinseca, aut tantum impulsiva, & non finalis, qua deficiente, deficeret sine dubio concessio, quam nullo modo Superior concederet sine tali caussa; existente autem caussa finali vera, subsistit concessio, etiamsi caussa impulsiva sit falsa, hac ratione subsistit concessio facta Sacerdoti alleganti, se esse pauperem, aut commendatum a Principe, quia paupertas, & commendatio non sunt caussa finalis, sed impulsiva. Sic Tambur. *supra n.4.* & cum aliis Ant. a Spiritu S. nn. 794. ubi notat in dubio, an caussa falso expressa fuerit totalis finalis, vel tantum impulsiva; præsumendum esse tantum impulsivam, & non finalem, quia valori actus jura maxime favent, & in dubio illum præsumunt.

DUBIUM XIII.

Quinam possint eligere sibi Confessarium.

91. JUrisdictio in foro conscientiæ potest delegari dupliciter: primo directe, quando Episcopus committit alicui Sacerdoti potestatem absolvendi; secundo indirecte, quando tribuit pœnitenti facultatem eligendi sibi Confessarium, a quo absolvatur; hoc enim est indirecte dare Confessario potestatem absolvendi: *Quærimus ergo, quinam habeant hanc facultatem eligendi sibi Confessarium, a quo absolvantur?*

92. Resp. præter Summum Pontificem, qui jure divino potest sibi eligere in Confessorem Sacerdotem simplicem, quem voluerit, plures dari, qui a jure privilegium habent eligendi sibi Confessarium, contentum in *c. fin. de pœnit. & remiss.* ubi sic habetur: *Ne pro dilatione pœnitentiæ periculum immineat animarum, permittimus Episcopis, & aliis Superioribus, necnon minoribus Prælatis exemptis, ut etiam præter sui Superioris licentiam, providum, & discretum sibi possint eligere Confessorem.* Ex quibus verbis clare constat, Episcopos, & similes Prælatos exemptos habentes Episcopalem jurisdictionem posse sibi eligere Confessorem: & quidem hoc posse facere in sua Diœcesi non est dubium, quia ad eos spectat Confessores approbare. Quare dum aliquem eligunt, eo ipso approbant, & ex approbatis eligunt, etiam si approbent, & eligant tantum pro se ipsis: poterant etiam ante Tridentin. vigore dicti privilegii extra propriam Diœcesim eligere Sacerdotem simplicem non sibi subditum, & non approbatum ab Ordinario loci. *An vero hoc idem possint post Trident.*

93. Prima Sententia affirmat, etiam post Trident. Episcopum in aliena Diœcesi existentem posse sibi eligere Confessarium non subditum, non approbatum a suo Ordinario, sicut antea poterat, quia Episcopi, aliique Prælati jurisdictionem Episcopalem habentes, habent a Jure privilegium eligendi sibi Confessarium quemlibet Sacerdotem absque ulla limitatione, quod privilegium non debet censeri ablatum, aut restrictum ex generali clausula derogatoria. Siquidem privilegio in Jure inserto non derogatur per clausulam generalem, ut ex communi Regula Canonistarum, quam tradit Decius *Cons. 165.* docent communiter DD. Deinde, quia Concilium decernit, ut nullus possit audire Confessiones Sæcularium, etiam Sacerdotum, qui non sit ab Ordinario approbatus, communi autem nomine Sacerdotum non veniunt Episcopi; ergo Concilium non loquitur de Episcopis confiteri volentibus; isti enim sicut possunt extra Diœcesim approbare Confessarium non subditum pro suis subditis, poterunt etiam approbare pro se ipsis. Ita tenent Ant. a Spiritu S. *disp.12. num.831.* ubi cum Bastæo verbo *Confessarius n.11.* & Pasqualig. *in decis. moral. decis. 86. & seqq.* privilegium hoc extendit etiam ad Episcopos Titulares, & non consecratos, dummodo sint confirmati: sequitur Bossius *de Jubilæo sect.3. casu 2. n.102.* & apud ipsum Homobonus *de exam. p.1. tr.5. c. 2. q.10.* Joan. Valerus, Marius Alterius, Corolianus, Zerola, & alii, Villalobos *tr.9. diff. 55. n.4. t.1.*

94. Secunda Sententia communior, & probabilior negat, quia Trident. sess. 23. c. 15. de reform. decrevit: *Neminem posse Sæcularium, etiam Sacerdotum, Confessiones audire, vel ad id idoneum reputari, nisi vel Parochiale Beneficium habeat, vel ab Episcopo idoneus judicetur, & approbationem obtineat:* cum autem disputatum esset Romæ inter Cardinales Sacræ Congregationis Concilii: *an Episcopi comprehendantur in dicto Decreto, adeo ut non possint amplius eligere Sacerdotem non approbatum*, in pari discordia Cardinalium res fuit delata ad Summum Pontificem Gregorium XIII. prout refert Suarez *disp. 28. sect. 4.* qui fertur respondisse: *In re dubia tutius esse adhærere Decreto Concilii Trident.* affertque Leander *disp. 15. q.28.* Decretum Sacræ Congreg. per hæc verba: *S. D. N., audita relatione Congregationis, declaravit; Episcopum vigore privilegii, de quo in cap. fin. de pœnit. & remiss., non posse sibi eligere Sacerdotem sibi non subditum, qui a proprio Ordinario non fuerit adhuc ad formam hujus Decreti admissus, seu approbatus ad audiendas Confessiones.* Quare non possunt amplius Episcopi extra propriam Diœcesim eligere Sacerdotem simplicem sibi non subditum, sed debent eligere Sacerdotem approbatum juxta formam Concilii, id est, qui vel Parochiale Beneficium habeat, vel qui sit approbatus ab Ordinario. Nec obstat, quod privilegium concessum Episcopis, aliisque Prælatis exemptis sit in corpore Juris insertum, Cap. *Ne pro dilatione*; siquidem Concilium non abstulit hoc privilegium, ut possint eligere Sacerdotem idoneum, sed solum ex parte Confessoris posuit conditionem necessariam, ut sit idoneus, nempe approbatus ab Ordinario, & hæc conditio universaliter apposita est respectu omnium Sæcularium, inter quos Episcopi continentur: & ita tenent Suarez *loco cit.* Riccius *in Praxi tom.1. resol.470. n. 2.* Grassius, Alphonsus de Leone, Faustus, Azorius, Armendariz, Navar. Barbosa, Filliuc. Megala, Mellesius, quos citat, & sequitur Diana *p.3. tr.2. resol.3.* & *p. 8. tract. 1. resol.85.* Coninch *disp.8. dub. 7. n.50.* Candidus *disquisit. 24. art.65. n.12.* Nugnus, Bonacina, Hurtad. & alii, quos affert, & sequitur Leander *disp. 15. q.28.* Palaus *punct. 17. §.2. n. 3.*

95. Hinc facile patet responsio ad rationes oppositas: ad primam jam dictum est, privilegium concessum Episcopis, quo possint idoneum Sacerdotem eligere, non fuisse revocatum, sed appositam fuisse conditionem necessariam ex parte Confessoris, ut possit idoneus reputari. Ad 2. dico, nomine Sacerdotum sæcularium voluisse Concilium comprehendere omnes, qui non sunt Regulares. Ad 3. non posse Episcopum nec pro se, nec pro suis subditis extra Diœcesim approbare Sacerdotem non subditum, ut docent Suarez *loco cit. n.12.* Facundez *præcept.2. l.7. c.2. n.80.* Bonacina *disp.5. q.7. p.4. §.1. n.16.* Leander *q.30.* bene tamen poterit hujusmodi Sacerdotem alienum approbare tam pro se, quam pro suis subditis, si aliquo titulo sibi subjiciatur, & fiat subditus vel ratione domicilii translati, aut ratione alicujus obsequii Ecclesiastici, vel ob aliud Officium, seu Ministerium ipsumque eligendo approbat, & eligit Sacerdotem a suo Ordinario approbatum, quia respectu illius actus ipse Ordinarius ejus censendus est. Nec obstat declaratio Sacræ Congr. supra relata, quæ intelligitur de Sacerdote non subdito, non vero de illo, qui aliqua ratione est factus subditus, ut cum Bonacina, & Facundez notat Palaus *punct. 17. §. 2. n.4.* & patet ex ipsa praxi, extraneos Sacerdotes examinari, & approbari ab Ordinario, ut in sua Diœcesi Confessiones excipiant.

96. Parochos non posse sibi eligere Confessorem Sacerdotem simplicem non approbatum ab Episcopo, nunc certum est, cum fuerit ab Alexandro VII. damnata illa propositio in ordine 16. *Qui Beneficium Curatum habent, possunt sibi eligere in Confessarium simplicem Sacerdotem non approbatum ab Ordinario.*

97. Cardinales habere facultatem eligendi sibi Confessarium ex prædicto *cap. fin. de pœnit. & remiss.* ubi Episcopis, & eorum Superioribus conceditur ea facultas, docent Pasqualig. *decis.85.* Bossius *n. 111.* Ant. a Spiritu S. *n.829.* quia Cardinales, juxta communem usum Ecclesiæ, censentur dignitate Superiores Episcopis, licet non sint Superiores jurisdictione, & potestate; hic autem non tam attenditur jurisdictio, quam dignitas. Sed verius est, non posse ex vi dicti Capituli, ut dicebamus de Episcopis, bene tamen hoc posse ex consuetudine, sive aliis privilegiis, & concessionibus Pontificiis, ut testatur de praxi Cajet. Verbo *Absolutio 2.* & docent Lugus *disp. 19. sect.1. n.5.* Aversa *q.16. sect.9.* Suarez, Hurtado, & alii, quos citat, & sequitur Leander *q. 33.*

98. Qui omnes asserunt, posse Cardinales etiam eligere pro sua Familia Confessarium non approbatum ab Ordinario loci, & concedere Familiaribus, ut Confessarium sibi eligant non approbatum, quia sunt Ordinarii, & Parochi suæ familiæ: cum enim habeant jurisdictionem quasi Episcopalem in suis Ecclesiis Titularibus, sequitur, quod eamdem jurisdi-

ctionem

ctionem habeant in sua Familia, cujus sunt veluti Ordinarii, & ratione hujus jurisdictionis Episcopalis possunt eligere, & approbare Confessarios, & Eucharistiam ministrare tempore Paschatis; & patet ex ipsa praxi, qua illo tempore familiares Cardinalium, etiam Romæ, non accedunt ad Parochiam loci, sed illis in Oratorio Domus Cardinalium Eucharistiam ministratur, ut cum aliis testatur Diana *p.11.tr.4.resol.13.*

99. Generales Ordinum Religiosorum, Abbates, & Prælati Superiores, qui immediate subduntur Papæ, possunt sine dubio eligere sibi Confessarium quemlibet Sacerdotem simplicem, quia hoc illis concessit Pontifex in dicto cap. *Fin.* ut cum aliis docet Bossius *n.*112. & cum Suarez, Lugo, Hurtado, & aliis, Leander *q.*31. Possunt hoc idem Provinciales, & alii Prælati locales, nimirum Guardiani, Priores, Rectores, Præpositi, & alii quocumque nomine nuncupentur, ut colligitur ex dicto cap. *Fin.* ubi expresse dicitur, quod omnes Prælati exempti, etiam minores, quamvis non sint immediate subjecti Papæ, possint sibi eligere Confessarium sine suorum Superiorum licentia. Si enim concessa esset facultas eligendi Confessarium solum Prælatis exemptis immediate subjectis Papæ, frustra ponerentur illa verba: *Præter sui Superioris licentiam;* & ita in praxi receptum esse testatur Leander *q.*32. dummodo per Constitutiones approbatas alicujus Religionis non sit contrarium dispositum; nam Concilium Tridentinum circa Prælatos Regulares nihil innovavit, sed loquitur solum de Confessionibus Sæcularium, ad quas requirit approbationem Episcoporum in Confessariis tam Sæcularibus, quam Regularibus. Ita tenent Bossius *n.* 120. Lugus *disp.* 19. *n.* 4. *& disp.*20. *num.*67. Diana *part.* 3.*tract.* 2. *resol.* 1. 2. *&* 3. *& part.*4.*tract.*4. *resol.*1. Suarez, Portel, Coninch, & alii apud Dianam.

100. *An vero Abbatissæ Monialium possint virtute dicti cap.* Fin. *eligere sibi Confessarium non approbatum?*

Resp. negative, quia cum ex officio nullam habeant, respectu interni fori, jurisdictionem, non veniunt nomine Prælatorum, de quibus loquitur cap. *Fin.* ut cum Bassæo V. *Confessarius n.*11. notat Ant. a Spiritu S. *n.* 834.

CAPUT XIV.

De Approbatione in Confessario requisita.

DUBIUM I.

An sit necessaria Episcopi approbatio ad audiendas Confessiones, & quid illa sit?

Necessariam esse Confessoris approbationem factam ab Episcopo ad licitam, & validam administrationem hujus Sacramenti, clare constat ex definitione Concilii Trident. *sess.* 23. *c.* 15. *de Reform.* ubi habetur: *Decernit Sancta Synodus, nullum, etiam Regularem, posse Confessiones Sæcularium, etiam Sacerdotum, audire, nec ad id idoneum reputari, nisi aut Parochiale beneficium, aut ab Episcopis per examen, si illis videbitur esse necessarium, aut alias idoneus judicetur, & approbationem, quæ gratis detur, obtineat, privilegiis, & consuetudine quacumque, etiam immemorabili, non obstantibus.*

„ *Hæc Episcoporum auctoritas altius, atque evidentius demonstratur, & probatur in Institut. XIX. Tom. IV. ad quam tuendam, atque confirmandam præclariores productas videbis Pontificum auctoritates, quas in hac eadem insertas Notificat. legere poteris, his quæ sequuntur verbis.* Primum sane, ne ulli Sacerdotes absque nostra facultate Sæcularium Confessiones audiant tum in Civitate, tum in Diœcesi, Tridentinum antea Concilium *sess.* 23. *cap.*15. *de Reform.* decreverat. Urbanus VIII. deinde *in Constit.* 92. *Bull. tom.*4. quodlibet privilegium abrogavit Pœnitentiæ Sacramentum administrandi, nisi Episcopi ejus loci facultas intercedat. Alexander vero VII. hanc sententiam proscripsit: *Qui Beneficium Parochiale habent, possunt sibi eligere in Confessarium Sacerdotem non approbatum ab Ordinario.* Innocentius XI. *in Decreto de frequenti Communione, die* 12. *Febr. anno* 1679. illorum opinionem improbavit, qui tradebant, leves culpas, aut lethales etiam, si alias expiatæ Confessione fuerint, absolvi posse a quolibet Sacerdote, quamvis ipsi ab Episcopo munus ejusmodi demandatum non fuerit. Insuper Innocentius XII. *in Constit. edita apud Casnedum tom.* 3. *Controvers. pagin.* 452. præcepit illis etiam, qui privilegium sibi eligendi Confessarium obtinuerunt, uti qui Indulto Cruciatæ præditi sunt, illis, inquam, præcepit, ne alii Sacerdoti, quam probato ab Episcopo loci, crimina sua confiteantur. Idem Innoc. III. confirmavit in ea Constitutione (§. 17.) quam pro statuenda in Regnis Hispaniarum disciplina promulgavit. Illam deinde Benedictus XIII. sua auctoritate probavit, & post Concilium Romanum imprimi jussit, ut ex ipsa reliqui Episcopi sibi normam, & exemplum desumerent.

„ *Et his innixus maximis fundamentis sic de examinibus in sua Diœcesi obeundis decernit Sapientiss. Pontif.* Perpauca monenda duximus, ut quisque intelligat, qua ratione Sacerdotibus in hac Civitate, ac Diœcesi facultatem audiendi Confessionem impertiamus.

„ Primum, nullus Sacerdos Regularis, aut Sæcularis, Pœnitentiæ Sacramentum Sæcularibus administret, nisi potestas ipsi per nos facta fuerit, licet in aliis Diœcesibus Fideles confitentes audire, & expiare possit; quamvis etiam Rector sit Animarum in aliena Diœcesi, ipsumque aliquis ex nostris Parochis accersat, ut populi sui Confessiones excipiat.

„ Secundo, facultatem eamdem omnino denegamus cuicumque Sacerdoti Regulari, aut Sæculari, nisi prius examine probatus a Nobis fuerit; licet Sæcularis Sacerdos quacumque Academia Doctoris Lauream in Sacra Theologia, vel Jure Canonico sibi comparaverit; Regularis autem in suo Ordine præclara munera, & quemlibet dignitatis locum obtinuerit. Attamen examine liberabimus eum, qui satis ob doctrinam, ac vitæ probitatem cognitus ad Confessiones audiendas accitus sit, dum hanc Civitatem pertransit. Parochum quoque alterius Diœcesis immunem faciemus, si a Parocho hujus nostræ Diœcesis pro conferendo Pœnitentiæ Sacramento invitetur.

„ Tertio, facultatem audiendæ Confessionis certis limitibus concludendam volumus, ita ut anni spatium numquam excedat, eoque peracto, Sacerdos tum Regularis, tum Sæcularis, illius prorogationem a Nobis petere teneatur.

„ Quarto, cum ea prorogatio conceditur, nostræ potestatis erit quemcumque Sacerdotem Regularem, aut Sæcularem in examen vocare, & Sacerdotes etiam, sive ex Regularibus, sive ex Sæcularibus eligere præstantiores, ut nobiscum ad examen conveniant, cum vel pristini Confessarii a nobis confirmandi, vel novi probandi fuerint.

„ Quinto, examen hujusmodi, cum recentes Confessarii statuendi sunt, aut aliis prima facultas proroganda, coram Nobis tantummodo in Civitate, ac Diœcesi indicetur. Equidem Nos præsto fuimus, & in posterum quoque futuri sumus, ut simul cum delectis Viris Sacerdotes pro Confessionibus audiendis singulis Feriis sextis examinemus. Idem etiam præstavimus, & in posterum præstabimus singulis diebus, licet Examinatores desint, cum Diœcesim sacra Visitatione indicta perlustramus.

2. Ex qua declaratione sequitur, primo, Sacerdotem etiam Regularem, non approbatum ab Ordinario, nec licite, nec valide posse hoc Sacramentum administrare, excepto mortis articulo, sublatis in hac parte privilegiis Regularibus alias concessis; & ita Decretum Concilii indubitanter omnes intelligunt. Thomas Hurtado *tr.*12. *to.*2. *c.* 1. *n.* 1859. satis probabiliter existimat, Cardinales, ex tacita Papæ licentia, sine alia approbatione, posse ubique Confessiones audire, cum sint Ecclesiæ Cardines, quod quidem verum puto, si Cardinalis sit Legatus a latere, qui habet jurisdictionem in tota Provincia suæ Legationis; de aliis dubium est, non enim ex eo, quod quis sit factus Cardinalis, judicatur idoneus ad Fidelium Confessiones audiendas: certe consuetudo, & praxis est in contrarium.

3. Sequitur 2. Obtinentes legitime beneficium Parochiale alia non indigere Episcopi approbatione, quia eo ipso, quod illis demandatur Cura Animarum, judicantur idonei pro administratione hujus Sacramenti, cum ex officio possint audire Confessiones suorum subditorum, in quos, tamquam proprii Pastores, directam, & ordinariam habent jurisdictionem, ut cum aliis docent Coninch *disp.* 8. *dub.*6. & Aversa *quæst.*6. *sect.*7.

Hoc idem invenies in prælaud. Notificat. 19. §. 14. *bisce verbis:* Quæ de facultate, aut prorogatione audiendi Confessiones a nobis dicta sunt, in eos tantum Sacerdotes decernuntur, qui nullam gerunt animarum curam. Nam qui Parochiam obtinuerunt, eamdem facultatem in Parochia absque ulla limitatione conjunctam habent; ita ut si Parochus in Diœcesi constituatur, Fideles confitentes per universam Diœcesim audire possit. Si Civitatibus Parochus habeatur, Confessarii munus in tota Civitate queat exercere. Ita sanxit Sacra Congreg. Concilii (*apud Piasec. in praxi Episc. part.* 2. *cap.* 1. *num.* 10.) ubi propositum fuit: *An provisus de Parochiali per concursum, censendus sit approbatus idoneus Minister ad audiendas Confessiones in illa Diœcesi, in qua illam Parochialem obtinet?* hoc responsum editum tunc est: *Censeri dumtaxat in ea Civitate, vel Oppido, ubi sita est Parochialis, non autem passim per totam Diœcesim.* Ea tamen conditio semper interveniat necesse est, ut Confessarius Rectorem Ecclesiæ adire non prætermittat, ubi Sacramentum Pœnitentiæ administrare debet. Idem officium præstandum est a Diœcesis Parocho, si in Urbe, & a Confessario Urbano, si in Diœcesi Confessiones audire velint. Hoc enim institutum, ac disciplina diuturna consuetudine in hac Civitate, ac Diœcesi firmantur, eamque consuetudinem probari Clericatus testatur *de Pœnit. decis.* 37. *num.* 12.

„ Sin

Sin autem Parochus abdicet, nova facultas requiritur, ut confitentes Fideles audire, & expiare possit, quæ sane a nobis haud concedetur, nisi novum examen intercedat. *Vid. Barbos. de Parocho cap. 19. nu. 6. & in Concil. Trident. sess. 23. cap. 13. n. 21. Vanespen. jur. Eccles. univers. tom. 1. part. 2. tit. 6. c. 6. n. 6. Piasec. in praxi Episc. part. 2. cap. 1. n. 10. Clericat. de Pœnit. decis. 37. num. 14.*

4. Sequitur 3. Regulares posse de licentia suorum Superiorum confiteri cuilibet Sacerdoti idoneo, sive Regulari, sive Sæculari, etiam non approbato ab Ordinario, quia Trid. restrinxit suum Decretum ad Confessiones Sæcularium etiam Sacerdotum; circa Regulares autem nihil innovavit; quare sicut poterant ante Trid. confiteri cuilibet Sacerdoti simplici, etiam non approbato ab Ordinario, hoc idem poterunt etiam nunc, habita licentia suorum Prælatorum: & ita tenent Navar. Sa, Vasquez, Bonacina, Lugus, Candidus, & alii, quos sequitur Leander *q.* 45.

5. Sequitur 4. non esse necesse approbationem dari in scriptis, quia Concilium hoc non requirit, sed voce, aut nutu fieri potest, licet convenientius sit eam in scriptis dari, ut certius de illa constare possit, si opus fuerit: debet dari gratis, prout expressit Concilium; non tamen erit invalida, si non detur gratis, quia verba Tridentini solum continent præceptum, non irritationem, aut conditionem necessariam, sine qua non valeat approbatio. Nec obstat, Beneficium simoniace collatum esse invalidum; nam invaliditas Beneficii simoniace obtenti constat ex jure, non sic invaliditas approbationis, ad quam proinde non debet fieri extensio: & ita tenent Bossius *n.* 11. Suarez, Reginald. Bonac., quos citat, & sequitur Palaus *n.* 6. Lugus *n.* 26. & cum aliis Leander *disp.* 11. *q.* 80. erit tamen illicita talis approbatio, si pretio concedatur; unde Notarius Episcopi non debet stipendium aliquod, quamvis minimum, accipere pro scriptura, sigillo, aut labore, ut notant Barbosa in Collect. *ad sess. 21. c. 1. n. 16. & ad sess. 23. c. 15. n. 57.* Gavantus in Manuali verbo *Licentiæ*, *n.* 3. Diana *p.* 5. *tr.* 15. *resol.* 70. ex pluribus Sacræ Congregationis declarationibus, quas refert.

6. Hujusmodi approbatio nihil est aliud, quam publicum testimonium, & juridica declaratio, qua quis habilis, & idoneus Minister hujus Sacramenti declaratur, tum quoad scientiam, mores, & prudentiam, ut cum Facundez, & aliis docet Bossius *supra n.* 1. unde per approbationem non confertur jurisdictio, quæ est quid distinctum, sed tantum judicatur persona idonea cui jurisdictio conferatur; regulariter tamen loquendo, Episcopi dum approbant, conferunt etiam jurisdictionem, & facultatem audiendi Confessiones suorum subditorum, prout jam usus, & consuetudo obtinuit: aliquando tamen approbatio præcedit jurisdictionem, ut contingit in iis, qui ad Parochiale beneficium approbantur; aliquando etiam subsequitur, ut evenit in Religiosis, qui a Pontifice habent jurisdictionem, sed dependenter ab Episcopi approbatione, tamquam conditione, sine qua non, ut bene observat Aversa *q.* 16. *sect.* 6.

7. *An vero sufficiat approbatio solum externa sine interna, adeo ut valida sit approbatio illa, quam Episcopus voce, aut scripto concedit alicui, quem in mente sua judicat inhabilem, & indignum?* Plures negant, quia Concilium duo requirit, judicium Episcopi, & illius approbationem, ut colligitur ex illis verbis: *idoneus judicetur, & approbationem obtineat*; si autem Episcopus approbet sine judicio, & multo magis contra judicium, sciens non esse idoneum, non judicat de idoneitate ad mentem Concilii requirentis approbationem cum judicio, adeoque nulla est approbatio. Ita Bonacina *disp.* 5. *q.* 7. *p.* 4. §. 1. *n.* 29. Bossius *de Jubileo sect. 3. casu* 2. §. 1. *n.* 3. & apud ipsum Barbosa *de potest. Episc. p. 2. allegat.* 25. *nu.* 19. Verum existimo sufficere, si Episcopus exterius approbet, & jurisdictionem concedat, quamvis interius contrarium sentiat de illius idoneitate; quia secus multis scrupulis, & periculis validitas hujus Sacramenti relinqueretur exposita, cum interdum Episcopi favoribus importunis, aliisque de caussis, approbationem concedant contra propriam conscientiam, & judicium. Deinde, quia approbatio est quædam sententia, & declaratio in foro exteriori prolata, quæ valida est etiam sine conformatione ad internum judicium. Nec obstat Concilium dicens: *idoneus judicetur, & approbationem obtineat*; nam pro eodem, & tamquam synonima sumpsit idoneum judicare, & approbationem obtinere; vel certe voluit, non sufficere solum internum judicium Episcopi sine approbatione externa: & ita tenent Aversa *qu.* 16. *sect.* 6. Lugus *disp.* 21. *n.* 25. Diana *p.* 11. *tr.* 4. *resol.* 17. Leander *qu.* 74. Palaus *punct.* 17. §. 1. *n.* 2. & alii apud ipsos.

DUBIUM II.

An Omnes etiam Doctores, & Magistri in Theologia, nec non Prælati Regulares debeant per examen approbari?

8. AB illa regula generali, quod omnes ad Confessiones audiendas admittendi, debeant ab Episcopo per examen approbari, aliqui excipiunt Doctores, & Magistros in Theologia, vel Jure Canonico, quos dicunt ipso Jure approbatos ad Confessiones audiendas absque alia Episcopi approbatione, vel certe esse approbandos absque eo, quod examini se subjiciant, quia isti ipso Jure, & a Pontifice videntur approbati, nec non idonei ab Academia judicati. Ita opinati sunt multi Magistri Salmaticenses, quos refert Henriquez *l. 3. de pœnit. C. 6. n. 2. in glossa lit.* O. sequuntur Corduba, Gutierez, Rodriquez, Palacio, & alii, quos citat, & sequitur Facundez *præcept. 2. l. 7. c. 2. n. 67.* quoad hoc, quod debeant approbari absque examine.

9. Verum existimo, non esse ipso Jure approbatos, sed indigere Episcopi approbatione, sine qua nec licite, nec valide possunt Sæcularium Confessiones audire. Ratio est, quia Concilium universaliter loquitur, & expresse dicit, quod *nullus possit Confessiones audire, nisi aut habeat Parochiale beneficium, aut ab Episcopo per examen, si illi videbitur necessarium, aut alias, idoneus judicetur.* Et merito, quia non omnes graduati sunt Doctores, quamvis dicantur doctorati, tum quia in approbatione Confessariorum non solum scientia speculativa spectatur, ut contingit in concessione horum graduum, sed maxime scientia moralis, morum probitas, & prudentia attenditur, quæ non semel doctis, & peritis deficere solet: colligitur etiam expresse ex Bulla Pii V. incipit *Romani Pontificis*, edita Anno 1571. ubi Magistros, & Doctores in Theologia examini, & approbationi Ordinarii obtinendæ subjicit. Ita Henriq. Suarez, Filliuc. Layman, Lezana, Barbosa, quos affert, & sequitur Bossius *loco cit. n.* 32. Lugus *disp.* 21. *n.* 1. Palaus *p.* 17. §. 2. *n.* 2. Leander *qu.* 48. Ant. a Spiritu S. *n.* 859. & alii communuiter.

Neque sapientissimam Pontificis mentem præteriit, quod vel a Tridentina Synodo, vel a Sacra Congregatione S. Officii decernitur circa Doctores Regulares, & Magistros in Theologia, quando de examine agatur ad facultatem ab Episcopis pro Confessionibus excipiendis obtinendam. Sic enim breviter, sed admodum satis sese explicat in prælaudata Notificatione 19. §. 8. Secundo loco proposuimus, nulli Sacerdoti facultatem audiendæ Confessionis a nobis tribuendam, quamvis *Sæcularis Sacerdos in quacumque Acedemia Doctoris Lauream in Sacra Theologia, vel Jure Canonico sibi comparaverit; Regularis autem in suo Ordine præclara munera, & quemlibet dignitatis locum obtinuerit.* Nam Tridentina Synodus Episcoporum arbitrio permisit eos in examen vocare, quos ad Confessiones Fidelium audiendas designat: *Per examen, si illis videbitur.* Sacra Congreg. S. Officii anno 1640. illos improbavit, qui contendebant, Sacerdotibus Sacræ Theologiæ, & Juris Pontificii Laurea donatis, haud requiri facultatem, & examen Episcopi. P. Viva *in proposit. 13. proscript. ab Alexand. VII. n.* 7. Sanctus Pius V. *in Constit.* 33. indixit etiam Regularibus, licet dignitatem inter ceteros obtinentibus, ut examen Episcoporum subeant, si Confessiones excipere velint.

10. Quamvis autem de rigore Juris possit Episcopus examini subjicere non solum Sacerdotes Sæculares approbandos, sed etiam quoscumque Regulares, Doctores, & Licentiatos in Theologia, aut Jure Canonico, quia tamen examen non est simpliciter necessarium, potest Episcopus tuta conscientia, & ex æquitate, seu urbanitate convenienter faciet, quando satis aliunde cognoscit sufficientiam, & habilitatem Ministri, si illum sine examine admittat, ut colligitur ex verbis Concilii supra relatis, & docent communiter Doctores apud Bossium *n.* 38.

11. Alii eximunt ab illa Regula generali Prælatos Regulares, ut sunt Generales, Provinciales, Priores, Guardiani, Præpositi, Ministri, & similes, quos dicunt posse audire Confessiones Sæcularium, quamvis non habeant approbationem, & licentiam ab Episcopo. Ratio est, quia Trident. eximit ab examine, & approbatione Episcopi illos qui habent beneficium Parochiale, cum habeant curam animarum, quibus Sacramenta, & sepulturam ministrent, habentque jurisdictionem ordinariam in suos, quos excommunicare, absolvere, & corrigere jure possunt, & ordinarie sapientiores, & prudentiores sunt, quam multi Parochi Sæculares; ergo sunt liberi ab examine, & approbatione Episcopi, sine qua possunt Sæcularium Confessiones audire. Ita Doctores Salmaticenses supra relati, Jo: Valerus V. *Nullitas diff.* 5. *nu.* 3. eamque probabilem existimant Bossius *n.* 53. *in fine.* Diana *p.* 5. *tr.* 12. *resol.* 51. & *part.* 10. *tr.* 14. *resol.* 6. & alii apud Dicastillum *disp.* 10. *dub.* 9. *n.* 265. Hurtado *t.* 2. *tr.* 12. *c.* 1. *d.* 2. & cum illis Ant. a Spiritu S. *sect.* 4. *n.* 861.

12. Sententia contraria omnino tenenda est, quæ est comprobata in praxi, qua constat, ubique Prælatos Regularium non se exponere ad audiendas Sæcularium Confessiones, nisi prius sint ab Episcopis locorum approbati. Ratio est, quia Prælati Regulares, licet habeant curam animarum suorum Religiosorum, & possint proinde illorum Confessiones audire; non tamen curam habent animarum Sæcularium, nec habent beneficium Parochiale ad mentem Conciiii, & sic non possunt Sæcularium Confessiones audire absque Prælatorum licentia, & approbatione, cum Trident. velit, Religiosos omnes absque limitatione approbandos esse ab Episcopo. Ita tenent Bossius supra *n.* 53. & §. 3. *n.* 71. Suarez

disp.

disp. 28. *n.* 21. Lugus *disp.* 21. *n.* 1. Tambur. *de pœnit. l.* 5. §. 3. Diana *p.* 2. *tract.* 16. *resol.* 46. & aliis pluribus citatis, Leander *q.* 62.

13. Quæres: *An Prælati Regulares, & alii Confessarii Regulares possint absque licentia, & approbatione Episcopi audire Confessiones Sæcularium, qui sunt de Familia, & inserviunt ipsorum Monasteriis?* Prima Sententia affirmat, quia sic concessit Augustin. Innocent. VIII. Bull. 1. Carmelitis Sixtus IV. Bull. 37. & Minimis Leo X. Bull. 41. quæ privilegia per extensum referunt Peyr. *t.* 1. *privil. Minim. in Constit.* 1. *Julii II.* §. 15. *n.* 12. & Cespedes *de exemp. Regal. c.* 6. *dub.* 125. *n.* 4. nec fuerunt revocata per Trident. *sess.* 24. *c.* 11. *de reform.* sed solum fuerunt moderata, ut illi soli Familiares gaudeant privilegiis Regul. etiam quoad exemptionem ab Ordinario, qui morantur intra septa Monasterii, actualiter serviunt Religioni, & sub Prælatorum obedientia vivunt, non vero qui foris stantes subjiciuntur visitationi, & correctioni Episcopi, ut patet ex textu ibi: *Ipsis Ordinariis tamquam Apostolicæ Sedis delegatis subjecti existant, exceptis tamen iis, qui prædictis locis, aut Militiis actu serviunt, & intra eorum septa, ac domos resident subque eorum obedientia vivunt.* Quod etiam decisum referunt a Sacr. Congreg. die 14. Augusti 1568. quæ tempore Gregorii XIII. consulta in dubio proposito, sic respondet: *Sacra Congregatio censuit, prædictos Religiosos audire posse Confessiones Sæcularium, qui sunt de sua Familia, & continui commensales: non tamen eorum, qui serviunt in eorum Monasteriis;* eamque referunt Barbosa *in coll. Bull. V. Confessarius* 1. *ad finem, & allegat.* 25. *n.* 65. Joan. Crucius *de statu Relig. lib.* 2. *c.* 6. *dub.* 1. Rodriq. *tom.* 1. *bull. in bull. Greg. XIII. in fine* Peyr. & Cespedes *ubi supra*. Nec obstat Trident. *Sess.* 23. *c.* 15. *de reform.* ubi dicitur: *Nullum etiam Regularem posse Sæcularium Confessiones, etiam Sacerdotum audire, nisi ab Episcopo ad id idoneus judicatus fuerit*, quia intelligitur de Confessionibus Sæcularium extraneorum, non autem de illis Sæcularium vere familiarium, qui ordinarie in Monasteriis, & domibus Regul. degunt, comedunt, & bibunt, quia isti censentur tamquam Religiosi. Ita tenent Crucius, Peyr. supra, Tambur. *de Jure Abb. t.* 2. *disp.* 6. *q.* 16. *n.* 6. Ant. a Spir. S. *in direct. Regul. tr.* 2. *disp.* 3. *sect.* 5. *n.* 4. Leander *q.* 62. & Bordonus *t.* 1. *Variar. resol.* 34. *n.* 41. & *resol.* 36. *n.* 63. id extendit ad infirmos existentes in Hospitalibus alicui Religioni & Monasterio subjectis; & *resol.* 38. *q.* 5. extendit etiam ad Scholares collegialiter viventes sub cura, & disciplina Religiosorum exemptorum, quos etiam volunt posse absolvi a casibus Episcopo reservatis, quia sunt Regularium commensales, quod sufficit ad hunc effectum.

14. Secunda Sententia negat, quia Trident. in illo *cap.* 15. *sess.* 23. *de reform.* constituit approbationem Episcopi tamquam conditionem necessariam, ut Sacerdos sit idoneus ad Confessiones quorumcumque Sæcularium excipiendas, sublatis in hac parte privilegiis quibuscumque alias Regularibus concessis, prout etiam fuerunt revocata a B. Pio V. in sua Ordinat. de anno 1570. incip. *In tanta rerum, & negotiorum mole*, & ab Urbano VIII. in Decreto edito die 12. Decembris 1628. incip. *Cum sicut accepimus &c.* quare post hujusmodi Decreta non possunt amplius Regulares sine approbatione Episcopi Sæcularium Confessiones audire, quorum nomine veniunt etiam illi, qui morantur intra claustra, & deserviunt Monasterio. Interpretatio, quod Concilium, & Decreta debeant intelligi solum de Sæcularibus extraneis, qui non vivunt intra claustra, videtur omnino voluntaria, cum generaliter loquantur absque ulla exceptione: declaratio vero Sacræ Congreg. intelligitur non de pure Sæcularibus servientibus, sed de Tertiariis, seu Oblatis, qui in quibusdam Religionibus admittuntur sub quodam peculiari habitu, & solent nomine Religiosorum censeri, quia incedunt in habitu, & vivunt sub obedientia Prælatorum; multo minus possunt sine licentia Episcopi audire Confessiones illorum, qui curantur in Hospitali, aut qui sunt Alumni, & Convictores in Seminariis eorum Religiosorum; & ita tenent Bossius §. 1. *n.* 32. Homobonus *de exam. tr.* 8. *c.* 2. *q.* 7. Barbosa *allegat.* 25. *n.* 46. Aversa *q.* 16. *sect.* 7. *in fine*. Tambur. *de pœnit. lib.* 5. *c.* 5. §. 2. *n.* 4. Diana *p.* 11. *tr.* 4. *resol.* 54. Suarez, & alii apud Bossium.

15. Utraque Sententia est satis probabilis; prima tamen probabiliorem existimo post specialem Constitutionem Clem. X. incipit *Superna*, in qua, declarando privilegia Regularium circa Sacramenti Pœnitentiæ administrationem, ait; *in Monasteriis, & etiam Collegiis, ubi juxta regularia instituta vivitur, posse tam Prælatos Regulares, quam Confessores Regularium eorumdem Monasteriorum, seu Collegiorum, audire confessiones illorum Sæcularium, qui in ibi sunt vere de familia, & continui commensales, non autem illorum, qui continuo ipsis deserviunt*: quæ verba non possunt intelligi de Oblatis, & Tertiariis, qui in habitu particulari incedentes veniunt nomine Religiosorum, sed de Sæcularibus viventibus intra Claustra, in quibus viget observantia Regularis, per quæ ultima verba excluduntur Alumni, & Convictores viventes in Seminariis Regularium, quia in illis non vivitur juxta regularia Instituta.

16. Possunt etiam Religiosi prædictis familiaribus intra septa Monasterii viventibus administrare omnia alia Sacramenta, scilicet Eucharistiam etiam in Paschate, & in articulo mortis per modum Viatici, & Extremam Unctionem, quia Religiosorum privilegia in hac parte non fuerunt revocata, ut cum præcitatis Doctoribus docet Bossius, & apud ipsum Rodriquez *t.* 1. *qq. Regul. q.* 56. *art.* 5. & Alexand. Peregrinus *in compend. privileg. p.* 1. *tit. Communicare* §. 3. sequitur Ant. a Spir. S. *in direct. Regul. tr.* 2. *disp.* 3. *n.* 99. & 102. Diana *p.* 5. *tr.* 3. *resol.* 52. & *p.* 3. *tr.* 2. *resol.* 52. & alii communiter apud ipsos.

Hoc idem demonstratum jam fuit in primo hujus Operis Tomo, cum de Sacrificio Missæ &c. & plura ex eodem SS. Domino Nostro tam in Synodo, tum in Notificat. exposita ibidem adjecimus, ut videre poteris Cap. 6. ad dub. 5. num. 23. fol. 70.

17. Quærimus 2. *An quando Monasteria Regularium habent Parochias Sæcularium annexas subjectas Visitationi Episcopi, possit tunc Prælatus Regularis designare Vicarium Regularem, qui absque alia approbatione Episcopi Confessiones Sæcularium audiat, in quos non ipse, sed Episcopus habet jurisdictionem Episcopalem?*

Resp. negative, quia licet verum sit, quod prædicti Vicarii habent Parochiale Beneficium, non tamen habent collatum ab Episcopo, prout sequitur a Concilio, sed a suo Prælato, qui nec indirecte potest approbare suos subditos ad audiendas Confessiones Sæcularium, nisi forte essent Abbates exempti habentes jurisdictionem Episcopalem. Ita Bossius *de Jubil. casu* 2. §. 2. *nu.* 55. & Leander *hic quæst.* 64.

D U B I U M III.

An Approbatio possit ab Episcopo negari, seu limitari?

18. CErtum est, Sacerdotes sæculares etiam dignos, & idoneos sive juste, sive injuste non approbatos ab Ordinario, nec valide nec licite posse Sacramentum hoc ministrare, quia istorum jurisdictio tota pendet ab Episcopo, qui eam non concedendo, non poterit Sacramentum esse validum, utpote absque jurisdictione, & approbatione necessaria ministratum, prout docent Bossius *n.* 31. Aversa *q.* 16. *sect.* 6. Lugus *disp.* 22. *n.* 50. Suarez *disp.* 28. *sect.* 5. *num.* 6. Facundez, Granado, & alii, quos affert, & sequitur Leander *q.* 82. Potest etiam Ordinarius Sacerdotes sæculares sibi subditos approbare cum limitatione ad tempus, locum, & personas; ad Viros, & non ad Feminas, ad annum, & non ultra, quia nimirum approbatio, & jurisdictio confertur illis ab Episcopo, qui potest illam limitate concedere, ita ut nec licite, nec valide ultra tempus, & extra personas designatas possint hoc ministerium exercere. Possunt tamen valide audire Confessiones extra locum præscriptum, quamvis illicite, si non habeant licentiam Rectoris illius Ecclesiæ, in qua administrarent.

19. Tota difficultas est de Regularibus, qui per sua privilegia jurisdictionem habent a Pontifice, supposita Episcopi approbatione: *an quando sunt digni, & idonei, si absque justa caussa non fuerint ab Episcopo admissi, nec approbati, possint licite, & valide Confessiones audire, perinde ac si essent ab Episcopo approbati, non obstante Decreto Concilii Trid. sess.* 23. *c.* 15. *de refor.* Prima Sententia affirmat, eo quod Bonifacius VIII. in extravag. *super Cathedram*, de sepulturis, & Clemens V. cum Concil. Viennensi in Clement. *Dudum*, de sepulturis, & Leo X. cum Concil. Lateran. in constit. *Dum intra* Regularibus concesserunt, ut si a suis Superioribus præsentati Episcopo, ab eo non admitterentur ad Confessiones audiendas, haberentur pro admissis, & posse de facto audire Confessiones fidelium; quæ privilegia non fuerunt revocata per Trident. illa clausula generali, *privilegiis quibuscumque non obstantibus*, ut observant DD. infra citandi; tum quia privilegia in corpore juris inserta indigent speciali derogatione, nec censentur sufficienter derogata per clausulam generalem; nam correctio juris, quoad fieri potest, vitanda est, & non præsumenda; tum quia lex prior specialis non derogatur per posteriorem generalem non facientem de illa mentionem expressam, ut ex communi Sententia Juristarum *in cap.* 1. *de Rescriptis* testantur Suarez *lib.* 6. *de Legib. c.* 27. *n.* 17. Palaus *tr.* 3. *disp. de Legib. p.* 2. §. 1. *n.* 11. & Bossius §. 1. *n.* 17. sed potius secundum illam limitatur ex regula Juris in 6. *Generi per speciem derogatur*, ubi Glossa communiter recepta explicat, *etiamsi species præcedat*. Privilegium autem concessum Regularibus in Clement. *Dudum*, loquitur in caussa speciali; Trident. vero generaliter. Hanc Sententiam tenent Navarrus, Henriquez, Vivaldus, Manuel, Miranda, Facundez, Finellus, Layman, Lezana, quos affert, & sequitur Bossius *n.* 13. Palaus *punct.* 17. §. 3. *nu.* 9. Ant. a Spiritu S. *disp.* 13. *nu.* 870. Villalob. Peyr. Lopez, Hurtado, & alii plures, quos sequitur Leander *q.* 83.

20. Secunda Sententia in praxi sequenda docet, Episcopi approbationem, etiam pro Regularibus, ita esse necessariam, ut sine illa, quamvis injuste negata, nec licite, nec valide possint Confessiones audire, quia, stante Decreto Trident. disponentis: *Nullum, etiam Regularem, &c.* non sufficit approbatio petita, & non obtenta, quamvis sit injuste denegata.

negata. Nec amplius vigent antiqua Religiosorum privilegia, quamvis in Corpore Juris inserta, quibus sufficienter derogat Trident. per illam clausulam: *privilegiis non obstantibus*; nisi enim per illam Religiosorum privilegia essent revocata, non remaneret in suo robore lex Trident. expresse postulantis approbationem Episcopi tamquam conditionem necessariam, ut Sacerdos, etiam Regularis, idoneus reputetur; idque colligi potest ex Decreto Alexandri VII. damnantis illam propositionem, quæ est in ordine 13. *Satisfacit præcepto annuæ Confessionis, qui confitetur Regulari Episcopo præsentato, sed ab eo injuste reprobato*. Ita sentiunt Nugnus, Sylvius, Vasquez, Suarez, Coninch, Pitigianus, Filliucius, Barbosa, Tamburinus, Floronus, Valerus, Bordonus, quos citat, & sequitur Diana *p.* 8. *tr.* 1. *resol.* 85. Aversa *sect.* 6. Homobonus *in consult. part.* 5. *resp.* 124. Lugus *disp.* 21. *n.* 52. & ita servatur in praxi.

21. Bene etiam advertunt Lugus, & Diana, primam Sententiam, etsi probabilis foret, parum tamen, aut nihil prodesse posse pro praxi, qua Clement. *Dudum, de sepulturis*, varias continet limitationes; primo, quod renuente Episcopo aliquem ex sibi præsentatis admittere, Prælatus Regularis alium illius loco debeat subrogare; secundo, quod non plures præsententur Episcopo, quam sint necessarii, ac proinde si nulla sit necessitas Confessariorum, eo quod alii Confessarii Sæculares, & Regulares abundarent, ex vi illius Clementinæ non tenerentur Episcopi novos Regulares, etiam idoneos, præsentatos a suis Prælatis admittere ad examen, ut notant Sylvester V. *Confessio* 2. *n.* 10. & Rodriquez *q.* 57. *art.* 1. *v.* 5. *Quæritur*, & inde poterit Episcopus semper, aut fere semper dicere, se nolle approbare illos Regulares, quia pro numero pœnitentium illius loci non sunt necessarii plures pro nunc, cujus contrarium probare in praxi difficillimum erit; & sic in praxi prima Sententia non potest esse utilis, nec deservire, nisi ad irritandos Episcoporum animos contra Regulares, qui proinde debent ab illa abstinere.

22. *An vero possint Episcopi limitare approbationem Regularium ad certum tempus, locum, & personas; ad viros, & non ad feminas?* conveniunt fere omnes, id facere non posse sine caussa, prout decisum refert a Sacra Congregatione, & declaratum a Gregorio XV. post suam Constitut. *Inscrutabilis, in resp. ad* 2. *dubium*. Homobonus *to.* 2. *consult. part.* 5. *resp.* 108. & 157. bene tamen id posse, justa interveniente caussa, quam desumendam esse solum a litteratura, & scientia, docent Leander *q.* 85. & Ant. a Spiritu S. *sect.* 9. *num.* 877. cum Dicastillo *disp.* 10. *num.* 270. & 289. non a moribus, vel statu Religiosorum, nam horum approbatio potius ad Prælatos Regulares, quam ad Episcopum pertinet; & constat ex praxi Episcoporum omnium, qui passim cum aliqua limitatione temporis, & interdum etiam personarum, hanc approbationem Regularibus concedunt; & comprobatur ex Constitut. Clementis X. incipit: *Superna*, in qua habetur: *Illos autem Religiosos, qui ad Confessiones audiendas idonei generaliter reperti fuerint, ab Episcopis generaliter quoque, & indistincte absque aliqua limitatione temporis, certorumque locorum, aut generis personarum in Diœcesi propria admittendos: quoad ceteros vero, qui non adeo idonei reperientur, si petierint se admitti, arbitrio Ordinariorum relinqui, ipsos cum limitata facultate, prout eisdem Ordinariis magis expedire videbitur, probare, & admittere*.

„ *Has ipsas doctrinas rursus insertas videbis, studiose Lector, in iis, quæ Sapientissimus Pontifex ad hanc praxim probandam congessit in sua Notific.* 19. *lib.* 4. *sed, cum juxta ejusdem sit mentem, morales doctrinas, de quibus agendum duxit, ad clariorem lucem redigere, & præclarioribus eas adhuc illustrare, & confirmare fundamentis; sic legere, quæ hic sequuntur, te, studiose Lector, non pigeat, ut nihil tibi sit umquam desiderandum de iis, quæ veram Sacerdotum Scientiam constituunt; legitur quippe loco cit.* §. 9. Tertio, *facultatem audiendæ Confessionis certis limitibus concludendam diximus, ita ut anni spatium non excedat, eoque peracto Sacerdos tum Regularis, tum Sæcularis illius prorogationem a Nobis petere teneatur*. Si de Sæcularibus Presbyteris agitur, id numquam in dubium revocatum fuit. Pro Regularibus tantum rationes afferuntur, ob quas contendunt aliqui facultatem audiendi Confessiones, quæ nullo temporis spatio definita fuit, Regularibus adimi non posse, nisi legitima caussa obvenerit, quæ ad Confessiones ipsas pertineat. (*In Constit.* 32. *Innoc. X.* §. *Secundo, an Episcopus.*) Nec profecto desunt, qui id magno studio tueantur; nec desunt sententiæ editæ a Sacra Congregatione Concilii, quæ statuunt, ab Episcopo facultatem excipiendi Confessiones Sæcularium, aut penitus denegandam Regularibus, aut sine ulla limitatione concedendam, *ut apud* Clericat. *decis.* 38. *n.* 20. *de Pœnit.* Nos plures ex his sententiis congessimus *in nostris Commentar. in cap.* 15. *sess.* 23. *de Reform.* attamen Clemens X. *in allata Constit.* 7. §. 4. aditum Episcopis reseravit, ut limitatas ejusmodi facultates Regularibus impertirent, præcipiens, ut magis idoneis absque ulla limitatione; contra vero minus idoneis circumscripta facultas tribuatur; *Illos autem* (inquit) *Religiosos, qui ad Confessiones audiendas idonei generaliter reperti fuerint, ab Episcopis generaliter quoque, & indistincte absque aliqua limitatione temporis, certorumque locorum, aut generis personarum in Diœcesi propria admittendos: quoad ceteros vero, qui non adeo idonei reperiuntur, si petierint se admitti, arbitrio Ordinariorum relinqui, ipsos cum limitata facultate, prout eisdem Ordinariis magis expedire videbitur, probare, & admittere*. Quamobrem, cum hæc doctrinæ, virtutisque præstantia dignosci nequeat, nisi examen circa quæstiones Theologiæ Moralis instituatur, quod ita facile non est; ideo facultas tantum limitata tum Sæcularibus, tum Regularibus Presbyteris tradi consuevit, ita ut magis idoneis ad annum, ceteris autem ad minus temporis spatium eadem facultas protrahatur. Ita Nicol. *Lucubrat. lib.* 5. *tit.* 38. *num.* 9. Clericatus *in decis.* 38. *de Pœnit. n.* 17. Scriptores etiam ex Regularibus idem unanimes asserunt: *Hinc infero primo* (inquit Cardin. de Lugo *de Sacram. Pœnit. disp.* 31. §. 1. *n.* 59.) *non debere damnari approbationem cum ejusmodi limitationibus ab Episcopis datam* (inter quas illa temporis limitati numeratur) *tamquam injustam, etiam respectu Regularium; possunt enim de facto intervenire vel omnes, vel aliqua ex rationibus adductis, vel aliæ similes, quibus prudenter moveatur Episcopus ad non approbandum absolute, & universaliter, sed cum aliqua limitatione*. Congerit etiam Fagnanus in cap. *Grave nu.* 50. *de officio Ordinarii*, qui fatetur probari a Sacra Congregatione pro Episcoporum, & Regularium caussis instituta, ut limitatæ facultates Regularibus tribuantur. Cum vero nonnulli Regulares in hac re adversarentur Cardinali Sandoval, & Episcopo Andegavensi, Urbanus VIII. *in sua Constit. anno* 1639. opinionem ejusdem Cardinalis confirmavit. Alexander autem VII. die 30. Januarii 1659. hanc sententiam tamquam falsam, temerariam, pravamque proscripsit: *Non possunt Episcopi limitare, seu restringere approbationes, quas Regularibus concedunt ad Confessiones audiendas, neque ulla ex parte revocare*. Ita Cabassut. *in Theoria, & Praxi Juris Canonici lib.* 1. *cap.* 10. *num.* 13. Tandem illud etiam certissimum est, quod Constitut. Innocentii XIII. a Benedicto XIII. uti dictum est, confirmata, sancitur: *Declaramus, Sacerdotes tam Sæculares, quam Regulares, qui ab Episcopis obtinuerint licentiam audiendi Confessiones limitatam, vel quoad locum, vel quoad genus personarum, vel quoad tempus, non posse Pœnitentiæ Sacramentum administrare extra tempus, vel locum, vel genus personarum ab ipsis Episcopis præscriptum, quocumque privilegio, etiam in vim Bullæ, quæ appellatur Cruciatæ Sanctæ, competente nullatenus suffragaturo*. „

23. *At si absque ulla caussa limitaret Episcopus approbationem alicujus Regularis idonei ad certum tempus, qualitatem personarum, poteritne iste ultra tempus definitum, & personas designatas Confessiones audire?* Affirmant omnes illi, qui supra dixerunt, Regulares, quibus injuste debita approbatio denegatur, posse valide, & licite Confessiones audire, quia Regulares non ab Episcopo, sed a Papa habent jurisdictionem in ordine ad omnia genera personarum, & consequenter jus petendi approbationem ad omnia genera personarum; ergo si Episcopus sine justa caussa illis neget approbationem absolutam, faceret contra justitiam, denegando illis jus suum, ac per consequens absolute ipso jure a Summo Pontifice approbati censentur. Ita cum Zambello, Præposito, Miranda, Peyrino, Rodriquez, & aliis, docet Ant. a Spiritu S. *nu.* 880. Verum existimo, nullo modo hoc esse admittendum, sed eodem modo judicandum pro ea parte, qua approbatio denegatur, ac quando simpliciter negatur; quare, sicut dicebamus, quod simpliciter negata licentia, nec licite, nec valide possunt Regulares Confessiones audire; ita etiam nec licite, nec valide possunt illas audire ultra tempus, & personas designatas. Si enim approbatio Episcopi est conditio sine qua non, a Concilio requisita, ea non existente pro ea parte, qua non existit, invalida erit Confessio facta.

24. Solent Episcopi, concedendo licentiam Regularibus, assignare locum, in Ecclesiis scilicet suorum Ordinum; hoc tamen non pertinere ad valorem, sed ad reverentiam debitam Rectoribus aliarum Ecclesiarum, ne videlicet absque eorum licentia, seu consensu in alienis Ecclesiis administrent, recte observat Aversa *q.* 16. *sect.* 6. cum Bordono *to.* 1. *Variar. resol.* 36. *q.* 6. & 16. Ratio est, quia illa particula *in Ecclesiis sui Ordinis*, non est taxativa, seu limitativa jurisdictionis, sed modalis, seu loci demonstrativa, ut tenent communiter Doctores, quos affert, & sequitur Sanchez *lib.* 3. *de Matrim. disp.* 24. *n.* 2.

DUBIUM IV.

An approbatio semel data possit revocari, & an possit quis iterum examinari?

25. Conveniunt omnes, approbationem semel datam ab Episcopo, sive Sæcularibus, sive Regularibus, etiam

etiam absque ulla limitatione, & restrictione, justa interveniente caussa, posse revocari, vel suspendi, adeo ut Confessarii antea approbati, non possint deinceps nec valide, nec licite in Confessionibus audiendis continuare, si nimirum ille, qui antea probus, doctus, & idoneus putabatur, cognoscatur postea non pollere sufficienti doctrina, errores committere in Confessionibus audiendis, aut pravis moribus esse coinquinatum; si enim non posset Episcopus indignum, & ineptum reprobare, & priorem approbationem revocare, non satis consultum esset Animarum saluti. Sic Suarez *disp.28. sect.7.* Lugus *disp.21. num.64.* Aversa *q.16. sect.6.* Diana *part. 6. tr.7. resol.62.* Leander *q.86. & seqq.*

26. Peccaret mortaliter Episcopus, si absque ulla caussa approbationem absolute, & sine limitatione datam revocaret, quia injuriam faceret Ministris alioquin dignis, & idoneis; non enim Sacerdotis approbatio est mera gratia, & favor, sed juridica quædam declaratio, quæ se habet tamquam justa sententia, quæ sine caussa negari, nec revocari potest, ut cum Layman, Lugo, Coninch, Dicastillo, & aliis docet Ant. a Spiritu S. *sect.10. n.882.* Et idem dicendum est, si approbationem concessam ad tempus, revocaret ante tempus; quod idem dicendum videtur de approbatione, & licentia data ad beneplacitum, quia intelligitur beneplacitum rationabile, & non temerarium, ita ut Episcopus non sine justa caussa debeat suum beneplacitum revocare. Ita notat Peyrinus *tom. 1. de privil. Minim. Constit. 2. Sixti IV. §. 2. n.44.* Peregr. *in Compend. §. Absolutio, quoad Sæculares §. 2. in Schol.* Diana *p.3. tr.2. resol.26.* & Aversa *supra*.

27. Pro Regularibus extat speciale Decretum Sacræ Congregat. sub die 20. Novembris 1615. in quo dicitur: *Confessarios Regulares alias ab ipsis libere approbatos, ab audiendis Confessionibus suspendere postbac minime licere, nisi ex nova caussa, eaque ad Confessiones ipsas pertinente, aut ob non servatum interdictum ab Ordinariis ipsis positum.* Idque renovatum est a Clemente X. in sua Constit. quæ incipit: *Superna*, ubi habetur: *Regulares ad hujusmodi Confessiones audiendas prævio examine simpliciter, & absque ulla temporis præfinitione ab ipsomet Episcopo (secus autem, si ab ejus Vicario, aut ab Antecessoribus Episcopis) approbatos, non posse ab eodem, qui sic approbavit, iterum examinari, aut ab eisdem Confessionibus audiendis suspendi, seu licentias illis concessas revocari, nisi nova superveniente caussa, quæ ipsas Confessiones concernat.* Ibidem etiam declarat caussam, ob quam potest Regularium approbatio revocari, & suspendi, non solum petendam esse a doctrina, & litteratura, sed etiam a bonis moribus. *Porro si Regulares cum scandalo, aut alias inhoneste vivant, vel quod delictum committant, per quod, rationabili Episcopi judicio, videantur a Confessionibus suspendi, in quo ipsius Episcopi conscientiam oneratam esse volumus, cum præcipua Ministri Sacramenti Pœnitentiæ qualitas sit vitæ integritas, ac morum honestas, utique eam caussam ad Confessionis ministerium pertinere, ac proinde nihil obstare, quominus ob eam possit Episcopus Regulares a semetipso approbatos suspendere, aut repellere a Confessionibus audiendis.*

28. Cum autem sit incredibile; omnes unius Conventus Religiosos esse ignaros, & pravis moribus inquinatos, non potest simul omnibus facultatem audiendi Confessiones adimere, ut expresse habetur in eadem Constit. Clementis X. ibi: *Attamen Confessiones audiendi facultatem omnibus simul unius Conventus Regularibus Confessoribus adimi ab Episcopo, inconsulta Sede Apostolica, nullatenus posse;* quod etiam antea cautum erat in Decreto Sacræ Congregationis, edito anno 1615. die 20. Novembris, illis verbis: *Statuunt insuper, eosdem Archiepiscopos, Episcopos, locorumque Ordinarios, Confessiones audiendi facultatem omnibus simul unius Conventus Regularibus Confessariis, eadem Sacra Congregatione inconsulta, nullo pacto adimere posse.* Additur in eadem Constitutione, Regulares, semel simpliciter approbatos, posse in Diœcesi Episcopi approbantis, quovis anni etiam tempore Paschali, & quorumcumque, etiam Infirmorum, Confessiones audire, absque ulla Parochorum, vel ipsius Episcopi licentia; & eos, qui dictis Religiosis simpliciter approbatis Paschali tempore confessi fuerint, Constitutioni, quæ incipit: *Omnis utriusque sexus*, quoad Confessionem dumtaxat, satisfecisse censendos.

„ *Tum quoad Sæculares, cum quoad Regulares, vide quomodo sapientissime disserat Benedictus XIV. in prælaudata Notif. 19. l.4. §.10. nec minus, nec plus æquo Regularibus potissimum vel negando, vel concedendo bis, quæ sequuntur:* Ultimo loco proposuimus, *cum facultatis istius prorogatio conceditur, nostræ potestatis esse, quemcumque Sacerdotem Regularem, aut Sæcularem in examen vocare* eo modo, quem superius indicavimus, illudque examen coram nobis habendum. Quippe non ignoramus, in Confessario requiri non probitatem modo, sed peritiam pariter, ac doctrinam: in Can. *Qui vult dist.6. de Pœnit. Caveat spiritualis Judex, ut sicut non commisit crimen nequitiæ, ita non careat munere scientiæ; oportet enim, ut sciat cognoscere quidquid debet judicare; judiciaria enim potestas hoc postulat, ut quod debet judicare, discernat.* Porro temere queruntur illi, qui semel probati ad examen iterum vocantur, nec iis prorogatio, quam expetant, conceditur. Nam satis experientia compertum est obliterari, quæ antea didicimus, nisi assiduo studio excolantur: *Nam sicut ille* (ait Cardinalis de Lugo *de Sacram. Pœnit. disp.31. §. 2. n.65.*) *qui hodie idoneus est, potest postea, corruptis moribus, vel oblivione doctrinæ fieri ineptus; ita eum, quem hodie declarat idoneum, poterit postea declarare ineptum, & retractare revocationem pro tempore sequenti. Et certe, si Episcopi hoc non possent facere, non possent satis consulere suo Gregi, cum non possent prohibere illi Confessarium ineptum sibi approbatum, etiamsi clare constaret de eius ineptitudine.* Illud etiam perspectum habemus a Gregorio XIII. *in Constit. 9.* redactam fuisse ad pristinam sententiam Juris Pontificii, ac Tridentinæ Synodi, S. Pii V. Constitutionem, *in Constit. 133. §.2.* ob quam Regulares semel ad Confessiones audiendas ab aliquo Episcopo probati, examinari amplius non debent, nisi ab Episcopo, qui in ejus locum sufficitur, si aliqua religione, metuque teneatur. Insuper Alexander VII. decimo tertio loco hanc sententiam damnavit: *Satisfacit præcepto annuæ Confessionis, qui confitetur Regulari, Episcopo præsentato, sed ab eo injuste reprobato.* Postremo nobis ignotum non est, Patavium, ejusque Diœcesim, cum Cardinalis Gregorius Barbadicus eam Sedem teneret, doctis, idoneisque Confessariis plurimum redundasse ob hanc caussam, quod facultas audiendi Confessiones post novum examen solummodo traderetur. Sic habet Clericatus *decis. 37. sub n. 18. de Pœnitentia*, qui tunc Vicarii Generalis munus exercuit.

Exposita methodo, quam probamus, & reipsa semper antea servavimus, caussisque illius adductis, nihil aliud superest, quam pauca Confessariis hujus Civitatis, ac Diœcesis nota, & perspecta facere. Primum, quod præsertim ad Diœcesanos spectat, nullam excusationem longi, vel impediti itineris satis futuram declaramus, ut primum, aut aliud examen evitetur, nequicquam etiam in medium proferent, se infirma valetudine detineri, vel præstandam ab ipsis operam ægrotantibus, qui gravi morbo laborant; his enim caussis fidem vix habere possumus, quæ plerumque afferri solent, cum illi ad examen venire jubentur. Illud quoque Nos ad suspicandum de hac re magnopere impellit, quod ipsi sæpius per anni cursum in Urbem libere se conferant, ac deinde impedimentum aliquod semper obtingat, postquam examen illis indictum fuit. Accedit tandem, quod aliqui ex ipsis, cum Nos in Diœcesi versaremur ad eos examinandos parati, id negotium effugerunt: deinde post nostrum ad Civitatem reditum, audiendi Confessiones facultatem, aut prorogationem, brevis temporis spatio interjecto, a nobis petierunt; ita tamen, ut nullum examen fieri deberet, aut hæc examinandi provincia alicui Diœcesano tribueretur ob aliquam ex iis caussis, quas ab illis effingi superius ostendimus. Quare sensu pene communi carere debet, qui calliditatem ejusmodi non intelligat. Itaque pro certo habeant omnes, si caussam a veritate non alienam nobis adhibeant, a nobis de more probandam esse, ut nempe Confessarii facultas ad aliquod breve tempus protrahatur, non tamen ut consuetum examen vitetur, aut alicui Diœcesano illud committatur.

Secundo, ipsos ad examen magna humanitate excipiemus, neque ineptas quæstiones, ad ingenii ostentationem inductas proponemus, sed de illis interrogabimus, quæ reipsa contingere solent, & necessariæ prorsus habentur. Nos vero, designatique Examinatores coram nobis perspicuitatem rerum, ac sermonis omni studio sectabimur; novimus enim in Confessariis optandam quidem eminentem scientiam, mediocrem tamen satisesse, quæ ab Innocentio in c. *Cum in cunctis, de Electione*, sic explicatur: *Scientiam reputamus eminentem, quæ subtiles quæstiones discutere, & definire novit, & in promptu responsiones habet. Ille habet mediocrem, qui scit aliquo modo examinare negotia, quamvis ad omnia nesciat respondere, & qui in libris veritatem eorum, quæ scire tenetur, scit quærere, etsi in promptu omnia non habeat.* Novimus etiam in quibusdam Diœcesis partibus probari debere scientiam inferiorem, quæ scilicet neque ad mediocrem pertingit. Id sapienter advertit Cardinalis de Lugo *de Sacram. Pœnit. disp.22. sect.4. n.74.* Diana *in Edit. Coordin. tom. 5. tr.3. resol.7. n. 13.* ut timidos, ac religiosos Episcopos consoletur.

Tertio, (ut re confirmemus, quæ nuper diximus) monemus ipsos, præter alias quæstiones, semper a nobis interrogandos *super reservatis in Bulla Cœnæ, & super reservatis in hac Diœcesi*. Nam merito suspicamur, a quibusdam Confessariis imperitis ea crimina, easque censuras condonari, quæ ipsorum facultatem excedunt; atque ita protendi plus justo limites potestatis *directe super non reservatis*, atque *indirecte super reservatis*. Illos quoque interrogabimus juxta Decreta Congregationis Sancti Officii, circa Constitutionem Gregorii XV. contra *Sollicitantes*. Inquiremus pariter sententias ab Alexandro VII. & Innocentio XI. proscriptas; ac potissimum 24.25. 40.41. ab Alexandro VII., & 9. 34. 49. 50. 51.

„ 60.61.

„ 60. 61. 62. 63. ab Innocentio XI. damnatas, quæ perti-
„ nent ad crimen incontinentiæ, vel ad improbos homines
„ nefaria peccandi consuetudine, aut proxima occasione de-
„ vinctos. Profecto terret Nos magnopere, quod Cardina-
„ lis Bellarminus *in Concione 4. in Dominica IV. Adventus*
„ scriptum reliquit: *Non esset hodie tanta facilitas peccan-*
„ *di, si non esset tanta facilitas absolvendi.*

29. Diversa tamen est ratio de Confessione Monialium, pro quibus necessaria est specialis approbatio renovanda singulis vicibus, ut habetur in eadem Constitutione, in qua dicitur: *Generaliter approbatos ab Episcopo ad personarum Sæcularium Confessiones audiendas, nequaquam censeri approbatos ad audiendas Confessiones Monialium sibi subjectarum, sed egere quoad hoc speciali Episcopi approbatione: atque approbatos pro audiendis Confessionibus Monialium unius Monasterii, minime posse audire Confessiones Monialium alterius Monasterii; itidemque Confessores extraordinarios semel deputatos, atque approbatos ab Episcopo ad Monialium Confessiones pro una vice audiendas, haud posse, expleta deputatione in vim approbationis hujusmodi, illarum Confessiones audire, sed toties ab Episcopo esse approbandos, quoties casus deputationis contigerit.*

30. Revocationem audiendi Confessiones sine caussa factam, non solum illicitam, sed etiam invalidam esse, adeo ut possint, illa non obstante, Confessarii valide, & licite perseverare in Confessionibus audiendis, probabiliter docent non solum illi, qui volunt approbationem sine caussa negata haberi pro concessa, & Regulares sic repulsos posse Confessiones audire, sed etiam Peyrin. Portel. Filliuc. Cœlestinus, quos affert, & sequitur Del Bene *to. 2. c. 14. dub. 18. sect. 11. n. 31.* Suarez *disp. 28. sect. 8.* Coninch *disp. 8. num. 59.* Lugus *disp. 21. n. 64.* Diana *part. 3. tr. 2. resol. 22. & p. 4. tr. 4. resol. 200.* nec dissentit Homobonus *in consult. p. 4. resp. 86.* Franc. a Jesu Maria *c. 11. punct. 7. nu. 107.* aliique plures specialiter loquentes de Regularibus. Ratio est, quia Regulares habent a jure, & a Summo Pontifice facultatem, & jurisdictionem ministrandi hoc Sacramentum, solumque indigent approbatione Episcopi, tamquam juridica declaratione suæ idoneitatis, quæ proinde non est mera gratia, quæ revocari possit, sed justa sententia, quæ semel data transit in rem judicatam, nec amplius revocari potest, durantibus rebus in eodem statu, & non apparente nova caussa in contrarium; sicut revocari potest, justa intercedente caussa, quia tunc non revocatur prior approbatio per solam voluntatem, sed propter novam declarationem, quæ est quasi nova sententia justa, & efficax ad irritandam priorem, ut optime notat Suarez.

31. Nec dicas: sine approbatione Episcopi, quantumvis injuste negata, non possunt Regulares nec licite, nec valide Confessiones audire; ergo nec facere hoc poterunt, quando approbatio est revocata. Sed contra: cum approbatio sit veluti sententia declaratoria idoneitatis Confessarii, sine qua non potest Sacerdos Confessiones audire, quousque non fuit a Judice pronuntiata, quantumvis injuste negetur, nullum jus acquirit, nec in eo verificatur conditio a Concilio requisita: at semel data Sententia, jam verificata est conditio, nec potest Judex absque nova, & justa caussa jus alteri collatum auferre; timenda tamen semper erit hæc revocatio pro securitate, & pace, prout citati Doctores advertunt, & in dubio de caussa justa præsumendum semper erit pro Episcopo.

32. Hinc facile colligitur, Confessarios, maxime Regulares, semel simpliciter approbatos non posse sine caussa iterum vocari ad examen ab eodem Episcopo, qui illos simpliciter approbavit; bene tamen posse hoc fieri ab Episcopo successore, ut eos recognoscat, & de eorum sufficientia certior fiat, ut habetur ex citata Constit. Clementis X. & ex alia Constit. Sancti Pii V. incipit *Romani Pontificis*, ubi habetur: *Volumus tamen, eos, qui semel ab Episcopo in Civitate, vel Diœcesibus suis, prævio examine approbati fuerint, ab eodem Episcopo iterum non examinari: a successore autem Episcopo pro majori conscientiæ quiete examinari de novo poterunt*; quod sæpe etiam declaravit Sacra Congr. apud Hyacinthum Donatum *t. 3. tr. 4. qu. 15.* Inde poterunt Episcopi præfigere Confessariis certum tempus, intra quod qui non accedunt suspensi maneant; quod certe rationi consonum est, quia novus Episcopus jus habet, & justam caussam cognoscendi, & explorandi Ministros hujus Sacramenti pro cautela animarum suo regimini creditarum; & ita servatur in praxi, ut docent Suarez, Facundez, Coninch, Barbosa, Miranda quos affert, & sequitur Palaus *punct. 18. §. 4. n. 9.* licet contrarium teneant nonnulli apud Dianam *p. 3. tr. 2. resol. 27.* quos sequitur Ant. a Spir. S. *sect. 12. n. 891.*

33. Capitulum, Sede Vacante, quamvis de jure possit Regulares ad examen vocare, hoc tamen facere non potest, attentis privilegiis Regularibus concessis a Clement. IV. ut docent Palaus *n. 10.* Ant. a Spiritu S. *n. 893.* & Diana *citata resol. 27.* ubi etiam notat, quod si Successor Episcopi per Edictum generale revocet omnes licentias, & approbationes audiendi Confessiones, non comprehenduntur Regulares, quando de illis specialiter Edictum non loquitur. Censeo tamen, justa interveniente caussa, posse Capitulum revocare licentiam alicui Regulari ab Episcopo concessam, quia Capitulum, Sede vacante, potest omnia exercere, quæ de jure communi pertinent ad jurisdictionem ordinariam Episcopi, nonnullis exceptis, quæ sibi specialiter prohibentur, ut docet Barbosa *de potest. Episc. allegat. 36. n. 9.* sed Episcopus potest ex caussa revocare dictam facultatem Regularibus concessam; ergo etiam potest Capitulum, Sede Vacante. Deinde Capitulum, Sede Vacante, per Vicarium a se electum, potest approbare, & exponere Confessores, ut docent communiter Doctores; ergo etiam potest illos reprobare, & revocare, si opus est, ab audiendis Confessionibus, cum hæc sint correlativa, & actus jurisdictionis, non Ordinis, seu dignitatis Episcopalis. Nec obstat privilegium Clement. IV. Dominicanis, & Franciscanis concessum, quia intelligitur, quando justa non intervenit caussa in contrarium.

Omnes, & quæcumque difficultates, quæ circa Regu- „
larium privilegia pro Confessionibus audiendis occurrere „
possunt, videntur perapte solutæ in his, quæ sequuntur „
ex Synod. Diœces. potissimum collecta lib. 7. cap. 42. §. 7. „
quamvis quid diversum sentire quodammodo videatur Gi- „
ribaldus in §. 30. & seqq. hujus dubii. Hæc autem sunt „
verba: Aliud rei, de qua agimus, exemplum spectat „
facultatem administrandi Sacramentum Pœnitentiæ. Bo- „
nifacius VIII. in cap. *Super Cathedram, de Sepulturis,* „
inter Extravag. commun. statuit, non posse Regulares „
Sæcularium Confessiones excipere, *sine licentia, gratia,* „
& beneplacito Episcopi, in cujus Diœcesi commoran- „
tur. Benedictus vero XI. in cap. *Inter cunctas, de Pri-* „
vilegiis, pariter inter Extrav. commun. decrevit, Supe- „
riores Regulares debere quidem significare Episcopo „
fuisse a se quosdam sui Ordinis Fratres deputatos ad au- „
diendas Sæcularium Confessiones, non tamen teneri eo- „
rumdem Fratrum nomina exprimere, nec certum nu- „
merum designare; voluit insuper, ut nisi Episcopus in- „
tra triduum ad Confessiones excipiendas approbasset, „
quos Prælatus Regularis ita confuse eidem significave- „
rat, iidem nihilominus possent Sacramentum Pœniten- „
tiæ, auctoritate Apostolica, Sæcularibus administrare. „
Verum hanc Benedicti XI. Sanctionem abrogavit Cle- „
mens V. *in Clement. Dudum, de Sepulturis*, restaura- „
vitque Constitutionem editam a Bonifacio VIII., quam „
denuo renovavit Tridentinum *sess. 23. cap. 15. de refor.* „
edicens, nulli Regularium fas esse, Sæcularium, etiam „
Sacerdotum, Confessiones excipere sine Episcopi approba- „
tione. Hanc porro approbationem, seu licentiam, pos- „
se ab Episcopis Regularibus concedi ad certum tempus, „
& limitari ad certum dumtaxat genus personarum, di- „
serte declararunt Clem. X. *in sua Constit.* 10. §. 4. Ur- „
banus VIII. *suis Apostolicis Litteris in forma Brevis* an- „
no 1639. datis in caussa moti litigii inter Cardinalem „
Sandovalem, & Regulares illius Diœcesanos: Innocen- „
tius XIII. *in sua Constit. super Ecclesiastica disciplina in* „
Regnis Hispaniarum, edita die 13. *Maji* 1723. & con- „
firmata a Bened. XIII. die 23. Septembris 1724. alia „
Constitutione, quæ extat *in Append. ad Concilium Ro-* „
manum anni 1725. Atque opposita doctrina, quam Re- „
gularium plerique venditabant, proscripta est ab Alexan- „
dro VII. qui, teste Cabassutio *in theor. & prax. Juris Ca-* „
nonici lib. 1. c. 10. n. 13. die 30. Januarii 1659. hanc pro- „
positionem: *Non possunt Episcopi limitare, seu restrin-* „
gere approbationes, quas Regularibus concedunt ad Con- „
fessiones audiendas, neque ulla ex parte revocare, decla- „
ravit falsam, temerariam, scandalosam, & erroneam; „
quæ omnia videri possunt *in nostra Notific. 19. lib. 4.* „
Quibus præmissis, sibi licuisse autumabat quidam E- „
piscopus in suis Synodalibus Constitutionibus prohibere, „
ne ullus Regularium, etsi ceteroquin a se approbatus, „
accederet ad domum Sæcularium ægrotantium, ut eo- „
rumdem Confessiones inibi exciperet, sine speciali licen- „
tia Parochi proprii ejusdem ægrotantis. Displicuit hæc „
Constitutio Regularibus, eo quod ea non tam imminui, „
quam prorsus ipsis auferri videretur facultas audiendi Sæ- „
cularium Confessiones: neminem quippe facile reperiri „
ajebant, qui velit sanus Confessarium eligere, a quo „
nequeat ægrotans, & mox fortasse decessurus, Sacra- „
mentalem absolutionem obtinere; suas proinde adversus „
Decretum querelas ad Sacram Congregationem Concilii „
detulerunt, eaque, sive ob prædictam rationem, sive „
potius, ne ægrotantes privarentur solatio peccata sua „
aperiendi Confessario, quem optarent; die 14. Decem- „
bris 1658. Synodalem Constitutionem ita temperandam „
censuit, ut liberum quidem esset Regularibus, jam ab „
Episcopo approbatis, accedere ad domos Sæcularium „
morbo laborantium, ibique Sacramentum Pœnitentiæ „
iisdem administrare; hac tamen adjecta lege, ut tene- „
rentur, exceptæ Confessionis attestationem in schedula „
scriptam in eadem domo relinquere, qua certior fieret „
Parochus de peracta ab Infirmo Sacramentali Confessio- „
ne, ut tuto deinde posset cetera Sacramenta eidem con- „
ferre. „

DUBIUM V.

An semel approbatus in una Diœcesi censeatur ubique approbatus?

34. Non procedit difficultas de Sacerdote Sæculari semel in aliqua Diœcesi approbato; hunc enim non posse Confessiones audire in alia Diœcesi sine approbatione Episcopi illius Diœcesis, omnes facile concedunt, quia debet ab illo accipere jurisdictionem, nec privilegium aliquod habet a Papa, sicut habent Regulares, quos proinde semel ab uno Episcopo simpliciter approbatos absque limitatione temporis, & personarum, plures admittunt, posse ubique terrarum Confessiones excipere absque alia approbatione Episcopi Diœcesani, & hoc propter varia privilegia a Summis Pontificibus concessa Regularibus. Ita enim concessit Clemens VII. Minoribus, & Sixtus V. Presbyteris Congregationis Oratorii Urbis in Bulla: *Decet Romanum Pontificem*, quam per extensum refert Quaranta *in Summ. Bull.* Verbo *Confessarius*, & Naldus V. *Confessarius*, quæ privilegia participantur etiam ab aliis Regularibus. Ratio etiam est, quia hujusmodi Sacerdos vere est approbatus juxta formam Concilii Trident. nihil aliud requirentis, nisi quod sit ab Episcopo approbatus, nec exprimit a quo Episcopo; ergo sufficit a quocumque, quia ubi lex non distinguit, nec determinationem addit, nec nos distinguere, nec addere determinationem debemus; & ita tenent Collotius, Corduba, Præpositus, quos refert Diana *p.6. tr.7. resol.* 59. Leander a Murtia apud Dianam *p.*10. *tr.*14. *resol.*23. Baunii, Henriquez, Trulleuch, Amicus, & alii, quos affert, & sequitur Ant. a Spir. S. *sect.* 13. *n.* 896.

35. Resp. Regulares semel approbatos in una Diœcesi, nullo modo posse ubique terrarum Confessiones audire, sed necessario debere approbari in qualibet Diœcesi ab Episcopo illius Diœcesis, quia ita determinavit Urbanus VIII. anno Domini 1628. in sua Constitut. quæ incipit: *Cum sicut accepimus*, ubi revocat omnia privilegia, & licentias audiendi Confessiones sine approbatione ab Episcopis Diœcesanis, quam refert Hyacinthus Donatus *t.3. de Regul. tr.4. q.8.* Idem habetur in Constit. Innocentii X. in caussa Angelapolitana Jurisdictionis sub die 9. Maji 1648. ubi, respondendo ad nonum dubium, sic habetur: *Nono, utrum Regularis quicumque, etiam Societatis Jesu, possit administrare Sacramentum pœnitentiæ Sæcularibus absque licentia Episcopi Diœcesani, etiamsi in aliena Diœcesi approbatus sit. Respondetur, Regulares, etiam Societatis Jesu, in una Diœcesi ab Episcopo approbatos ad Confessiones personarum Sæcularium audiendas, nequaquam posse in alia Diœcesi hujusmodi Confessiones audire sine approbatione Episcopi Diœcesani.* Ita refert Diana *p.*10. *tr.*16. *resol.*75. idemque determinatur a Clemente X. in sæpe citata Constit. ubi ait: *Religiosos ab Episcopo ad Confessiones Sæcularium in sua Diœcesi audiendas approbatos, non posse in aliena Diœcesi, eas absque Episcopi Diœcesani approbatione audire, quamvis pœnitentes subditi sint ejus Episcopi, a quo ipsi Religiosi jam fuerant approbati.* Quare cessant omnia privilegia alias Regularibus concessa, nec Sententia opposita potest amplius sustineri, nec probabilis censeri.

36. Dices: saltem qui est Romæ approbatus, poterit ubique Confessiones audire absque alia Episcoporum approbatione; nam approbatus a Principe non debet per Inferiorem examinari, ex l. *quidam consulebat. ff. de re judicata.*

Resp. approbatum Romæ debere etiam per Episcopos Diœcesanos approbari, quia sic habetur ex determinatione Summorum Pontificum, ut supra universaliter loquentium, & servatur in praxi; est etiam damnata ab Alexandro VII. in Decreto 30. Januarii 1656. illa propositio; *Regulares Ordinum Mendicantium semel approbati ab uno Episcopo in sua Diœcesi, habentur pro approbatis in aliis Diœcesibus, nec nova egent Episcoporum approbatione.*

37. Afferri solet aliud privilegium concessum Patribus Societatis a Gregorio XIII. prout refertur in eorum Compendio Privileg. V. *Confessarius* n. 2. tenoris sequentis: *Confessarii nostri, ac Prædicatores ab aliqua Ordinario semel approbati, & a suis Superioribus ad ejusmodi munera deputati, quandocumque sive mari, sive terra iter faciunt, possunt, non repugnantibus tamen Curatis Parochialium Ecclesiarum, verbum Dei prædicare, & quorumcumque Christifidelium Confessiones audire, dummodo id non faciant in Oppidis, in quibus Ordinarii existunt*: quod privilegium non esse revocatum a Trident. vel Urbano, affirmat Tambur. *de pœnit. l.*5. *c.*5. §.6. *n.*3. cum Lugo *disp.*21. *n.*29. Verum existimo esse revocatum per Constitutionem Clementis X. supra relatam, & ante illam docuit Aversa *q.* 16. *sect.* 8. *in fine.*

38. Quæres: *An Confessarii Regulares approbati in una Diœcesi possint subditos illius Diœcesis ubique audire?*

Resp. negative propter Constitutionem Clement. X. in qua habetur: *Approbatum in una Diœcesi non esse approbatum in alia, nec ad audiendas ibi Confessiones Subditorum prioris Episcopi, a quo fuit approbatus.* Qui vero est approbatus ab Ordinario unius Diœcesis, etiamsi diu absit ab illa, & redeat, retinet approbationem, nisi post ejus discessum fuerint approbationes revocatæ, ita ut approbatio illius includatur in ea revocatione, ut cum aliis docet Bossius *sect.* 3. *casu* 2. §. 1. *n.*46.

DUBIUM VI.

An Sacerdos approbatus ab Ordinario cum limitatione ad Confessiones Virorum, & non Mulierum, possit virtute Jubilæi, aut Bullæ eligi ab omnibus.

39. Plures affirmant, talem Sacerdotem limitate approbatum, posse virtute Jubilæi, aut Bullæ eligi ab omnibus tam Viris quam Mulieribus. Ratio est, quia ut Sacerdos sit idoneus, & eligibilis, sufficit, quod sit approbatus juxta formam Concilii Tridentini, quod quidem non distinguit inter approbatos ad has personas, vel ad illas, & ubi lex non distinguit, nec nos distinguere debemus. Ita tenent Henriquez, Petrus Fau, Facundez, Bonacina, Coninch, & alii, quos affert, & sequitur Leander *q.* 68. Alii distinguentes dicunt, esse eligibilem, quando non fuit limitate approbatus ex defectu scientiæ, seu ex defectu ætatis, aut ex mera voluntate Approbantis; quia præcipua intentio Pontificis videtur esse, ut ex vi Bullæ, seu Jubilæi non eligatur, nisi Sacerdos peritus, & sciens, quæ ad Pœnitentiæ Sacramentum rite, & cum fructu administrandum necessaria sunt; sed qui est limitate approbatus solum ex defectu ætatis, & non scientiæ, habet sufficientem notitiam; & sic potest ab omnibus eligi, tam Viris, quam Feminis. Ita Manuel *in Bullam Cruciatæ* §. 9. *nu.* 8. Nugnus, Ledesma, Sanchez, quos sequitur Diana *p.*1. *tr.* 11. *resol.*9. Del Bene *to.*2. *c.*14. *dub.* 8. *sect.*13. *num.* 2. Ant. a Spir. S. *sect.* 17. *n.*904. & alii apud ipsos.

40. Resp. talem Sacerdotem vi Bullæ Jubilæi, privilegii Papæ, vel alterius facultatis requirentis in Confessario approbationem Ordinarii, non posse eligi ab aliis, quam ab illis, pro quibus fuit approbatus. Ratio est, quia limitate approbatus ad certum tempus, puta ad annum, non potest Confessiones excipere nisi pro eo tempore, & extra illud non est amplius approbatus, nec potest eligi virtute Jubilæi; ergo etiam limitate approbatus ad certum locum, & personas, potest tantum istarum Confessiones excipere, non aliorum, pro quibus non est approbatus, ac proinde non poterit eligi ab illis nec virtute Jubilæi, cum non sit pro illis approbatus. Ita tenent Rodriquez, Gutierez, Joan. de la Cruz, Suarez, Homobonus, & alii, quos affert, & sequitur Bossius *supra* §. 10. *nu.* 244. Lugus, Mendo, Bardus, & alii apud Leandrum *q.*68. & hoc valet, sive quis sit limitate approbatus ex defectu scientiæ, sive ex defectu ætatis, vel morum, vel alio motivo.

Si plura cupis hac de re videre, adest Notificat. posita sub num. XVII. lib. IV. in qua, ut cuidam Vicario Foraneo, nonnulla dubia circa hoc proponenti satisfaceret, clariori methodo, & potioribus fundamentis in communem eruditionem hæc omnia profert, hisce verbis: Sed jam deveniamus ad illud, quod secundo loco in tuis litteris proponitur: Nos igitur admones recentis Jubilæi tempore, quod Pontifex indixit, & Nos in Civitate, ac Diœcesi promulgavimus, aliquos Sacerdotes, tum Regulares, tum Sæculares, venisse ex vicinis Diœcesibus, in quibus facultatem ad Confessiones audiendas obtinent ipsosque Pœnitentiæ Sacramentum Diœcesanis nostris administrasse. Insuper mones, alios Sacerdotes pro excipiendis Confessionibus ad certum tempus a Nobis probatos, post idem tempus elapsum, per eos dies Confessarii munus exercuisse. De his omnibus consilium nostrum expostulas.

Si Sacerdotum hujusmodi nomina Nobis perspecta fuissent, nihil tuis litteris super hac re foret rescribendum; nam jussu nostro Fiscalis Promotor judicium confecisset, ut debita pœna delinquentibus infligeretur; cum tamen ipsorum nomina Nobis ignota sint, ideo responsum quæstioni tuæ faciemus.

Itaque duo perpendenda sunt: primum, an liceat iisdem Sacerdotibus Pœnitentiæ Sacramentum administrare: secundum, an valide per ipsos conferatur. Primum libere, ac tutissime denegamus; nam Summus Pontifex decernit Confessarium etiam tempore Jubilæi auctoritate Episcopi probandum. Illi autem veritati magis consentaneam sententiam defendunt, qui solum Episcopum loci intelligunt, ubi Fidelium Confessiones excipiuntur. Quare probatus ab Episcopo loci appellari nequit, ubi Pœnitentiæ Sacramentum administrat, qui ab Episcopo alterius Diœcesis eam facultatem accepit; neque inter approbatos Confessarios referri potest, qui facultatem habuit certo temporis spatio, quod peractum, absolutumque jam fuit. De Sacerdote, qui ab Episcopo alterius Diœcesis ad Confessiones audiendas designatus est, non autem ab Episcopo loci, ubi Fideles confitentes excipere non dubitat, sapienter disserunt Cardinalis de Lugo *de Sacram. Pœnit. disp.*21. *sect.* 1. *n.* 23. aliique plures tui. Card. de Lauræa *lib.* 4. *sentent. disp.*20. *art.* 3. *n.*145. *& seq.* Passerinus *de statu Hominum to.*2. *q.* 187. *art.* 1. *n.* 157. Tamburin. *in Theolog. to.* 2. *lib.* 5. *c.* 5. §. 4. *n.*11. *& seq.* De aliis Sacerdotibus, qui Pœnitentiæ Sacramento

„ Fide-

„ Fideles audeant expiare, licet facultatis constitutum tempus jam defierit, copiose verba faciunt Card. de Lauræa *in eodem loco n.* 147. *& seqq.* Tambur. *ibid. n.* 28. *& seqq.* ac Bordonius *tom.* 2. *Oper. Moral. resol.* 34. *n.* 55.

„ Difficilius est judicare, an valide Sacramentum ejusmodi conferatur; ratio illorum Fidelium habenda est: & calamitas expendenda, qui eos Sacerdotes publice expositos ad Confessiones audiendas intuentur, ad quos accedunt pro certo habentes facultate ipsos præditos esse, quæ ad rem gerendam necessario requiritur.

„ Dissentiunt in hac re Scriptores; aliqui prorsus inanem, & irritam ejusmodi absolutionem fatentur; neque enim communis error ad ipsam impetrandam satis esse ducitur, nisi alius titulus adjungatur. Horum nomina Passerinus *in ead. quæst.* 187. *nu.* 347. recenset; alii vero cum Diana *tom.* 1. *Oper. Moral. tr.* 3. *resol.* 26. *nu.* 7. Molles. *tract.* 7. *c.* 13. *n.* 20. Barbosa *ad Concilium sess.* 23. *cap.* 17. *num.* 15. & Vulpio *in resolut.* 163. *nu.* 21. *in fine &c.* nullam vim inesse his absolutionibus testantur; confitentes tamen *coram Deo* absolutos dici posse contendunt, & veteri quodam Decreto Sacræ Congregationis Concilii suam sententiam confirmant; ajunt a Sancta Matre Ecclesia tunc suppleri, quæ desunt, ea tamen conditione, ut crimina sua legitimo Confessario iterum patefaciant, statim ac errorem illi detexerint.

„ Contrarium alii cum Passerin. *eod. loco nu.* 564. Vulp. *in ead. resol.* 163. *n.* 18. tuentur ob eam caussam, quod absolutus *coram Deo* dici nequeat, nisi qui revera ad Pœnitentiæ Sacramentum accedens absolutionem consecutus est; quod si ipsi crimina a Sacerdote rite condonata fuerunt, cur, inquiunt, sua scelera rursum confiteri teneatur.

„ Idem Scriptores, Passerin. *in ead. q.* 187. *n.* 350. *&* 355. *& seq.* Vulp. *in ead. resol.* 163. *n.* 16. *& seq.* Gobat. *in quæst. Theolog. Sacram. tr.* 7. *casu* 3. *n.* 107. *& seq. & nu.* 109. putant, ob communem errorem rite collatam fuisse absolutionem, licet nullus alius titulus interveniat, quod magis affirmandum est, si quis titulus superaddatur. In medium quoque proferri potest suffragium præclarissimi viri Fagnani *in* 64. *Pastoral. fol.* 385. *& seq.* quod fecit, cum esset a Secretis Sacræ Congregat. Concilii. Hanc ipse opinionem sequitur in quadam Caussa Aretina die 22. Martii anno 1614. proposita, cui responsum fuit, postquam suum Theologi consilium scriptum dederunt.

„ Sed memoria dignissimum est, quod accidit Patavii, cum Innocentius XI. Jubilæum indixisset, eamque Sedem Vener. Dei Famulus Card. Gregorius Barbadicus obtineret.

„ Id memorat Clericatus *de Pœnit. decis.* 31. *nu.* 14. sed Nos rem integram ex actis Sacræ Congregationis desumptam exponemus.

„ P A T A V I N A

„ Facultatis absolvendi.

„ *Occasione universalis Jubilæi nuper indicti pro imploranda Divina ope adversus Turcas, tres Sacerdotes Capuccini in Patavina Diœcesi absque approbatione, & licentia Eminentissimi Episcopi Confessiones Sacramentales plurimum sæcularium personarum publice exceperant; & quamvis fuissent moniti a Parocho de eorum inhabilitate, attamen ab incœptis desistere noluerunt. Accersiti postea ab ipsomet Eminentissimo Episcopo ad docendum de eorum prætensa facultate absolvendi, responderunt, quod in opinione probabili aliquorum Auctorum Regularium primus eorum uti Guardianus, & Prælatus Regularis, secundus uti approbatus in aliena Diœcesi, & tertius uti approbatus ab ipso Episcopo Patavino in alio loco Diœcesis ad annum licet elapsum, potuerunt licite, & valide tempore Jubilæi excipere dictas Confessiones absque nova Ordinarii approbatione. Eminentissimus autem Episcopus animadvertit, huic prætensioni resistere tum Constitutiones san. mem. Urbani VIII. & Innocentii X. relatas per Fagnan. in cap.* Sane, de offic. & potest. Judicis delegati, *tum Constitutiones sanctæ mem. Alexandri VII.* 3. *Jan.* 1656. *& Clementis X. de anno* 1670. *quæ omnes expresse prohibent, ne Regulares absque approbatione Ordinarii Confessiones audiant, quamvis in alio loco approbati; tum etiam responsa hujus Sacræ Congreg. super dubiis ad Bullam san. mem. Gregorio XV. incip.* Inscrutabili; *tum denique expressam mentem SS. D. Nostri, qui in Bulla præfati Jubilæi requisivit, Confessarios ab Ordinariis Locorum esse approbatos; unde plurimum dubitans de viribus hujusmodi Confessionum, ab oraculo hujus Sacræ Congreg. quanto citius responderi petit.*

„ *Primo, an licite:*

„ *Secundo, an valide dicti Capuccini Sæcularium Confessiones exceperint?*

„ Sacra autem Congregat. die 11. Decemb. anno 1683. ita respondit:

„ *Ad primum, illicite:*

„ *Ad secundum, invalide; sed non esse inquietandos illos, qui bona fide confessi sunt. Attamen, si ipsi confessi hoc resciverint, vel de invaliditate Confessionis dubitaverint, eosdem teneri reiterare Confessionem.*

„ *Quo vero ad Capuccinos, Eminentissimus Ordinarius conficiat Processum circa administrationem Sacramenti Pœnitentiæ ab iisdem exercitam, non obstante contraria dispositione Sacri Concilii Tridentini, & Constitutionum Apostolicarum, & transmittat.*

„ Hæc tibi declaranda habuimus, ut quæstionibus tuis accommodatum fieret responsum.

D U B I U M VII.

An tempore Jubilæi possint Moniales eligere quemlibet Confessarium ex approbatis ab Ordinario?

41. Gravis est difficultas: *an Moniales, quæ virtute Jubilæi, aut per Breve Sacræ Pœnitentiariæ, aut aliud privilegium facultatem habent eligendi Confessarium approbatum ab Ordinario, possint eligere quemlibet sibi bene visum, etiam non approbatum specialiter pro Monialibus?* Affirmant plures, quia in Bulla Jubilæi, aut Brevi Sacræ Pœnitentiariæ non limitatur, ut Moniales debeant eligere Confessarium specialiter deputatum pro Monialibus; ergo poterunt eligere quemlibet ex approbatis pro populo, vel certe poterunt eligere quemlibet ex illis, qui aliqua vice fuerunt approbati, & ab Episcopo destinati ad Confessiones Monialium excipiendas: & ita tenent Bonacina *quæst.* 7. *punct.* 4. §. 1. *n.* 22. *in fine.* Diana *p.* 5. *tr.* 12. *resol.* 12. Bossius *sect.* 3. *casu* 2. *n.* 74. *&* 75. *& casu* 5. *nu.* 2. Laurentius de Peyrinis *tom.* 3. *de Privil. c.* 4. *n.* 4. Bordonus *decis.* 21. *n.* 6.

42. Confirmat Peyrinus, quia Jubilæum est gratia amplissima totum Mundum exhilarans, quam facit Papa, Thesaurum Ecclesiæ aperiens omnibus Christi Fidelibus pro consolatione animarum suarum, inter quos sine dubio computari debent Moniales; & cum Papa eas non excludat, nec nos eas excludere debemus, cum maxime privilegium Principis sit amplissimum: & ubi lex non distinguit, nec nos distinguere debemus, & gratiæ potius sunt ampliandæ, quam restringendæ; ergo possunt Moniales quemlibet ex approbatis eligere. Adde, quod si Moniales tenerentur etiam tempore Jubilæi eligere unum de approbatis in specie pro Monialibus, Jubilæum, quoad hunc punctum, non prodesset Monialibus, quæ subjectæ, & ligatæ remanerent sicut prius. Proinde dicendum est, ipsas posse sibi eligere quemlibet ex Confessariis approbatis ab Ordinario, ut tenent Doctores citati.

43. Resp. non posse Moniales tempore Jubilæi, aut ratione alterius Indulti, eligere Confessarium, nisi ex approbatis, & deputatis ab Ordinario pro tali tempore, & occasione ad Confessiones Monialium excipiendas. Ratio est, quia limitate approbatus pro certo loco, & genere personarum, pro Viris, non pro Mulieribus, pro Rusticis, non pro Civibus, non potest nec licite, nec valide absolvere ultra locum, & personas designatas, nec virtute Jubilæi, aut alterius privilegii requirentis approbationem Ordinarii: potest eligi ab aliis, quam a designatis, ut supra diximus; nam respectu aliorum perinde se habet, ac si non esset approbatus. Nec sufficit, quod sit approbatus pro aliquo genere personarum, ut possit ab omnibus eligi, quia approbatio a Concilio, & a Pontifice requisita, debet referri ad eas personas in Confessione audiendas, respectu quarum Confessarius est approbatus; sed Confessarii, sive Regulares, sive Sæculares, approbati pro communi populo, non sunt approbati pro Monialibus, nec possunt illarum Confessiones audire, sed egent quoad hoc speciali Episcopi approbatione, ut patet ex Constitutione Gregorii XV. incip. *Inscrutabili Dei providentia, de exempt. Privil.* ubi habentur hæc formalia verba: *Confessores utro, sive Sæculares quomodocumque exempti, tam ordinarii, quam extraordinarii, ad Confessiones Monialium, etiam Regularibus subjectarum, audiendas nullatenus deputari valeant, nisi prius ab Episcopo Diœcesano idonei judicentur, & approbationem obtineant.* Et ex Constitutione Clementis X. supra relata, incip. *Superna*, in qua etiam habetur, approbatum ad unum Monasterium Monialium, non posse sine alia licentia audire Confessiones Monialium alterius Monasterii; & deputatos pro una vice ad earum Confessiones, expleta ea deputatione, non posse ultra eas audire, sed toties ab Episcopo esse approbandos, quoties casus deputationis contigerit; ergo non possunt Moniales tempore Jubilæi, aut per Breve Sacræ Pœnitentiariæ, aut ratione alterius Indulti, eligere Confessarium approbatum solum pro populo, sed debent eligere approbatum specialiter pro Monialibus.

44. Conf. quia eligere in casu proposito ex non deputatis in specie ab Episcopo pro Monialibus, est eligere non idoneum, seu non approbatum ab Ordinario loci, contra dispositionem Jubilæi, & mentem Pontificis. Nec dicas, Constitut. Gregorii, & Clementis habere locum in casibus ordinariis, non in Jubilæis, in quibus aperitur Thesaurus Ecclesiæ, & omnibus conceditur libere facultas eligendi quemlibet Confessarium ex approbatis ab Ordinario, absque eo, quod ulla fiat limitatio pro Monialibus; quando au-

tem lex non distinguit, nec limitat, nec nos distinguere, aut limitare debemus.

Resp. approbationem requisitam in Jubilæis debere referri ad personas in Confessione audiendas, ut nimirum Confessarius sit pro illis approbatus; at Confessarii approbati pro communi populo, nullo modo, nec in ullo casu (excipe casum extremæ necessitatis) sunt approbati pro Monialibus; ergo nec tempore Jubilæi possunt illas audire, nisi sint specialiter pro Monialibus approbati: ut etiam declaravit Sacra Congregatio pro Confessore eligendo a Monialibus vigore Bullæ Cruciatæ, quam declarationem refert Hyacinthus Donatus *de Monialibus tr. 13. to. 4. q. 5.* his verbis: ***Sacra Congregatio Concilii censuit, quatenus gratia ex Bulla Cruciatæ pertinet ad Moniales, non posse vigore facultatis in dicta Bulla concessæ, alios Confessarios, præter eos, qui ad audiendas ipsarum Monialium Confessiones ab Ordinario approbati fuerint, eligere***, quam declarationem authenticam se vidisse testatur Rodor. Emmanuel *in Bulla Cruciatæ n. 24.* ergo pariformiter tempore Jubilæi non poterunt Moniales eligere, nisi approbatum specialiter pro Monialibus, cujus approbatio adhuc duret, & non sit elapsa. Quare nec etiam Confessarii, qui alias approbati, & deputati fuerant ad Confessiones Monialium, poterunt absque nova approbatione earum Confessiones excipere, aut ab illis eligi. Hanc Sententiam tenent Donatus *supra*, Aversa *q. 16. sect. 7.* Rodor. Emmanuel *in Bulla Cruciatæ n. 24.* Alphons. de Leone *part. 2. de Jubilæo q. 9. n. 25.* Mollesius *in Sum. tom. 1. tr. 7. c. 16. n. 31.* Faustus *lib. 4. de Jubilæo q. 78.* & in praxi sequendam dicit Pellizar. *de Monial. cap. 9. q. 13. n. 21.*

45. Probatur etiam ex praxi communi recepta, secundum quam non permittitur quibuslibet Confessariis approbatis pro communi populo, vel alias approbatis, etiam pro Monialibus, accedere ullo tempore, etiam Jubilæi, vel prætextu cujuslibet privilegii, ad Monasteria Monialium, nec Monialibus illos vocare absque approbatione, & licentia Episcopi de præsenti pro talibus personis: quare tempore Jubilæi solent Moniales congregari ab Abbatissa, & interrogari, quos Confessarios libentius acceptarent? sicque nominant duos, aut tres, qui postea proponuntur Ordinario, & approbantur in specie pro audiendis earumdem Confessionibus. Nec debent esse difficiles Ordinarii in illis concedendis, si tamen sint idonei, ne forte illis arctetur via salutis; ita tamen, ut singulæ Moniales non adeant, nisi unum ex Confessariis sibi concessis, ut notat Aversa.

46. *An vero possint singulæ Moniales tempore Jubilæi sibi Confessarium nominare, illumque proponere Episcopo?*

Resp. affirmative, quia hoc privilegium eligendi Confessarium non est immediate concessum Communitati, sed ipsarum singulis personis, ut constat ex verbis Bullæ, ***Omnibus, & singulis***, & sic censetur personale, & non reale, & inde unaquæque Monialis potest per se eligere Confessarium; maxime, quia hoc privilegium censetur concessum ad hoc, ut unusquisque liberius valeat sua peccata confiteri Confessario a se electo; quod magis urget in Monialibus, quæ cum sint infirmiores, timent suas conscientias detegere suis Prælatis, & Confessariis ordinariis; & sic, ne inducantur in laqueum damnationis, fulciuntur privilegio Jubilæi ad eligendum quem maluerint, dummodo sit idoneus: & ita decisum refert Donatus die 5. Martii 1603. in una Bononiensi, ut constat ex Decisione 109. XV. tunc dictæ Civitatis Archiepiscopi.

DUBIUM VIII.

An Parochus possit ubique terrarum Fidelium Confessiones audire, absque alia Episcopi approbatione.

47. Parochus, qui Beneficium obtinet Parochiale, cum jurisdictionem habeat ordinariam in Pœnitentiæ foro circa omnes suæ Parochiæ fideles, potest absque alia Episcopi approbatione, & licentia illorum Confessiones audire, ut colligitur ex Tridenr. *sess. 23. c. 15. de reform.* illosque audire potest non solum in sua Parochia, sed etiam extra Parochiam, & Diœcesim; nam Parochi jurisdictio in foro Pœnitentiæ cum non sit contentiosa, nec requirat strepitum judicialem, potest ubique exerceri, nec terminatur loco, sed personis, ut notavimus supra *c. de præcedenti dub. 6. in fine*, & cum aliis docet Homobonus *de exam. p. 1. tr. 5. c. 3. q. 16.* Unde Parochus Bononiensis potuit suum subditum Sacramentaliter absolvere in Æde Lauretana, vel Assisii, quo divotionis caussa diverterant.

48. Potest etiam Parochus ex tacito consensu Episcopi, & consuetudine ubique introducta, Confessiones audire non solum suorum subditorum, sed etiam aliorum Parochorum ejusdem Diœcesis, ut videre est Bononiæ, aliisque magnis in Urbibus, & Oppidis, ubi plurimæ distributæ sunt Parochiæ, & ubi promiscue quilibet Parochus Confessiones audit quorumcumque aliorum ex aliis Parochiis accedentium, quamvis Barbosa de potest. Parochi *p. 2. c. 19. n. 3.* asserat, Parochum posse Confessiones excipere dumtaxat in ea Civitate, vel Oppido, ubi sita est Parochia, non autem passim per totam Diœcesim. At praxis, & consuetudo ex tacita Parochorum, & Episcopi licentia introducta, videtur contraria; si enim non possent in Diœcesi, nec possent in Civitate, cum ex vi beneficii solum videantur approbati pro sua Parochia, non pro aliis, nisi ex consuetudine, & tacita Episcopi permissione.

49. Difficultas est: *An possit Parochus unius Diœcesis excipere Confessiones etiam in alia Diœcesi absque approbatione, & licentia alterius Episcopi, sed ex sola concessione Parochorum alterius Diœcesis?* Communis Sententia affirmat: pro cujus probatione distinguenda est approbatio a jurisdictione; hanc non habet Parochus titulo beneficii Parochialis, nisi circa suos subditos, quorum proinde solum potest Confessiones excipere; approbationem vero habet universalem pro omnibus, adeo ut possit, sola accedente jurisdictione, omnium Confessiones excipere. Nam, Trident. non requirit specialem approbationem in eo, qui habet beneficium parochiale, sicut requirit in ceteris Sacerdotibus; ille enim sicut ante Trident. non indigebat approbatione, sed ex solo titulo beneficii parochialis censebatur approbatus: ita etiam post Trident. censetur sufficienter approbatus, cum nihil innovaverit circa Parochos: quare poterit Parochus, sola accedente jurisdictione, omnium Confessiones excipere. His positis, probatur communis Sententia ex eo, quod quilibet Parochus ex suo munere est sufficienter approbatus, ut possit ubique Confessiones excipere, si accedat jurisdictio a potente illam delegare; at quilibet Parochus cum jurisdictionem ordinariam habeat in suos subditos potest illam delegare cuilibet Sacerdoti approbato; ergo potest illam delegare alteri Parocho, sive ejusdem, sive alterius Diœcesis; ac proinde Parochus alienæ Diœcesis per delegationem sibi factam poterit Confessiones excipere extra propriam Parochiam, & Diœcesim. Ita Vasquez, Suarez, Lugus, Facundez, quos affert, & sequitur Aversa *qu. 16. sect. 7.* Diana *p. 1. tr. 11. resol. 8. & p. 3. tr. 4. resol. 146.* Leander *disp. 11. q. 58.* Candidus *disquis. 24. art. 65. nu. 10.* & alii communiter cum Ant. a Spiritu S. *sect. 5. n. 863.*

50. Quare poterunt Parochi se invicem juvare ex solo suo consensu, non tantum intra eamdem Diœcesim, sed etiam in confinio distinctarum Diœcesum, ut colligitur ex Decreto Sacr. Congreg. Epis., quæ die 25. Maji 1640. præcepit Episcopo Civitatis Plebis, ne ullo modo impediret Confessiones fieri, præsertim occasione alicujus Festi devotionis, & concursus, cum Curatis tam suæ Diœcesis, quam vicinarum, illuc accedentium juxta solitum, cum isti censeri debeant idonei absque alio examine, vel approbatione, prout refert Nicolius in Flol. V. *Parochus n. 22.* qui tamen ibidem subdit, quod cum idem Episcopus Civitatis Plebis supplicasset per Sacram Congreg. Concilii declarari hoc dubium: *An scilicet Parochus alienæ Diœcesis possit absque ejus licentia in sua Diœcesi Confessiones audire?* eadem Sac. Cong. 19. Jan. Anno sequenti 1641. respondit: *Non posse*. Inde tutius asserit abstinendum, nisi aliter fuerit legitima consuetudine introductum, quod idem ait Homobonus *de exam. tract. 5. cap. 3. qu. 15.* ubi notat, communi Sententiæ adversari praxim, siquidem ex usu ubique recepto, Parochus in una Diœcesi admissus non solet in alieno Episcopatu sine nova approbatione Confessiones excipere.

" *De hac re nos dubitare non sinit Benedict. XIV. in sua Notific. 19. lib. 4. afferendo aliud Sacræ Congreg. Decretum emanatum sub die 3. Decembris 1707. quod sic hic memoriæ tibi rursus subjiciendum, studiose Lector, optimum duxi. At enim:* Cum Sacra dicta Congreg. Concilii die 16. Julii anni 1667. de ea controversia (*scilicet de jam adducta*) nullam sententiam tulisset; ut *in Caussa Caduricen. Confessionis lib. 25. Decret. pag. 486.* postremo die 3. Decembris anno 1707. judicium suum evulgavit, ut videre est *apud Monacell. t. 4. pag. 16. n. 172.* Porro id petitum fuerat: *An Curati unius Diœcesis, vocati a Parochis alienæ Diœcesis, possint in ista audire Confessiones tam suorum subditorum, quam alienorum, absque licentia Episcopi?* Responsum fuit: *Affirmative quoad subditos: Negative quoad alios.* Omnes quidem unanimes affirmant, permitti Parocho, ut populum suum in aliena Diœcesi confitentem excipiat, licet concessio Episcopi ejus Diœcesis non interveniat. "

51. *An vero Parochus possit virtute Jubilæi, Bullæ Cruciatæ, aut alterius privilegii requirentis Episcopi approbationem, eligi a subditis alterius Parochiæ, & Diœcesis absque nova Episcopi approbatione?* negant Alphonsus de Leone *t. 2. de Offic. & potest. Confess. recollect. 4. n. 79.* Nugnus *qu. 8. art. 5. dub. 9.* Beja *p. 1. casu 16.* Gutierez *l. 1. canonic. q. c. 27. n. 21.* Ratio est, quia Parochus ex vi sui Beneficii non est approbatus nisi ad suos proprios subditos, & sic non videtur numerandus inter approbatos ab Ordinario, ut possit eligi a subditis alterius Paræciæ, & multo minus a subditis alterius Diœcesis, & de istis negat etiam Lugus *disp. 21. n. 14.*

52. Sed probabilius alii affirmant, quia, Parochus quilibet vere numeratur inter approbatos ab Ordinario, ita ut libere possit virtute Jubilæi, seu Bullæ ab omnibus eligi, non solum intra, sed extra Diœcesim, cum, ubicumque reperiatur, semper habeat Beneficium Parochiale, quod per Trident. sufficit, ut dicatur simpliciter approbatus, & eligibilis, nec quoad hoc ulla est disparitas inter subditos ejusdem, vel alterius Diœcesis: & ita tenent Homobonus

citata

citata q. 15. Barbosa *de Parocho p.*2.*c.*19.*n.*3. Bonacina *q.* 7. *de pœnit. punct.* 4. §. 2. *n.*23. Bossius *supra n.* 135. Suarez, Vasquez, Sylvius, Valer. Diana, quos affert, & sequitur Aversa *q.* 16. *sect.* 7. Palaus *punct.* 17. §. 2. *n.*8. Ant. a Spiritu S. *n.*863. & aliis citatis Leander *q.*61. *&* 67.

53. Dices: simplex Sacerdos approbatus in una Diœcesi non est eligibilis extra Diœcesim, nec etiam virtute Jubilæi, aut Bullæ cruciatæ; ergo nec Parochus, cum & ipse videatur solum approbatus pro subditis illius Diœcesis, in qua situm est Beneficium Parochiale. Sed contra. Plures admittunt, Sacerdotem non limitate, sed simpliciter approbatum in una Diœcesi posse extra Diœcesim, & ubicumque reperitur, eligi virtute Jubilæi, aut Bullæ Cruciatæ: ita Palaus *n.*9. Leander *q.*70. Bossius §. 7. *n.* 270. & cum aliis Ant. a Spir. S. *sect.* 16. *n.*903. dato tamen antecedente, disparitas esse potest, quia, ut simplex Sacerdos sit idoneus, & eligibilis requiritur, ut sit approbatus ab Ordinario loci, in quo Confessiones audit, aut saltem ab Ordinario pœnitentis, & sic non potest eligi in loco, aut a pœnitente, respectu cujus non est approbatus. At Parochus eo ipso, quod obtinet Beneficium Parochiale censetur sufficienter approbatus, ut possit eligi tempore Jubilæi pro omni loco, & a quocumque Pœnitente, quia Concilium solum requirit, quod habeat Beneficium Parochiale, nec determinat, quod illud habeat hic, vel ibi, nec circa Parochum aliquid innovavit, sed intactum reliquit jus antiquum, juxta quod quilibet Parochus poterat eligi ab habente facultatem eligendi sibi Confessarium.

54. Qui semel habuit Parochiale Beneficium, sed jam non habet, quia illud dimisit, aut fuit illo privatus, non potest amplius, nec licite, nec valide Confessiones audire, nec eligi ab habente privilegium, seu Bullam, aut tempore Jubilæi, ut colligitur ex verbis Concilii; *Nisi Parochiale Beneficium obtineat*, ubi loquitur Concilium de præsenti de illo, qui actu possidet Beneficium, non de illo, qui habuit, sed jam non habet; iste enim ita se habet, ac ille, cujus approbatio non amplius durat, quia fuit revocata, aut terminavit; quare sicut iste non potest amplius, nec licite, nec valide Confessiones audire, nec est amplius eligibilis tempore Jubilæi; ita nec Parochus, qui Beneficium Parochiale dimisit. Ita Palaus *n.* 8. Bossius *nu.* 236. Vasquez, Henriquez, Diana, Bassæus, & alii communiter cum Ant. a Spiritu S. *n.*864. quamvis contrarium teneant Rodriquez, Villalobos, Joan. de la Cruz, & alii apud Dianam *p.* 2. *tr.*11. *resol.*8. Adverte in præsenti nomine Parochi, seu habentis Beneficium Parochiale, non venire Subsidiarios, aut Vicarios ad nutum amovibiles, qui licet curam Animarum exerceant, proprie tamen non habent Beneficium parochiale, de quibus idem sentiendum, ac de aliis habentibus jurisdictionem delegatam.

55. Quæres: *An possit Episcopus iterum examinare Parochos semel approbatos?* Regulariter loquendo non solent Parochi iterum vocari ad examen ab eodem Episcopo, a quo obtinuerunt Beneficium parochiale, nisi suspicio probabilis existat, quod propter infirmitatem, vel aliud accidens, non essent amplius idonei: a Successore vero possunt examinari, ut decisum refert Barbosa *de potest. Parochi c.* 2. *n.* 10. a Sacra Congreg. Concilii in una Placent. die 6. Augusti 1628. quæ censuit, liberum esse Episcopis, tam in visitatione, quam extra, iterum examinare super Doctrina, & litteratura Parochos approbatos ab Antecessore tempore provisionis Parochialium, necnon superveniente rationabili caussa, & suspicione ignorantiæ posse examinare, ad effectum *c.*6. *sess.* 21. de reform.: ita etiam Nicolius in flosc. V. *Parochus n.*23.

DUBIUM IX.

A quonam Ordinario debeat Confessarius esse approbatus?

56. Approbationem concedere non potest Episcopus solum electus, & nondum confirmatus, nec Episcopus consecratus, qui renuntiavit Episcopatum, quia ille nondum habuit, iste non amplius habet jurisdictionem: illam concedere potest Episcopus a Summo Pontifice confirmatus, licet nondum consecratus, quia approbatio, utpote quædam sententia de idoneitate personæ non est actus Ordinis, sed jurisdictionis, quam habet Episcopus confirmatus, etsi nondum consecratus. Nomine autem Episcopi veniunt etiam Prælati exempti habentes jurisdictionem quasi Episcopalem, suamque Diœcesim distinctam, quales sunt Abbates quidem exempti, qui jurisdictionem habent quasi Episcopalem Animarum Sæcularium; & quæritur, *a quonam Ordinario, seu Episcopo debeat Confessarius esse approbatus?* in quo video non parum dissidere Doctores.

57. Prima Sententia docet, Confessarium debere approbari ab Episcopo loci, in quo fit Confessio. Secunda requirit approbationem Episcopi ipsius Pœnitentis. Tertia vult approbari ab Episcopo Confessarii. Quarta dicit sufficere approbationem cujuscumque Episcopi, sive Confessarii, sive Pœnitentis, sive loci in quo fit Confessio, sive alterius cujuscumque, quia Concilium solum requirit approbationem Episcopi, non determinando, an debeat esse iste, vel ille: ubi autem lex non distinguit, nec nos distinguere debemus; quare tempore Jubilæi quilibet Sacerdos legitime approbatus, cujus approbatio adhuc duret, a quocumque Antistite approbatus sit, eligi potest a quocumque Pœnitente ubicumque reperiatur. Unaquæque ex iis Sententiis suos habet Sectatores, & Patronos, quos dabit Bossius *sect.* 3. *sæpe citata de Jubilæo, casu* 2. §. 6. *per tot. a num.* 109. *& seq.*

58. Pro solutione adverto, difficultatem procedere solum in casu, in quo ab Ordinario exigitur tantum approbatio, & non jurisdictio: si enim ab Ordinario habenda, & delegandа sit etiam jurisdictio, tunc non est dubium, illam debere concedi ab Ordinario loci pro suis subditis, seu, quod idem est, ab Ordinario Pœnitentis, quia jurisdictio supra Pœnitentem non potest concedi, nec delegari, nisi a Superiore Pœnitentis, qui super ipsum jurisdictionem habet ordinariam. Si vero sit habenda solum approbatio sine jurisdictione, ut contingit in Regularibus, qui jurisdictionem habent a Pontifice, supposita approbatione Episcopi, aut tempore Jubilæi, in quo omnes Fideles habent facultatem eligendi sibi Confessarium ex approbatis ab Ordinario; & quidem, si in Bulla Jubilæi, Brevi Sacræ Pœnitentiariæ, aut alio privilegio dicatur: *ex approbatis ab Ordinario loci*, seu *a tuo Ordinario*, vel *ab Ordinario tui loci*: tunc sine dubio petenda est approbatio ab Ordinario in Bulla designato, & servanda forma concessionis. Si vero solum dicatur, *ex approbatis ab Ordinario;* tunc quæritur: *a quonam Ordinario habenda sit approbatio? an ab Ordinario Confessarii, vel Pœnitentis, vel domicilii, seu loci, in quo quis debet Confessiones excipere?*

59. Resp. Confessarium esse necessario approbandum ab Ordinario Diœcesis, in qua quis debet Confessiones excipere respectu subditorum ipsius Episcopi, & aliorum ibidem commorantium. Quæ quidem responsio, loquendo maxime de Regularibus, videtur certa post Constit. Urbani VIII. Innocentii X. & Clementis X. secundum quam approbatus in una Diœcesi, non censetur approbatus extra illam, nec potest extra illam Confessiones excipere, sine nova Episcopi Diœcesani approbatione, sublatis in hac parte quibuscumque privilegiis, & indultis alias concessis, ut supra vidimus; & confirmatur ex declaratione Sacræ Congreg. in Epistola ad Episcopum Valentinum, in qua universaliter dicitur: *approbatum ab alio, quam a Valentino Episcopo, in Diœcesi Valentina, non censeri approbatum ab Ordinario juxta formam Concilii.* Ex qua plane constat, necessariam esse approbationem Episcopi Diœcesani, nec sufficere approbationem ab alio quocumque Episcopo, etiam ipsis Confessariis obtentam.

60. Ratio est, quia ab illo Episcopo habenda est approbatio, a quo habenda foret jurisdictio, si non haberetur aliunde; maxime quia mens Pontificis per Bullam, aut Jubilæum concedentis facultatem eligendi Confessarium ex approbatis ab Ordinario, non tam videtur novam jurisdictionem concedere, quam præcedentem jurisdictionem extendere ad absolvendum a casibus, & censuris reservatis, tum Ordinario, tum Summo Pontifici, & ad commutanda vota; sed ab Episcopo Diœcesis, seu proprio Pœnitentis, non vero ab illo Sacerdotis, aut ab alio habenda foret jurisdictio, cum ad ipsum spectet cura, & regimen animarum, & pœnitentis; ergo etiam ab illo debet haberi approbatio per Concilium, & Bullam requisita. Conf. quia limitate approbatus pro aliquo loco, & genere personarum, nec etiam per Bullam, & Jubilæum eligi potest, nisi ab existentibus in loco, & a personis designatis; sed approbatus in una Diœcesi est limitate approbatus tantum pro subditis, & existentibus in illa Diœcesi, non pro aliis, ut experientia constat omnium Confessariorum, sive Regularium, sive Sæcularium, qui ab una ad aliam Diœcesim transeuntes, novam semper requirunt approbationem, & declaravit Sacra Congregatio supra.

61. Hæc Sententia videtur etiam de mente illorum, qui dicunt, approbationem habendam esse ab Ordinario Confessarii, dum hoc ita explicat, ut redeant in Ordinarium Diœcesis, & pœnitentium; nam Suarez, ut notat Lugus *disput.* 21. *sect.* 2. dicit, hoc esse verum, quamdiu Confessarius manet subditus illius Ordinarii; nam si, mutato domicilio, jam non esset sub illo Ordinario, sed sub alio, a quo non esset approbatus, jam non diceretur approbatus ab Ordinario; & Palaus *pu.* 17. §. 3. *n.*4. eam explicat, ita ut subjectionem habere Confessarius possit, non solum ratione domicilii, sed quasi domicilii, obsequii, alteriusque ministerii. Alii ita explicant, in quantum Peregrini possunt confiteri his Sacerdotibus, quos approbatos, & expositos inveniunt per singula loca. Hæc Sententia est valde consentanea rationi, ac debitæ gubernationi, ut fatetur Suarez *disp.* 28. *sect.* 6. *n.* 6. eamque sequuntur Gutierez, Manuel, Zerola, Sorbo, Quaranta, Ugolinus, Barbosa, Valerus, Homobonus, Layman, & alii apud Bossium *n.*209. Bonacina *disp.* 5. *q.*7. *p.* 4. §. 1. *n.*21. & alii apud Dianam *part.* 5. *tr.* 12. *resol.* 52.

DUBIUM X.

An Regulares possint audire Sæcularium Confessiones sine licentia suorum Prælatorum?

62. ULtra Episcopi approbationem, & facultatem, adeo necessariam asserunt nonnulli pro Confessariis Regularibus Prælatorum Ordinis licentiam, ut sine illa nec licite, nec valide possint Sæcularium Confessiones excipere, quia Religiosus per votum obedientiæ adeo sit alterius juris, ut non amplius ipse habeat velle, nec nolle, ut dicitur in cap. *Si Religiosus, de elect. in 6.* vel quia Episcopus non intendit concedere Regularibus facultatem, invitis, seu insciis eorum Prælatis. Ita Bossius *supra num.* 187. Portel. *de dub. Regul.* verb. *Confessor Regularis nu.* 9. Rodriquez, Bordonus, Henriquez, Facundez apud Aversam *q.* 16. *sect.* 6. sequitur Palaus *punct.* 17. §. 5. *n.* 7.

63. Resp. Regulares posse valide Confessiones Sæcularium excipere cum sola approbatione Episcopi absque alia licentia Prælati Regularis. Ratio est, quia in illo Religioso taliter approbato reperitur totum id, quod necessario requiritur ad integritatem Sacramenti Pœnitentiæ, nimirum potestas Ordinis, & jurisdictionis, quam habet delegatam ab Episcopo, qui sicut potest independenter a quocumque alio jurisdictionem delegare viris idoneis; ita potest illam delegare Religioso, etiam non approbato a suo Prælato, videturque de facto intendere eam quoque conferre, & delegare, quandocumque illum approbat, & admittit ad Confessiones audiendas, nisi contrarium explicet. Suadetur etiam ex Trid. *sess.* 23. *c.* 15. *de refor.* ubi asserit, Religiosis necessariam esse approbationem Episcopi pro valida Sacramenti Pœnitentiæ administratione, & nihil omnino dicit de facultate, & licentia Prælati Regularis; ergo quia ista non est simpliciter necessaria. In eo tamen casu Confessarius Regularis non posset absolvere pœnitentem ab illis casibus, a quibus absolvere possunt Regulares virtute privilegiorum sui Ordinis, cum non habeat licentiam audiendi Confessiones a Prælatis Religionis, a quibus communicatur facultas a Pontifice Religioni concessa; haberet tamen totam facultatem, quam habent ab Episcopo alii Confessarii Sæculares. Ita Nugnus, Pirignau. Salas, Homobonus, Miranda, Grassius, Zerola, Megala, Molfes. & alii, quos sequitur Aversa *loco cit.* Diana *p.* 1. *tr.* 11. *resol.* 13. *in fine*, Leander *q.* 75. Ant. a Spiritu S. *n.* 911.

64. *An vero peccet mortaliter talis Sacerdos sic audiendo Confessiones Sæcularium sine licentia sui Prælati?* affirmant Soto, Grassius, Henriquez, Tambur., quos affert, & sequitur Bossius *n.* 578. Peregrin. *ad suas Constitut. p.* 1. *c.* 5. §. 5. & alii apud Dianam. Probabilius tamen, ut non peccaret mortaliter, nisi aut per suas Constitutiones, aut suorum Prælatorum præcepto, in virtute sanctæ Obedientiæ, vel sub aliqua Censura, ita graviter obligetur, sicut & in aliis regularibus Observantiis. Ita Aversa *q.* 16. *sect.* 6. Ant. a Spiritu S. n. 912. Leander *q.* 76. Molfes., & Megala, quos sequitur Diana *citat. resol.*

DUBIUM XI.

An pro Confessione Regularium sufficiat approbatio, & licentia Prælati Regularis?

65. PRo audiendis Confessionibus pœnitentium Regularium non requiritur approbatio, nec licentia Episcopi, sed sufficit licentia Prælati Regularis, ut clare constat ex Concil. Trident. quod exprimens, requiri hanc licentiam Episcopi in quocumque Confessario, etiam Regulari, pro audiendis Confessionibus pœnitentium sæcularium, etiam Sacerdotum, nihil omnino dixit de pœnitentibus Regularibus, circa quos nihil innovavit, sed reliquit dispositioni juris antiqui, secundum quam poterant confiteri cuilibet Sacerdoti simplici, etiam non approbato ab Ordinario; & sic possunt etiam nunc, habita licentia suorum Prælatorum, qui possunt hanc facultatem concedere cuilibet simplici Sacerdoti, sive Regulari sui Ordinis, aut alterius Ordinis, sive etiam Sæculari, quamvis non approbato ab Episcopo, nisi forte in aliqua Religione sit contrarium cautum per speciales Constitutiones illius Ordinis; & ita tradunt communiter Doctores, Navar. Suarez, Rodriquez, Villalobos, Facundez, Diana, Lugus, & alii communiter, quos refert, & sequitur Del Bene *t.* 2. *c.* 14. *dub.* 18. *sect.* 51. *n.* 3.

66. Licentia Prælatorum Ordinis necessaria omnino est pro licita, & valida Confessione pœnitentium Regularium, ut habetur ex Extravag. *Inter cunctas, de Privilegiis §. sed quia multoties*; & ratio est, quia nec licita, nec valida potest esse Confessio pœnitentis, supra quem non habet Sacerdos ordinariam, aut delegatam jurisdictionem, & supra Regulares exemptos nullus Sacerdos, sive Sæcularis, sive Regularis, habere potest jurisdictionem, nisi illam habeat sibi delegatam a Superiore Regulari, qui habet jurisdictionem ordinariam; ergo sine illa, nec licita, nec valida est Confessio, ea ratione, qua non potest esse licita, nec valida Confessio Sæcularis sine licentia Episcopi, seu alterius habentis jurisdictionem ordinariam. Nec obstat privilegium Mendicantibus concessum absolvendi quoscumque ad se accedentes, quia in illo non comprehenduntur Religiosi exempti; nam per privilegium generale non censetur derogari consuetudini, & statuto particulari Regularium, vel privilegio speciali inserto in Corpore Juris (ut est illud, quod nemo Religiosorum Mendicantium Confessiones audiat sine licentia Prælati ipsorum, contentum in d. Extravag. *Inter cunctas*) nisi exprimatur, ut cum aliis tradit Bossius *de Jubilæo sect.* 3. *casu* 4. *n.* 1. & decisum a Clement. VIII. & Urbano VIII. refert Hyacinthus Donatus *t.* 3. *tr.* 5. *q.* 12. sequitur cum aliis Ant. a Spiritu S. *in direct. Regul. tract.* 2. *disp.* 2. *sect.* 1. *n.* 7.

67. *An vero Regulares iter agentes, qui tacite, seu expresse licentiam habent confitendi apud extraneum, quando non habent Confessarium Socium sui Ordinis, & in locis ubi Religio non habet Monasterium, possint eligere confessorem Regularem, seu Sæcularem etiam Sacerdotem simplicem non approbatum ab Ordinario?* Negat cum aliis Vasquez *q.* 93. *art.* 2. *dub.* 5. & *art.* 3. *dub.* 3. ubi dicit, licentiam generalem datam Regularibus confitendi cuilibet Sacerdoti, debere intelligi cuilibet approbato, nisi aliud specifice exprimatur. At probabilior, & communior est Sententia opposita, quia non est limitanda, & restringenda licentia Prælati ad solos Confessarios approbatos, quando non fuit cum tali limitatione, & restrictione concessa; adeoque possunt Regulares itinerantes confiteri apud quemlibet Sacerdotem simplicem; & ita tenent Suarez, Coninch, Ochagavia, Sylvius, Præpositus, Bonacina, Sancius, Bordonus, Henriquez, Navarrus, Vega, Ledesma, Grassius, Facundez, Diana, & alii, quos affert, & sequitur Aversa *q.* 16. *sect.* 7. Bossius *casu* 4. *n.* 5. & cum aliis Ant. a Spiritu S. *supra n.* 12.

68. Confessarii, sive ordinarii, sive extraordinarii Monialium exemptarum, & Regularibus subjectarum, non debent deputari tantum a Prælatis Regularibus, sed debent etiam ab Episcopo approbari; idque ex speciali Const. Gregorii XV. quæ incipit: *Inscrutabili* §. 5. ubi habetur: *Confessarii tam ordinarii, quam extraordinarii ad Confessiones Monialium, etiam Regularibus subjectarum audiendas, nullatenus deputari valeant, nisi prius ab Episcopo Diœcesano idonei judicentur, & approbationem, quæ gratis detur, obtineant.* Non sufficit, Confessarium fuisse approbatum ab Episcopo generaliter ad Confessiones Sæcularium audiendas, sed oportet approbari specialiter pro Monialibus, illamque approbationem renovandam esse pro quolibet Monasterio, & singulis vicibus, prout constat ex declaratione Sacræ Congreg. super eadem Constit. in *resp. ad q.* 10. & 11. *dubium supra*, necnon ex Constit. Clement. X. relata *supra dubium IV.*

69. Quamvis autem Regulares non subsint Episcopo, sed possint confiteri cuilibet Sacerdoti simplici cum sola licentia sui Prælati; tamen si volunt eligere Confessarium, a quo, tempore Jubilæi, possint absolvi a casibus etiam reservatis, non possunt eligere approbatum dumtaxat a suo Prælato, sed debent necessario eligere approbatum ab Episcopo, qui solus venit nomine Ordinarii, de quo loquitur Concilium Trident. prout docent Suarez, Henriquez, Facundez, Faullus, quos sequitur Aversa *citata q.* 16. *sect.* 7. quamvis oppositum probabile, & practicabile censeant Bossius *casu* .. *n.* 10. quando in Bulla Jubilæi non adest limitatio illa *ab Ordinario loci*, sed tantum dicitur *ab Ordinario*, Bonacina *q.* 7. *p.* 4. §. 1. *n.* 25. Alphon. de Leone *p.* 2. *de Jubilæo num.* 212. Diana *p.* 4. *tr.* 12. *resol.* 37. & alii apud ipsos.

70. Ratio est, quia Confessarius approbatus a Superiore Regularium, qui est eorum Ordinarius, vere dicitur approbatus ab Ordinario, & sic poterit eligi a Regularibus, licet non a Sæcularibus. Deinde, quia verba illa, *ab Ordinario*, seu *ab Ordinario loci*, non ponuntur in Jubilæo privative, sed ampliative in favorem pœnitentis, ut possit in Jubilæis confiteri etiam illi, cui prius non poterat. Adde, quod in tali Sententia sequeretur, multos Religiosos non vacantes Confessionibus Sæcularium, & ideo non habentes approbatos ab Ordinariis locorum, seu Episcopis, privari lucro Jubilæi, vel cogi confugere ad Episcopos pro approbatione, vel e Claustris exire ad quærendum approbatum, quod non videtur de mente Papæ.

Quamvis autem hæc Sententia sit probabilis propter rationem, & auctoritatem Doctorum, prima tamen est probabilior, & securior, quia licet Prælati Regularium sint ipsorum Ordinarii, non tamen prout nomen *Ordinarii* accipitur in Decreto Concilii, & in Jubilæis, in quibus ponitur privative, non ampliative; ad evitanda autem inconvenientia supra posita, poterunt Prælati Regularium tempore Jubilæi curare, ut aliqui ipsorum approbentur juxta formam Concilii, ut bene notat Bossius.

71. *An vero possint Regulares tempore Jubilæi eligere Confessarium extra Religionem, puta Sacerdotem Sæcularem, aut Religiosum alterius Ordinis, a quo absolvantur etiam a reservatis in Religione juxta tenorem Bullæ Jubilæi?* Negant quamplures, quia per privilegia concessa Religionibus non possunt Religiosi confiteri extraneis sine licentia sui Prælati, nisi in casu necessitatis, & deficientibus Religiosis sui Ordinis, ut patet ex Extravaganti Bened. XI. *Cum inter cunctas, de Privilegiis*; nec etiam tempore Jubilæi, aut Bullæ Cruciatæ, seu alterius privilegii, etiamsi in Bullis Jubilæi, vel privilegiis concedendis, contineatur clausula: *Non obstantibus privilegiis*. Et ita, quoad forum conscientiæ, concessit Leo X.

Fra-

Fratribus Minoritis, Alexander VI. Cistercensibus, S. Pius V. Ordini Prædicatorum quoad utramque forum, Sixtus quintus nostræ Congregationi, Innocentius VIII. Fratribus Eremitis Ordinis Sancti Augustini, & Gregorius XIII. Societati Jesu, qui in sua Constit. ait: *Non fuisse, nec unquam esse mentis suæ, aut Sedis Apostolicæ, ut personæ Societatis Jesu absque Superiorum licentia utantur facultatibus, quæ in Jubilæis, & Bullis Cruciatæ, ac aliis Indultis Apostolicis, Communitatibus, aut Personis, seu Locis Piis concessæ sunt, aut in posterum concedentur, non obstante quod in ipsis expresse indulgeatur, ut omnes Regulares, etiam Mendicantes, hujusmodi facultatibus uti possint*, prout refert Donatus t. 3. tr. 5. q. 26. Extat etiam Declaratio Clement. VIII. pro Carmelitanis, incipit: *Romani Pontificis*, data Romæ 23. Novemb. 1599. in qua expresse dicit Summus Pontifex; per facultatem in Bulla Cruciatæ, & aliis Indultis concessam eligendi quemcumque Confessarium, sive Sæcularem, sive Regularem &c. suæ intentionis exstitere, ut tam Fratres, quam Moniales, quantum ad Sacramentum Pœnitentiæ, seu Confessionis administrationem dispositioni suorum Prælatorum subjecti sint; quam Clementis declarationem motu proprio, & ex certa scientia Urbanus VIII. sua Constit. edita an. 1630. die 19. Julii, incipit *Spiritualia Militantis Ecclesiæ*, innovavit, &, quatenus opus sit, ampliavit, & ad omnes Regulares utriusque sexus, Mendicantes, & non Mendicantes, extendit, quas per extensum refert Donatus *supra q.* 12. Ex quibus clare constat, quod Regulares, nec quidem tempore Jubilæi possunt extraneo Confessori confiteri, nisi de licentia suorum Prælatorum. Hanc Sententiam tenent Donatus *supra*, Henriquez, Rodriquez, Valerus, Coriolanus, & alii apud Bossium *sect. 3. casu 4. n.* 10.

72. His non obstantibus, contrarium sentiunt quamplures, quia tempore Jubilæi Religiosis æque, ac Sæcularibus conceditur facultas eligendi Confessarium, sicut & alia indulta, indulgentiæ, & privilegia; nec obstant Constit. Gregorii, Clementis, & Urbani in oppositum adductæ, quia in Bulla Jubilæi continetur derogatio Statutorum, & Privilegiorum, ut possint Regulares gaudere, & frui privilegiis in Jubilæo concessis; & talem esse intentionem Papæ, ut Regulares in Jubilæi possint etiam extra Religionem eligere quemlibet approbatum, juxta formam in Jubilæo præscriptam, constat ex responsione data Sacræ Congregationi Concilii ab ipso Pontifice, qui super hac re consultus die 19. Decembris 1581. in Consistorio respondit: *Tempore Jubilæi posse omnes Regulares confiteri peccata sua Sacerdotibus etiam Sæcularibus approbatis ad Confessiones; nam in Bulla non fit mentio, nisi de Ordinario eorum, qui audirent Confessiones, non autem de Ordinario pœnitentium:* prout ex Coriolano, Filliucio, & Polancho refert Bossius *n.* 15. ubi hanc communem Sententiam dicit probabilissimam, quando in Jubilæo continetur derogatio prædicta, quamvis asserat contrariam securiorem. Hanc sequuntur apud Bossium *ibidem*, Navar. Bottonus, Graffius, Manuel, Rodriquez, Zerola, Vega, Coriolanus, Filliucius, Alcanius Tamburinus, Polanchus, Floronus, & alii.

CAPUT XV.

De Casibus reservatis.

DUBIUM I.

An, & quinam possint casus reservare?

PEr casuum, seu peccatorum reservationem intelligimus in præsenti ablationem, seu non concessionem jurisdictionis necessariæ ad absolvenda certa quædam peccata: & casus reservatus est ipsum peccatum, cujus absolutio est prohibita Sacerdoti, seu circa quod non habet Sacerdos jurisdictionem. Adesse autem in Ecclesia potestatem reservandi peccata, non solum quoad externam gubernationem, & politiam, ut falso existimant Hæretici nostri temporis, sed etiam pro foro conscientiæ, ita quod facta reservatione, non possint absolvi ab inferioribus Confessariis, definitum est in Concilio Trident. *sess. 14. c. 7. Can.* 11. ubi habetur: *Si quis dixerit, Episcopos non habere jus reservandi sibi casus, nisi quoad externam politiam, atque ideo casuum reservationem non prohibere quominus Sacerdos a reservatis vere absolvat; anathema sit*: & patet ex usu antiquissimo Patrum, & praxi totius Ecclesiæ. Ratio etiam est, quia reservatio nihil est aliud, quam ablatio, seu non concessio jurisdictionis ad absolvendum ab aliquo peccato in Sacramento Pœnitentiæ: cum autem omnis jurisdictio descendat a Superioribus Prælatis ad inferiores Confessarios, poterit esse magis, vel minus limitata pro Superioris arbitrio. Congruentia est illa, quam affert Concilium *cit. c. 7.* quia hoc videtur exigere Ecclesiasticæ disciplinæ ratio, ut fideles magis consuleantur a peccatis propter difficultatem absolutionis, pro qua debent ad Superiores recurrere.

2. Hinc facile colligitur, quinam possint casus, & peccata sibi reservare; illi nimirum, qui Ordinariam jurisdictionem habent in foro Pœnitentiæ, & possunt aliis delegare; hujusmodi est Summus Pontifex in tota Ecclesia, & Episcopus in sua Diœcesi, non solum respectu illorum Sacerdotum, quibus ipsi jurisdictionem delegant, sed etiam respectu eorum, qui ordinariam jurisdictionem habent, dependentem tamen, & subordinatam ad suos Superiores, prout Episcopi subordinantur Summo Pontifici, & Parochi Episcopo, etiamsi a Pontifice immediate receperint Beneficium. Possunt etiam casus reservare Capitulum, Sede vacante, Abbates habentes jurisdictionem quasi Episcopalem, & Prælati Regulares in suis Religionibus, immo & Parochi in sua Parochia respectu Sacerdotum, quibus ipsi delegant potestatem, quamvis Parochi id facere non consueverint, maxime quia post Concilium Trident. non possunt delegare, nisi approbato ab Ordinario, & habenti ab Episcopo jurisdictionem; quamvis Homobonus *de casibus reserv. part. 1. c. 2.* dicat, Parochos non posse reservare, quia nec Prælati sunt, nec Judices inferiores, cum solum in foro animæ habeant jurisdictionem, quod verum est nunc, quando non jam a Parocho, sed ab Episcopo solent alii Sacerdotes jurisdictionem obtinere.

3. Cum autem ex Trident. reservandi potestas sit Superioribus concessa in ædificationem, non in destructionem, non est liberum Prælatis absque ulla caussa peccata sibi reservare, quia irrationabiliter gravarent subditos, & difficilem redderent usum Sacramenti; inde peccaret Episcopus, si in subditorum perniciem potius, quam in favorem peccata reservaret; unde fit, ut graviora tantum peccata debeant reservari, ut Episcopis, & Ordinariis præcipit Sacra Congregatio apud Quarantam V. *Casus reservati*, illis verbis: *Sed ne locorum Ordinarii, ad quos reservatio casuum spectat, ea in re modum non excedant, eadem Sac. Congregatio illos rursus magnopere admonendos censet, ut non passim, sed cum id videbitur communi bono expedire, atrociorum tantum, & graviorum criminum absolutionem sibi reservent, quorum reservatio ad Christianam disciplinam retinendam conferat in ædificationem, non autem in destructionem cedat.*

4. *An vero indiscreta reservatio, & sine caussa facta sit valida?* non omnes conveniunt. Communiter distinguunt jurisdictionem delegatam ab ordinaria, & dicunt, quod si Prælati indiscrete nimis coarctarent jurisdictionem delegatam, quam libere communicant Sacerdotibus inferioribus, valida esset reservatio, nec possent inferiores Sacerdotes ab illis peccatis absolvere, sive fiat reservatio antecedenter ipsa delegatione, sive fiat consequenter alio posteriori tempore, revocando jurisdictionem datam. Ratio est, quia Superior, cum non teneatur hanc jurisdictionem concedere, potest pro sua voluntate totam, vel partem tantum delegare, vel jam concessam ex parte auferre; peccaret tamen Prælatus excedens, non solum ob damnum subditorum, sed etiam ob injuriam, quam faceret ipsis Confessariis, sine caussa nimis coarctando, & auferendo facultatem illis jam concessam, ut ex communi Sententia tradunt Suarez *disp. 29. sect. 4. n. 6.* Lugus *disp. 29. n. 30.* Aversa *q. 17. sect. 1.* Ant. a Spiritu S. *disp. 15. n.* 922. Villalobos, Henriquez, Hurtado, & alii communiter, quos sequitur Leander *disp. 12. q.* 18.

5. Si autem Prælatus indiscreta reservatione vellet coarctare nimis, & restringere facultatem Parochorum, qui ordinariam habent jurisdictionem, quod idem valet de Regularibus, qui jurisdictionem habent a Papa, & approbationem ab Episcopo; tunc prima Sententia docet, reservationem illam irritam esse, & invalidam, eaque non obstante, posse Parochos absolvere subditos a peccatis sic reservatis; tum quia Episcopi ex Trident. debent hanc reservationem facere in ædificationem, non in destructionem; tum quia Parochi ratione officii jus habent intrinsecum, & naturale ad suam jurisdictionem, qua nec licite, nec valide privari possunt. Unde si Superior vellet sine caussa illos privare, aut suspendere ab Officio, talis suspensio esset nulla; ita etiam esset nulla reservatio, quæ indiscrete, & sine caussa restringeret talem jurisdictionem. Hanc Sententiam Soto, & Ricardo tribuit Suarez *disp. 29. sect. 4. num.* 3. eamque cum aliis sequitur Leander *disp. 12. qu.* 19.

6. Secunda Sententia, quæ est communis, & probabilior, tenet, reservationem fore validam. Ratio est, quia Parochorum jurisdictio vel descendit ab Episcopo, vel illi prorsus subordinatur, nec Concilium Trident. illa *sess. 14. cap. 7.* coarctavit potestatem Episcoporum, dicens, reservationem debere esse in ædificationem, non in destructionem, sed indicavit fore illicitam, si esset indiscreta. Ita Coninch, Suarez, Bonacina, Navarrus, Filliucius, Tannerus, Layman, Sylvius, Bassæus, Diastillus, & alii, quos sequitur Ant. a Spiritu S. *n.* 924.

Tertia Sententia, quasi media, & sequenda, docet, reservationem fore invalidam, si tanta esset reservatio, & coarctatio, ut Parochorum jurisdictio esset quasi ablata. Si vero excederet solum aliqualiter, tunc fore validam propter rationem allatam; unde in praxi vix unquam accidet, ut censeatur invalida, & sic semper timenda, & observanda erit, prout docet Aversa *q. 17. sect. 1.* & sequitur Lugus cum aliis, nec dissentiunt Suarez, & Filliucius.

De hac ipsa auctoritate reservandi casus, vide quomodo, & quibus potissimum fundamentis disserat SS. D. N. Be- „
„ *nedi-*

nedictus XIV. in sua Synod. Diœces. lib. 5. n. 4. Sunt hæc quippe ejus verba: Posse summos Ecclesiarum Antistites, multoque magis omnium supremum Romanum Pontificem, inferiorum Sacerdotum jurisdictionem ita coarctare, ut a quibusdam gravioribus culpis, quas sibi, suoque judicio relaxandas, reservant, ne in foro conscientiæ quidem, & coram Deo, illis absolvere valeant, Catholicum dogma est, quod contra VVicletum strenue propugnavit VValdensis *to. 2. de Sacram. c. 149.* Etenim ad relaxanda, etiam in foro interno, peccata, præter potestatem Ordinis, necessaria est potestas jurisdictionis, quæ a Superiore potest ad plures personas, & caussas extendi, atque ad pauciores restringi, prout ei visum fuerit. Hanc Catholicam veritatem, iterum a Luthero impetitam, non solum validis argumentis fulserunt Theologi, e quibus videri possunt Sotus *in 4. dist. 18. q. 2. ar. 5.* Vasquez *in 3. part. D. Thom. to. 4. q. 91. art. 3.* & Card. Roffensis *in suis assertionib. adversus Lutherum art. 3. pag. 66. & seq.* sed Henricus VIII. Angliæ Rex, priusquam ab Orthodoxa Fide discisceret, agnovit, & explicavit in sua assertione septem Sacramentorum adversus Martinum Lutherum, Romæ edita an. 1543. inquiens: *Sacerdos quilibet Ordinem quidem habet, sed auctoritatem judicandi non habet, (quæ res ad absolventem pertinet) priusquam ei gregis alicujus cura committatur, idoneus tamen ante reputatur, cui cura tuto possit committi. Episcopus ergo, qui curam habet totius Diœcesis, si cui Sacerdoti partem quampiam suæ curæ commiserit, an non ipsa ratio docet, hunc non amplius aut ligare posse, aut solvere, nisi quatenus ille permiserit, sine cujus mandato nihil omnino in illius populo vel ligare quemquam, vel solvere potuisset? Quippe quod nec ipsi licebat Episcopo in aliena Diœcesi. Quid ergo mirum est, si quædam sibi reservat Episcopus, quorum curam putat esse majorem, quam ut cuilibet possit, etiam non imperito, committi?*

Validius autem idem Ecclesiæ dogma, contra Lutheri conatus, stabilivit Tridentinum *sess. 14. de Sacram. Pœnit.* ubi *c. 7.* Catholicam doctrinam exposuit; & *can. 11.* contrarium sentientes anathemate percussit: *Magnopere vero* (ait *cit. c. 7.*) *ad Christiani populi disciplinam pertinere, sanctissimis Patribus nostris visum est, ut atrociora quædam, & graviora crimina, non a quibusvis, sed a summis dumtaxat Sacerdotibus absolverentur; unde merito Pontifices Maximi, pro suprema potestate sibi in Ecclesia universa tradita, caussas aliquas criminum graviores suo potuerunt peculiari judicio reservare. Neque dubitandum est, quando omnia, quæ a Deo sunt, ordinata sunt, quin hoc idem Episcopis omnibus in sua cuique Diœcesi, in ædificationem tamen, non in destructionem, liceat, pro illis in subditos tradita supra reliquos inferiores Sacerdotes auctoritate, præsertim quoad illa, quibus excommunicationis censura annexa est. Hanc autem delictorum reservationem consonum est divinæ auctoritati, non tantum in externa politia, sed etiam coram Deo vim habere.* Et *cit. can. 11. Si quis dixerit, Episcopos non habere jus reservandi sibi casus, nisi quoad externam politiam, atque ideo casuum reservationem non prohibere, quominus Sacerdos a reservatis vere absolvat; anathema sit.* Plurima, quæ ad rem faciunt, & traditam a Tridentino doctrinam illustrant, occurrunt in libro, cui titulus: *Tres Epistolæ Pastorales* Episcopi Atrebatensis *cap. 7. de reservatione casuum pag. 193.* Licet autem Tridentinum potestatem reservandi peccata tantum Summo Pontifici, & Episcopis nominatim adstrinxerit, nomine tamen Episcopi, etiam inferiores Prælatos, habentes jurisdictionem quasi Episcopalem, cum territorio separato, comprehendisse censuit Sacra Congregatio, ejusdem Interpres, *in Salernitana an. 1585.* (*lib. 4. Decretor. pag. 36.*) rescribens: *Prælatos Sæculares Episcopis inferiores, qui habent jurisdictionem quasi Episcopalem in loco, & nulli Diœcesano, nec eorum subditi subjunt, habere facultatem reservandi sibi casus.* Et in Marsicana anno 1587. idem, totidemque verbis respondit *lib. 4. Decretor. pag. 250. a tergo.* Eadem insuper potestate gaudere Parochos, quoad simplices Sacerdotes, seu Capellanos, in Curæ exercitio iisdem inservientes, docuerunt Sylvius *in 3. part. D. Thom. tom. 4. q. 1. pag. 551. edit. Antuerp. an. 1714.* Suarez *to. 4. in 3. part. disp. 29. sect. 1. n. 4.* Card. de Lugo *de Pœnit. disp. 20. sect. 1. n. 2.* Neesen *tom. 2. tr. 5. de Sacram. Pœnit. dub. 10.* quia & ipsi jurisdictionem ordinariam habent *in Foro interno*, quam delegant suis Cappellanis. Simul tamen idem Doctores notant, non esse usu receptum, ut Parochi ea facultate utantur; additque de Lugo, inutilem insuper fore reservationem, si quæ a Parochis fieret, quoniam ea non ligarentur excipientes Confessiones, auctoritate, & jurisdictione accepta ab Episcopo, cujus imperio tota Parochorum jurisdictio subest. Dedita opera diximus, Parochos jurisdictionem ordinariam habere in *Foro interno*; scimus quippe dissertationem Petri Mengonii *de eminenti Parochorum dignitate supra Canonicos*, anno 1732. Florentinis typis excusam, in qua Auctor innixus Decretali Alexandri III. in cap. *Cum ab Ecclesiarum, de Offic. Judic. ordin.* asserere conatur, Parochis jurisdictionem ordinariam, etiam in Foro externo, fuisse valide confutatam a Joanne Dominico Latio in alia dissertatione, insequenti anno 1733. Pisis impressa, & merito; siquidem ex communiori, atque in praxi recepta sententia, quam cum *Supplem. S. Thomæ in 3. part. qu. 22. art. 1.* Suarez *de Censuris disp. 2. sect. 2. n. 10.* Vasquez *in opusc. de Excommunic. dub. 17. num. 1.* aliique propugnat, pluribusque exornat Gonzalez ad cit. cap. *Cum ab Ecclesiarum, n. 2.* non potest Parochus jure ordinario sententiam ferre excommunicationis: neque contrarium evincit Textus objecti cap. *Cum ab Ecclesiarum*; quamquam enim ibi Pontifex observari præcipiat excommunicationem *in suos Clericos, vel Laicos latam a Plebano S. Pancratii de Lucar*; hunc tamen Plebanum eam non tulisse jure ordinario sibi, ratione solius Parochialis Ecclesiæ, competenti, sed jure extraordinario, videlicet ex speciali privilegio, vel ex præscripta consuetudine, vel alio legitimo titulo acquisito, idem Gonzalez ostendit. Sat tamen est id obiter adnotasse; ad propositum regredimur.

Quamvis prædicta facultate reservandi casus possit Episcopus semper, & quandocumque voluerit uti; multis tamen nominibus decet, ut illam potius in Synodo, quam extra Synodum exerceat; primo, quia, ut in hoc negotio cautius se gerat, uti opportune monent Homobonus *tr. 15. c. 6. q. 12.* & Lælius Zecchius *de munere Episcopi c. 7.* expedit, ut prius probos, atque longa experientia edoctos Sacerdotes in consilium adhibeat, quos profecto nusquam melius, & commodius, quam in Synodo habere potest. Attamen curandum est, ut hoc ipsum consilium maxima circumspectione, & cautela petatur, atque præstetur, ne arctissimum Sacramentalis Confessionis sigillum ulla ex parte videatur violari. Qua de caussa, cum olim Vicarius Generalis Tridentinus rogaverit Regulares Oppidi Bulganensis, ut sibi, adjecta ceteroquin severa lege secreti, quod se religiose servaturum promittebat, manifestarent, quænam in genere essent graviora peccata, quæ eo in loco magis communiter committerentur, & Regulares Vicario morem gerere abnuerint, quos tamen Vicarius urgere non desinebat; re delata ad Sacram Congregationem Concilii, hac die 19. Augusti 1673. dixit, Regulares ad id cogi non posse, & monendum Vicarium, ut ab ejusmodi interrogationibus abstineret; ut in *lib. 28. Decretor. pag. 150.* Secundo congruum est, ut reservatio fiat in Synodo, ne secus Parochi conquerantur, suam ordinariam potestatem, ipsis prorsus insciis, nimis admodum coarctari; ut enim notat Card. de Lugo *de Sacram. Pœnitent. disp. 20. sect. 3. n. 51.* quamvis Episcopus possit jurisdictionem absolvendi, quam aliis Sacerdotibus delegat, omnino pro libito limitare, & ad paucissimas caussas restringere; eadem tamen potestate non pollet quoad Parochos, quorum jurisdictio, etsi ab Episcopo pendeat, eique subjaceat, non est tamen delegata, sed ordinaria, nec potest, sine legitima caussa, aut prorsus auferri, aut adeo imminui, ut fere inanis remaneat. Omnis autem querelarum occasio præciditur, cum reservatio fit in Synodo, ubi, si ea plus æquo aucta, & extensa videatur, statim possunt Parochi reclamare, & caussas Episcopo exponere, cur exoptent, hoc, aut illud peccatum e reservatorum albo expungi; quibus auditis, aut Episcopus sententiam mutabit, aut alias urgentiores rationes adducet, propter quas peccata illa reservanda existimat, quibus Parochi acquiescent. Tertio denique convenit, reservationem fieri in Synodo, quia in Synodo facta induit naturam legis, quæ nullo contradicente, perpetua est, & quamdiu non revocatur, perseverat; facta autem extra Synodum, non ab omnibus reputatur perpetua, opinantibus plerisque Theologis, quos sequuntur Gavantus *in Manuali Episcoporum, V. Casus reservati n. 16.* & Runcaglia *in Theolog. Moral. lib. 2. q. 7. quæsit. 2.* illam, decedente Episcopo, a quo est facta, illico expirare; aliis ex adverso, cum Capeavil. *de Casib. reserv. part. 1. cap. 5. in fin.* contendentibus, etiam tunc perpetuam esse, & durare, donec a Successore vel expresse, vel tacite revocetur; ex quo fiet, ut, mortuo Episcopo, aliqui prima sententia imbuti, a reservatis absolvent; alii vero secundam sectantes, talem absolutionem invalidam pronuntiabunt, atque exinde multa scandala exorientur, quæ præcaventur, si reservatio in Synodo fiat. Quocirca communi usu receptum est, ut Episcopus in Synodo statuat, quænam peccata velit esse sibi reservata. Nec solum in Diœcesanis, sed in pluribus Provincialibus Synodis casuum reservationes factas legimus; ut in Eboracensi anni 1195. *cap. 11.* Lambethensi anni 1281. *cap. 6.* Avenionensi a tribus Provinciarum Episcopis anno 1326. celebrato *cap. 22.* (*collect. Hardui. tom. 6. part. 1. col. 1932. & to. 7. col. 868. & 1503.*) aliisque adductis a Thomassino *de vet. & nov. Eccles. discipl. part. 3. lib. 2. cap. 14. n. 4. & 5.* Non idcirco tamen, quod casuum reservatio a Provinciali Concilio facta esset, potestas adempta erat Episcopis ab illis absolvendi, sicuti contingit in legibus a Superioribus latis, quæ a nullo Inferiorum relaxari possunt. Etenim eadem Concilia non

sibi,

„ sibi, ut Metropolitanis, sed ipsismet Episcopis illorum absolutionem reservabant, quod præfatos Canones legenti patebit. Aliud erat de gravioribus criminibus Papæ reservatis; ab his quippe, sicuti nunc, ita & olim, nullus sine auctoritate Papæ unquam absolvere audebat. Sic in Concilio Londinensi anni 1142. statutum, narrat Matthæus Parisiensis *ad eund. annum: Ne aliquis, qui Ecclesiam, Cœmeteriumque violaverit, vel in Clerico, aut Viro Religioso manus injecerit violentas, ab alio, quam a Papa possit absolvi*; quod Decretum ex Rogerio quoque refert Harduinus *in collectione sua to.6. part.* 2. *col.* 1233. *ad an.* 1143. & Concilium Saltaburgense anni 1386. *c.* 2. *sub interminatione maledictionis æternæ districte prohibet*, ne quispiam a casibus, Sedi Apostolicæ reservatis, absolvere præsumat. (*collect. Harduin. tom.* 7. *col.* 1901.) Nec verum est, quod asserit Van-Espen *Juris Eccles. univers. tom.*1. *part.*2. *tit.*6. *cap.*7. *n.*9. non ante Sæculum XI. cœpisse Episcopos graviorum quorumdam criminum reus ad Sedem Apostolicam mittere, ut a Pontifice reconciliarentur: siquidem *ex lib.* 3. de gestis Sanctorum Rotonensium *cap.* 1. *Sæculo IV. Benedictino* constat, ante annos circiter nongentos homicidas ad Papam fuisse remissos, quod opportune notavit Martene *de antiquis Ecclesiæ ritibus tom.* 1. *lib.*1. *cap.* 6. *art.*6. *n.*6. Enimvero cum homicidium inter illa enumeretur enormia facinora, quorum reis, saltem in plerisque Ecclesiis, nunquam olim concessam fuisse absolutionem, contendunt Petavius in notis ad S. Epiphanium, *hæresi* 59. Albaspinæus *in notis ad Concilium Eliberitanum*, Morinus *lib.* 9. *de Pænit. cap.* 19. & cit. Martene, aliique non pauci, credere fas est, quod cum nimia hæc disciplinæ austeritas emolliri cœpit, id retentum fuerit, ut, qui ea perpetraverant, a sola Sede Apostolica veniam consequerentur. Sedes autem Apostolica tanta semper lenitate usa est, ut etiam, cum prisca illa vigebat severitas, justis quandoque de caussis, a peccatis absolveret, quæ ceteroquin, ordinaria lege, non solebant ab Ecclesia remitti, sed uni Dei judicio relinqui; quemadmodum colligitur ex Tertulliano, qui, Hæreticus Montanista jam factus, *lib. de Pudicit. cap.* 5. Zephyrinum Papam carpit, quod mœchis veniam daret, quibus aut ipsamet Ecclesia Romana, ut existimat Martene, aut saltem pleræque aliæ Ecclesiæ, sicut opinatur Morinus, antea consueverat omnem indulgentiam denegare.

D U B I U M II.

Quænam peccata possint reservari?

7. PEccata venialia non esse materiam reservationis docuerunt Vasquez *qu.* 91. *de Pœnitent. dub.* 2. Reginald. *lib.*1. *n.*126. Grassius *lib.*1. *cap.*4. *n.*17. & omnes illi, qui asserunt, Sacerdotes, vi suæ Ordinationis, habere a Christo potestatem absolvendi a venialibus independenter a Prælatis Ecclesiæ, a quibus sicut non potest tolli, ita nec restringi per reservationem. At quia verius est, necessariam esse jurisdictionem pro absolvendis venialibus, & mortalibus alias rite confessis, & absolutis, & illam communicari Sacerdotibus a Pontifice, & aliis Ecclesiæ Prælatis, ut diximus *supra cap.* 13. *dub.* 4. sequitur, venialia, absolute loquendo, posse reservari, non ita, ut reservatio importet obligationem absolutam illa confitendi, sed tantum conditionatam, & suppositionis instar; nimirum ut quoties quis ea voluerit confiteri, debeat illa confiteri Sacerdoti ad id approbato, & non aliis. Verum tamen est, quod inutilis foret talis reservatio, quia nemo tenetur venialia confiteri, cum possit alia via, quam Sacramento, illorum veniam impetrari, prout docent communiter Doctores, Suarez, Coninch, Filliucius, Lugus, Villalobos, Candidus, quos affert, & sequitur Leander *qu.* 6.

8. Peccata mortalia mere interna, quamvis de facto non sint reservata, possunt tamen ab Ecclesia reservari. Ratio est, quia pro absolvendis peccatis mortalibus mere internis necessaria omnino est jurisdictio, quæ sicut conceditur ab Ecclesia, ita potest ab illa negari, seu limitari. Nec obstat, quod Ecclesia non possit præcipere, prohibere, aut per censuras punire peccata mere interna; ergo nec potest ea reservare, licet Ecclesia non possit judicare de internis, nec illa punire in foro externo, bene tamen in foro Sacramentali, in quo sicut debent peccata mere interna manifestari, & absolvi, ita possunt reservari; maxime quia reservatio immediate cadens in actus internos, est negatio jurisdictionis requisitæ pro illorum absolutione: cum autem possit Ecclesia hanc jurisdictionem concedere, ita potest illam negare, & limitare, & sic illa peccata reservare. Bossius *de Jubilæo sect.* 1. *casu* 10. *n.* 112. Suarez, Lugus, Facundez, Villalobos, Candidus, Bonacina, & alii communiter, quos sequitur Leander *q.* 7.

9. De facto tamen non consuevit Ecclesia actus mere internos reservare, sed dumtaxat externos, de quibus semper intelligi debet reservatio absolute prolata; quare dum absolute reservatur homicidium, adulterium, & similia, intelliguntur tantum, quando hæc peccata opere committuntur; & dum reservatur peccatum hæresis, intelligitur solum, quando externis verbis, aut signis profertur, ut docent communiter Doctores. Ut plurimum etiam peccata externa, quæ reservantur, intelliguntur opere completa, & consummata, & non tantum exterius inchoata; quapropter reservatu homicidio, incestu, adulterio, & similibus, non intelligitur reservata vulneratio, quæ non sit lethalis percussio, tactus, pollutio sine copula consummata, etiamsi fierent animo perficiendi, consummandi, & occidendi, quia non veniunt sub rigore, & proprietate illorum verborum, nisi aliud exprimatur. Nec item sufficit opus externum, si non sit materia secundum se sufficiens ad peccatum mortale, quamvis animus internus fuerit peccandi lethaliter. Sic reservato furto, non erit casus reservatus, si quis animo accipiendi multum, accipiat parum per se insufficiens ad materiam notabilem peccati mortalis, sed requiritur, quod actio externa habeat secundum se gravitatem sufficientem ad peccatum mortale. Homobonus *par.*1. *cap.*3. *assert.*1. Bonacina *disp.* 5. *quæst.* 7. *punct.* 5. *n.*4. & apud ipsum Suarez, Navarrus, Grassius, Henriquez, Miranda.

10. Peccata dubia, de quibus nimirum Homo proprie, & negative dubitat, *an fuerint commissa*, vel *an fuerint mortalia ex insufficienti deliberatione, seu parvitate materiæ?* non esse materiam reservationis docuerunt aliqui apud Leandrum *q.* 10. quia in dubio nullus debet gravari; at probabilius est, posse reservari. Ratio est, quia peccata dubia sunt materia necessaria Confessionis, ut diximus *supra cap.* 2. *dub.* 3. ergo etiam sunt materia reservationis. Cum enim pro illis absolvendis necessaria sit jurisdictio, & hæc descendat ab Ecclesia, potest non concedi, & limitari; & sicut quisque in dubio gravatur jure Divino confiteri; ita potest a Superiore gravari, ut ad eum accedat.

11. *An vero in generali, & ordinaria reservatione censeantur inclusa peccata dubia, quamvis de illis non fiat expressa mentio?* affirmant nonnulli apud Aversam; sed verius est, non includi, sive peccatum solum sit reservatum, sive cum censura ipso facto imposita. Ratio est, quia reservatio, cum sit odiosa, non est amplianda, sed restringenda, & stricte interpretanda; nec Superior videtur velle reservare talia peccata, quando manent sub dubio, nisi expresse oppositum explicet. Inde si quis proferat verba hæretica, sed dubitat, an ex animo, & assensu interno protulerit, excusatus a reservatione: nec obstat, quod in foro externo præsumatur talis animus, & per consequens reservatio; nam forum internum non nititur præsumptionibus, sed veritate; unde si quis vere dubitat de animo, & assensu interno, liber est a reservatione, quæ comprehendit peccatum hæresis certum, non vero tantum præsumptum. Et ita tenent Bossius *de Jubilæo sect.* 2. *casu* 13. Homobonus *tom.* 2. *consult. part.* 5. *res.* 87. Diana *part.* 4. *tr.* 3. *resol.* 4. Aversa *q.* 17. *sect.* 2. Ant. a Spiritu S. *nu.* 944. Suarez, Henriquez, Filliucius, Lugus, & alii, quos affert, & sequitur Leander *disp.* 12. *q.* 11.

12. Difficultas est: *an qui, stante tali dubio, absolvitur a peccato Hæresis ab inferiore Confessario, liberetur a reservatione, etiamsi postea certo constet, peccatum vere fuisse commissum, & censuram incursam, vel teneatur tunc recurrere ad Superiorem pro absolutione?* videtur enim esse recurrendum ad Superiorem, quia jam certo constat de reservatione peccati, a quo non potest inferior Confessarius absolvere.

Resp. esse legitime absolutum, nec tenetur amplius recurrere ad Superiorem. Ratio est, quia satis probabile est, quod ille, qui confessus est peccatum dubium non teneatur amplius illud confiteri, quamvis certo constet fuisse commissum, quia jam fuit directe absolutus sub conditione, si erat commissum, ut diximus *sup. c.* 2. *dub.* 4. vel si tenetur illud iterum confiteri ut certum, non tenetur tamen adire Superiorem, sed potest a quolibet Confessario absolvi, ut docet Aversa *supra*: rationem affert Franc. a Jesu Maria *c.* 13. *punct.* 2. *n.* 16. quia reservatio, cujus est usus in Ecclesia Dei, est peccati certo commissi, & numquam per legitimam absolutionem remissi; sed peccatum in casu nostro jam fuit per legitimam absolutionem remissum; & sic non est amplius reservatum. *Conf.* a pari de illo, qui vovit castitatem, qui si postea dubitet de intentione, votum non est reservatum Pontifici, sed potest ab Episcopo dispensari, & dispensatio manet valida absque necessitate recurrendi ad Pontificem, quamvis postea certo constet, votum fuisse emissum, ut fatetur Sanchez *l.* 4. *sum. cap.* 44. *n.* 10. Sic absolutus ab hæresi dubia remanet legitime absolutus absque obligatione recurrendi ad Papam, quamvis postea constet de certitudine peccati, & censuræ incursæ. Ita tenent Lugus *disp.* 16. *sect.* 2. §. 4. *& disp.* 20. *n.* 20. Dicastillus *disp.* 11. *dub.* 6. *n.* 99. Aversa, & Franc. a Jesu M. *supra* Ant. a Spiritu S. *sect.* 8. *n.* 946. Perez, Pelliz. & apud ipsum sequitur Leander *q.* 12.

13. Dices: dubitans de casu reservato pœnitentis, dubitat etiam de sua jurisdictione: *an nimirum jurisdictionem habeat supra peccata?* sed dubitans de sua jurisdictione, non potest ministrare Sacramentum pœnitentiæ, quia exponitur periculo invalide absolvendi; ergo dubitans de casu reservato non potest illud absolvere.

Resp. dubitantem de casu reservato nullo modo dubitare de sua jurisdictione, quia in dubio casus non est reservatus, propter rationem allatam; sicut qui dubitat de voto, vel juramento emisso, certus est non teneri ad votum vel juramentum.

54. Si quis certus esset de peccato reservato commisso, sed dubitaret, utrum illud alias fuisset confessus, teneretur utique in tali casu Superiorem adire pro absolutione, quia possessio stat pro peccato, de quo certo constat fuisse commissum, ac perinde si non constat de illius absolutione, necessario debet subjici clavibus; sicut certus de voto, aut præcepto, sed dubitans de illius impletione, tenetur ad votum, aut præceptum, prout docent communiter Doctores, & notavimus supra *cap. 2. dub. 3.* ubi plura fuerunt soluta.

„ *Non incongruum videtur Confessariis quibuscumque bene advertendam qualitatem criminum, quæ sibi potissimum reservare potest Episcopus; ex hac enim notione latam sibi aperient viam ad cognoscenda, quæ fere communiter cadere possunt sub reservatione, relictis aliquibus peculiaribus, quæ in unaquaque Diœcesi solent Episcopi ad cohibenda, quodam quasi fræno, nonnulla frequentiora scelera, sibi reservare. Sic enim ait Sapientissimus noster Pontifex ad hanc magis, magisque illustrandam materiam, & studiose omnibus felici, eruditissimoque stylo tradendam in sua Synod. Diœces. l. 5. c. 5.* Post assertam Episcopis facultatem casus reservandi, & designatum tempus, quod magis congruum videtur ad reservationem faciendam, operæ pretium est examinare, quænam sint illa atrociora, & graviora crimina, quæ sanctissimorum Patrum judicio, reservari consuevisse dixit Tridentinum: inde enim normam sument Episcopi, ad quam in reservandis peccatis, se tuto conformare queant. Non aliunde autem illa melius rescire possumus, quam ex Conciliis, in quibus, modo hæc, modo illa peccata, tamquam graviora fuere reservata. Nuper laudatum Concilium Londinense, a solo Episcopo absolvendos decrevit, *incendiarios, pejerantes in alicujus dispendium, & fures atrociores:* Concilium Lambatense *cit. c. 6.* Episcopo reservavit *homicidia voluntaria, tam publica, quam occulta:* in Diœcesana Synodo Santuonensi, habita anno 1280. *c. 14. (collect. Harduin. t. 7. col. 848.)* longus contexitur catalogus casuum reservatorum, inter quos numerantur homicidium, mutilatio, lapsus carnis, tam sacrilegus cum Moniali, quam contra naturam, perjurium, incestus, abortus, studiose procuratus, litterarum falsificatio, sortilegium cum abusu Sacramentorum, violatio Ecclesiarum, aliique non pauci: Concilium Provinciale Ravennas an. 1286. *(cod. t. 7. Hard. col. 948.) c.* 8. ad Episcopum remittendum jussit: *Cum quis petit absolvi ab excommunicatione majori, lata, vel mandata ab homine, vel a jure: Item incendio, & crimine publico: in blasphemante Deum, vel Sanctos: item in voto qualitercumque emisso, & cum illis, qui filios oppresserant ex proposito, sive casu, & cum quibuslibet homicidiis, & sacrilegis, falsariis, violatoribus Ecclesiarum, & immunitatum Ecclesiasticæ libertatis, & sortilegis: item cum iis, qui cum brutis libidine polluuntur; item cum incestuosis, & corruptoribus Sanctimonialium, & in omni occupatione, usurpatione, & detentione rei alienæ, ubi, cui restitutio fieri debeat, non inveniri potest: item cum perjuris, & clandestine matrimonium contrahentibus, ex qua matrimonio dubitatio oriatur, vel oriri possit, & in omnibus aliis criminibus, delictis, & excessibus, in quibus de consuetudine generali, vel speciali Episcopi reservatur Confessio.*

„ Verum, cum sæculi XV. initio nimium excreverit casuum reservatio; & præterea Abbates Carthusienses eousque devenerint, ut omnia suorum subditorum peccata gravia sibi reservaverint, in ejusmodi effrænes reservationes censoriam virgam strinxit Joannes Gersonius tam in opusculo *super absolvendi potestate, & qualiter expediat fieri reservationem peccatorum,* quam in epistola ad quemdam Episcopum *de moderatione casuum reservandorum (t. 2. p. 3. oper. col. 413. & 415.)* quibus in locis reservari quidem permittit pauca quædam peccata atrociora, sed non approbat, ut hæc ipsa reserventur, quando sunt occulta; exinde enim periculum subesse inquit, ne, quod occultum est, publicetur. Gersoni adhæsisse videntur Concilium Senonense anni 1524. & Synodus Diœcesana Carnotensis anni 1526., quæ nulla reservatione, quoad crimina occulta, affici voluerunt mulieres, ne istæ cum propriæ famæ dispendio, Episcopum, vel Pœnitentiarium, ad quem alias accedere non consueverant, cogerentur adire. Alia tamen post Gersonis ætatem in Gallia celebrata Concilia, sicuti animadvertit Thomassinus *cit. p. 1. l. 2. c. 14. n.* 8. in priori sententia, & praxi perstiterunt, pluraque quantumvis occulta peccata, Episcopis reservarunt. Quinimmo Concilium Suessionense anni 1456. *(collect. Harduin. t. 9. col.* 1385.) hortabatur Episcopos, ne facultatem absolvendi a reservatis passim concederent Regularibus.

„ Sed quod in Gallia non est assequutus Gerson, præstitit in Germania Laurentius Cardinalis Campegius, ubi Legatum agens Apostolicum, & sedulam operam navans Ecclesiarum reformationi, inter suas Constitutiones Ratisbonæ promulgatas anno 1523. quæ habentur *in fasciculo rerum expetendarum, & fugiendarum edito Londini an. 1690. pag.* 425. omnibus Confessariis concedendam in posterum edixit facultatem absolvendi Laicos a quibuslibet occultis criminibus, etsi alias reservatis, exceptis dumtaxat Hæreticis, Homicidis, & Excommunicatis, quos ad Episcopos, vel Vicarios remittendos constituit; Clericis vero etiam postmodum, eo loco futuris, quo prius erant: Campegio obsequens Archiepiscopus Coloniensis in suo Concilio Provinciali anno 1536. *p. 7. c. 17.* potestatem fecit omnibus Parochis remittendi quælibet crimina occulta: & Synodus Diœcesana Augustensis anni 1548. *(collect. Harduin. tom. 9. col.* 2045.) statutum Cardinalis Campegii instauravit, & confirmavit.

Non propterea tamen, quod ita aliquibus visum fuerit statuendum, restricta censenda est auctoritas Episcoporum, ad sola sibi reservanda peccata notoria, quoniam, uti recte perpendit citatus Thomassinus *eod. n. 8.* Concilium Tridentinum novis præsidiis muniens Episcoporum jurisdictionem ad casus reservandos, illam non coarctavit ad publica, sed *ad atrociora, & graviora crimina,* qualia esse, & dici possunt etiam occulta. Quia autem idem Tridentinum simul Episcopos monuit, ne ea potestate in destructionem, sed ædificationem utantur, idcirco nimium faciles esse non debent ad reservationes multiplicandas. Quamquam vero non possit, quoad hoc, certa regula, ubique custodienda præscribi, neque in specie designari queant peccata, quæ reservari oporteat; alicubi enim sola proclivitas populi ad aliquod crimen frequenter perpetrandum, ut difficultate obtinendæ absolutionis, veluti quodam fræno, cohibeatur, sufficientem caussam præbet Episcopo, illud reservandi, quæ caussa urgere desinit, ubi populus non est ad illud proclivis; attamen instar regulæ esse possunt quædam generalia monita, & decreta, quæ a sacris Urbis Congregationibus, hac super re, emanarunt. Sacra Congregatio, Episcoporum, & Regularium negotiis præposita, die 9. Januarii 1601. locorum Ordinarios ita monendos statuit: *Ne locorum Ordinarii, quibus jus hoc reservandorum casuum competit, pluribus, quam opus sit, reservationibus, subditis, aut Confessariis, in animarum salute procuranda cooperantibus, sint onerosi, monentur omnes, & paucos, eosque tantum, quos ad Christianam disciplinam retinendam, animarumque sibi creditarum salutem, pro cujusvis diœcesis statu, & qualitate necessario reservandos esse judicaverint, reservent.* Idemque monitum replicandum decrevit die 26. Novembris 1602. *Sed ne locorum Ordinarii, ad quos casuum reservatio spectat, in ea re modum excedant, eadem sacra Congregatio illos rursum magnopere admonendos censet, ut non passim, sed cum id videbitur communi bono expedire, atrociorum tantum, & graviorum criminum absolutionem sibi reservent, quorum reservatio ad Christianam disciplinam retinendam conferat, & in ædificationem, non autem in destructionem cedat, ne alioquin Sacramenti Pœnitentiæ Ministrorum coarctata potestate, sanctæ matris Ecclesiæ piæ menti contrarius effectus subsequatur. Prohibet etiam, ne sibi superflue reservent casus, in Bulla die Cœnæ Domini legi consueta, contentos, neque alios Sedi Apostolicæ specialiter reservatos.* Encyclicæ quoque litteræ ab eadem Sacra Congregatione eadem die 26. Novembris 1602. ad Episcopos in hunc modum datæ sunt: *Præcipue vero hæc monenda censet Sacra Congregatio, ut videant ipsi Ordinarii, ne illos casus promiscue reservent, quibus annexa est excommunicatio major, a jure imposita, cujus absolutio nemini reservata sit, nisi propter frequens scandalum, aut aliam necessariam caussam, aliqui hujusmodi casus nominatim reservandi videantur, neque casus in quibus absolutio, nisi cum restitutione, vel executione eorum, ad quæ Pœnitentes tenentur, non confertur, neque illos, qui etsi mortale peccatum inducant, circa res tamen parvi momenti versantur, & frequenter inter idiotas evenire soleat, uti damni dati, & similium. In peccatis etiam carnalibus reservandis multa utantur circumspectione, propter periculum scandalorum in iis maxime personis, in quas ob accessum ad Confessarios extraordinarios, vel frequentem reditum ad Ordinarios, suspicionis aliquid cadere potest. Postremo eam potissimum tueant & sequantur rationem, quæ, consideratis diligenter cujusque provinciæ, ac populorum moribus, natura, ac propensione, magis in Domino expedire videbitur.* Sacræ Congregationis Episcoporum, & Regularium decretis legendis apud Quarantam *in verb. Casus, num.* 14. & apud de Lamet & Fromageau *in dictionario casuum conscientiæ tom. 1. cas.* 8. continentur decisiones Sacræ Congregationis Concilii. Etenim, cum ad hanc delatum fuerit, quod Episcopus Belicastrensis supra modum auxisset catalogum casuum reservatorum, die 29. Januarii 1661. decem, aut ad summum duodecim gravioribus exceptis, Episcopi arbi-

„ trio

„ trio designandis, ceteros & catalogo deleri jussit *l.22. Decretor. pag.* 415.
„ At illud, præ ceteris, cavere debet Episcopus, ne peccata, quantumvis gravia, sed mere interna sibi reservet; licet enim etiam hæc reservari queant, sicuti docent Vasquez *supracit. q.* 91. *art.*3. *dub.*4. Cardinalis de Lugo *disp.* 20. *sect.* 2. *n.*13. & Suarez *de Fide disp.* 21. *sect.* 4. *n.* 2. ubi hæc habet: *Solent aliqui Episcopi etiam hæresim mentalem reservare, quod quidem in summo rigore juris facere possunt, quia reservatio non est usus jurisdictionis externi fori, sed est ablatio jurisdictionis pro Foro Sacramentali, quam Episcopus sicut dare potest, ita etiam auferre*: non est tamen in praxi receptum, ut umquam reserventur veluti prosequitur Suarez *loc. cit. Nihilominus Doctores communiter non consulunt, neque laudant talem reservationem, propter animarum periculum; nam actus interiores frequentes & molesti sunt, & difficile cognoscuntur; & ita etiam ego credo regulariter non expedire*: quinimmo Sotus *in* 4. *dist.* 18. *q.* 2. *art.* 5. actus mere interni reservationem acriter reprehendendam existimat; & revera, uti bene de Lugo observavit, solos scimus Prælatos Regulares, quædam peccata sive externa, sive interna, sibi olim indiscrete reservasse. Ceterum nec Episcopi, nec summi Pontifices actus mere internos suis reservationibus complecti umquam consueverunt: unde, etsi peccatum hæresis gravissimum sit, & cum in externum prodit, summo Pontifici reservetur; quamdiu tamen intra animum consistit, reservationem effugit.

DUBIUM III.

An peccata possint reservari cum Censura, aut sine illa?

15. ADesse in Ecclesia potestatem reservandi peccata, aut simul cum censura, & excommunicatione, aut sine censura, non potest esse dubium, quia tam peccatum solum, quam censura sunt materia reservationis, & patet exemplo Episcoporum, & Religiosorum aliqua peccata sibi reservantium cum censura, & alia sine censura, & aliquando expedit, & sufficit talis reservatio sine censura: quod a fortiori facere posset Summus Pontifex, si vellet. De facto tamen nullum est peccatum reservatum Pontifici, quod annexam non habeat excommunicationem reservatam, ut ex communi Sententia docent Suarez *disp.* 29. *sect.* 2. Henriquez *lib.*6. *sum. cap.* 14. Sanchez, Vasquez, Layman, quos sequitur Palaus *punct.* 15. §. 2. excipiunt Coninch *disp.*8. *n.*82. & alii promoventes, & promotos simoniace ad Ordines, quorum peccatum Sixtus V. in sua Const. *Sanctum & salutare* edita an. 1589. sibi reservavit non cum excommunicatione, sed cum suspensione; attamen alii hujusmodi exceptionem non admittunt, quia licet Sixtus V. excommunicationem non tulerit contra simoniace promoventes, & promotos, posita tamen est in Extrav. 2. *de Simonia*, ut notat Palaus.

16. Difficultas esse potest, *an peccata reservata Pontifici reserventur tantum quoad censuram, vel etiam quoad culpam?* Durandus *in* 4. *dist.* 17. *q.* 15. ait, consuetudinem Romanæ Ecclesiæ esse reservare censuram, non culpam, nisi ratione censuræ; alios vero Episcopos non tantum censuras, sed etiam ipsorum peccatorum absolutionem sæpissime sibi reservare, in quo, ait, illos non imitari Ecclesiam Romanam. Censuram solum esse reservatam Pontifici, non culpam tenet etiam Ant. a Spiritu S. *disp.* 14. *sect.* 9. *n.*950. & pro ea citat Cajet., Toletum, Layman, Navar., Henriq., & Bassæum V. *Casus reservati n.* 2. Communior, & probabilior Sententia docet, reservari utramque, culpam, & censuram conjunctim, quia Pontifices cum possint utramque reservare, & in suis reservationibus absolute, & sine limitatione loquantur, absque fundamento negatur utramque partem reservare, prout docent Suarez, Vasquez, Coninch, Henriquez, Hurtado, Facundez, Filliuc., Lugus, quos affert, & sequitur Leander *q.* 14.

17. Verum tamen est, quod sublata excommunicatione Pontifici reservata, peccatum, licet gravissimum, non est amplius reservatum, sed potest a quocumque Confessario absolvi, quia ex intentione Superioris ita conjungitur culpæ reservatio cum censura, ut nonnisi cum illa inveniatur; inde qui commisit peccatum in Bulla Cœnæ reservatum, sed ob ignorantiam non crassam, a censura excusatur, quia de ea nihil audivit, absolvi potest a quocumque Confessario, vel ut loquitur Sanchez *l.* 2. *Summæ c.* 8. *n.* 5. *in fine*. Si hæreticus ratione ignorantiæ censuræ excommunicationis, eam non incurreret, peccatum ejus posset a quovis Confessario absolvi, eo quod non sit reservatum: ita etiam Coninch, Granado, Layman, Hurtado, Mendo, quos sequitur Leander *q.* 16.

18. E contra vero, si peccatum cum excommunicatione sit Episcopo reservatum: ea sublata, vel propter ignorantiam non incursa, non proinde potest a peccatum a quocumque Confessario absolvi, sed solum ab habente jurisdictionem ad reservata, quia in casibus Episcopalibus non valet illa regula, quod solum conjunctim peccatum, & censura reserventur, sed utrumque remanet per se reservatum, & unum independenter ab alio, quia ita habet usus, & intentio Episcoporum, ut tradunt Doctores supra citati.

19. Si autem quæras: *quænam peccata sint Pontifici, aut Episcopis reservata?*

Resp. Summo Pontifici reservari casus contentos in Bulla Cœnæ: & præterea in Italia, extra Urbem, reservari alios sex casus contentos in Decreto Clementis VIII. nimirum; Violantes immunitatem Ecclesiasticam in terminis Bullæ Gregorii XIV. *Cum alias Nonnulli*; Violantes Clausuram Monialium ad malum finem; Provocantes, & pugnantes in Duello juxta Trident. & Constit. Gregorii XIII. *Ad tollendum*; Injicientes violentas manus in Clericos juxta Canonem *si quis suadente &c.*; Simoniam realem scienter contrahentes, & confidentiam beneficialem. Adsunt etiam aliæ censuræ Pontifici reservatæ, quarum Catalogum dabunt Filliucius, & Bonacina, ubi agunt de censuris in particulari.

20. Ex solo Jure communi, excluso statuto proprio, & consuetudine, jam nullum est peccatum Episcopis reservatum, solumque illis reservantur dispensationes votorum, irregularitates, & aliquarum excommunicationum absolutiones, quæ tamen non sunt proprie peccata reservata, sed pœnæ peccatorum, & si quæ olim erant peccata Episcopis reservata, sunt revocata per contrarium usum, ut notat Ant. a Spiritu S. *n.*953. & licet quatuor casus enumerentur in Extravag. *Inter cunctas, de privilegiis*, post medium; de facto tamen Episcopis non reservantur, sed solum asseritur, ab Episcopis reservari solere.

21. Facilius dici posset reservata Episcopo peccatum, & censuram levis percussionis inflictæ Clerico, a qua de jure non possunt Parochi, nec alii Confessarii absolvere; bene tamen Episcopi, qui etiam possunt absolvere a casibus Pontifici reservatis, quando sunt occulti, ex permissione Concilii Trident.: hæc tamen non est proprie reservatio facta ad Episcopum, sed concessio, & permissio, ut ab illis possint absolvere, quamvis sint casus Pontifici reservati.

22. Jure proprio solent Episcopi particularibus Edictis, aut Synodalibus Constitutionibus sibi reservare casus, quos pro varietate locorum, temporum, & subditorum judicant expedire, de quibus proinde non potest dari certa regula, sed videndæ sunt Constitutiones uniuscujusque Diœcesis; debent autem Episcopi sibi reservare casus paucos, eosque maxime necessarios, atrociores, & graviores, ex Decreto Sacræ Congreg. 26. Novembris 1602.

DUBIUM IV.

Quænam Peccata sint Reservata in Diœcesi Bononiensi.

23. IN Diœcesi Bononiensi in ultima Synodo celebrata ab Eminentissimo, & Reverendissimo D. D. Jacobo Cardinali Boncompagno Mense Junio, Anno 1698. sequentes casus sunt reservati.

1. Blasphemia Hæreticalis.
2. Adoratio, & invocatio Dæmonis expressa: Item maleficium, necnon quælibet superstitio, quæ fiat cum Sacramentorum, vel sacramentalium abusu.
3. Homicidium voluntarium, non solum quoad committentes, sed etiam quoad consulentes, mandantes, auxilium, vel favorem quomodolibet præstantes, effectu secuto.
4. Incestus in primo, vel secundo gradu consanguinitatis, & in primo affinitatis quoad masculos tantum; Sodomia etiam cum Feminis ultra pubertatis annos. Quæcumque copula carnalis etiam incompleta cum filia, seu cognata Spirituali, vel parochiana: Stuprum Virginum, etiam cum promissione Matrimonii. Bestialitas.
5. Obscœnitates, aliave crimina cum Monialibus, sive aliis feminis in clausura degentibus quomodolibet commissa, vel tentata, necnon verba obscœna. Item accessus Virorum ad Monasteria Monialium cum licentia subreptitia, aut obreptitia, cum excommunicatione latæ Sententiæ si ad malum finem.
6. Constitutio fictitii patrimonii pro Sacris Ordinibus initiando, vel cum pacto illud numquam petendi, vel retrocedendi, antequam eidem Ordinando suppetat, unde victus honestus aliunde subministretur.
7. Scandalosa solutio Quadragesimæ sine licentia in scriptis; necnon dolosa fides, seu dolosa licentia solvendi Quadragesimam, per Medicos, & alios deputatos facta, seu concessa.

Ut autem de singulis nonnulla breviter dicamus pro illorum explicatione, sit

§. I. *Blasphemia Hereticalis.*

24. BLasphemia definiri solet *verbum contumeliosum convitii, seu maledictionis contra Deum, vel Sanctos*; est enim Blasphemia nomen græcum, quod latine maledictionem, vel execrationem significat, ut bene advertit Homobonus *de casib. reser. p.* 2. *c.* 1. & inde quodcumque maledictum, per quod detrahitur de honore, & dignitate alterius, potest appellari blasphemia; in præsenti tamen sumitur pro peccato contra reverentiam Deo debitam. Dicitur *verbum contumeliosum*, quia licet nonnulli existiment, in solis

solis factis, & signis esse posse blasphemiam, ut si quis Imagines Dei, & Sanctorum conculcaret, si in faciem alicujus Sancti expueret, seu alapa feriret; probabilius tamen est, blasphemiam non consistere in factis, sed in verbis ore, aut scripto prolatis; nam blasphemia dici solet vitium linguæ, & directe opponitur divinæ laudi, quæ verbis, corde, ore, aut scripto prolatis exhibetur. Ita Suarez *t. 1. de Relig. tr. 3. lib. 1. c. 4. & n. 4. & 5.* Lessius *lib. 2. c. 45. dub. 5. n. 24.* Sanchez *in opere morali lib. 2. c. 32. n. 5.*

25. Dicitur *Verbum contumeliosum convitii, seu maledictionis*, quia blasphemia non solum contingit, quando divinæ Majestati, bonitati, & excellentiæ detrahitur; affirmando quod illi non convenit, ut Deus est injustus; sive negando, quod illi convenit, ut Deus non est Bonus, Sapiens, Omnipotens: sed etiam per convitium, contumeliam, & maledictionem, quia in his est irreligiositas contra Deum per verbum inhonorativum. Dicitur *contra Deum, vel Sanctos*, quia blasphemia est peccatum oppositum virtuti Religionis, ad quam spectat Deum, & Sanctos revereri, illorumque honorem tueri, & per hoc distinguitur etiam a contumeliis factis hominibus.

26. Dividitur blasphemia in hæreticalem, & simplicem, hæreticalis est illa, quæ continet falsitatem formaliter, aut virtualiter contra fidem, qualis est omnis blasphemia enunciativa, in qua affirmatur, aut negatur aliquid contrarium veritati fidei, cujusmodi sunt illæ: abnego Deum, Crucem Christi, Chrisma quod fronte percepi, aut puritatem Beatæ Mariæ Virginis; vel si dicas: Deus est injustus, partialis, ignarus, & similia, etiamsi hæc solum virtualiter affirmentur, ut contingit quando præcise nominas Deum injustum, ignarum, partialem, Ita Sanchez *n. 36.* Homobonus *p. 2. c. 1.* Ant. a Spiritu S. *sect. 11. §. 12. n. 1019.* Si quis abnegaret aliquem Sanctum, puta D. Petrum, non esse blasphemiam hæreticalem, sed simplicem affirmat Mazuchellus *de casib. reserv. disp. 2. c. 16. q. 1. diff. 2.* ex eo, quod nihil assereret, quod directe repugnaret articulis fidei: diceretur autem blasphemia simplex, quia contineret verbum contumeliosum in Divum Petrum, quod etiam affirmat Sanchez *loco cit.* At hoc pendet ex alia quæstione; an nimirum Canonizatio Sanctorum sit credenda de fide; si enim est credenda de fide, qui illam negat, blasphemat hæreticaliter; & si quis ita negaret D. Petrum, ut etiam denegare vellet Ecclesiam, cujus Caput fuit D. Petrus, tunc committeret sine dubio blasphemiam hæreticalem.

27. Blasphemia simplex, seu non hæreticalis est illa, quæ nec affirmat, nec negat aliquid contra fidem, ut hæreticalis, sed solum profert aliquod verbum irreverenter, & contumeliose contra Deum, quales sunt illæ blasphemiæ, quæ per modum optandi, imprecandi, aut imperandi proferuntur; ut si quis diceret: *Maledictus sit Deus; displiceat Deo; pereat Deus*: & illæ, quæ fiunt nominando aliquid, quod vere reperitur in Deo, sed per contumeliam, vel irrisionem, ut nominare pudenda Christi cum irrisione, vel contemptu, tali modo indicando Christum esse contemptibilem, & despectibilem ob illa membra. Inde blasphemiæ omnes non hæreticales ad duo capita facile reducuntur: Primum est earum, quibus aliquod malum Deo, aut Sanctis imprecatur: Secundum est illarum, quibus aliquid indecore, & inhoneste de Deo vel Sanctis nominatur. Ex primo capite sunt blasphemiæ: *tædeat Deum; sit maledictus; ad injuriam Dei hoc faciam; al dispetto di Dio*, idest faciam hoc, etiamsi Deo displiceat. Ad secundum caput recunduntur illæ, quæ indecore, & inhoneste Deum nominant, ut si quis per modum irrisionis, & convitii Deum vocet sapientem, & justum, aut quando quis jurat per Corpus, & Sanguinem Dei ex indignatione, & ira contra Deum concepta, vel quando per modum contumeliæ, & vituperii ita blasphemat: si enim absit contemptus, & indignatio, non erit blasphemia jurare per Corpus, & Sanguinem Dei, nomine Dei, intelligendo Christum, qui habet Corpus, & Sanguinem.

28. Blasphemia de genere suo est peccatum mortale, quia gravem infert Deo injuriam, nec datur in blasphemia parvitas materiæ excusans a mortali, quia quæcumque contumelia prolata in Deum, vel Sanctos, est gravissima, & per illam valde dehonoratur Deus. Ita Diana *p. 5. tr. 5. res. 3.* Palaus *t. 3. tr. 17. disp. 2. p. 2. §. 2.* Bonacina *t. 2. circa primum Decal. præcept. d. 3. q. 8. punct. 3.* poterit tamen blasphemia esse peccatum solum veniale ex indeliberatione, aut inadvertentia, quia sicut in aliis præceptis indeliberatio, aut inadvertentia excusant a mortali; ita & in hoc: unde si quis blasphemat ex ira, & subita animi perturbatione, taliter quod omnem rationem deliberationis antevertat, tunc venialiter peccat, prout in aliis materiis.

29. Itaque non omnis blasphemia, sed tantum hæreticalis est illa, quæ est reservata in hac Diœcesi Bononiesi, quando fuerit exterius prolata cum sufficienti deliberatione, & advertentia; nam si blasphemia erat solum interna, & non exterius manifestata, non est reservata, nec quando profertur ex inadvertentia, & indeliberatione, cum tunc non sit peccatum mortale, sed veniale ex defectu libertatis, & cognitionis. Si autem verba blasphemiæ hæreticalis fuerunt exterius prolata cum sufficienti cognitione, tunc est casus reservatus, ante cujus absolutionem debet Confessarius habens facultatem, pœnitentem interrogare, & videre: *an habuerit errorem in intellectu; an scilicet crediderit, esse verum id, quod blasphemando protulit?* sic enim sentiet incidisse in hæresim, & in excommunicationem Summo Pontifici reservatam in Bulla Cœnæ, a qua non possunt absolvere Penitentiarii, nec alii Confessarii. *An vero possint ab illa absolvere Episcopi, quando peccatum est occultum, vigore facultatis sibi concessæ a Trident. sess. 14. de refor. capit. 6.* valde controvertitur apud Auctores, aliis negantibus, aliis probabilius affirmantibus, quos per extensum refert, re mature discussa, Bossius *de Jubilæo sect. 1. casu 10. §. 2.*

In tanto hujus quæstionis discrimine, & inter tot dissidentes Theologos circa Episcoporum auctoritatem absolvendi ab hæresi occulta, vide quam bene sese ingerat Benedictus XIV. in c. 32. l. 7. suæ Synodi Diœcesanæ, multorum percurrendo & Patrum & Conciliorum auctoritates, adeo ut in caliginoso prorsus nos deserere nollent, qua fieri potuit, caritate, ad sufficiens veritatis lumen nos conducere dignatus est hisce verbis: In nonnullis antiquis Synodis indubitanter adjudicatur Episcopo facultas absolvendi ab hæresi. Ita quippe diserte statutum legimus in Synodis Andegavensibus annorum 1216. & 1493. atque in Synodo Ambianensi 1411. apud Pontas V. *Casus reservat. casu* 4. eamque facultatem, nullo posteriori jure, esse Episcopis ademptam, declarasse Cardinalem Gasparem Quirogam Archiepiscopum Toletanum, atque in Hispaniarum Regno supremum Inquisitorem in sua Synodo Toletana anni 1583. referunt Hurtadus *de Fide disp. 84. sect. 2. §. 11.* Card. de Lugo *de virtute Fidei disp. 23. sect. 3. §. 1. n. 44.* & novissime Milante *exercit. in 3. proposit. damnatam ab Alexandro VII. pag. 20.*

Verum ne hisce, aliarumque plurium Synodorum vetustis exemplis se abduci patiantur Episcopi, eamque sibi vindicent jurisdictionem, qua carent, priusquam quidquam de hac re in suis Synodis statuant, oportet, ut certa ab incertis secernant, rerumque, ac temporum varietatem accurate dispiciant: potestas quippe absolvendi a crimine hæreseos, quæ olim indiscriminatim omnibus competebat Ecclesiarum Pastoribus, neque hodie illis denegatur in aliquibus circumstantiis, in aliis tamen communiter censetur Summo Pontifici nunc reservata. Omnia singulatim expendamus.

Inter præcipuas Pastoralis muneris curas est solerter invigilare, ne ullus contra orthodoxam doctrinam error in suam Diœcesim irrepat, quod luculenter expressit Apostolus 1. *ad Timotheum capit. 3.* & *ad Titum capit. 1.* Hinc nemo dubitat, quin ad Episcopum potissimum pertineat in Hæreticos inquirere, atque in illos, quos in suis erroribus pertinaces compererit, canonicis pœnis severe animadvertere. Hanc Episcoporum obligationem agnovit, & inculcavit Auctor Epistolæ ad Episcopos in Gallus, atque in Hispaniis consistentes, quam Lucio Papæ adscripsit Isidorus, ita Episcopos alloquens: *Ideo, Fratres, hortor dilectionem vestram, obtestor, & moneo, ut qua debetis, & potestis sollicitudine, vigiletis ad investigandos Hæreticos, & inimicos Sanctæ Ecclesiæ, & a sanis mentibus, ne pestis hæc latius divulgetur, severitate, qua potestis, pro viribus extirpetis.* (*collect. Harduin. to. 1. col. 140.*) Quamquam porro hoc Lucii testimonium credatur adulterinum; adulterinum certe non est Decretum Concilii Remensis anni 625. vel 630. quod *Can. 4.* (*collect. Hard. tom. 3. col. 572.*) ab Ecclesiarum Pastoribus Hæreticos diligenter perquiri, & ad Fidem Catholicam pro viribus revocari mandavit. Et ne inutiliter tempus terramus in re exornanda apud omnes indubitata, satis abunde erit unam allegare Sanctionem Innocentii III. in Concilio Generali Lateran. IV. anni 1215. in cujus *cap. 3. de Hæreticis* jubentur Episcopi, singulis annis vel per se, vel per Archidiaconos suas circumire Diœceses, & sedulo indagare, an ullus in ea latitet hæretica contagione infectus: soccordes vero, & negligentes in expurganda concredita sibi Diœcesi ab hæretica lue, veluti gravis flagitii reos, & Pastorali ministerio indignos, e gradu dejici ibidem decernitur: (*collect. Hard. tom. 7. col. 22.*) *Volumus igitur, & mandamus, in virtute obedientiæ districte præcipimus, ut ad hæc efficaciter exequenda Episcopi per Diœceses suas diligenter invigilent, si canonicam effugere voluerint ultionem. Si quis enim Episcopus super expurgando de sua Diœcesi hæreticæ pravitatis fermento negligens fuerit, vel remissus: cum id certis indiciis apparuerit, & ab Episcopali officio deponatur, & in locum ipsius alter substituatur idoneus, qui velit, & possit hæreticam confundere pravitatem.* Neque per hoc, quod a Sede Apostolica institutum fuerit Inquisitionis Tribunal, cujus initium ad ejusdem Sæculi XIII. initium; post tamen absolutum Concilium Lateranense IV. in quo certe nulla de Inquisitoribus a Sede Apostolica delegatis occurrit mentio, refert Ludovicus a Paramo *de origine Sacræ Inquisitionis lib. 2. titul. 1. capit. 2.* non est Episcopis subductum onus, aut adempta facultas in Hæreticos inquirendi, sicuti diserte declaravit Bonifacius VIII. *in cap. 17. de Hære-*

Hæreticis in 6. Per hoc, quod negotium hæreticæ pravitatis alicui, vel aliquibus, ab Apostolica Sede generaliter in aliqua Provincia, Civitate, vel Diœcesi delegatur, Diœcesanis Episcopis, quin & ipsis auctoritate ordinaria, vel delegata (si habent) in eodem procedere valeant, nolumus derogari; sed possunt, & debent perinde, ac antea omnes suam operam impendere, ut eamdem pestem e sua quilibet Diœcesi eliminent; solumque cavere, ne Delegatos ab Apostolica Sede Fidei Quæsitores, ubi sunt constituti, a suo munere obeundo impediant, sed pari studio, animorum concordia, debent in opus adeo salutare incumbere; juxta modum præscriptum in eodem cap. *Per hoc*, atque *in Clementina I. eodem titulo*, & *in Extravag. Benedicti XI. cap. 1. de Hæreticis*. Jam vero tam Inquisitor, quam Episcopus potest resipiscentem Hæreticum, aut sponte coram se comparentem, aut ad suum Forum quoquomodo deductum, Ecclesiæ reconciliare, & pro utroque Foro absolvere a censura, in quam propter hæresim incidit, quod pluribus ostendunt Card. Albitius *de inconstantia in Fide cap. 25. n. 35. & seqq.* Farinaccius *de hæresi q. 92. §. 4. n. 52.* Card. de Lugo *de virtute Fidei disp. 23. sect. 3. §. 1. n. 52.* Thomas Del Bene *de offic. S. Inquisitionis p. 1. dubit. 57.* & Card. Petra *tom. 3. ad Const. 18. Innocentii IV. n. 27. & seqq.* Quinimmo uterque potest pœnitentem Hæreticum, postquam suos ejuravit errores, ad simplicem Confessarium remittere, ut ab eo absolvatur; eamque absolutionem, licet a Confessario datam in Foro Sacramentali, prodesse etiam pro Foro externo, a cujus jurisdictione promanat, recte observat idem Del Bene. Plura de ordinaria potestate Episcoporum inquirendi in Hæreticos, eosque Ecclesiæ reconciliandi, congesta sunt ab Altaserra *de Jurisdict. Ecclesiast. lib. 4. cap. 3.* & novissime a P. Jo: Ant. Bianchi *de potestate Ecclesiæ tom. 3. lib. 1. §. 10. num. 2. & 3.*; plura itidem ad rem facientia legi possunt *in Colloquiis Andegavensibus mensis Maji 1713. quæst. 4. pag. 110.*

„ Hæc certa sunt; communiter quoque Doctores non tantum Episcopo, verum etiam cuilibet simplici Confessario facultatem concedunt absolvendi ab hæresi pure interna, & mentali, nullo exteriori signo manifestata. Absolutio quippe ab hæresi est Summo Pontifici reservata solum ratione censuræ, eidem hæresi annexæ; Ecclesia autem, sicuti non potest per se directe, & immediate præcipere, aut prohibere actum mere internum, juxta communem Theologorum sententiam, quam cum S. Thoma 1. 2. *qu. 91. art. 4. & qu. 100. art. 9.* docet Suarez *lib. 4. de Leg. c. 12. per tot.* ita non potest hæresim, quæ in exteriorem actum non prodit, censura perstringere; uti ad rem tradunt Navarrus *in Man. cap. 27. n. 56.* Suarez *de Censuris disp. 4. sect. 2. & disp. 21. sect. 2.* Sanchez *l. 2. in Decalog. c. 8. n. 1. & seqq.* Bonacina *de Censur. in Bulla Cœnæ contentis disp. 1. q. 2. p. 2. n. 2. & 3.* Barbosa *de offic. & potest. Episc. p. 2. alleg. 40. n. 6. & n. 9.* & in Collectan. *ad c. 6. sess. 24. Concilii Trid. n. 50. & 51.* Censuram pariter evaderet, possetque pro foro conscientiæ ab Episcopo, aliove simplici Confessario absolvi, qui exterius verbo, vel facto aliquem negaret Fidei articulum, retento tamen interiori assensu circa illum; nam iste, etsi graviter contra Fidem peccaret, non tamen esset formaliter Hæreticus, ac propterea non irretiretur censuris in Hæreticos inflictis, quod bene perpendunt Lessius *de Justitia, & Jure cap. 43. dub. 2. n. 11.* Suarez *de Fide disp. 14. sect. ult. n. 3.* & Sanchez *cit. l. 2. c. 7. n. 8.* In foro autem externo esset puniendus tanquam Hæreticus, nec ei crederetur asserenti, se interiori assensu firmiter adhæsisse veritati, cui visus est exterius dissentire, uti prosequuntur Simanca *de Catholic. instiut. tit. 13. n. 15.* Rojas *tract. de Hæret. 1. part. n. 304. & seqq.* & Farinaccius *de hæresi q. 179. n. 55.*

„ Sed difficultas unice circa eum versatur, qui interius Fidei articulo dissentitur, suumque dissensum aliquo exteriori signo pandit, quin tamen idcirco fuerit ad forum judiciale deductus. De hoc quippe, quem Hæreticum esse, censurisque in Hæreticos latis innodatum, nemo dubitat; controvertitur: *an quamdiu ejus delictum occultum est, possit ab Episcopo pro foro conscientiæ absolvi?* Difficultatem faciunt Tridentinum, & Constitutio Apostolica, quæ singulis annis in die Cœnæ Domini promulgatur. Etenim ex una parte Tridentinum *sess. 24. c. 6. de Reform.* facultatem tribuit Episcopis dispensandi in qualibet irregularitate, proveniente ex delicto occulto, ea tantum excepta, quæ oritur ex homicidio voluntario, & insuper absolvendi in foro conscientiæ a quibuscumque casibus occultis, etiam Sedi Apostolicæ reservatis, non solum non excepto, sed nominatim expresso, etiam crimine hæresis: *Liceat Episcopis ..... in quibuscumque casibus* (sunt verba Tridentini) *etiam Sedi Apostolicæ reservatis, delinquentes quoscumque sibi subditos, in Diœcesi sua per se ipsos, aut Vicarium ad id specialiter deputandum, in foro conscientiæ gratis absolvere, imposita pœnitentia salutari. Idem & in hæresis crimine, in eodem foro conscientiæ, eis tantum, non eorum Vicariis, sit permissum.* Ex alia vero parte Summus Pontifex in prædicta Constitutione, postquam anathemate perculit omnes Hæreticos, sibi uni facultatem reservat eos absolvendi. Hinc vero oritur controversia: *an per hujusmodi Constitutionem, quotannis renovatam, censeatur derogari præfato Decreto Tridentini?* Enimvero extra controversiam est, per illam ademptum esse Regularibus, aliisve, privilegium, si quod antea habuerint, quempiam absolvendi ab hæresis crimine. Quinimmo, quamvis ab ipsomet Summo Pontifice tempore Jubilæi cuilibet Confessario, ex approbatis a locorum Ordinariis, amplissima concedatur potestas omnia remittendi facinora, atque in foro Sacramentali quaslibet relaxandi censuras, sibi quomodocumque, etiam virtute Bullæ Cœnæ, reservatas; per eam tamen, aliasve similes concessiones, numquam collatam censeri auctoritatem absolvendi a crimine hæresis, nisi hoc fuerit specialiter, & nominatim expressum, declaravit Alexander VII. in suo Decreto, a nobis relato, & accurate expenso *in nostra Notificat. 4.* quod est hujusmodi: *Sanctissimus Dominus noster Alexander Papa VII. sub die 23. Martii 1656. inhærendo declarationibus alias a Prædecessoribus suis factis, ad removendam omnem dubitandi occasionem, & ne circa id in posterum ullo tempore hæsitari contingat, cum crimen hæresis, præ ceteris gravissimum, speciali nota dignum sit, decrevit, facultatem absolvendi ab hæresi in Jubilæis, vel aliis similibus concessionibus, non censeri comprehensam, nisi expressis verbis concedatur facultas absolvendi ab hæresi;* & siquidem hæc facultas non exprimitur in Bulla Cruciatæ, idcirco Gregorius XIII. jam antea edixerat, neminem posse, illius tantum obtentu, solvi a censura, in quam propter hæresim incidit, quod videre est apud Manuel. Roder. *in addit. ad Bullam Cruciatæ §. 9. n. 66.*

„ Sed nihilominus specialis est ratio dubitandi, num per eamdem Bullam Cœnæ sit ablata etiam Episcopis potestas absolvendi ab hæresi occulta, iisdem tributa a Concil. Tridentino: huic quippe existimant plerique cum Sanchez *de Matrim. lib. 3. disp. 26. n. 7. circa medium* non derogari, sine expressa ejusdem mentione, qualis in Bulla Cœnæ non occurrit. Accedit incredibile videri Pium IV. qui Decreta Concilii Tridentini approbavit, omnemque adhibuit operam, ut per omnes Orbis Christiani Provincias promulgarentur eodem ipso anno, quo hoc negotium urgebat, atque eorumdem Decretorum acceptationem, & religiosam observationem impense commendabat in Bulla Cœnæ, quam consueto more evulgavit, voluisse derogare præfato Decreto Episcopis favorabili. Indignati enim fuissent Episcopi, si audivissent se compelli ad subeunda onera sibi a Tridentino imposita, eo ipso tempore, quo privabantur privilegio sibimet ipsis ab eodem Tridentino indulto. Cum autem Bulla Cœnæ etiam tum munita esset iisdem clausulis derogatoriis, quibus nunc est referta, præsumendum est, per istas voluisse, & velle Pontifices revocare dumtaxat facultates absolvendi ab hæresi, a suis Antecessoribus concessas, non vero illam, qua justis de causis sunt Episcopi a Concilio Trident. donati. Ita ratiocinantur Bannes 2. 2. *q. 11. art. 3.* Arragonius *ibid. art. 1. col. 10* Hurtadus *disp. 84. sect. 2.* Gutierez *Canonicar. quæst. l. 1. c. 13.* Facundez *in 2. præcept. Eccles. lib. 8. c. 8. num. 33.* Campegius *in addit. ad Lanchinum de hæresi c. 34.* Bossius *de Jubilæo sect. 1. c. 10. §. 5.* Leander *part. 4. tract. 2. disp. 17. q. 45.* aliique, quos referunt Sanchez *lib. 2. in Decalog. cap. 11. n. ult.* & Diana *1. part. tract. de absol. ab hæres. resol. 2.*

„ Verum utrumque argumentum nullo labore refellunt Auctores contrarii, quos citant, & sequuntur Sanchez *lib. 2. moral. disp. 3. §. 2. n. 22.* Garzias *de Benefic. part. 11. c. 9. n. 121.* Barbosa *ad dict. c. 6. sess. 24. de reform.* & *de offic. & potest. Episc. allegat. 40. n. 3.* Card. de Lugo *de virtute Fidei disp. 23. sect. 3. §. 1.* Rosignolus *de Censuris to. 1. q. 1. cap. 25. n. 7.* Duard. *in Bulla Cœnæ lib. 3. §. 2. q. 11. n. 43.* Clericatus *de Pœnit. decis. 45. n. 4. & seqq.* Anacletus Reiffenstuel *lib. 5. Decret. tit. 7. §. 7. n. 351. & seqq.* aliique quamplurimi. Meliori sane, & veriori judicio contendunt isti, facultatem, de qua loquimur, esse Episcopis per Bullam Cœnæ ademptam, & Romano Pontifici reservatam, nec multum negotii ipsis facessunt argumenta in contrarium adducta. Ad primum quippe ajunt, sufficienter derogari Concilio Tridentino per illam generalem clausulam in Bulla Cœnæ contentam: *Non obstantibus Constitutionibus Apostolicis, & cujusvis Concilii Decretis.* Etenim cum nullum, præter Tridentinum, reperiatur Concilium, a quo data sit Episcopis potestas absolvendi ab hæresi, allegata verba, quibus Pontifex eamdem potestatem sibi deinceps reservat, unice alludere queunt ad enuntiatum Tridentini Decretum, cui in hac parte se derogare declarat. Ad hæc, ut Papa deroget Concilio Tridentino, non est necesse ut expressam faciat ejusdem mentionem, sed satis est, ut aliquid statuat, quod Tridentini Decretis adversetur: siquidem cum ipsimet Tridentini Patres *cap. ult. sess. 25. de reform.* sua Decreta subjecerint judicio, & voluntati Summi Pontificis: *Omnia, & singula, quæ sub quibuscumque clausulis, & verbis in hoc Sacro Concilio sta-*

„ *tuta*

tuta sunt, *Sancta Synodus declarat ita decreta fuisse, ut in his salva semper auctoritas Sedis Apostolicæ & sit, & esse intelligatur*. Idcirco Pontifex aliquid edicens contra aliquam Tridentini sanctionem, non operatur contra mentem ejusdem Concilii, neque illam exerit supremam auctoritatem sibi a Christo Domino collatam, relaxandi, & immutandi, cum opus fuerit, quamcumque Legem Ecclesiasticam, sed potius eo utitur arbitrio, a cujus nutu voluit idem Tridentinum suarum sanctionum firmitatem pendere, quod apposite expendunt Garziss *de Benefic. p. 4. c. 5. n. 32. & 33.* Gonzalez *ad reg. 8. Cancell. gloss. 6. n. 120.* Bonacina *de Censur. in Bulla Cœnæ disp. 1. q. 2. punct. 2. n. 8.* & Fagnanus in cap. *Nulla*, n. 86. *de concess. Præbendæ*.

„ Alterum, quod proferunt argumentum, ut aliquid haberet roboris, in primis probandum esset, quod gratis assumitur, nimirum Bullam Cœnæ, a Pio IV. de more promulgatam, iisdem fuisse munitam clausulis, quæ leguntur in similibus Constitutionibus, a posterioribus Pontificibus editis. Enimvero enuntiata verba, *Non obstantibus cujusvis Concilii decretis* non leguntur in Bulla Cœnæ promulgata a Martino V., quæ refertur a S. Antonino *3. p. tit. 24. c. 72.* neque in Bulla Cœnæ, promulgata a Paulo III., quæst. 10. inter Constitutiones ejusdem Pontificis *Bullar. tom. 1.*; quinimmo Cardinalis de Lugo *de virtute Fidei, cit. disp. 23. sect. 3. §. 1. nu. 48.* testatur, se ea verba non invenisse in ulla Bulla Cœnæ, ante Gregorium XIII., ex quo conjicit, neque a Pio IV. fuisse adhibita, ac proinde corruit potissimum argumentum, cui plurimum fidunt Auctores stantes pro contraria opinione.

„ Deinde, cum hæc controversia non versetur circa jus, sed circa factum; nemo quippe Catholicorum dubitat, potuisse Pontificem, facultatem, de qua agitur, Episcopis adimere, sed solum disputant an reipsa ademerit, non est ex meris præsumptionibus, & conjecturis colligenda voluntas summorum Pontificum, quam ipsimet disserte explicuerunt. Etenim S. Pius V. & Gregorius XIII. de hac re interrogati, indubitanter responderunt, nulli, præter Papam, hodie integrum esse quemquam absolvere ab hæresi, etiam occultissima, eo quod Papa per Bullam Cœnæ ejusmodi facultatem sibi reservet; sicuti totidem verbis refert Navarrus *Man. cap. 27. num. 275.* addens, ab iisdem Pontificibus, ne Cardinali quidem summo Pœnitentiario fuisse talem facultatem tributam, nisi multis limitationibus circumscriptam. Præterea in Vita S. Francisci Salesii, descripta a Petro Hyacintho Gallizia *lib. 2. c. 32.* atque in alia alterius Auctoris, relata a Gobat *Theologiæ experim. tr. 7. casu 8. n. 370.* legitur eum ad Episcopatum promotum, coram Clemente VIII. examen subiisse, promovendis ad Episcopatum ab eodem Pontifice indictum, atque inter quæstiones eidem propositas, de hac fuisse a Pontifice interrogatum: *Possitne Episcopi ab hæresi absolvere?* Respondit Salesius: *Posse, virtute facultatis iisdem factæ a Tridentino*. At aliam sibi mentem, aliam esse voluntatem, mox subjecit Pontifex; ad quod Salesius: *Siquidem hæc est mens Sanctitatis vestræ, eidem acquiesco, atque a mea sententia recedo*. Idem nec semel decisum est a Sacris Urbis Congregationibus, quarum ministerio solent Pontifices mentem suam manifestare: ita quippe declaratum a Sacra Congreg. S. Officii, testantur Pœnia, Romanæ Rotæ Auditor, *in notis ad Eymericum 3. part. q. 92. comment. 141. §. Equidem*, & Card. Albitius, qui ejusdem Congregationis Assessoris munus obierat, *in suo tract. de inconstant. in Fide cap. 25. nu. 4. & seqq.*; idemque responsum datum a Sacra Congreg. Concilii, narrant Fagnanus in cap. *Quoniam*, n. 29. *de Constitutionibus*, & in cap. *Dilectus*, n. 30. *de tempor. Ordinat.* ac Cardin. Petra *in comment. ad Constit. 18. Innocentii IV. to 3. n. 19. & seqq.* Quocirca Suarez, qui *in tract. de Censuris disp. 21. sect. 3. nu. 5.* probabilem censuerat opinionem Episcopis favorabilem; cum postea diligentius expenderet allegata Summorum Pontificum, Sacrarumque Congregationum responsa, e priori sententia recessit; & *in tract. de Fide disp. 21. sect. 4. n. 13.* aperte docuit, nulla probabili ratione posse hodie astrui Episcopis potestas absolvendi ab hæresi; & Cardin. de Lugo *cit. sect. 3. §. 1. n. 46.* post quæstionem in utramque partem versatam, eadem respiciens Decreta, concludit: *Mihi moraliter certa est Pontificis mens, & sensus Romanæ Curiæ, in qua omnes Pontificis Ministri pro certo supponunt, singulis annis, denuo eam facultatem Episcopis auferri, & ea solum de caussa, ad eamque finem, addita esse in Bulla Cœnæ verba illa, quibus revocantur facultates concessæ, etiam per cujusvis Concilii Decreta.* Ac denique Fagnanus in cit. cap. *Dilectus* nu. 30. postquam indicatam retulit declarationem editam a Sacr. Congreg. Concilii, ait: *Unde frustra nonnulli ex recentioribus Theologis hunc articulum in controversiam adducunt, cum habeamus claram determinationem Sacræ Congregationis.*

„ Sed Majorem adhuc firmitatem huic sententiæ adjecit Alexander VII., cum die 24. Septembris 1665. hanc, inter ceteras, propositionem proscripsit: *Sententia asserens, Bullam Cœnæ solum prohibere absolutionem hæresis, & aliorum criminum, quando publica sunt, & id non derogare facultati Tridentini, in qua de occultis criminibus sermo est, anno 1629., 18. Julii, in Consistorio sacræ Congregationis Eminentissimorum Cardinalium, visa, & tolerata est.* Fatemur quidem damnationis telum non directe confodere opinionem, asserentem Episcopis auctoritatem absolvendi ab hæresi occulta, sed solum directe perstringere quorumdam audaciam, & imposturam, qui, ut eamdem opinionem, validissima fulcirent auctoritate, in vulgus jactabant, eam a sacra Congregatione examinatam, omnem evasisse censuram, ut advertunt Salmaticenses *in cursu morali, t. 4. tr. 18. de privilegiis, c. 4. §. 11. n. 163.*, & Milante *exercit. 3. in 3. propositionem damnatam ab Alexandro VII. pag. 16.* At nihilominus nemo facile inficiabitur damnationis ictum, grave vulnus indirecte infixisse etiam opinioni, quam sui Auctores prædicta impostura tutabantur; parum enim sollicitus fuisset Pontifex de præcipuo evertendo argumento, quo ea fulciebatur opinio, si illam quoquo modo probabilem, ac tolerabilem reputasset, quemadmodum ratiocinatur Dominicus Viva *in eamdem 3. propositionem Alexandri VII.*, recte inde inferens, prælatam opinionem, a sua probabilitate, si quam antea haberet, plurimum saltem fuisse deturbatam.

Potestatem, de qua hactenus disseruimus, aliis innixi argumentis, suæ gentis Episcopis vindicare conantur plures Auctores Galli, quos sequuntur Tournely, seu verius Continuator *Theolog. moralis ejusdem, t. 2. tr. 3. de censuris, part. 1. pag. 471. edit. Venet.*, & Pontas *V. Casus reservati, cas. 4.*: aliqui enim, teste Thomassino *de vet. & nov. Eccles. discipl. part. 1. l. 2. c. 13. n. 8. §. Accessit*, eam in Galliarum Præsules derivatam volunt a consuetudine, tacito Romani Pontificis consensu roborata, quæ jamdiu obtinuit, ut Episcopi occultos Hæreticos in foro Sacramentali absolvant: *Absolvunt tamen* (ait Thomassinus) *Episcopi Galliarum, non contradicente, adeoque, ut ex regalis juris ipsi interpretantur, consentiente Pontifice*: alii vero cum Gibert *in suo tract. de usu Ecclesiæ Gallicanæ in materia censurarum, tit. 17.*, ideo per Bullam Cœnæ, non revocatam defendunt Gallicanis Episcopis auctoritatem absolvendi ab hæresi occulta, iisdem concessam à Tridentino, quia præfata Bulla, ut ipsi ajunt, & pluribus suadere conatur Gibert, numquam fuit in Galliis recepta.

Verum neque ejusmodi argumenta tantæ sunt efficacitatis, ut illud evincant, quod prædicti Auctores contendunt: etenim quod spectat ad non acceptationem Bullæ Cœnæ, mirum est, non vidisse Gibertum, ejusmodi argumentum in ipsum retorqueri; nam sicuti in Galliis, uti Gibertus, ejusque Asseclæ ajunt, neque promulgata, neque usu recepta umquam fuit Bulla Cœnæ, ita pariter, iisdem asserentibus, nec publicatum, nec receptum ibidem fuit Concilium Tridentinum, quoad decreta respicientia disciplinam: *Episcopi autem illarum regionum, in quibus Concilium Tridentinum adhuc receptum non est, non possunt uti facultate concessa in hoc decreto*, scilicet *c. 6. sess. 24.* de quo disputabatur, rescripsit sacra Congregatio Concilii, apud Cardinalem de Lugo *cit. disp. 23. sect. 3. §. 1. n. 54.* Equidem cum facultas absolvendi ab hæresi occulta, unice ex Concilio Tridentino, in Episcopos demanaverit, non potuit illam participare, qui Tridentino aditum in suam diœcesim occlusit; neque æquum est, ut id commodi ex Concilio reportent, qui ejus onera subire detrectant, quemadmodum cum eodem De Lugo, ad rem prosequuntur Doctores congesti a Sanchez *cit. lib. 2. in Decalogum, c. 11.* atque a Barbosa *ad cit. cap. 6. sess. 24. n. 3.*

Quod vero attinet ad consuetudinem, tacito Romani Pontificis consensu approbatam, quam in plerisque Galliarum diœcesibus jamdudum obtinuisse ajebat Thomassinus, ut earumdem Præsules passim ab hæresis crimine suos subditos absolvant; Thomassinum confundere suspicamur hæresim occultam, de qua est quæstio, cum hæresi ad Episcopi forum jam deducta, a qua jam præmonuimus jus esse cuilibet Episcopo, resipiscentem reum in utroque foro absolvendi; hanc porro suspicionem Nobis injiciunt Comitia Cleri Gallicani, anni 1585., ab eodem Thomassino indicata, quæ, teste Du Tata, communi suffragio rogandum statuerunt Pontificem, ut Episcopis, eorumque Officialibus veniam daret absolvendi Hæreticos, ad Ecclesiæ Catholicæ gremium redeuntes; necessarium etenim non fuisset, hanc facultatem pro omnibus Regni Episcopis a Pontifice efflagitare, si jam plerique illam, consuetudine, aliove modo, a se acquisitam ibidem exercuissent. Idem privilegium, quod omnibus concedi exoptarunt Cleri Comitia, non diu antea sibi fieri curaverant Patres Conciliorum Provincialium, Rothomagensis, anni 1581., & Turonensis, anni 1583.: primi siquidem, postquam decretum ediderant, quo astruebatur Episcopis potestas absolvendi ab hæresi, iisdem a Tridentino tributa; re melius considerata, eam potestatem, post Bullam Cœ-

„ næ,

nem, dubiam saltem, atque incertam agnoverunt, ac proinde sibi fieri a Pontifice postularunt, ita ad Gregorium XIII. scribentes: *Circa decretum de casibus reservatis, ubi dicitur in Concilio Tridentino, Episcopos absolvere ab hæresi, videtur contra Bullam de Cœna Domini, & reservationem factam per Dominos Pios Quartum, & Quintum. Sed plures potius manebunt in hæresi, quam propter eam mittant ad Sedem Apostolicam; & interea dum mittitur, & expectatur absolutio, multæ incidere possunt tentationes, & mutationes. Ideo humillime supplicant Episcopi, ut dignetur sua Sanctitas illis potestatem ex decreto Tridentino concedere*; huice vero precibus indulgendum censuit Pontifex, sed solum ad tempus, rescribens: *Pro necessitate provinciæ concedatur: ad tempus hæc facultas absolvendi, juxta decretum Concilii Tridentini, cui magis visum fuerit* (*collect. Harduin. tom. 10. col. 1256.*) Patres autem Turonenses (*eodem tom. 10. col. 1393.*) in Synodi proœmio *cap. 2.* sanxere: *A sua Sanctitate, cujus judicio, & censuræ omnia in præsenti Concilio sancita, & definita subjiciuntur, supplex Synodus, quam potest efflagitat obnixe, ut Episcopis provinciæ, eorumque Vicariis, Officialibus, & Pœnitentiariis, facultatem ab hæresi absolvendi, ac Hæreticos Ecclesiæ restituendi iis interdictam, concedere dignetur: quo facilius hæresis labe infecti, eadem ejurata, ad Ecclesiæ Catholicæ gremium revertantur.* Habemus igitur viginti Patres Gallos, septem videlicet, qui Concilio Rothomagensi, & tredecim, qui Turonensi, vel per se, vel per suos Procuratores interfuere, præter plures Abbates, & Procuratores Capitulorum, qui eorumdem Conciliorum decretis subscripsere, quibus persuasum fuit, virtute Bullæ Cœnæ, vetitum sibi esse uti facultate Episcopis facta a Tridentino, & occultos Hæreticos, sine speciali Pontificis venia, Ecclesiæ restituere. Idem universum sentiunt aliarum nationum Episcopi, qui non audent Hæreticos a censurarum nexu absolvere sine speciali privilegio summi Pontificis, a quo illud & petere, & impetrare soleat, quod de Episcopis Germaniæ testantur Gobat *Theolog. experim. tr. 7. cas. 8. num. 375.*, & Reiffenstuel *ad cit. 7. lib. 5. Decretal. num. 397.* De Episcopis vero degentibus in Anglia, Hibernia, & Hollandia, refert Arsdeckin *Theol. tripartita tom. 2. p. 2. tr. 2. c. 5. §. 1. 5. & 6.*

„ Judicent nunc alii Antistites, an ipsi valeant, sine temeritatis nota, tot illustrium, & amplissimorum Præsulum exemplis contraire, eamque auctoritatem sibi arrogare, atque etiam in Synodo ostentare, quam primæ Sedi reservatam sacræ Urbis Congregationes, ac ipsimet summi Pontifices, non semel declararunt, omnesque fere Theologi, sacrorum Canonum Periti, paucis quibusdam exceptis Episcopis, per bullam Cœnæ ablatam docent. Neque quoad hoc postpositos se credant Inquisitoribus, sicuti nonnullos Episcopos conqueri audimus, quasi Inquisitoribus illa detur facultas, quæ ipsis denegatur. Etenim (uti jam prænotavimus) aut sermo est de Hæretico, ad forum judiciale deducto, sive sponte suum delictum ad idem forum deferente; & tam Episcopus, quam Inquisitor potest illum, pro utroque foro absolvere, & in Ecclesiæ gremium recipere; aut sermo est de Hæretico occulto, & istum neque Episcopus, neque Inquisitor potest solvere a vinculo excommunicationis, qua coram Deo, atque in foro conscientiæ est innodatus, ac propterea Cardinalis Albitius *citat. capit. 25. numer. 16.* opportune, & fortasse ad prædictam præoccupandam Episcoporum querimoniam, scripsit: *Quod dictum est de Episcopis, idem dicendum est de Inquisitoribus, qui nullo modo habent facultatem absolvendi Hæreticos in foro conscientiæ*; idemque animadvertit Cardinalis Petra *loc. citato num. 28.* inquiens: *Quamvis autem Inquisitores ab hæresi, in foro judiciali absolvere possint, & talis absolutio pro utroque foro suffragetur, uti dixi; in foro tamen conscientiæ ejusmodi facultatem non habent, nec expedit, ut habeant*: Equidem non ignoramus, quod refert Pallavicinus *in hist. Concil. Trident. lib. 23. cap. 10. num. 4.*, optasse olim Oratores Hispanos, & Lusitanos, ut in eo ipso decreto *cap. 6. sess. 24.* quo data est Episcopis potestas absolvendi ab hæresi occulta, prohiberentur iidem, hac potestate uti in Regnis, & locis, ubi est Tribunal Inquisitionis; ex quo plerique conjiciunt, Inquisitoribus Hispaniæ, & Lusitaniæ idem jus jam antea fuisse, quod a Tridentino fuit etiam Episcopis concessum; secus quippe (ajunt) nulla fuisset ratio, cur præfati Oratores vellent a decreto excipi loca, in quibus viget Tribunal Inquisitionis. Scimus præterea nonnullos Doctores congestos a Diana *in edit. coord. t. 5. tr. 8. resolut. 19. & 20.* opinari eamdem facultatem in iisdem Inquisitoribus etiamnum perseverare. Verum quidquid sit, an Inquisitores, præsertim Hispaniæ, & Lusitaniæ auctoritatem umquam habuerint absolvendi, in foro Sacramentali ab hæresi occulta, quod probabilius negat Thomas Del Bene *de offic. S. Inquisit. p. 1. dub. 57. n. 11. & seqq.*, certum est eam per Bullam Cœnæ esse revocatam, nec posse ab iisdem usurpari, nisi speciale privilegium obtineant a Sede Apostolica, quemadmodum ex iis, quæ de Episcopis diximus, plane deducitur, aliisque allegatis docent Barbosa *de offic. & potestat. Episc., allegat. 40. n. 28.* Del Bene *num. 13. & seqq.* ac Cardinalis Petra *cit. loc. n. 29.* „

§. II. *Adoratio, & Invocatio Dæmonis expressa, &c.*

30. ADoratio Dæmonis expressa reducitur ad Idolatriam, quæ est species superstitionis: Invocatio autem Dæmonis contingit, quando quis sibi, aut aliis auxilium, & favorem postulat a Dæmone, ipsum invocando. Quæ quidem invocatio potest esse expressa, aut tacita: invocatio expressa contingit, quando quis expresse Dæmonem invocat in sui auxilium, seu quando mente, corde, aut vocibus, seu verbo Dæmonem vocat in auxilium, vel quando aliquid fit ex expressa intentione, ut Dæmon se immisceat: tacita, & virtualis invocatio contingit, quando non rogatur verbo, aut facto expresso, sed tacite utendo maleficiis, & remediis superstitiosis de Sagarum consilio, vel utendo mediis nullam virtutem, aut vim habentibus naturaliter, nec ex instituto divino, seu Ecclesiastico, sed Dæmoniaco. Ad hanc tacitam invocationem fere omnes reducuntur species superstitionis, cujusmodi sunt divinatio, vana observantia, Magia, & Maleficium.

31. Superstitio est *Vana, & falsa Religio, seu cultus vitiosus, quo vel colitur creatura cultu Divino, vel colitur Deus modo indebito*, estque vitium Religioni oppositum, cujus duo genera assignantur: primum est cultus indebiti, & dupliciter contingit; primo, quando quis tribuit Deo cultum falsum, & perniciosum, ut si quis nunc Deum coleret per Sacrificia, & Cæremonias antiquæ legis, quæ significabant Christum venturum, aut quando quis Officio divino admisceret turpia, si fingeret falsa miracula, revelationes, aut falsa Reliquias proponeret adorandas; si mutaret materiam, aut formam Sacramentorum, quæ omnia ex suo genere sunt mortalia, quia continent falsam significationem circa Doctrinam fidei, & notabilem irreverentiam in Deum. Ita Lessius, Suarez, Malderus, Tambur. Tarreblanca, quos affert, & sequitur Leander *tr. 9. in Decal. disp. 1. q. 3. 4. & seq.* Secundo, quando quis tribuit Deo cultum vanum, & superfluum, ut si Religionem poneret in iis rebus, & circumstantiis, in quibus non est ponenda, ut in numero, colore, situ, idest tot Candelas esse adhibendas, non plures, nec pauciores, talis coloris, & tali dispositione positas; vel si in Missa, aut in Officio vellet minuere, seu addere Cæremonias non approbatas ab Ecclesia, & hæc superstitio superflui cultus potest esse peccatum mortale, aut veniale, prout magnam, seu parvam habet adjunctam irreverentiam, & Ecclesiasticorum rituum mutationem. Ita Doctores communiter, quos affert, & sequitur Ant. a Spiritu S. *tr. 4. in Decal. disp. 2. n. 50.*

32. Alterum superstitionis genus est, quando cultus soli Deo debitus tribuitur Creaturæ, & Dæmoni, & hujus species sunt Idololatria, Divinatio, vana observantia, Magia, & Maleficium.

33. Idololatria, quæ est præcipua species superstitionis, maximumque peccatum, sic dicitur quasi *Idololatria*, seu Idolorum cultus, quo Idola, quæ nullam habent divinitatem pro vero Deo colantur, & generaliter contingit, quando cultus soli Deo debitus tribuitur Creaturæ. Potest autem dupliciter hic cultus Deo debitus tribui Creaturæ; primo si vere credas in creatura residere divinitatem, ob quam cultu Divino sit colenda; secundo si cognoscas, & scias, nullam adesse divinitatem in creatura; vis tamen illi divinum cultum tribuere ob aliquam peculiarem rationem, seu speratam utilitatem. Quocumque modo contingat Idololatria est peccatum gravissimum contra Religionem, quod neque metu mortis excusari potest, cum sit res intrinsece mala, ut omnes communiter admittunt. Si contingat Idololatria cum errore in intellectu contra fidem, tunc habet conjunctam hæresim, & excommunicationem reservatam in Bulla Cœnæ; non sic si errorem non habeas in intellectu, sed solum ex pravo voluntatis affectu divinum honorem tribuas Dæmoni, ut aliquid ab eo obtineas: in foro tamen exteriori præsumeris excommunicatus, quia forum externum præsumit, te ex animo coluisse. Ita cum Sayro, Suario, Bonacina, Trullenc., & aliis Ant. a Spiritu S. *tr. 4. in decalog. disp. 2. n. 57.* Lessius, Sanchez, Azor. Pegna, Tolet, quos affert, & sequitur Homobonus *p. 2. de casib. reservat. c. 2. & de exam. p. 1. tr. 7. c. 1. q. 4.*

34. Adest alia species Idololatriæ mere externa, & minus propria, quæ contingit quando quis animo ficto Idolum colit, ut tormenta, & mortem evadat, non putans, eum esse Deum, nec intendens eum colere tamquam Deum, quæ tamen & ipsa est peccatum grave; nam opere externo divinum honorem tribuit creaturæ, estque externa falsæ fidei confessio, a qua tenemur abstinere ex præcepto negativo; ut fusius diximus in explicatione primi præcepti Decalog.

35. Divinatio, prout sumitur in præsenti, est rerum occultarum, vel futurarum cognitio, & prænuntiatio, quæ humana vi, & arte sciri non possunt, sed ex pactu cum

Dæmo-

Dæmone inito illæ innotescunt. Ita ex D. Thoma 2. 2. *q.* 95. *art.* 1. tradit cum aliis Homobonus supra *citatus*, & dicitur Divinatio, quasi *divina actio*, quia Dei propria est futurorum cognitio, sicut etiam internarum cogitationum, vel affectionum cordis, & humanarum actionum occultarum cognitio, juxta illud Isaiæ 41. *annuntiate quæ ventura sunt in futurum, & sciemus quia dii estis vos*; & 2. Paralip. 6. *Tu solus nosti corda hominum*. Potest Dæmon plura certo, aut probabiliter cognoscere, eaque revelare; alia vero quæ cognoscere non potest, si revelat, mentitur, & decipit.

36. Hæc divinatio dupliciter contingit, primo per expressam Dæmonis invocationem, & pactum cum eo initum: secundo per invocationem, & pactum tacitum. Primo modo contingit quando quis expresse Dæmonem invocat ineundo cum eo pactum, quo se obligat ad obsequium Dæmonis, si res occultas manifestat, & hoc pactum fit aliquando cum sollemnitate, aliquando sine illa: cum sollemnitate fit quando Dæmon apparet in similitudinem Monarchæ in forma visibili multis stipatus Dæmonum catervis, in solio sedens, coram quibus utrinque fiunt promissiones. Homo promittit se negaturum Deum, omnia Sacramenta, & res Sacras se numquam in Sacramentali judicio integre confessurum, & præcipue hoc initum pactum numquam se proditurum; Dæmon e contra promittit futura, & occulta illi revelaturum, & votis ejus integre satisfacturum; sine sollemnitate fit quando qui solus cum solo Dæmone pactum init, & si non audet coram Dæmone apparere, per alium Maleficum hoc promittit, vel quando nititur signis, & factis, quibus scit Dæmonem respondere, & manifestare occulta.

37. Divinatio cum pacto implicito, & tacita Dæmonis invocatione fit, quando quis sperat consequi cognitionem rei occultæ, usurpando media vana, & inutilia, nullam habentia connexionem cum tali re, nec virtutem illam manifestandi; cum enim Deus hujusmodi signa, & media non instituerit, nec Sancti Angeli aliquid revelent hominibus sine voluntate Dei, qui hujusmodi signa, & media adhibet, censetur rei occultæ cognitionem expectare ab ipso Dæmone, ipsumque tacite invocare. Nec obstat quod hujusmodi Divinatores expresse fateantur, se nolle Dæmonem invocare, nec pactum aliquod cum illo inire; nam serio utendo mediis hujusmodi vanis, & inutilibus nullam habentibus connexionem, nec virtutem sive divinam, sive naturalem res illas occultas manifestandi, convincuntur ipso facto velle a Dæmone doceri, & ipso facto Dæmonis opem implorant, quamvis verbis contrarium dicant, ut bene advertunt Lessius *lib.* 2. *c.* 43. *dub.* 8. *n.* 52. Bonacina *disp.* 3. *de primo Decal. præcepto q.* 5. *punct.* 3. *num.* 6. Leander *q.* 7. & alii communiter.

38. Hæc Dæmonis invocatio sive tacita, sive expressa gravissimum peccatum est, a quo non excusat parvitas materiæ, & illius malitia in eo consistit, quod per illam initur consortium, & societas cum Dæmone perpetuo Dei hoste, homo se subjicit ejus disciplinæ, ut ab eo res occultas doceatur, quod est ipsum honorare, & a Deo deficere. Sic Lessius *dub.* 5. *n.* 27. Leander *q.* 8. Antonius a Spiritu S. *loco cit.* 65. Mazuchellus *de casib. reser. disp.* 2. *c.* 10. *diffic.* 5. & alii apud ipsos, dummodo tamen media vana, & inutilia sint, quibus serio utaris ad cognitionem occultorum habendam: nam si illis mediis utaris joci caussa, ut experiaris quid casu accidat, quidve tale signum designet, credens totum esse futile, & vanum, non erit peccatum mortale, cum deficiat animus superstitiosus indagandi occulta, & erit vanitas potius, quam superstitio, ut docent Suarez, Valentia, Sayrus, Delrius, Sanchez, & Bonacina, quos affert, & sequitur Leander *tr.* 9. *de vitiis Relig. opposit. disp.* 2. *q.* 12.

39. Plures assignantur species, seu modi divinationis, juxta diversitatem rerum, quæ ad divinationem assumuntur, ut proinde alia sit Necromantia, alia Geomantia, Hydromantia, Pyromantia, Astrologia, Aruspicium, Omen, Chyromantia, &c. de quibus late Delrius *l.* 4. *disquis. mag. c.* 2. *q.* 6. & 7. Mazuchellus *de casib. reserv. disp.* 2. *c.* 10. *difficult.* 3. Leander *supra q.* 27. & *seqq.* a quibus explicandis abstineo, quia non differunt in specie morali, sed dumtaxat materialiter, & in genere entis, ea ratione, qua solum materialiter, & in genere entis differunt furta auri, argenti, vestium, aliarumque rerum pretio æstimabilium. Ratio est, quia quocumque modo fiat divinatio, sive per aquam, sive per aerem, sive per ignem, eamdem semper habet deformitatem, eamdemque oppositionem cum ratione, siquidem in eo, quod a Dæmone inquiras, & expectes cognitionem rerum occultarum, seu futurarum: unde non erit necesse in Confessione explicare modum, seu rem, per quam facta est divinatio: & probabilius etiam non erit necesse explicare, an fuerit cum pacto expresso, vel tacito. Ratio est, quia probabilissimum est, non esse necessario exprimendas in Confessione circumstantias aggravantes, sed solum mutantes speciem; at valde probabile est, divinationem cum pacto expresso non differre specie a divinatione cum pacto tacito, quia idem jus est taciti, & expressi *l. de quibus in fine ff. de leg. & l. cum quid ff. si certum petatur*; ergo non debet explicari, an divinatio fuerit cum pacto tacito, vel expresso: & ita tenent Mazuchellus *sup. diffic.* 6. ubi citat Cajet., Sotum, Azor. Suarium, Sanchez, & Bonacinam; nisi forte cum expressa Dæmonis invocatione conjuncta sit hæresis, Idololatria, vel alia circumstantia necessario exprimenda, quod quia frequenter, & ut plurimum accidere solet, ideo semper explicandum erit in Confessione, an divinatio fuerit cum pacto expresso. Ita cum aliis Leander *q.* 13. Ant. a Spiritu S. *n.* 64.

§. III. *De aliis speciebus Superstitionis.*

40. QUarta species Superstitionis est vana observantia, quæ tunc contingit, quando ex mediis inutilibus, & a divina providentia minime constitutis, procuratur aliquis effectus; cum enim non habeas fundamentum sperandi effectum ex virtute naturali, nec divina, sequitur illum sperari ex tacito pacto Dæmonis. Differt vana observantia a divinatione, quod ista sistat in sola cognitione rerum occultarum; illa vero tendat ad effectum externum obtinendum, seu vitandum, & hujus quatuor species assignantur, nimirum Ars notoria, observantia Sanitatum, observantia futurorum eventuum, & observantia Reliquiarum.

41. Ars notoria est superstitio quædam, qua quis credit, se consecuturum scientiam absque labore per quasdam orationes, & jejunia, adhibitis inspectionibus quarumdam Figurarum, prolatione quorumdam verborum ignotorum, quæ omnia de se vana sunt, & inutilia, nisi cum ope Dæmonis conjungantur. Hanc superstitionem esse peccatum de genère suo grave ex eo constat, quod saltem tacita Diabolus invocatur, eique tribuitur potestas scientias infundendi, quod est proprium solius Dei. *An vero licitum sit uti scientia acquisita ope Dæmonis?*

Resp. affirmative, dummodo ejus conservatio, & usus non dependeat a Dæmone, quia talis usus est de se bonus. Ita cum Suario, Bonacina, Trullench., Palao, Ant. a Spiritu S. *sect.* 4. *n.* 69.

42. Observantia Sanitatum est, quando homo ad Sanitatem obtinendam vana quædam, & inutilia media sumit, ut sunt quædam verba, signa, cæremoniæ, aliaque similia vana, & inutilia, quibus sæpe homines utuntur ad vulnera, morbosque curandos, sive hominum sive jumentorum, ad sistendum sanguinem, ad se reddendos immunes contra hostium læsiones, vel casus fortuitos; cum enim hæc media nullam habeant efficaciam respectu illorum effectuum, sequitur ex pacto tacito, vel expresso Dæmonis provenire, estque de se peccatum grave, nisi excuset ignorantia invincibilis.

43. Ad hanc superstitionem reducitur modus ille curandi vulnera in loco etiam distanti adhibendo medicamentum, quod vocant *sympathicum*, cum quis nimirum pulvere illo sympathico medetur pannum sanguine perfusum, aut gladium adhuc sanguinolentum, ad curandum vulnus existentis in loco distanti; at hunc modum esse superstitiosum inde patet, quod effectus curationis non potest provenire a caussa creata, quæ naturaliter non potest operari in distans. Deinde quia si medicamentum applicatum panno, aut gladio sanguinolento prodest vulnerato: ita venenum eodem modo applicatum debebit obesse, & mortem afferre, cum non sit major ratio, quare sanguinis sympathia transfundat efficaciam medicamenti, & non virtutem veneni: & ita tenent Tambur. Bonacina, Trullench, Delrius, Sanchez, quos affert, & sequitur Leander supra *disp.* 1. *q.* 38. Homobonus supra *de Observantia Sanitatum*, ubi affert aliquos excusantes, quia nondum est decisum an talis modus curandi sit superstitiosus, quamvis hoc teneant magis communiter Doctores.

44. Observantia futurorum eventuum est, quando ex fortuito, & casuali rerum aliquarum impertinentium occursu, aliquid prosperum, vel adversum sibi aliquis ominatur, ut si domo egrediens pedem offendat, timeat iter infaustum fore, & ideo domum revertatur, ut omen avertat; si domo egressis primo occurrat Virgo, putant illum diem futurum sterilem; si vero occurrat Meretrix, futurum fœcundum, & prosperum: ad hunc superstitionem spectant, qui inter ludendum locum mutant, vel sancti/per surgunt ad malam fortunam, ut ajunt, abjiciendam, vel qui dies aliquos faustos, & alios infaustos putant. Hujus generis superstitio, ut plurimum, est solum peccatum veniale, nisi forte quis monitus illis pertinaciter adhæreat, nam tunc peccaret mortaliter. Ita Lessius *l.* 2. *c.* 43. *dub.* 16. *n.* 65. Sanchez *l.* 2. *in sum. c.* 40. a *n.* 14. *usque ad* 21. Homobonus *supra citatus*.

45. Observantia Reliquiarum est, quando quis gestat secum Reliquias, Brevia, aut alias Orationes, certo modo, & cum certa circumstantia, ratione cujus putat esse valde utiles ad tales fines; nam revera talis circumstantia inutilis est: ut si collo appensum deferat Evangelium descriptum in carta, ut dicunt, virgine, cum quibusdam signis inutilibus, vanis & superstitiosis, vel alias Orationes tali modo scriptas, tali caractere, aut tali modo complicatas, seu efformatas, & credunt, se ab hostium invasionibus esse omnino securos, & nullo modo offendi posse; quæ omnia superstitiosa sunt, & peccaminosa, juxta illad Psalmi 38.

Odisti

Odisti observantes vanitates supervacue: Ego autem in Domino speravi. Rejectis tamen superstitionibus, licita est gestatio Reliquiarum, Evangeliorum, & Orationum, ut docent Lessius, Mazuchellus, Homobonus, & alii communiter.

46. Magia, quæ nihil est aliud, quam ars quædam mira, & insolita faciendi, dividitur in naturalem, & superstitiosam. Magia naturalis est ars quædam operandi mira per caussas naturales absque Dæmonis ope: hæc per se non est mala, nisi per accidens, quia facile illi miscentur plura superstitiosa, & inde evadit semper periculosa, quia facile sub specie caussæ naturalis Diabolus se immiscet, & fiunt a Diabolo, quæ tribuuntur caussæ naturali. Magia superstitiosa est ars quædam mira, & insolita operandi, ope Dæmonis per signa ab eo instituta; quæ quidem, si non excedunt potestatem, & virtutem Dæmonis, possunt ab eo fieri, sic Deo permittente; si vero excedunt, vel Dæmon mentitur, vel decipit illudendo sensus humanos, magia superstitiosa est de genere suo peccatum mortale, quia continet tacitam, vel expressam Dæmonis invocationem, nec datur in illa parvitas materiæ, quia parum interest, quod in re parva, aut in re magna Dæmon invocetur.

47. Maleficium est ars nocendi aliis ope, ac potestate Dæmonis, differtque a magia proprie dicta, quod ista sistat in sola ostensione signorum, & effectuum mirabilium; maleficium autem tendat ad noxam aliis inferendam, & est duplex: aliud amatorium, aliud veneficum. Amantorium est, quo malefici utuntur ad excitandum amorem carnalem, vel odium, Dæmone phantasiam hominis commovente, & immutante. Veneficum est illud, quo homini, aut aliis animalibus nocumentum corporale infertur; est peccatum gravissimum, quia continet tacitam, vel expressam Dæmonis invocationem, & sæpe etiam conjungitur cum hæresi, idololatria, vel apostasia a fide: nam Strigæ in principio suorum scelerum pactum cum Dæmone ineuntes, solent fidem abnegare, & Dæmones adorare: ac proinde ipsarum crimen spectat ad Inquisitores, ad quos sunt deferendæ tamquam suspectæ in fide.

48. *An vero licitum sit cuilibet tollere, & comburere signa maleficiorum inventa, puta capillos, ligaturas, nodos, & alia signa malefica posita a Maleficis, eo fine, ut Diabolus desinat nocere?*

Resp. affirmative, quia per destructionem talis signi nec pactum, nec amicitia cum Dæmone confirmatur, aut de novo initur, nec honos aliquis illi exhibetur; quinimmo Dæmon ipse contemnitur, & ob id signum ipsum comburitur: & inde non solum licitum est signum destruere, sed, ut ait Sanchez *lib. 2. in Decalog. cap. 41. n. 22. tenetur Maleficus, vel quicumque alius id efficere: ille quidem tamquam damnificator lege justitiæ; hic autem lege caritatis, si commode potest, nisi sit Minister justitiæ; tunc enim lege justitiæ; quæ ex se patent*. Et ita tenent Doctores communiter, quos dabit Leander *tr. 9. Decal. disp. 3. quæst. 22.*

49. Licitum etiam est petere a Saga, & Malefico, ut signa tollat, & maleficium solvat, quando solvi potest sine novo maleficio; secus non, quia in primo casu peto rem licitam, quam sine peccato Maleficus facere potest, & tenetur; secus in secundo casu, quia non sunt facienda mala, ut eveniant bona. Licet etiam petere a Malefico solutionem maleficii, quando certo constat illud licite, & sine peccato solvi posse, etiamsi Maleficus sine novo maleficio non sit soluturus, quia in isto casu petens, petit a Malefico rem de se bonam, quam licite, & sine peccato præstare potest, si velit: quod si non vult, sibi debet imputare, non petenti, qui non dicitur cooperari, sed permittere peccatum, ex fine amovendi a se, vel ab alio vexationem; quod est per se licitum, ea ratione, qua licitum est petere mutuum ab Usurario, qui non est daturus sine usuris, & juramentum ab Infideli, qui per falsos Deos est perjuraturus, quia nimirum rem bonam, & licitam peto, quam uterque sine peccato præstare potest, iste jurando per verum Deum, & ille non reportando usuras. Ita communiter Henriquez, Petrus, Ledesma, Sanchez, Suarez, Lessius, Bonacina, & alii, quos affert, & sequitur Leander *q. 26.* & Mazuchellus *q. 6. diffic. 1. n. 111.*

§. IV. *Quinam incidant in Casum reservatum?*

50. EX hucusque breviter delibatis, remissa pleniori explicatione ad primum Decalogi præceptum, facile colligitur, quinam incidant in hunc casum reservatum. Primo enim incurrunt, qui Idololatriam committunt, & cultum exhibent Dæmoni, etiamsi metu mortis hoc faciant, & nullum habeant errorem in intellectu. Si enim conjuncta sit Idololatria cum errore contra fidem, tunc peccatum habet adjunctam Excommunicationem reservatam in Bulla Cœnæ; si vero nullus adsit error contra fidem, peccatum reservatur Archiepiscopo nostro. Secundo, qui Dæmonem expresse invocant, & de futuris eventibus, aut de rebus occultis interrogant, vel auxilium, & favorem ab eo postulant.

51. Tertio incurrunt homines, seu mulieres, qui maleficium aliquod faciunt, & per maleficium damnum afferunt alicui in anima, in corpore, fama, aut rebus externis: non tamen incurrunt, qui mandant, consulunt, vel rogant Maleficos, ut faciant sua maleficia; nam reservatio imponitur facienti maleficium, non qui maleficio jam facto utuntur, ut cum Perez, Tamburino, & Bordono tenet Ant. a Spiritu S. *n.* 1031.

52. Quarto incurrunt qui in aliqua ex supra enumeratis superstitionibus abutuntur Sacramentis, aut Sacramentalibus; puta qui in aliqua superstitione abutuntur Hostia consecrata, vel qui adhibent Reliquias Sanctorum, Agnus Dei, Candelas benedictas, Aquam benedictam, Vestes Sacras, Corporalia, Oleum Sacrum Confirmationis, aut Extremæ Unctionis, signum S. Crucis, invocationem SS. Trinitatis, Nominis Jesu, vel B. Virginis Mariæ, pias Scripturas, Brevia ad collum appensa, ut Symbolum Apostolorum, Evangelium Sancti Joannis, vel alia verba Psalmorum in poculis amatoriis, veneficiis, sortilegiis, & aliis superstitionibus superius enumeratis quia hoc est abuti Sacramentis, aut Sacramentalibus ad finem superstitionis. Incidunt etiam qui artem notoriam exercent, & qui hominibus, seu animalibus restituunt sanitatem per superstitionem cum abusu rerum Sacrarum, quæ omnia docet Mazuchellus *disp. 2. cap. 10. quæst. 7.*

53. Incurrunt etiam qui ministerio Dæmonum, expressa illorum invocatione, maleficium tollunt, ut cum Maldero 2. 2. *tract.* 10. *cap.* 8. *dub.* 13. docet Homobonus. Item, qui sub Mappa Altaris apponunt ossa, cineres mortuorum, aut alia similia ad finem veneficii. Necnon Maritus, qui, ut maleficium dissolvat, per quod cum Uxore coire non potest, intra Annulum benedictum mingit, eo quod fuerit edoctus, tali pacto maleficium dissolvi, quia adest hic abusus rei Sacræ ad finem superstitionis, ut notat Mazuchellus.

54. Reservationem hanc non incurrunt, qui superstitionem simplicem exercent absque abusu Sacramentorum, aut Sacramentalium, quia non quælibet superstitio reservatur, sed ea tantum, quæ conjuncta est cum abusu rerum Sacrarum, ut quæ sæpissime reperitur conjuncta cum tali abusu, quia fere semper intervenit prolatio verborum Sacrorum, invocatio Dei, vel signum Sanctæ Crucis; ideo raro accidit superstitio, cui non sit annexa reservatio, quæ incurritur sive effectus intentus sequatur, sive non, quia reservatio principaliter respicit abusum rei Sacræ ad finem maleficii, qui abusus datur, etiamsi non sequatur effectus, ut bene notat Mazuchellus *num.* 125.

§. V. *Homicidium voluntarium, non solum quoad Committentes, sed etiam quoad Consulentes &c.*

55. HOmicidium communiter definitur, quod sit injusta hominis occisio. Dividitur in voluntarium, & casuale; voluntarium est illud, quod studiose, & data opera, & malo animo ex proposito committitur; & hoc dupliciter, primo per se, & directe, quando voluntas per se primo fertur in homicidium; secundo in caussa, quando voluntas non fertur quidem directe in ipsum homicidium, sed in aliud, quod est caussa homicidii: & quidem potest esse voluntarium in caussa proxima; ut si venenum præbeas, ex quo sequitur mors; si prægnantem graviter percutias, ex qua sequitur abortus; si quempiam graviter vulneres in capite, quamvis occidere non intendas; si enim mors sequatur, dicitur tibi voluntaria in caussa, cum sic percutiens mortem prævidere potueris, ut docent Barbosa *de potest. Episc. p. 2. alleg.* 39. Riccius *in praxi potest. Episc. resol.* 266. vel in caussa remota, ut quando in ebrietate prævidet homicidium; ebrietas enim esset tantum caussa remota homicidii.

56. Casuale est, quod casu, & præter intentionem accidit, ita quod occisio nec in se, nec in sua caussa fuerit intenta, nec prævisa; ut quando quis dans operam rei licitæ, & omni adhibita diligentia, præter intentionem sequitur mors alicujus casu prætereuntis. Datur etiam casuale mixtum, scilicet partim voluntarium, & partim casuale, quod ab imperitis Medicis culpabiliter committi solet, ut docet Homobon. *part. 2. de tertio casu reserv.* est enim casuale in se, sed voluntarium in caussa.

57. Ad cognoscendum, quinam incurrant hanc reservationem, solet tradi hæc regula generalis, ut homicidium voluntarium in se, aut in caussa proxima sit reservatum, non sic voluntarium in caussa remota, nec voluntarium mixtum, aut indirecte volitum, etsi sit prævisum, ut tradit Barbosa *de potest. Episc. allegat.* 52. *n.* 3.

58. Hinc incidunt in casum, qui dolo, malo animo, & studiose illicite occidunt aliquem sive fidelem, sive infidelem; tales enim proprie dicuntur homicidium voluntarium committere. Navarrus *cons.* 27. *& seq. tit. de Homic.* & *in Man. c.* 17. *n.* 24. Toletanus, Valentia, Graffius, Sayrus, Henriquez, quos affert, & sequitur Homobonus *de Casib. reserv. p. 2. c.* 3. Quod verum est, etiamsi volentem quis occideret; quia nemo est dominus suæ vitæ, & sic occidens vere committit homicidium. Secundo incurrit, qui graviter aliquem vulnerat, prævidens ex tali vulnere mortem sequi, quia tale homicidium dicitur voluntarium, & studiose commissum. Quod si percutiens vulnus solum, & non mortem intenderet, non ligaretur reservatione, etiamsi mors sequatur, quia tale homicidium diceretur potius casuale, quam voluntarium, nisi forte graviter vulneraret in capite, aut punctim feriret circa præcordia; nam, cum ex hujusmodi vul-

vulneribus soleat sequi mors, homicidium diceretur voluntarium in caussa proxima. Ita cum Bellochio Mazuchellus *c.7.q.2.n.107.*

59. Tertio incurrit reservationem, qui venenum alicui præbet, ex quo post aliquod temporis spatium sequitur mors, cum talis vere sit homicida, & gravius peccat veneno interficiendo, quam gladio, ut habent Grassius *in pra. xi lib.1.c.14. de homicid.* & Bellochius *de Casib. reserv. p.2. q.6.n.13.* & in jure non solum punitur pœna homicidii, sed etiam pœna lata contra proditores; nam qui veneno occiditur, proditorie occiditur, cum nullo modo possit se defendere, ut notat Homobon. *in explicat. tertii casus*; & qui veneno Clericum occideret, non solum contraheret irregularitatem, sed etiam excommunicationem, ut cum Chapeaville, Beja, Bonacina, docet Homobonus *loc. cit.*

60. Quarto incurrunt procurantes abortum fœtus animati, effectu secuto, etiamsi caussa vitandi scandali, vel declinandæ infamiæ hoc faciant. Azor. *q.3. lib.2.c.4.q.2.*; non enim sunt facienda mala, ut eveniant bona; quin etiam abortum procurantes fœtus animati, effectu secuto, incidunt in excommunicationem Episcopo reservatam a Gregorio XIV. Constit. quæ incipit: *Cum Sedes Apostolica*, & docet cum aliis Homobonus.

61. Quinto incurrunt, qui in duello aliquem occidunt, & præter reservationem incurrunt etiam excommunicationem Summo Pontifici reservatam, ut habetur ex motu Clement. VIII. adito an. 1592. incipit: *Illius vices*. Quod si duellum esset occultum, & non deductum ad forum contentiosum, posset Episcopus absolvere ab illa excommunicatione per facultatem sibi concessam a Trident. *sess. 24. c.6. de reform.* ut bene notat Sanchez *in Sum. lib.2. c.39. n.27.*

62. Sexto incurrunt, non solum qui homicidium committunt, sed etiam consulentes, mandantes, auxilium, vel favorem quomodolibet præstantes, effectu secuto, quia sic exprimitur in casu. Inde Judex, qui aliquem injuste damnat ad mortem, incidit in casum, quia mandat homicidium. Similiter, qui per falsum testimonium factum in judicio fuit caussa mortis, incidit in casum, quia est cooperator, & caussa mortis.

63. E contra vero non incurrit in casum reservatum ille, qui animo occidendi aliquem graviter vulnerat, vel etiam mutilat, seu debilitat illius membrum, si mors non sequatur, quia sic vulnerans, seu debilitans non potest dici homicida ad effectum incurrendi reservationem, licet incurrat irregularitatem. Nec qui intendendo solum vulnerare, si modum excedendo occidat, quia iste non voluntarie, sed casu dicitur illum occidisse, nisi forte vulnus intentum sit per se periculosum, & proxima caussa mortis, quia tunc homicidium dicitur voluntarium in caussa proxima.

64. Non incurrit, qui alterum sine peccato occidit; puta si quis cum moderamine inculpatæ tutelæ occidat aggressorem suæ vitæ, vel suæ pudicitiæ, quando aliter evadere non potest, vel si fuga esset illi nimis ignominiosa, qualis esse posset nobili, & illustri Viro, in casu, quo a rustico, & plebejo homine invaderetur, ut cum aliis tradit Mazuchellus *n.124.* quod verum est, etiamsi aggressus excederet moderamen inculpatæ tutelæ, & cum posset se defendere invasorem vulnerando, illum occideret, vel nollet fugere etiamsi posset, quia licet tunc peccaret occidendo, non tamen incurreret reservationem, quia cum homicidium non sit appensate, & studiose factum, dicitur potius casuale, quam voluntarium; eadem ratione non incurrit, quando inopinata, suborta rixa, quis ex subita ira alium occidit, quia tale homicidium cum non sit appensate, ex proposito, & de industria factum, dicitur potius casuale, quam voluntarium; & inde si delictum sit occultum poterit occidens impetrare dispensationem ab Episcopo, qui vigore Conc. Trident. *sess.24.c.6.* potest dispensare super irregularitatibus occultis contractis ex homicidio casuali, ut expresse docet Coninch *disp.18. dub.14. n. 151. de cons.* Didacus, Perez, Henriq. Rodriquez, Salzedo, Avila, & alii quos affert, & sequitur Mazuchellus *n.130.*

65. Non incurrit Mater, aut Nutrix, quæ puerum suffocant in lecto; si enim sufficientem adhibuere diligentiam, non peccant, cum illa suffocatio non sit voluntaria, nec in se, nec in caussa; si vero fuit omissa diligentia peccant quidem, sed non incidunt in casum, quia talis suffocatio dicitur potius casualis, quam voluntaria, cum non fuerit studiose præmeditata, nec ex animo deliberato caussata, prout requiritur ad reservationem; peccant tamen mortaliter, quia infantem exponunt prævisio periculo suffocationis, nisi forte ex aliis honestis circumstantiis excusentur, puta quia lectus satis est excelsus, & infans satis a parente, vel nutrice distet, vel quia infantis vociferatio, & implacabilitas hoc exigat, vel quia paupertate ita premantur, ut non habeant commodiorem locum, ut a frigore eum defendant; his enim concurrentibus excusantur a culpa lethali, & ab excommunicatione, quæ in aliqua Diœcesi ferri solet contra detinentes puerum in lecto, anno nondum completo. In Synodo Bononien. lib.2. c.2. de Baptis. sic decernitur: *Parochus baptizans moneat Obstetrices, ut Matribus, & Nutricibus referant, sive aliis Fœminis, quæ curam alendi, aut custodiendi puerum suscipiunt, ut per annum ab ortu in lecto retineant, ob periculum suffocationis sub pœna excommunicationis ferendæ.* Ita tenent Grass. Lazar. Gambaras, & Comitolus, quos affert, & sequitur Homobonus *p.2.c.3.except.13.*

66. Non incurrit mulier gravida, quæ studiose procurat abortum fœtus inanimati, aut conceptionem impedit, quia non est homicida: nec etiam incurrit mulier gravida, si accipiat medicinam directe tendentem ad curationem, cui per accidens sequatur mors fœtus animati, immo, etsi sumat medicinam æque tendentem ad vitam matris, & ad interitum fœtus, quia non est homicidium voluntarium, sed casuale: nec incurrit Medicus, ob cujus negligentiam, & culpam latam moritur ægrotus, quamvis ille mortaliter peccet, ac pœna irregularitatis cum onere satisfaciendi afficiatur, quia tale homicidium dicitur casuale, cum non sit studiose factum animo occidendi. Homobonus *except. 10.* & Mazuchellus *n.121.*

67. Qui occidit Paulum, putans occidere Petrum, quamvis peccet, non tamen incurrit reservationem; sicut non incurrit excommunicationem, qui occidit Clericum, putans occidere Laicum, quia homicidium circa personam Pauli, aut Clerici fuit mere casualis, & non ex animo, ac studiose factum, prout requiritur ad incurrendam reservationem homicidii voluntarii. Eadem ratione Maritus, qui occidit Uxorem repertam in adulterio, non incidit in reservationem, licet peccet mortaliter, quia est homicidium casuale, procedens ex furore iracondiæ, non studiose factum.

68. Denique non incurrit reservationem, qui graviter vulneravit, aut venenum propinavit, si, antequam sequatur mors, pœniteat, & confiteatur, prout diximus *supra c.8.dub.9.*

§. VI. *Incestus in primo, vel secundo Consanguinitatis &c.*

69. Sub isto casu continentur plures species luxuriæ, de quibus aliqua sunt præmittenda. Incestus hic sumitur pro copula consummata cum consanguinea intra gradus prohibitos, seu in quibus non potest matrimonium celebrari; estque grave peccatum continens duplicem malitiam, & deformitatem, aliam luxuriæ contra castitatem, aliam irreverentiæ, seu injuriæ erga consanguineos, vel affines, quibus incestuosus abutitur. Dixi inter gradus prohibitos, qui in consanguinitate, & affinitate orta ex copula licita extenditur usque ad quartum inclusive, in affinitata vero, orta ex copula illicita usque ad secundum tantum inclusive, ut communiter tradunt Doctores, explicando impedimenta Matrimonii, & nos infra dicemus.

70. Consanguinitas, seu naturalis cognatio, est vinculum seu propinquitas personarum descendentium ab uno, & eodem propinquo stipite per carnalem generationem contracta, ut proinde consanguinitas idem sit, ac sanguinis unitas; & consanguinei dicuntur, qui ex uno semine, & sanguine nati, ab eodem Stipite descendunt, ut sunt fratres, consobrini, & hujusmodi. Affinitas vero est proximitas personarum ex carnalis copula proveniens, omnis carens parentela, & contrahitur inter duas personas, quarum unus copulam habuit sive licitam, sive illicitam cum consanguinea alterius; per hoc enim quod Titius carnaliter cognoscat Bertam fit affinis omnibus consanguineis Bertæ in eodem gradu, in quo Berta est illis consanguinea, & Berta fit affinis omnibus consanguineis Titii; & dicitur affinitas quasi finium propinquitas, quia unus attingit consanguineos alterius.

71. Sodomia proprie dicta est præposterus coitus viri cum viro; minus proprie est præposterus concubitus viri cum femina, etiam uxore; quod crimen adeo grave est, ut qui illud perpetrant sive agendo, sive patiendo, jure civili capite plectantur, & post mortem igne concrementur.

72. Cognatio spiritualis latiori vocabulo ad incestum reduci potest, quia ultra peccatum luxuriæ continet specialem deformitatem irreverentiæ contra spiritualiter conjunctos. Definitur, quod sit propinquitas, seu attinentia quarumdam personarum ex statuto Ecclesiæ consurgens propter collationem Baptismi, aut Confirmationis, vel susceptionem recipientis hæc Sacramenta. Inde non oritur hæc cognatio Spiritualis ex aliis Sacramentis præter Baptismum, & Confirmationem, ut habetur *c. fin. in fine de cognat. Spiritu. in 6.* rationemque assignat D. Thom. in 4. *dist. 42. quodlib. 1. art. 2. ad 8.* quia licet reliqua Sacramenta conferant esse spirituale gratiæ, illud tamen non tribuunt per modum spiritualis regenerationis, sed per modum alimentationis, ut Eucharistia; aut sanationis, seu reconciliationis, ut Pœnitentia.

73. Non contrahitur hæc cognatio jure naturali, aut divino, sed dumtaxat jure Ecclesiastico, ex quadam analogia desumpta ex generatione naturali; sicut enim inter generantes, & carnaliter genitos oritur cognatio naturalis prohibens, & dirimens matrimonium inter ipsos contrahendum; ita voluit Ecclesia in spirituali generatione, & confirmatione, quæ habetur in Sacramento Baptismi, & Confirmationis, oriri attinentiam quamdam, & cognationem spiritualem prohibentem, & dirimentem matrimonium: fuitque specialiter reservatum in hac Diœcesi delictum peccantium cum Cognata spirituali, ne occasione

fami-

familiaritatis, quæ oriri solet inter Susceptores Puerorum in Baptismo, & Confirmatione cum illorum Matribus, aditus aperiatur liberius, & facilius peccandi, non sine magna Sacramentorum irreverentia, ut bene notat Lessius *lib.* 2. *c.* 45. *dub.* 3.

74. Contrahitur hoc vinculum, & cognatio spiritualis in Baptismo inter Baptizantem, & Baptizatum: inter Baptizantem, & Parentes carnales Baptizati: inter Susceptorem, & Susceptum: & inter Susceptorem, & Parentes carnales Suscepti; quod idem proportionaliter valet de Sacramento Confirmationis, ablatis per Trident. *sess.* 24. *cap.* 2. *de reform. Matrim.* reliquis gradibus, qui prius dabantur. His positis

§. VII. *Quinam incidant in hunc Casum reservatum?*

75. PRimo igitur in casum incidit, qui Consanguineam in primo, aut secundo gradu, vel Affinem in primo gradu carnaliter cognoscit, ut per se patet ex verbis reservationis. Quare qui copulam habet cum sua Matre, Sorore, Nepte, aut Consobrina in secundo gradu, ligatur hac reservatione. Item Maritus, qui cognosceret Sororem, aut Matrem, seu Filiam suæ Uxoris, propter affinitatem, quam habet cum illis, propter quam etiam amitteret jus petendi debitum a suo Uxore, & peccaret petendo ante obtentam dispensationem. Item qui cognosceret duas Sorores, vel Matrem, & Filiam, vel si cognosceret carnaliter cognitam a proprio Patre, vel Fratre, quia casus comprehendit affines tam ex copula licita, quam illicita. Ligatur etiam reservatione Maritus, qui, post copulam habitam cum Sorore suæ Uxoris, debitum peteret ab Uxore; eamque carnaliter cognosceret ante obtentam dispensationem; hæc enim copula, quamvis sit cum Uxore, est tamen incestus, cum sit cum affine in primo gradu, ut per se patet, &, aliis citatis, docet Mazuchellus *disp.* 2. *cap.* 4. *n.* 38.

76. Non incurrit reservationem, qui copulam habet cum Consanguinea in tertio, vel quarto gradu, & cum Affine in secundo, & ulteriori gradu; nec qui cum Consanguinea in primo, & secundo gradu, & cum Affine in primo tactus habet impudicos, & amplexus libidinosos, etiamsi sequatur effusio seminis, sed extra vas, quia non est proprie incestus, quamvis seminatio contingat circa vas, adeoque ut pars aliqua seminis distillaret intra vas; nam ad incestum requiritur copula consummata, & completa, non utcumque, sed modo ex se apto ad generationem, alias non est incestus proprie dictus, sed peccatum contra naturam, quod proinde non est reservatum, etiamsi incestus sit reservatus.

77. Non comprehenduntur in isto casu, nec in aliis contentis sub numero quarto feminæ, nec mares ante pubertatem, id est ante annum decimum quartum, propter scandala, quæ possent oriri, si feminæ, aut masculi ante pubertatem deberent ad Superiorem recurrere pro absolutione obtinenda, & patet explicatione posita in libello Casuum reservatorum. Nec item comprehenditur ille, qui ignoranter incestum committit cum Muliere, quam invincibiliter ignorat esse Consanguineam, vel Affinem; nam ignorantia Consanguinitatis, vel Affinitatis tollit malitiam incestus, ac proinde reservationem. Sanchez *l.* 7. *de Matr. disp.* 15. *n* 9. *& lib.* 9. *disp.* 32. *n.* 44. Homob. *de quarto casu except.* 4.

78. Non incurrit hanc reservationem, qui sodomitice coiret cum Consanguineo, vel Consanguinea in primo, & secundo gradu, & Affine in primo; nam licet ibi sit abusus Consanguineorum, & Affinium, adeo ut debeat in Confessione explicari circumstantia personæ; tamen non est talis, ut sufficiat ad constituendum incestum proprie dictum, cum ibi non interveniat copula, & seminatio intra vas naturale, nec commixtio seminum requisita ad incestum proprie dictum, prout docet Navar. *in Manual. c.* 22. *n.* 42. Gamb. Chapeav. Flor. & Mazuchell. *n.* 44.

79. Secundo incidit in casum reservatum, quicumque sodomiam committit, etiam cum feminis, id est, qui etiam semel tantum præpostere cognoscit sive masculum, sive feminam, quia sic expresse decernitur ab Eminentissimo Archiepiscopo in casu proposito; requiritur tamen, ut actus sit perfectus, & in vase præpostere consummatus, quia secus non esset proprie sodomia, & per consequens nec casus reservatus, ut docent Homob. *c.* 4. *sect.* 5 *& in exam. part.* 1. *tr.* 7. *c.* 38. *q.* 114. Bonac. *de Matr. q.* 4. *pu.* 11. *n.* 2. Finellus, Graff. Chapeav. quos affert Diana *p.* 2. *tr.* 17. 3. *Miscell. resol.* 63. Inde non incurrit, qui peccatum nefandum inchoavit quidem in vase præpostero, sed extra vas illud consummavit, quia, ut dixi, reservatio intelligitur ex actu perfecto, & consummato.

80. *An vero reservatione ligentur masculi patientes sodomiam?* aliqui negant, quia patiens non dicitur committere sodomiam, sed pati; reservatio autem eos solum comprehendit, qui sodomiam commiserint, non vero qui passi fuerint, maxime quia patientes proprie non dicuntur Sodomitæ, sed Molles, juxta illud D. Pauli 1. Cor. 6. *Neque Adulteri, neque Molles, neque Masculorum Concubitores Regnum Dei possidebunt.* Et ita tenent D. Antoninus, & Graffius apud Dianam *p.* 2. *tr.* 17. *resol.* 64. Verum dicendum est, patientes sodomiam post annos pubertatis, id est post decimum quartum annum, ligari reservatione, quia tam patiens, quam agens proprie dicuntur committere peccatum sodomiæ. Quod si vim facias in verbo *committere*, quod actionem, non passionem designat, dico, illud non contineri in formula reservationis, ubi absolute reservatur *Sodomia*; hæc autem comprehendit tam passive, quam active concurrentes; & ita hucusque sensit consuetudo, & stylus istius Ecclesiæ Bononiensis, & tenent Homobonus *supra sess.* 5. *comprehensione* 4. Bonacina *qu.* 4. *de Matrim. p.* 11. Lugus, Bellochius, & alii, quos affert, & sequitur Mazuchellus *cap.* 22. *n.* 8.

81. Non ligantur feminæ sodomiam patientes, quamvis & ipsæ graviter peccent, & gravi pœna sint dignæ; nec item feminæ, quæ quovis modo ad invicem miscentur, quamvis illarum peccatum ab aliquibus reducatur ad sodomiam, quia intervenit commixtio personarum ejusdem sexus: non ligatur maritus, qui volens matrimonium consummare cum propria uxore, ut se excitet, aut voluptatis caussa copulam inchoat in vase præpostero, animo tamen consumandi intra vas naturale, quamvis graviter peccet peccato imperfectæ, & inchoatæ sodomiæ, ut docent Sanch. *l.* 9. *disp.* 17. *n.* 5. Homob. *excep.* 5. Bonac. *sup. n.* 12. contra Navarrum *cons.* 7. *de pænit. & remiss.* ubi solum venialem culpam in eo actu agnoscit, id est culpam tactus cujusdam illiciti, & Angelum verb. *Debitum conjugale n.* 25. ubi ait, Deum concessisse Conjugatis, citra pollutionem, vel ejus periculum, delectari circa corpus Conjugis ad vitandam fornicationem; sed de hoc videbimus alibi.

82. Tertio incidit in casum reservatum Sacerdos, qui carnaliter cognoscit Puellam a se baptizatam, vel ipsius Matrem, quia talis copula est incestuosa, cum inter ipsos intercedat cognatio spiritualis; non sic, si cognoscat Patrinam, seu Matrinam, quia cum illa non contrahit cognationem spiritualem. Incidit Patrinus, si carnaliter cognoscat Puellam a se susceptam, aut ipsius Matrem: item Pater Baptizati, si cognoscat Matrinam, propter cognationem spiritualem inter ipsos ortam; non tamen incidunt Patrinus, & Matrina inter se peccantes, quia non contrahunt inter se cognationem. Idem dicendum est de tenentibus Puellam, aut Puerum in Confirmatione, & peccantibus cum illa Puella, aut cum ipsius Matre, propter eamdem rationem cognationis spiritualis. Ad incurrendam istam reservationem non est necesse, quod copula sit completa, & intra vas consummata, sed sufficit copula inchoata cum effusione seminis extra vas, quia sic expresse disponitur ab Eminentissimo Archiepiscopo. Excusantur a reservatione, qui solos amplexus, & tactus habent impudicos sine copula, quamvis sequatur effusio seminis, ut patet ex textu.

83. Quarto incidit Parochus, qui copulam etiam incompletam habet cum sua Parochiana. Confessarius autem quicumque, qui cum Muliere sive naturaliter, sive contra naturam, in vase præpostero, aut cum Puero sodomitice peccavit, non potest ipsos audire in Confessione, nec absolvere, quia, respectu illorum, est ipsis adempta facultas, & jurisdictio, cum fuerint criminis socii.

84. Quinto incidit in casum reservatum, qui Virginem stupravit, etiam cum promissione Matrimonii: licet nomine stupri, rigorose loquendo, intelligatur defloratio Virginis repugnantis, adeo ut per vim ipsi illatam distinguatur stuprum a simplici fornicatione. In præsenti tamen sumitur minus rigorose pro defloratione Virginis, etiam consentientis, ut constat ex declaratione Eminentissimi Archiepiscopi posita in libello. Quare non solum qui Virginem repugnantem, sed etiam qui Virginem consentientem, & sponte se offerentem, absque ulla violentia defloravit, incidit in casum reservatum; quod verum existimat Mazuch. *c.* 23. *n.* 11. etiamsi Virgo propriis manibus se polluendo, vel alio instrumento, pudoris claustrum sibi prius disruperit, quia licet se polluendo virtutem virginitatis amiserit, non tamen dicitur deflorata, quia defloratio proprie contingit per membrum naturale viri, ut notat Graffius *in cons.* 23. *de sent. excom. n.* 4. *&* 32.

85. Incidit in hunc casum Sponsus de futuro, qui ante contractum Matrimonium copulam habet cum Virgine Sponsa; licet enim Sponsis ab aliquibus Doctoribus permittantur oscula, & amplexus, modo absit periculum pollutionis, vel consensus in illam; nullo tamen modo permittitur carnalis copula, quæ etiam in aliquibus Diœcesibus est reservata, quamvis Sponsa sit corrupta, & vidua. Non tamen incurrit Sponsus de præsenti, qui ante transactum bimestre ad deliberandum de statu Sponsæ concessum, illam etiam violenter defloravit, quia talis accessus non est ad aliam, sed ad suam: reservatio autem intelligitur de copula fornicaria, unde iste non peccaret peccato carnis, sed tantum injustitiæ propter violentiam.

86. Ad incurrendam hanc reservationem requiritur copula consummata intra vas; unde qui copulam inchoavit intra vas, sed illam consummavit extra, non incurrit hanc reservationem, ut in simili diximus de Incestu, & Sodomia; nam reservatio intelligitur de actu exteriori perfecto, & consummato, nisi aliud exprimatur, ut constat ex copula incompleta cum Cognata spirituali, vel Parochiana, quam, quia reservatam voluit, illam expressit; in praxi tamen ad libidinem coercendam contrarium suadet Mazuchellus *supra n.* 23.

87. Ultimo tandem ligatur reservatione, qui peccatum bestialitatis committit; est autem bestialitas concubitus cum re animata diversæ speciei ab homine; puta cum bellua, & animali ratione carente; quare qui cum bellua turpiter se

ter se immiscuit, sive agens, sive patiens fuerit, incidit in casum reservatum. Requiritur tamen, ut actus sit consummatus, unde non incurrit hunc casum, qui cum bellua copulam inchoavit, sed extra vas seminavit, & complevit; nec reservationem incurrit, qui cum belluis mortuis etiam intra vas se polluit; multo minus, qui cum muliere, aut viro mortuo hoc peccatum committit. Huc reducitur concubitus cum Dæmone, qui non est ejusdem speciei cum homine, etiamsi assumat formam hominis, aut mulieris; unde incidit in casum, qui cum Dæmone agendo, vel patiendo rem habuit.

§. VIII. *Obscœnitates, aliave crimina cum Monialibus, &c.*

88. Hic casus continet duas partes, in quarum prima reservatur Sacrilegium, sive factis, sive verbis commissum cum Monialibus, & quælibet turpitudo cum Feminis in Clausura degentibus; in altera prohibetur cum reservatione accessus Virorum ad Monasteria Monialium cum licentia subreptitia, aut obreptitia; quare incidit in casum reservatum, qui Monialem in Clausura degentem, sive naturaliter, sive contra naturam turpiter cognoscit, quamvis illa libere consentiat. Qui eam osculatur, vel impudice tangit, & qui ipsius pudicitiam verbis tantum attentavit; immo etiam, qui per litteras, nuntium, signa, vel nutus ad turpia sollicitavit, & qui de obscœnis cum eadem fuerit collocutus; quæ omnia patent ex textu sub reservatione prohibente: *obscœnitates, aliave crimina cum Monialibus quomodolibet commissa, vel tentata: necnon verba obscœna.*

89. Incidunt in casum, qui prædicta faciunt, seu tentant cum Monialibus Conversis, quæ ex Monasterio solent exire ad quærendam eleemosynam, vel cum Puellis, quæ in Monasteriis educantur, & cum Feminis, sive nuptis, sive viduis, quæ justis, honestisque de caussis in Monasterio commorantur, & habitant.

90. Incidunt in casum reservatum Viri ad Monasteria accedentes cum licentia subreptitia, vel obreptitia, seu, quod idem est, cum licentia falsa. Qui autem mala intentione, & pravo fine ad Monasteria accedunt ad colloquendum cum Monialibus, aut aliis Feminis in Clausura degentibus, non solum incidunt in casum reservatum, sed etiam in excommunicationem latæ sententiæ; ad hoc tamen requiritur, quod mala intentio sit exterius aliquo actu manifestata, ut bene notat Homobonus.

91. Non incurrunt reservationem, qui verbis, aut factis turpia tentant, aut faciunt cum Monialibus Tertiariis, quæ habitant in loco separato, & certum habent vivendi modum, certamque regulam, sed tria Vota per Professionem non emittunt, nec obligantur legibus Clausuræ, quia istæ, proprie loquendo, non sunt Moniales viventes sub Clausura, ut requiritur ad incurrendam reservationem. Multo minus incurrunt, qui similia faciunt cum Bizochis degentibus in domibus Parentum, licet certam regulam, & modum vivendi sibi præscripserint, & voverint castitatem; nec qui illa faciunt, aut tentant cum Puellis, quæ in Conservatoriis, & Piis Locis educantur.

92. Non incurrunt reservationem, qui solum accedunt ad Monasterium absque eo, quod colloquantur cum Monialibus, vel aliis Feminis in Clausura degentibus, quia duo requiruntur ad incurrendam reservationem, accessus, & locutio; ex quo infert Graffius apud Homobonum *p.* 2. *cap.* 5. *sect.* 2. non incurrere hanc reservationem, qui e domo Monasterio contigua reciproce, sed honeste cum Moniali loquitur. Non incurrit, qui habet facultatem cum aliqua colloquendi, si urbanitatis caussa per accidens pauca, & compendiosa verba faciat cum alia Moniali casu pertranseunte, seu per accidens adveniente. Nec qui Monialem tantum salutaret, vel ab eade suo statu interrogatus breviter responderet, quia parvitas materiæ sicut excusat a peccato gravi, ita etiam excusat a reservatione. Graffius *lib.* 4. *decis. c.* 8. *n.* 5. Finell. *c.* 5. *nu.* 10. Floron. *part.* 1. *c.* 1. §. 1. *n.* 5. Homobon. *loco cit.*

93. Pro Regularibus adest specialis declaratio Sacræ Congregationis Concilii sub die 11. Maji 1669. in qua expresse dicitur, non dari parvitatem materiæ in colloquiis cum Monialibus, aut aliis Feminis intra clausuram degentibus, sed peccare mortaliter, & incidere in excommunicationem, & privationem vocis activæ, & passivæ Religiosum, qui etiam ad brevissimum tempus colloquitur cum aliqua ex illis.

94. Excusantur Famuli, qui suorum Dominorum nomine aliqua munera Monialibus, vel aliis in Clausura degentibus deferunt, sive aliquod licitum, & honestum verbum, seu nuntium referunt; secus tamen dicendum, si turpia loquerentur, aut deferrent litteras amatorias, & ordinatas ad pravam amicitiam, aut incundam, aut conservandam; quod verum existimat Homobonus, etiamsi Famuli probabiliter solum dubitarent aliquid turpe, & obscœnum in litteris contineri, per ea, quæ tradunt Sanchez, Rubellus, Zerula, & Bonacina apud eumdem Homobonum.

95. Excusantur etiam qui ignorant prohibitionem, cum enim accessus Virorum ad Monasteria Monialium, quando non est ad malum finem, non sit intrinsece malus, sed malus dumtaxat, quia prohibitus, qui talem prohibitionem ignorat, sicut accedendo non peccat, ita non ligatur reservatione; nec ligatur censura, qui accedit malo fine, si nesciat talem accessum esse sub excommunicatione prohibitum, quia cessat contumacia requisita ad censuram incurrendam.

§. IX. *Constitutio fictitii Patrimonii &c.*

96. Quamvis dubium sit, an jure communi suspensionem incurrat Clericus; qui sine patrimonio, pensione, vel beneficio, aut patrimonio ficto, suscipit Ordines Sacros, aliis affirmantibus, aliis negantibus, quos pro utraque parte dabit Leander *tr.* 6. *de Ordine disp.* 9. *quæst.* 4. certum tamen est, in hac Bononiensi Diœcesi suspensionem incurrere ipso facto non solum Ordinatum cum Patrimonio ficto, sed etiam qui ficte, & dolose se gesserit in repræsentando reditus non adæquantes taxam in Decreto Synodali constitutam, ut patet ex ipsa dispositione Synodi *l.* 2. *c.* 8. *de Sacramento Ordinis*, ubi etiam imponitur excommunicatio latæ Sententiæ contra Testes deponentes falsum circa bona patrimonii, incurrenda æque ab omnibus, si fictum, aut falsum fuerit patrimonium, seu cum tacito, vel expresso pacto, quod Ordinatus numquam sit petiturus, seu aditurus: & insuper peccatum, fictitium patrimonium constituentium, specialiter reservatur.

97. Quare non solum incurrunt ipso facto suspensionem Clerici, qui cum patrimonio fictitio ordinantur, sed etiam incidunt in casum reservatum omnes, sive Clerici, sive Laici, qui patrimonium fictitium constituunt pro Sacris ordinibus initiando, vel cum pacto illud numquam petendi, vel retrocedendi, antequam eidem Ordinando suppetat, unde victus honestus aliunde subministretur. Hanc reservationem non incurrit, qui recipit Ordinem Sacrum sine Patrimonio, Beneficio, vel Pensione, quia tantum reservatur constitutio fictitii Patrimonii. Qui ordinatur cum Patrimonio insufficienti, quod probavit esse sufficiens, non videtur incurrere hanc reservationem, quia non ordinatur cum Patrimonio fictitio, sed vero, licet insufficienti: incurrit tamen suspensionem; de qua supra diximus. Ita cum aliis Ant. a Spiritu S. *disp.* 14. *de pœnit. sect.* 11. §. 15. quod verum puto, si defectus Patrimonii erat levis, puta duorum, vel trium aureorum, quia non peccat mortaliter ratione parvitatis materiæ, ut cum Sanchez docet Diana *part.* 4. *tr.* 4. *resol.* 52. secus si defectus sit notabilis, quia secundum illam partem vere est fictitium.

98. Non incurrit hanc reservationem Subdiaconus, qui post renuntiatum, seu alienatum Patrimonium suscipit Ordinem Diaconatus, vel Sacerdotii, tacens renuntiationem factam, quia talis vere habet Patrimonium, cum renuntiatio, vel alienatio facta sit nulla, & invalida, licet peccaverit in ea facienda. Ita Sanchez *in opusc. t.* 2. *l.* 7. *dub.* 40. juncto *dub.* 38. Diana *loco citato*.

§. X. *Scandalosa solutio Quadragesimæ sine licentia &c.*

99. Certum est peccare mortaliter, qui sine gravi necessitate Quadragesimam solvit, non solum manducando carnes, sed etiam manducando ova, & lacticinia, quæ pariter in Quadrasima prohibentur; & oppositum asserere damnatur ab Alexandro VII. qui damnavit illam propositi., quæ est 32. *Non est evidens, quod consuetudo non comedendi ova, & lacticinia in Quadragesima obliget.* Quare qui tempore Quadragesimali sine legitima caussa, & absque licentia in scriptis obtenta, sive carnes, sive ova, & lacticinia manducat, peccat lethaliter, & incidit in casum reservatum. Incidit similiter, qui olera cocta cum carnibus manducat, nam paria sunt gustare carnes, & olera cocta cum carnibus, ut notant DD. *in cap. fin. dist.* 30. ac proinde, qui non potest comedere carnes, nec etiam potest edere olera cocta cum carnibus; idem dicendum de eo, qui jus, seu liquorem ex carnibus confectum ebibit.

100. Quamvis autem, regulariter loquendo, necessaria sit licentia in scriptis obtenta, si tamen in casu aliquo particulari oretenus alicui licentia daretur a Deputatis; iste liber esset in foro conscientiæ a reservatione per ea, quæ tradunt Sanchez *de præcept. l.* 6. *c.* 7. *n.* 69. Suarez *de leg. l.* 6. *c.* 19. Salas 1. 2. *d.* 20. *sect.* 9. Coch. *de exemp. p.* 1. *q.* 7. Homob. *p.* 2. *c.* 7. *comp.* 1. & fusius *c.* 5. ubi quærit: an *licentia verbalis sufficiat, ut quis tute possit accedere ad Monasteria Monialium*; quod verum putat etiam de licentia oratenus concessa ad ingrediendum septa Monasterii, non obstante Decreto Concil. Trid. *sess.* 25. *de Regul. c.* 5. requirentis licentiam in scriptis, & dicit, hoc debere intelligi de foro exteriori, non de foro conscientiæ, in quo sola veritas attenditur, & sufficit, ut consensus jure naturali requisitus interveniat; idem habet *de exam. p.* 3. *tr.* 15. *c.* 8. *q.* 24. *resol.* 6.

101. Incidunt etiam in casum reservatum Medici, & Deputati ad licentias concedendas, si dolose facultatem solvendi Quadragesimam concedant: item qui licentiam obtinuit dolose, narrando Superiori, aut Medico caussam falsam, quia obtenta licentia ratione erroris, & fraudis, est nulla, & invalida, ac proinde taliter solvens Quadragesimam solveret sine licentia, & in casum reservatum incideret: arg. Bonac. a *Clausura q.* 4. *p.* 4. *n.* 20. si tamen Medicus facultatem concedat carnes, aut lacticinia comedendi, quan-

quando rationabiliter patat adesse justam caussam concedendi, sicut non peccat, ita nec incidit in casum reservatum.

102. Excusantur a reservatione, qui aliis diebus jejunii, pura Vigiliarum, & quatuor Temporum extra Quadragesimam carnes comedunt, quia casus loquitur tantum de Quadragesima, non de aliis temporibus: multo magis excusantur, qui jejunium frangunt, si cibis vetitis non vescantur.

103. Excusantur Pueri usum rationis nondum habentes, & qui nondum sunt doli capaces; secus si habeant usum rationis, & sint doli capaces, quod regulariter solet contingere in septennio: quamvis enim Ecclesia non obliget ad jejunium ante vigesimum primum annum, obligat tamen omnes usum rationis habentes, ut abstineant a cibis vetitis, ut constat ex universali consuetudine recepta inter Catholicos, unde peccant Parentes, qui tempore Quadragesimæ, aut aliis diebus, quibus est jejunandum, carnes, ova, & lacticinia porrigunt Filiis suis post septennium absque facultate, & legitima caussa.

104. Excusantur etiam, qui ex oblivione, aut inadvertentia carnes, & alia vetita comedunt, quia oblivio, & inadvertentia facit, ut comestio illa non sit peccatum, cum sit involuntaria. Ita Armilla *V. Consideratio n.* 1. Navar. *c.* 21. *n.* 27. Sylvest. *V. Jejunium n.* 21. Excusantur Coqui, qui cibos prægustant, ut illos condiant, vel Domino veneni suspicionem tollant; quod idem dicendum de Medicis prægustantibus medicinas, quia hoc rationabili de caussa faciunt, estque consuetudine ipsa probatum, ut cum Graffio notat Mazuchellus *c.* 14. *n.* 15. Item, qui in parva quantitate arbitrio boni viri definienda cibos vetitos comedunt, quia sicut in aliis præceptis tam affirmativis, quam negativis; ita in præsenti datur parvitas materiæ excusans a peccato lethali, & per consequens a reservatione.

105. Excusantur, qui carnes comedunt ex necessitate, quia alios cibos non habent, quia necessitas facit licitum, quod jure est illicitum *c.* 2. *de observ. jejunii*, quod idem dicendum videtur de Nobilibus, & honestis Personis, quibus panis tantum suppetit, si per plures dies non haberent alios cibos permissos, ut cum aliis notant Homobonus, & Diana *par.* 10. *tr.* 14. *resol.* 59. Item, qui ex justo metu cadente in constantem virum carnes comederet, quia cum abstinentia a carnibus pro eo tempore sit de jure positivo, non obligat cum tanto incommodo: Graff. *l.* 2. *de arbitr. Confess. c.* 29. dummodo comestio carnium non præcipiatur in contemptum Christianæ Religionis, quia tunc potius moriendum esset, quam carnes illas comedere. Addo cum Mazuchello, quod in eo casu carnes comedendo peccaret quidem contra Religionem in cujus contemptum carnes comederet, sed non contra præceptum Ecclesiæ, quod non obligat cum tanto incommodo, ac proinde non incurreret reservationem.

106. Excusantur a reservatione, qui in repentino aliquo casu (ut puerperis aliquando accidit) graviter laborans carnes comederet, si deputatos, & Medicos facile adire non posset, ut cum D. Thoma 2. 2. *q.* 147. *art.* 4. Graffio, & Azorio docet Homobonus. Item, qui morbo laborantes in jure, vel liquore carnium aliquid medicinale sumunt, quia non peccant. Qui extra casum repentinum solveret Quadragesimam, non impetrata facultate, incideret in casum, etiamsi haberet legitimam caussam carnes comedendi, quia gravi detineretur infirmitate, quia cum posset petere licentiam carnes comedendi, non petendo mortaliter peccat ratione inobedientiæ, & sic incidit in casum reservatum.

107. Excusaretur etiam a reservatione, qui solus in cubiculo carnes comederet absque ullo scandalo, quia non quæcumque solutio Quadragesimæ, sed scandalosa dumtaxat prohibetur sub reservatione, quod idem dicendum puto de aliis casibus supra enumeratis, si cesset scandalum, quia tunc non est solutio scandalosa, ut requiritur ad incurrendam reservationem.

§. XI. *An possit aliquando Confessarius absolvere Socium Criminis.*

108. Ultra peccata reservata, superius explicata, adest in Synodo Diœcesana Bononiensi *l.* 2. *c.* 5. & 6. specialis prohibitio facta cuilibet Confessario, etiam Regulari, ne audeat absolvere Socium criminis in peccato carnali, quam quidem prohibitionem declarat Synodus, non esse casus reservationem, sed in hujusmodi casu omnino positivam reprobationem Confessarii ab ejus Confessione audienda, qui fuerit Socius, aut in facto peccati particeps; qua stante prohibitione dubium est: *an possit aliquando Confessarius absolvere Socium criminis ab illa culpa carnali, cujus ipse fuit Socius, maxime tempore Jubilæi, quando datur facultas omnibus Confessariis absolvendi a casibus reservatis, vel etiam tempore mortis, quando nullus alius adesset Sacerdos?*

109. Præscindendo a quacumque reservatione, prohibitione, seu restrictione jurisdictionis nullus Confessarius deberet umquam, extra mortis articulum, absolvere socium criminis ab illa culpa mortali, cujus ipse fuit Socius, loquendo maxime de peccato carnali, quia minuitur erubescentia, & adest periculum novi peccati, ut docet D. Th. *in addit. in* 3. *p. q.* 20. *art.* 2. *ad* 1. ut proinde Facundez *l.* 4. *de secundo præcept. Eccles. c.* 3. *n.* 35. dixerit, circa peccatum mortale non posse Confessarium audire, & absolvere suam Concubinam, cui consentit Basil. de Leone *l.* 7. *de Matrim. c.* 38. *n.* 3. eo quia fere semper adest periculum novi consensus carnalis, aut defectu doloris necessarii, & ob id censet, numquam licere, nisi in rarissimo casu, Confessionem Concubinæ excipere. At, cessante scandalo, & periculo, censeo fore validam Confessionem, & absolutionem datam, quia concurrunt essentialia Sacramenti, nimirum potestas ex parte Sacerdotis, & dispositio necessaria ex parte pœnitentis, nec ulla adest in jure circa hoc specialis prohibitio: & ita cum Sancio *in select. disp.* 11. *n.* 16. tenet Diana *p.* 5. *tr.* 14. *resol.* 110. dicentes, aliquando ita expedire: & cum Lugo, Medina, & Graffio tenet etiam Aversa *q.* 16. *sect.* 14. *in fine*; addens, hoc non esse conveniens, nec expedire ob periculum recincidentiæ, præsertim quando fuisset consuetudo peccandi.

110. Quia tamen, regulariter loquendo, solet esse prohibita talis absolutio Episcoporum statuto, sicut prohibetur in hac Diœcesi Bononiensi, ne possit Confessarius absolvere Socium criminis in peccato carnali; quæritur: *an saltem tempore Jubilæi possit Confessarius absolvere Socium ab illa culpa, etiam carnali, cujus ipse fuit Socius?* Negat Bonacina *disp.* 5. *q.* 7. *punct.* 5. *n.* 10. quia nullus Confessarius, etiam tempore Jubilæi, potest aliquem absolvere, nisi sit approbatus ab Ordinario ad Confessiones audiendas; at Confessarius non est approbatus pro Socio, & pro crimine, cujus est Socius, quin potius est positive reprobatus, estque illi pro tali culpa, & pro tali Socio adempta facultas, & jurisdictio, nec talis prohibitio est proprie reservatio, sed reprobatio respectu Socii; siquidem reservatio est generalis, dicta vero prohibitio afficit tantum Confessarium complicem, non alios; ergo non potest Confessarius absolvere Socium, sicut non potest feminam absolvere, qui fuit tantum limitate approbatus pro viris: cum Bonacina sentit Mazuchellus *de casib. reser. disp.* 1. *quæst.* 4. §. 8.

111. Verum probabilius est, posse Confessarium tempore Jubilæi, remoto scandalo, & periculo novi peccati, Complicem, ac Socium bene dispositum valide, & licite absolvere. Primo, quia probabile est, limitate approbatum solum pro Viris posse eligi a Femina tempore Jubilæi, & ab illo absolvi, ut admittit Bonacina *p.* 4. §. 1. *numer.* 22. & tenent Henriq. *l.* 6. *de pœnit. c.* 6. *n.* 8. & *l.* 7. *c.* 12. *n.* 4. Sanchez *de matrim. l.* 8. *disp.* 34. *n.* 16. Coninch. *disp.* 8. *de pœnit. dub.* 7. *n.* 57. Cord. *in sum. q.* 10. August. Barbosa *de pot. Episc. p.* 2. *alleg.* 25. *n.* 17. & cum aliis Leander *disp.* 11. *q.* 67. quia, ut Sacerdos sit idoneus, & eligibilis tempore Jubilæi, sufficit, quod sit approbatus ab Ordinario, nulla facta distinctione, quod sit approbatus ad has personas, vel ad illas; ubi enim lex non distinguit, nec nos distinguere debemus: at Confessarius Socius criminis, quamvis sit reprobatus quoad peccatum complicitatis, est tamen approbatus quoad cetera, & verum est dicere, ipsum esse approbatum ab Ordinario; ergo potest tempore Jubilæi a Penitente Complici eligi in Confessarium, sicut approbatus tantum pro viris eligi potest etiam a femina: quod conf. quia non est idem approbatio, & jurisdictio; nam jurisdictio supponit approbationem; ad Confessionem autem faciendam alicui tempore Jubilæi non requiritur, ut eligatur Confessarius alias habens jurisdictionem in ipsum penitentem, sed sufficit, ut eligatur Confessarius ab Ordinario approbatus, cui Pontifex confert jurisdictionem necessariam, ut fatetur Bonacina; sed Confessarius Socius criminis est approbatus ab Ordinario; ergo potest eligi a Penitente Socio.

112. Deinde: quia talis prohibitio, negatio, reprobatio, seu restrictio jurisdictionis non est nisi mera quædam reservatio particularis, quæ non afficit omnes, sed dumtaxat Confessarium Socium criminis. Nam reservatio nihil aliud est, quam ablatio, negatio, seu non concessio jurisdictionis necessariæ ad absolvendum ab aliquo peccato; cum enim omnis jurisdictio descendat a Superioribus Prælatis ad inferiores Confessarios, potest esse magis, vel minus limitata pro Superioris arbitrio, ut notavimus supra *capit.* 15. *dub.* 1. & sic ablatio, seu non concessio jurisdictionis necessariæ in Confessario ad absolvendum Socium criminis a peccato, cujus fuit Socius, non est nisi mera reservatio particularis facta tali Confessario in ordine ad tale peccatum; quæ dicitur potius prohibitio, reprobatio, seu restrictio jurisdictionis, quam reservatio, quia hæc solet esse generalis afficiens omnes Confessarios: sed potest Confessarius electus virtute Jubilæi absolvere penitentem a peccatis omnibus reservatis per facultatem sibi a Pontifice concessam; ergo etiam potest absolvere Socium criminis, ut probabiliter tenet Bossius *de Jubil. sect.* 1. *casu* 12. *n.* 20.

113. Nec dicas cum Bonacina, prohibitionem illam non esse proprie reservationem, nec peccatum Complicis numerari inter reservata, quia horum absolutio, seu absolvendi facultas est tantum penes Superiorem; facultas autem absolvendi a peccato Complicis est penes quemlibet Confessarium, & tantum ipsi Complici est adempta, & sic

cum hoc peccatum non sit proprie reservatum, nec etiam virtute Jubilæi poterit absolvi a Confessario Socio criminis. Sed contra, quia peccatum Complicis ex eo quod possit ab aliis Confessariis absolvi sequitur tantum, quod non sit generaliter reservatum respectu omnium, at non sequitur, quod non cadat sub reservatione particulari facta tali Confessario, & sic quod non possit absolvi ab illo tempore Jubilæi per facultatem sibi a Pontifice concessam, quæ est universalis respectu omnium peccatorum, nec illam potest Episcopus limitare.

114. Hinc sequitur, posse Confessarium valide, & licite absolvere Complicem existentem in articulo mortis, etiam posita tali prohibitione, quando nullus alius Sacerdos adest, ex generali facultate, quam habet quilibet Sacerdos absolvendi existentem in articulo mortis ab omnibus peccatis, & censuris etiam reservatis, quod verum existimat Bossius *n.* 21. etiam in casu, quo præsens sit alius Sacerdos, eo quia Trident. *sess.* 14. *c.* 7. *de penit.* sine limitatione cuilibet Sacerdoti tribuat facultatem absolvendi in eo articulo. Extra mortis articulum, nec licite, nec valide Confessarius potest absolvere Socium conscium prohibitionis; si vero ignoraret prohibitionem, & bona fide accederet, valide, sed non licite absolveretur, quia concurrit error communis cum titulo colorato, quibus concurrentibus Ecclesia supplet jurisdictionem, ut etiam tenet Mazzchellus §. 7.

„ *Ad majorem hujus Sententiæ confirmationem invenies*
„ *in fine hujus Voluminis Bullam Sanctissimi Domini No-*
„ *stri suo loco ex ordine collocatam, quæ est in primo To-*
„ *mo Bullarii sub numero* XX., *& quæ haud obscure contra*
„ *Confessarium loquitur, Socium Criminis absolventem &c.*

D U B I U M V.

An ignorantia excuset a reservatione incurrenda?

115. Communis Sententia duplicem distinguit reservationem, aliam pœnalem positam in odium delicti, & pœnam delinquentis, cujusmodi est reservatio Sixti V. contra male promotos ad Ordines, & Gregorii XIII. contra dantes, & recipientes pecuniam pro gratia a Sede Apostolica obtinenda, talisque censetur omnis reservatio, quæ a Superiore imponitur ad inducendam observantiam alicujus legis specialiter prohibentis, & punientis delictum, ut docet Palaus *tom.* 1. *disp.* 1. *tract.* 2. *part.* 17. *nu.* 8.; & aliam medicinalem, quæ ad bonam Ecclesiæ gubernationem inducitur, ut graviora quædam, & atrociora delicta per reservationem, quantum fieri potest, corrigantur, ut opportuna remedia illis adhibeantur, quod a quolibet Confessario præstari non potest, sed tantum a peritioribus, & doctioribus, & ut ob difficultatem veniæ impetrandæ arceantur homines ab hujusmodi sceleribus committendis; ob istas enim rationes introducta fuit casuum reservatio in Ecclesia, ut colligitur ex Tridentino *sess.* 14. *cap.* 7. His positis

116. Hæc Sententia docet, ignorantiam invincibilem reservationis pœnalis excusare a reservatione, non sic ignorantiam reservationis medicinalis. Ratio est, quia ad incurrendam pœnam Ecclesiasticam ex communi, & recepta Sententia, non solum requiritur scientia legis prohibentis actum, sed etiam scientia talis pœnæ impositæ. Sic qui ignorat censuram, & excommunicationem, illam non incurrit, quamvis committat delictum, cui est annexa excommunicatio, & cognoscat, se male agere; ergo nec incurrit reservationem pœnalem, qui illam ignorat; bene tamen incurrit reservationem medicinalem, quæ non tam est pœna delinquentis, quam limitatio jurisdictionis ad absolvendum, quæ dari potest absque scientia pœnitentis, & ad bonum Ecclesiæ regimen conducit: nec per hoc, quod peccator ignoret reservationem, tribuit Confessario jurisdictionem, quam non habet. Ita tenent Sanchez, Possevinus, Megala, Homobonus, Ugolinus, & Florontus, quos affert Diana *p.* 11. *tr.* 4. *resol.* 4. ita etiam Ant. a Spiritu S. *disp.* 14. *sect.* 4. *n.* 396. Bassæus verb. *Ignorantia num.* 17. Mazzchellus *de casib. reserv. disp.* 1. *q.* 2. *diffic.* 5. Castro Palaus *loco supra cit.* & probabilem dicit Lugus *disp.* 20. *sect.* 2. *n.* 11.

117. Nec dissentiunt alii, distinguentes de peccatis, quæ sunt intrinsece mala, & talia forent, etiamsi non essent prohibita, ut blasphemia, homicidium voluntarium, adulterium, sodomia, & hujusmodi, & de peccatis, quæ ideo sunt mala, quia prohibita aliqua lege speciali, ut accessus Virorum ad Moniales bono fine; denuntiatio Legatorum piorum intra spatium duorum mensium facienda: detentio Infantium in lecto, & alia id genus. Dicunt, reservationem afficere ignorantes, si peccatum reservatum sit de sui natura malum, secus si non sit de sui natura malum, sed tale, quia prohibitum, Ugolinus, Sayrus, Azorius, Carbo, quos affert, & sequitur Homob. *p.* 1. *c.* 2. *assert.* 2. quia prima reservatio est medicinalis ad rectam Ecclesiæ gubernationem, secunda vero pœnalis, quæ non incurritur ab ignorante.

118. Quod dicitur de ignorantia invincibili, asserunt etiam de ignorantia vincibili, & mortaliter culpabili, dummodo non sit supina, & crassa; excusare scilicet a reservatione, quia ista etiam excusat a censura, ut docent plures, quos affert Diana *p.* 5. *tr.* 9. *resol.* 17. & *p.* 11. *tr.* 4. *resol.* 4. quos sequitur Ant. a Spiritu S. *loco cit.* Idem dicunt de oblivione naturali, inconsideratione, seu inadvertentia inculpabili, siquidem oblivio, inadvertentia, & ignorantia invincibilis, sicuti æquiparantur in ordine ad excusandum a culpa, ita etiam in ordine ad excusandum a pœna, vel reservatione, quæ quasi pœna judicatur, ut probat Sanchez *lib.* 4. *summ. cap.* 22. *num.* 18. & *lib.* 1. *cap.* 16. *num.* 8. & Diana *locis citatis*.

119. Secunda Sententia absolute affirmat, ignorantiam saltem invincibilem excusare ab omni reservatione. Ratio est, quia omnis reservatio, quantumvis referatur ad bonam Ecclesiæ gubernationem, ut graviora, & atrociora delicta Superioribus reserventur, est tamen pœnalis, & odiosa ad instar statuti, ut proinde ignorantia invincibilis debeat ab illa excusare, sicut excusat ab incurrendis censuris, quæ non desinunt esse pœnæ, quamvis sint in medicinam, & ferantur ab bonum Ecclesiæ regimen. Et quidem reservationem esse pœnalem, & odiosam ad instar statuti, asserunt Coriolanus, Bonacina, Chapeavilla, Naldus, Reginaldus, Bresserus, Homobonus, & alii relati a Diana *p.* 6. *tr.* 6. *resol.* 42.; ergo reservatio casuum, cum habeat rationem pęnæ, non incurritur ab illam ignorante. Nec valet, quod reservatio non tam est pęna delinquentis, quam limitatio jurisdictionis in absolvente; contra enim est, quia reservatio est limitatio jurisdictionis in ordine ad pœnitentes compescendos, & retrahendos ab excessibus timore pęnæ, & difficilioris absolutionis, ac proinde talis limitatio est pęna, quæ non debet incurri ab ignorante. Conf. quia omnis reservatio est pęna medicinalis, quæ non tam respicit peccatum præteritum, quod punit, quam futurum præcavendum, a quo retrahit, compescendo peccatorem, ut saltem timore pęnæ, & absolutionis difficilius impetrandæ, retrahatur a lapsu, qui est finis reservationis, ut omnes fatentur; at quando non adest cognitio reservationis, cessat finis, & desinit esse medicina retrahens a peccato; ergo desinit reservatio, quæ adesse non potest, cessante fine reservationis. Et ita tenent Navarrus *in Man. c.* 27. *n.* 80. Grassius *de casib. reserv. lib.* 2. *c.* 40. *n.* 29. Joseph de Januario *de casib. resol.* 1. *per totum*, & satis probabilem judicat Diana *p.* 10. *tr.* 14. *resol.* 63. Gabriel a S. Vincentio *de Pœnit. disp.* 9. *q.* 3. *dub.* 3.

120. Resp. ignorantiam numquam excusare a reservatione incurrenda, nisi quando excusat a culpa. Ratio est, quia omnis reservatio, sive pęnalis, sive medicinalis dicatur, aufert ab inferioribus facultatem absolvendi; est enim reservatio ablatio, seu non concessio jurisdictionis necessariæ ad absolvenda certa quædam peccata; & casus reservatus est ipsum peccatum, circa quod non habet Sacerdos jurisdictionem, ut patet ex supra dictis *dub.* 1.; sed absque facultate non potest Sacerdos absolvere a peccatis; ergo numquam potest absolvere a reservatis, cum non habeat in illa jurisdictionem.

121. Conf. quia distinctio reservationis pęnalis, & medicinalis non videtur subsistens; nam omnis reservatio semper fit ad abstrahendos homines a talibus peccatis, & per quamlibet reservationem intendit Prælatus Ecclesiasticus prudentem, ac bonam Ecclesiæ gubernationem in ordine ad finem spiritualem: & sic omnis reservatio est medicinalis, licet per accidens redundet in aliqualem delinquentis pęnam, de qua nulla est habenda ratio, cum per se primo illam reservatio non intendat, si autem quælibet reservatio est medicinalis, quælibet afficit etiam ignorantes. Conf. etiam ex usu, & praxi Confessariorum, qui non disquirunt, an pœnitentes scirent, vel ignorarent reservationem, an ista esset pęnalis, vel medicinalis, sed audientes peccatum, cui sit annexa reservatio; abstinent ab illo absolvendo, illudque remittunt Superiori, vel ab eo licentiam petunt; & ita tenet Aversa *quæst.* 17. *sect.* 1.

122. Ad fundamenta opposita facile respondetur: reservationem per se primo non esse pęnam, sed limitationem jurisdictionis prudenter factam Confessariis inferioribus circa aliqua delicta, ut illa facilius corrigantur, & opportuna remedia illis adhibeantur, quod præstari non potest a quolibet Confessario; & si aliquo modo habeat rationem pęnæ, non proinde ad illam incurrendam necessaria est scientia in operante, sicut necessaria est notitia excommunicationis, & censurarum ad illas incurrendas. Ratio disparitatis est, quia excommunicatio (idem valet de aliis censuris) eam non feratur nisi ob contumaciam, essentialiter petit monitionem præcedere sub comminatione censuræ; quando autem illius notitia non adest, sicut deficit contumacia, & contemptus censuræ, ita illa non incurritur; in quo differt ab aliis pęnis, etiam jure Ecclesiastico pro delicto statutis, quæ, quia non requirunt contumaciam, ita non prærequirunt sui notitiam, ut fusius dicitur in materia de censuris. In nostro casu reservatio, quamvis dicatur pęna, cum tamen contumaciam non exposcat, nec ad illam incurrendam prærequiratur monitio, sicut ad incurrendas censuras: ita non requiritur notitia reservationis, ut incurratur ab eo, qui voluntarie trasgreditur præceptum; & quamvis detur ad reprimendam inobedientiam, hæc in ipsa fractione præcepti sufficienter reperitur.

D.U-

DUBIUM VI.

An, & a quo possit Peregrinus absolvi a reservatis?

123. NOn procedit difficultas de Peregrino accedente ad alium Episcopatum animo mutandi domicilium, quia certum est, ipsum debere judicari juxta leges domicilii acquisiti, sed de Peregrino iter agente, qui est reversurus ad proprium domicilium; & de illo quæritur: *an possit absolvi a casibus reservatis a simplici Confessario Diœcesis, in qua peregrinatur?* Et quidem tripliciter intelligi potest facta reservatio: primo, si casus sit utrobique reservatus: secundo, si erat reservatus in loco, a quo Peregrinus discessit, sed non in loco, in quo invenitur, dum confiteri vult: tertio, si non erat reservatus in loco, a quo discessit, bene tamen in loco, ad quem divertit. Facile omnes concedunt, Peregrinum reservatione ligari, nec posse absolvi a simplici Confessario, quando peccatum est utrobique reservatum, defectu jurisdictionis, & facultatis necessariæ, ut pro certo tenent Aversa *q.* 17. *sect.* 3. & Mazuchellus *disp.* 7. *q.* 3. *diffic.* 8.

124. Quando peccatum est reservatum in loco discessus, sed non in loco adventus, asserunt plures, Peregrinum non posse absolvi a simplici Sacerdote, sed ligari reservatione proprii domicilii. Ratio est, quia Peregrinus solum potest confiteri, & absolvi in aliena Diœcesi ex concessione, & licentia expressa, seu tacita sui Prælati; sub ista autem communi concessione non includitur facultas, ut possit absolvi a casibus reservatis, ut habetur cap. *Si Episcopus, de pœnit. & remiss. in* 6. ubi Bonifacius VIII. ait: *Si Episcopus suo subdito concesserit, ut sibi possit idoneum Confessorem eligere, ille, quem is elegerit, in casibus, qui eidem Episcopo specialiter reservantur, nullam habet penitus potestatem.* Ita sentiunt Comitolus *in resp. moral. lib.* 1. *q.* 28. Grassius *lib.* 1. *decis. c.* 13. *nu.* 47. Sotus, Vega, quos affert, & sequitur Facundez *præcept.* 2. *lib.* 8. *c.* 8. *n.* 20. Megala, Ugolinus, Nugnus, Bellochius, & alii, quos affert Aversa *dicta sect.* 3. & Diana *part.* 2. *tr.* 3. *miscell. resol.* 56. & *part.* 3. *tract.* 4. *resol.* 103.

125. At sentiendum est, Peregrinum in loco, ubi peccatum non est reservatum absolvi posse a quolibet simplici Confessario. Ratio est, quia iter agens dum versatur in alieno Episcopatu non ideo ibi confitetur, & absolvi potest, quia habet facultatem eligendi sibi Confessarium, sed quia judicari debet more incolarum illius Diœcesis, in qua versatur, perinde ac si esset subditus Episcopi illius loci; ita enim se habet consuetudo ab Eugenio IV. approbata, quam habent iter agentes in itinere confitendi; ergo, si ibi peccatum non sit reservatum, poterit absolvi a quolibet Confessario, non obstante quod in proprio Episcopatu illud sit reservatum; & ita in usu, & praxi servatur: non enim Confessarii dum peregrinos audiunt solliciti sunt interrogare, nec scire tenentur, aut commode possunt, si qui casus sint in eorum patria reservati. Unde patet ad argumentum oppositum; non enim iter agens ideo confitetur & absolvitur, quia utatur facultate eligendi Confessorem, sed quia hoc ipso, quod versatur in alieno Episcopatu potest ibi absolvi more incolarum illius Diœcesis, perinde ac si esset subditus, & ita tenent D. Anton. Palud. Suarez, Lugus, Præposit. Sylvester, Reginaldus, & alii, quos affert, & sequitur Aversa *q.* 17. *sect.* 3. Diana *loco cit.* Homob. *de cas. reser p.* 1. *c.* 2. Bonac. *disp.* 5. *q.* 7. *de pœnit. punct.* 5. §. 2. *n* 4. & cum aliis Leander *q.* 26.

126. Limitant Coninch, Graff. Homobonus, & Diana *cit. resol.* 56. dummodo non discedat quis, & peregrinationem suscipiat ex industria in fraudem legis, ea solum de caussa, ut in aliis locis confiteatur, & absolvatur, quia tunc non censetur dari facultas, & licentia. Verum posse Peregrinum absolvi, etiam in dato casu, patet ex supradictis *c.* 13. *dub.* 6. nec videtur dolo facere, quia utitur jure suo; habet enim unusquisque jus iter agendi, & adeundi alium locum, ibique se constituendi in statu gratiæ; & patet ex usu, & praxi Confessariorum, qui non interrogant peregrinos, an peccata confessa sint in eorum patria reservata, & an de industria a sua patria discesserint, ut extra illam confiteantur.

127. Si tamen certo constaret, peregrinationem suscepisse de industria in fraudem legis, non posset Confessarius illum absolvere post Constit. Clement. X. incipit *Superna* ubi habetur: *Posse Regularem Confessorem in ea Diœcesi, in qua est approbatus, confluentes ex alia Diœcesi a peccatis in ipsa reservatis, non autem in illa, ubi idem Confessor est approbatus, absolvere, nisi eosdem pœnitentes noverit in fraudem reservationis ad alienam Diœcesim pro absolutione obtinenda migrasse.* Idem dicendum est de Religioso, qui peccatum reservatum committit in proprio Conventu, deinde in fraudem reservationis transit ad alium Conventum, in quo non est reservatum, at ibi a quocumque absolvatur: secus si sine fraude in loco non reservationis contingat esse.

128. Si vero peccatum solum sit reservatum in loco, ubi quis confitetur, sed non in loco suæ patriæ, Facundez *supra n.* 21. & apud ipsum Vega, Graff. Sotus, affirmant, posse ibi peregrinum absolvi a quolibet Confessario, quia reservatio non comprehendit peregrinos, nec extenditur ultra proprios subditos, & incolas talis loci, & Prælati. At dicendum est, non posse ibi absolvi, nisi a Confessario habente potestatem super reservata, quia licet pœnitens alias non sit subditus, tamen tunc ut subditus, & incola illius loci reputatur. Ita Suarez, Coninch, Bordonus, Lugus, Villalob. Homob. & Diana, quos affert, & sequitur Aversa *cit. sect.* 3.

DUBIUM VII.

An Episcopus, ejusque Vicarius Generalis ligentur reservatione?

129. NOn potest esse difficultas de peccatis, quæ Episcopus in sua Diœcesi sibi reservavit; non enim potest Episcopus sua peccata reservare, quia possit ea confiteri, cui voluerit, & ab eodem absolvi, ut bene advertunt Lugus *disp.* 20. *sect.* 5. *n.* 57. & cum aliis Mazuchellus *disp.* 1. *q.* 2. *diff.* 1. ubi dicit, Episcopum ferentem excommunicationem in eum, qui aleis luserit, non incidere in excommunicationem si ipse aleis ludat; sed de peccatis Episcopo reservatis a Papa, cujusmodi sunt omnes casus Sedi Apostolicæ reservati, a quibus, quando sunt occulti, potest Episcopus, per facultatem sibi attributam in Trident. *sess.* 24. *de refor. c.* 6. absolvere suos subditos; & quæritur, *an, si forte ipse incidat in aliquod hujusmodi peccatum, possit facultatem tribuere suo Confessario, & ab eodem absolvi?*

130. Resp. Episcopum posse absolvi a suo Confessario ab omnibus illis peccatis, etiam Papæ reservatis, a quibus ipse Episcopus potest alios absolvere. Ratio est, quia Episcopus non debet esse deterioris conditionis, quam ejus subditi; & ita declaratum refert a Sacra Congreg. Cardinalium Diana *part.* 3. *tr.* 4. *resol.* 142. & tenent communiter Doctores, Majolus, Suarez, Henriquez, Sayrus apud Dianam. Ita etiam Ant. a Spiritu S. *n.* 1244. & aliis citatis, Leander *disp.* 12. *q.* 22. Hoc idem Sayrus, Suarez, Sanchez, & alii extendunt ad dispensationem, adeo ut possit Episcopus suo Confessario committere, ut cum ipso dispenset in iis omnibus, in quibus potest Episcopus cum suis subditis dispensare.

131. Resp. 2. Vicarium Generalem ligari reservatione posita ab Episcopo, quia dum Vicarius male agit, non gerit vices Episcopi, sed censetur persona privata, quæ est subjecta Episcopo, ejusque legibus ligatur, ut docent Ugol. *de offic. & potest. Episcop. c.* 39. *n.* 2. Naldus V. *casus n.* 6. *vers.* 3. & alii. Verum tamen est, quod Vicarius Episcopi, si habet facultatem alios absolvendi cum potestate subdelegandi, poterit absolvi a suo Confessario ab omnibus illis casibus, a quibus ille potest absolvere subditos Episcopi. Ratio est, quia Confessarius per potestatem sibi traditam a Vicario potest absolvere omnes subditos Episcopi a casibus reservatis, proinde absolvere etiam potest Vicarium, qui est subditus Episcopi. Ita Lugus *disp.* 20. *n.* 18. Leander *q.* 23. Ant. a Spir. S. *n.* 1245. & aliis citatis, Diana *loco cit.*

132. *An vero Superiores locales Regularium possint absolvi a suo Confessario a peccatis reservatis per Generalem Ordinis cum Capitulo Generali?*

Resp. affirmative, quia de jure communi in cap. ult. *de pœnit. & remiss.* Prælati omnes, etiam minores, possunt eligere sibi Confessarium, quem maluerint, a quo absolvantur a peccatis omnibus etiam reservatis; quod verum putat Diana *p.* 3. *tr.* 2. *resol.* 1. & *p.* 4. *tr.* 4. *resol.* 1. etiamsi in aliqua Religione extaret Constitutio, & lex in contrarium; quam extensionem alii non admittunt, quia Prælati locales subduntur Generali, & Capitulo Generali, a quo possunt reservari casus, etiam respective ad Superiores locales. Nec obstat cap. ult. *de pœnit. & remiss.* quia non conceditur Prælatis facultas, ut contra sui Superioris licentiam possint sibi Confessorem eligere, sed quod possint sibi eligere, præter, hoc est, sine Superioris licentia, ut cum Dicastillo notat Ant. a Spiritu S. *n.* 1247. nec ibi fit specialis mentio, ut absolvatur a casibus reservatis, sed simpliciter a peccatis commissis. Quare si in aliqua Religione extet lex in contrarium, non poterit Prælatus localis eligere sibi Confessarium, a quo absolvetur a reservatis, sed debebit absolvi a Confessario, a Capitulo, seu Generali ad hoc destinato: Confessarius autem constitutus cum facultate absolvendi, & subdelegandi, poterit subdelegare, seu substituere etiam pro se ipso absolvendo, si indigeat. Lugus *n.* 60. Aversa *quæst.* 17. *sect.* 7. Franciscus a Jesu Maria *tract.* 6. *cap.* 13. *num.* 36.

133. Quæres: *An Novitii ligentur reservatione lata a Superioribus Religionis, vel ab Episcopo?*

Resp. Novitios non ligari reservatione Religionis, quia Novitius computatur inter Religiosos quantum ad favores, & privilegia, non tamen in odiosis, cujusmodi est reservatio, quæ proinde restringenda est tantum ad Professos, ut docent Homob. *de casib. reser. p.* 1. *c.* 2. *n.* 7. Portel. Fay, Vega, Belloch. Ugol. Naldus, Layman, & alii, quos affert, & sequitur Diana *p.* 3. *tr.* 2. *resol.* 4. ubi etiam notat: Novitium posse confiteri cuilibet Sacerdoti sive Regulari, sive Sæculari, dummodo sit approbatus ad Confessiones audiendas, & ab eo valide absolvi. Nec obstat Decretum Clement. VIII. dicentis, curam audiendi Confessiones Novitiorum

rum soli Magistro Novitiorum esse committendam, quia tale Decretum non fuit latum a Pontifice per modum præcepti irritantis Confessionem aliter factam, sed per modum regulæ, & consilii, ut docet Diana *ibidem*.

134. Resp. 2. Novitios non ligari reservatione facta ab Episcopo, quia sunt extra ejus jurisdictionem, cum gaudeant omnibus privilegiis Professorum ejusdem Ordinis, cujus sunt Novitii, ut cum Suarez, Sanchez, Riccio, Azor. & aliis docet Diana *p.3. tr.2. resol.73.* Unde possunt absolvi a suis Prælatis ab omnibus peccatis, pœnis, & censuris, & dispensari in omnibus irregularitatibus, votis, & præceptis, sicut alii Religiosi. Lezana *consil.* 10. *n.*28. Bordonus *tom.* 1. *resol.* 3. *num.* 11. Candidus *tom.* 2. *disquis.* 24. *art.* 59. *dub.* 9. Del Bene *tom.* 2. *cap.* 14. *sect.* 9. *dub.* 18.

CAPUT XVI.

De potestate absolvendi a Casibus reservatis.

DUBIUM I.

Quisnam possit absolvere a Casibus reservatis?

CErtum est, Prælatum, qui peccata reservavit, posse per se, & potestate ordinaria ab illis absolvere; nam reservatio est subtractio jurisdictionis respectu aliorum, non respectu ipsius Reservantis, qui sicut potest aliis licentiam concedere, ita potest absolvere, dummodo tamen habeat etiam potestatem Ordinis, idest sit ordinatus Sacerdos; si enim Prælatus non sit Sacerdos, poterit quidem ex potestate jurisdictionis peccata reservare, non tamen absolvere, sed petitam facultatem pro absolutione debebit alicui Sacerdoti committere, vel aliquem constituere cum tali facultate absolvendi. Potest etiam Superior absolvere a peccatis reservatis Prælato inferiori sibi subordinato; sic Summus Pontifex potest absolvere a reservatis cuicumque Episcopo: Legatus a reservatis cuicumque Prælato in sua Provincia, ut advertunt Naldus *in Sum. V. Legatus n.* 8. & Gavantus *in Man. eodem verbo n.6.* & in Religionibus potest Generalis absolvere a reservatis Provincialibus, & aliis inferioribus, quia nimirum inferior, reservando aliqua peccata, non aufert jurisdictionem a Superiore; quæ omnia sunt per se clara. Non tamen potest Archiepiscopus absolvere a casibus reservatis Episcopo Suffraganeo, cum non habeat jurisdictionem in hoc foro in Diœcesi Suffraganeorum, nisi in visitatione, aut in casu appellationis, quia tunc potest per se ipsum absolvere, vel absolvendi facultatem aliis delegare, ut patet ex cap. ult. *de Cens. in 6.* in his enim casibus est Superior, & habet potestatem ordinariam. Ita Henriquez, Suarez, Coninch, Reginaldus, Fioronus, quos affert, & sequitur Mazuchellus *disp.*1. *q.*3. *diff.* 1.

2. Potestatem ordinariam absolvendi a reservatis habet etiam Successor illius, qui peccata reservavit, & Capitulum, Sede Vacante, quia succedit in locum Episcopi. Debebit tamen Capitulum facultatem absolvendi committere alicui Sacerdoti electo, cum Universitas per se exercere non possit ea, quæ sunt propria Ordinis Sacerdotalis, ut docet Homobonus *p.* 1. *de casib. reserv. c.* 5. Poterit etiam Capitulum, Sede Vacante, absolvere a casibus Sedi Apostolicæ reservatis, si sint occulti, quia succedit in locum, & jurisdictionem Episcopi, & potest ea omnia, quæ de jure communi spectant ad Episcopum, quamvis jus illud sit speciale.

3. Deinde absolvere potest a reservatis, qui facultatem habet delegatam a Reservante, illiusque Superiore in hoc foro; quæ quidem delegatio duplici modo fieri solet, uno generaliter, & antecedenter deputando Confessarios, qui valeant absolvere a reservatis, qua ratione in Cathedralibus solet unus, aut plures Pœnitentiarii deputari cum facultate absolvendi a reservatis; & in Trident. conceditur Episcopis cum quibusdam conditionibus, ut possint absolvere a casibus Sedi Apostolicæ reservatis; quod etiam certis vicibus concedit Pontifex omnibus Confessariis approbatis per Bullam Jubilæi, aut Cruciatæ, vel aliud Indultum. Alio modo fit delegatio specialiter in casu particulari, quando Pœnitens, aut ejus Confessarius facultatem petunt a Prælato, ut ab aliquo peccato absolvere possit, quæ facultas non solum scripto, sed etiam oretenus concedi potest, & inde sine scrupulo poterit Pœnitens credere Confessario, & Confessarius Pœnitenti asserenti, se obtinuisse a Prælato facultatem, ut absolvatur a reservatis; cum non sit credendum, ipsum velle mentiri, & facere Sacrilegium.

4. Hic dubitatur: *An quando Confessarius, vel alius, nomine Pœnitentis, facultatem petit a Prælato absolvendi Pœnitentem a certis peccatis reservatis, teneatur illam concedere, vel possit Pœnitentem adstringere, ut ad se personaliter accedat, sibique confiteatur, & absolutionem recipiat?* Alii affirmant, alii negant, ut videre est apud Aversam *q.* 17. *sect.* 4. & apud Leandrum *disp.* 12. *quæst.* 65. qui pro utraque parte referunt Doctores.

5. Resp. Prælatum teneri ex justitia petitam facultatem concedere, quando Pœnitens habet justam caussam non adeundi Superiorem, ut si timeat sibi aliquod grave damnum; puta illius odium, & persecutionem, revelationem Confessionis, aut usum talis notitiæ in externo regimine: vel si Prælatus timeat nocumentum subditi, ut defectum integritatis Confessionis, vel Communionem absque prævia Confessione, debebit ex caritate, & debito fidelis dispensationis facultatem concedere, ut cum Leandro, & Aversa docent Lugus *disp.* 20. *n.* 237. Candidus *disq.* 24. *art.* 68. *n.*6. Suarez *disp.* 30. *sect.* 4. *n.* 8. Coninch *disp.* 8. *d.* 14. Cessante damno, & periculo, non tenetur Superior illam concedere, nec debebit, si Superior prudenter timeat, quod talis concessa facultas non sit profutura subdito, sed potius occasio iterum peccandi. Regulariter tamen debet esse promptior ad concedendum, ut docet D. Thomas *in* 4. *dist.* 37. *q.* 3. *art.* 3. *quæstiunc.* 4. *ad* 6. ubi habet: *Peccaret autem Sacerdos, si non esset facilis ad præbendam licentiam confitendi alteri, quia multi sunt adeo infirmi, quod potius sine Confessione morerentur, quam tali Sacerdoti confiterentur; unde illi, qui sunt nimis solliciti, ut conscientias subditorum per Confessionem sciant, multis laqueum damnationis injiciunt, & per consequens sibi ipsis.* Videri etiam potest Homobon. *part.* 1. *cap.* 4.

6. Si nolit Superior petitam facultatem concedere, & injuste neget, tunc ipso jure posse Confessarium per se, & directe absolvere pœnitentem a peccato reservato auctoritate sibi pro tunc a Superiori Prælato concessa; ut ab Episcopo respectu Parochi, a Provinciali, vel Generali respectu Conventualis Prælati, & ab ipso Pontifice respectu omnium, docent Henriquez, Adrianus, Medina, Ricardus, Paludanus, Navarrus, Toletus, Rodriquez, quos affert, & probabile dicit Leander *q.* 66. Probabile etiam affirmant Layman, Facundez, & Diana *p.* 3. *tract.* 4. *resol.* 79. Probabilius tamen est, non posse tunc Confessarium absolvere defectu jurisdictionis, quamvis injuste negaret, ut colligitur ex supradictis *c.* 14. *dub.* 3. & tenent Bonacina *quæst.* 7. *punct.* 5. §. 2. *n.* 20. Candidus *disquis.* 24. *art.* 68. *dub.* 8. *n.* 10. Lugus *disp.* 20. *n.* 148. Suarez, Layman, Villalobos, & alii magis communiter dicentes, subditum in eo casu ita debere se habere, ac si nullam haberet copiam Confessarii, quod expresse docet Divus Thomas *in* 4. *dist.* 17. *q.* 3. *art.* 3. *quæstiunc.* 4. *ad* 5. per hæc verba: *Si licentiam habere non potest, quia illam Superior negavit, idem est judicium, quod de illo, qui non habet copiam Sacerdotis.*

7. Pro Regularibus adest specialis declaratio Clementis VIII. in suo Decreto dicentis: *Ut si hujusmodi Regularium Confessariis casus alicujus reservati facultatem petentibus Superior dare noluerit, possint nihilominus Confessarii illa vice pœnitentem Regularem, etiam non obtenta a Superiore facultate, absolvere.* Illam particulam *illa vice* Homobonus *tom.* 1. *consult. p.* 5. *respons.* 33. & alii apud Dianam *p.* 3. *tr.* 2. *res.* 126. explicant pro una vice tantum. Dicendum tamen est, ex vi illius petitionis, non posse Confessarium ultra unam vicem absolvere pœnitentem a reservatis; & si pœnitens iterum cadat in reservata, & Confessarius iterum petat a Superiore licentiam, & non obtineat, poterit iterum absolvere pœnitentem, & sic semper per singulas vices, ut cum Bordono *to.* 1. *var. resol.* 39. *n.* 50. tenet Aversa *q.* 17. *sect.* 4. *in fine.*

DUBIUM II.

Quomodo sit intelligenda facultas delegata pro absolutione a reservatis.

8. AD tollendam omnem difficultatem, & dubium, curandum est, ut Superior concedens jurisdictionem delegatam, suam explicet mentem, quia talis facultas, & jurisdictio delegata debet esse specialis, & expressa ad absolvendum a reservatis; non enim sufficit facultas generalis eligendi sibi Confessarium alicui concessa, nec licentia concessa Sacerdoti audiendi Confessiones, ut declaratum est in cap. *Si Episcopus, de pænit. & remiss. in* 6. quia in generali concessione illa non veniunt, quæ non esset quis verosimiliter in specie concessurus; quare si non fiat expressa mentio de reservatis, licentia intelligitur tantum de iis peccatis, a quibus alii communes Confessarii absolvere possunt. Ita Graffius *p.* 1. *decis. lib.* 1. *c.* 3. *n.* 64. Suarez *de pænit. disp.* 30. *sect.* 1. *n.* 3. & idem dicendum est, si Superior dicat, se concedere suam potestatem, & auctoritatem; secus si dicat, se concedere totam suam potestatem, & auctoritatem, nam tunc censentur concessi omnes casus, & censuræ tali Superiori reservatæ, quia talis concessio cum sit generalis, indistincta, & maxime favorabilis, debet ampliari, nec potest dici, Superiorem concessisse totam suam potestatem, nisi talis facultas extenderetur ad casus, & censuras reservatas, ut cum Suario, & Pellizzario notat Antonius a Spiritu Sancto *n.* 1297.

9. Si Episcopus concedit alicui facultatem absolvendi a casibus sibi reservatis, non censetur concedere facultatem absolvendi a censuris, nec a casibus habentibus adnexam excommunicationem, quia in his reperitur particularis difficultas. Ita Navarrus *c.* 27. *Sum. num.* 291. Coninch *disp.* 8. *dub.* 12. *num.* 85. Mazuchell. *disp.* 1. *q.* 3. *diffic.* 3. Verum existi-

existimo, utramque facultatem concedi, si non constet in contrarium de mente Concedentis, quia sub ipso nomine casuum satis comprehendi possunt, & solent etiam censuræ. Ita etiam tenent cum Suario, & Pellizzario Ant. a Spiritu S. *num.* 1299. Hoc tamen intelligendum est de illis censuris, quæ per se impediunt absolutionem a peccatis, non de suspensione, quæ solum impedit exercitium Ordinum, & multo minus de irregularitate, quæ proprie non est censura.

10. Quando Summus Pontifex concedit facultatem absolvendi ab omnibus casibus, & censuris sibi reservatis, non comprehenduntur in tali concessione casus Bullæ Cœnæ, quia indigent speciali expressione, ut ex Decretis Pontificum probat Mazuchellus *diff.* 4.; & quando in Jubilæo, vel alia Bulla conceditur facultas absolvendi ab omnibus casibus Bullæ Cœnæ, semper censetur exclusa hæresis, propter majorem specialitatem hujus casus, ut cum Henriquez, Graffio, Suarez, Azorio, Sanchez, & aliis docet Mazuchellus *diff.* 5. & cum aliis Summa Dianæ V. *Absolutio ab hæresi n.* 105. quamvis contraria Sententia videatur probabilis, aliquibus citatis a Bossio *de Jubilæo sect.* 1. *casu* 9. *n.* 3. In generali concessione alicui facta a Papa absolvendi ab omnibus censuris, & casibus, non comprehenduntur censuræ, & casus, quos sibi specialiter reservarunt Episcopi, ut ex relatione Cardinalium docet Mazuch. *diffic.* 6.

DUBIUM III.

An facultas absolvendi a reservatis pro una vice extendatur ad peccata commissa post petitam, & obtentam facultatem?

11. Contingere potest, ut post petitam, & obtentam facultatem, sive ab Episcopo, sive a Sacra Pœnitentiaria Romana, absolvendi a reservatis, pœnitens, antequam confiteatur, & absolvatur, denuo incidat in aliquod peccatum reservatum; & quæritur: *an possit absolvi vigore prioris licentiæ antea obtentæ?* Affirmant. Bonac. *de leg. d.* 1. *de leg. q.* 3. *p.* 7. §. 1. *n.* 11. Præposit. *in* 3. *p. q.* 9. *de reserv. casuum dub.* 3. *n.* 22. Diana *p.* 4. *tr.* 4. *resol.* 109. Barbosa *de potest. Episc. allegat.* 52. *n.* 9. quos affert Leander *disp.* 12. *q.* 46. addit Præposit. id esse verum, etiamsi Confessarius petens licentiam exposuisset Superiori, non adesse amplius periculum relabendi: negant Floronus *de casib. reserv. p.* 1. *c.* 4. §. 3. *n.* 29. Azor. *t.* 1. *l.* 5. *c.* 23. *quæsit.* 2. Alii affirmant, si Confessarius ipse petat licentiam absolvendi; negant, si pœnitens licentiam petat, ut possit absolvi, quia quando pœnitens ipse obtinuit licentiam, inde sumeret ansam liberius peccandi sub spe Confessionis. Ita plures apud Aversam *q.* 17. *sect.* 7.

12. Resp. absolvi posse pœnitentem a peccatis commissis, tam ante, quam post concessam licentiam, sive illa fuerit concessa Confessario, sive pœnitenti; dummodo in tali concessione non fuerit facta restrictio ad sola peccata præterita, vel ad unum casum particularem, quia tunc pœnitens non poterit absolvi ab alio commisso post concessionem, ut per se patet. Ratio est, quia concessio, quando non est limitata, & restricta extenditur ad omnia peccata commissa usque ad tempus Confessionis, etiamsi dicatur pro una vice, seu pro hac vice; nam hujusmodi verba non restringunt concessionem ad sola peccata præterita, sed ad unam Confessionem, ita quod non possit amplius inservire, si pœnitens post factam Confessionem, & obtentam absolutionem iterum relabatur in nova peccata reservata; sic Lugus *disp.* 20. *n.* 128., *& seq.* Bossius *de Jubilæo sect.* 1. *casu* 14. *n.* 3. Aversa *cit. sect.* 7. Leander *q.* 46. *&* 47.

13. Non debet tamen Confessio multum differri, quia longa dilatio cum nova peccatorum reservatorum commissione videtur contra mentem concedentis. Quanta possit esse illa dilatio solet relinqui arbitrio Viri prudentis. Ant. a Spiritu S. *disp.* 5. *sect.* 9. *n.* 1285. censet, licentiam pro Sæcularibus a Sacra Pœnitentiaria concessam pro hac vice posse extendi pro illo anno, quia intelligitur pro Confessione annua illius anni; licentiam vero concessam Regularibus pro hac vice intelligi debere de illa vice, qua Regulares ex lege, vel regula tenentur confiteri, juxta majorem, vel minorem frequentiam Confessionis a lege præscriptam. Ita etiam Dicastillus *disp.* 11. *n.* 348. quod si regula non præscribat tempus, non debere extendi ultra annum propter commune Ecclesiæ præceptum.

14. Si vero quis inducatur ad committenda peccata reservata intuitu licentiæ jam obtentæ, vel de facili obtinendæ, aliqui volunt, illum non posse, nec debere absolvi virtute illius licentiæ obtentæ; nam privilegium meretur amittere, qui spe privilegii peccat. Alii melius affirmant, posse adhuc, & debere absolvi, quia si licentia concessa est illimitata, & absoluta, non debet restringi ad sola peccata, quæ non sunt facta ob confidentiam talis licentiæ; sicut non restringitur licentia concessa per Jubilæum, aut Bullam Cruciatæ: quamvis autem privilegium mereatur amittere, qui intuitu privilegii peccat, non est tamen ipso facto privatus; inde qui post obtentam facultatem distulit absolutionem, ut liberius nova peccata committeret, potest ab omnibus absolvi, si petitio fuit absoluta, & concessio absque limitatione: si autem petitio respicit tantum peccata præterita, non potest absolvi a commissis post obtentam facultatem. Ita Bossius *de Jubilæo sect.* 1. *casu* 13. Sanchez *l.* 2. *in Decretal. c.* 54. *n.* 18. Bonac. *disp.* 4. *de Leg. quæst.* 2. *punct.* 6. §. 3. *n.* 12. Filliuc. Villab. Ledesma, Diana, & alii, quos affert, & sequitur Aversa *supra*.

15. Quæres: *An Confessarius, qui obtinuit a Prælato facultatem pro uno suo subdito, possit ea uti pro se ipso, & per eam absolvi a reservatis?* Certum est, licentiam petitam, & obtentam pro certa, & determinata persona, non posse inservire pro alia, ac proinde non posse Confessarium ea uti pro se ipso. Si vero licentia fuit petita, & obtenta pro absolutione cujusdam pœnitentis vage, & indeffinite absque designatione personæ; tunc affirmant, Confessarium posse ea uti pro se ipso, ut possit per eam absolvi ab alio Confessario, Floronus, Alphonsus de Leone apud Dianam *p.* 3. *tr.* 4. *resol.* 142. & Villalobos apud Aversam *sect.* 7. Verum hoc pendet a modo, & forma petendi, & concedendi licentiam; si enim Superior concedat licentiam Confessario absolvendi pœnitentem, non poterit ea uti pro se ipso, quia licentia est determinate concessa ipsi Confessario, ut ipse absolvat: si vero licentia petatur, & concedatur, ut unus pœnitens possit se facere absolvere, tunc poterit ea uti pro se ipso, & per eam absolvi ab alio Confessario: uno verbo, si licentia petita, & concessa non determinat personam pœnitentis, nec personam Confessarii, poterit inservire pro Confessario; secus si determinat pœnitentem, aut Confessarium. Aversa *supra*, & cum illo Fran. a Jesu M. *c.* 13. *punct.* 3. *n.* 37.

DUBIUM IV.

An Superior possit facultatem concedere, ut subditus absolvatur cum onere, ut postea coram illo compareat?

16. Certum est, non posse hanc obligationem imponi, quando post commissum peccatum petitur facultas absolvendi, quia si subditus per se ipsum facultatem petit, jam comparet coram Superiore; si petit per Confessarium, aut per alium, ideo hoc facit, ut liberetur ab onere comparendi. Tota difficultas est de facultate concessa antequam committatur peccatum reservatum, ut si subditus petat a Superiore facultatem confitendi alteri, dato quod in aliquod peccatum reservatum labatur, quod solet accidere, quando debet quis iter agere: & quidem si peccatum sit reservatum cum censura, qualia sunt reservata Papæ, potest sine dubio facultas concedi cum onere comparendi ad reincidentiam, ut usus invaluit, ut quandoque talis obligatio ratione censuræ injungatur; si vero peccatum non habeat annexam censuram, negant posse talem obligationem imponi Vasquez de pœnit. *q.* 93. *art.* 1. *dub.* 6. *circa finem*, *& q.* 91. *art.* 3. *dub.* 6. Joannes Sancius *in selectis disp.* 12. *n.* 2. *&* 3. *& disp.* 14. *n.* 19. quos refert Palaus *tr.* 23. *disp. unica punct.* 15. §. 5. *n.* 14. quia si subditus semel fuit directe absolutus a peccato reservato, non potest obligari ad iterum manifestandum idem peccatum, sive in Sacramentali Confessione, sive extra.

17. Sententia magis communis affirmat, posse talem facultatem concedi cum tali obligatione comparendi, idque probat praxis, & usus aliquarum Religionum, in quibus Religiosi iter agentes, ex facultate communiter concessa, absolvi possunt a reservatis cum dicto onere comparendi coram Superiore, non quidem ad iterum confitendum, sed tantum ad reddendam rationem peccati commissi, ad finem melioris medicinæ, vel majoris satisfactionis: & ratio est, quia sicut Superior potest jurisdictionem delegare, & non delegare; ita eam potest delegare cum tali, vel tali conditione, quam postea exequi tenetur subditus sub mortali ex quodam contractu, & pacto inito inter Superiorem, & subditum, ut quoties subditus velit a tali Confessore absolvi, consentiat obligationi comparendi coram Superiore. Ita Henriq. Angelus, Navar. & Suarez, quos affert, & sequitur Mazuchellus *disp.* 1. *q.* 3. *diffic.* 42. Leander *disp.* 12. *q.* 67. Lugus *disp.* 15. *n.* 100. Franc. a Jesu Maria *punct.* 4. *n.* 66.

18. Inutilis videtur mota difficultas, nam Religiosus iter agens non indiget facultate concessa sub illa conditione, & cum tali onere, illamque facile respuere potest; nam si forte iter agendo cadat in aliquod reservatum, poterit indirecte absolvi a Confessario inferiore, & ordinario, cum tunc non suppetat copia alterius Confessarii habentis potestatem absolvendi a reservatis, & domum reversus poterit per Confessarium licentiam petere, quam si Superior injuste neget, poterit nihilominus per facultatem a Papa concessam, directe absolvi a tali peccato reservato, prout habetur ex Constit. Clement. VIII. & Urbani VIII.

19. *An vero possit Superior concedendo licentiam taxare pœnitentiam imponendam pœnitenti, qui debet a peccatis reservatis absolvi?*

Resp. affirmative, sive licentia petatur ante, sive post peccatum commissum, quia Superior est Judex Ordinarius, qui, caussam alteri committendo, potest taxare pœnam, quam arbitratur expedire ad bonum pœnitentis. Sic olim erant in Ecclesia Canones pœnitentiales, qui pro diversis peccatis diversas pœnitentias præscribebant, & Clemens VIII. in

in suo Decreto de casuum reservatione pro Regularibus, quamvis prohibeat Superioribus Religionum reservare casus ultra modum ibi præscriptum; subdit tamen, licere Superioribus determinare pœnitentias graves quibusdam peccatis etiam non reservatis, a Confessoribus imponendas, quæ subditos ab hujusmodi peccatis perpetrandis cohibere possint. At quia juxta occurrentes circumstantias augeri, vel minui potest, ac debet pœnitentia, multum in hac parte relinquendum est prudentiæ Confessarii, & statuenda erit a Superiore Pœnitentia potius per modum cujusdam directionis, & ordinationis, quam per modum præcepti. Palaus *punct.* 15. §. 5. *num.* 11. Suarez *disp.* 30. *sect.* 5. *n.* 3. Coninch *disp.* 8. *de pœnit. dub.* 14. *in fine.* Villalob. *diffic.* 65., *& alii*.

DUBIUM V.

An possit Superior absolvere solum a peccatis reservatis, & pro reliquis remittere pœnitentem ad Confessarium inferiorem?

20. CОnveniunt fere omnes, non posse Superiorem, qui peccata omnia tam reservata, quam non reservata pœnitentis audivit, ipsum Sacramentaliter absolvere dimidiate, a reservatis dumtaxat, & non a reliquis, quia integritas Confessionis, & absolutionis est de jure divino, a qua solum necessitas, & urgentissima caussa potest excusare; unde sicut pœnitens tenetur omnia peccata subjicere clavibus; ita Superior, qui audivit omnia peccata tam reservata, quam non reservata, tenetur ab omnibus absolvere pœnitentem dispositum, & non habentem ex parte sui aliquod impedimentum. Difficultas est: *an possit Superior audire solum Confessionem peccatorum reservatorum, & ab illis Sacramentaliter absolvere, remittendo pœnitentem ad inferiorem Sacerdotem, a quo absolvatur a peccatis non reservatis?* Affirmant apud Leandrum *disp.* 12. *q.* 29. D. Anton. Palod. Henriq. Gerson. Petrus Soto, Navar. Molfesius, & Cajet. in Sum. *V. Conf. cond.* 10. dicens, hanc esse consuetudinem Romanæ Ecclesiæ, nec oportere sapere, plus quam oportet, sed sapere ad sobrietatem; ita etiam alii ex Summistis. Ratio est, quia sæpe Prælati variis occupationibus sunt impediti, ob quas non possunt integras audire Confessiones.

21. Resp. Non posse Superiorem absque speciali necessitate, & urgentissima caussa pœnitentem absolvere Sacramentaliter a solis reservatis, & illum remittere ad inferiorem Sacerdotem pro absolutione non reservatorum. Ratio est, integritas Confessionis, & absolutionis est de jure divino, ut habetur ex Tridentino *sess.* 14. *cap.* 5. & supra diximus suo loco; a qua integritate non excusat, nec eximit reservatio, sed dumtaxat urgens, & justa caussa, nullusque Superior in hac dispensare potest, nec ipse Summus Pontifex, adeoque debet Superior, si urgentes habeat occupationes, vel pœnitentem remittere ad alium Confessarium cum potestate ipsum absolvendi ab omnibus peccatis etiam reservatis, vel debet ipse audire omnia peccata pœnitentis, si vult ipsum Sacramentaliter absolvere. Sic Suarez *disp.* 21. *sect.* 1. *n.* 6. Bonacina *disp.* 5. *q.* 7. *punct.* 5. §. 3. Ant. a Spiritu S. *disp.* 15. *sect.* 6. *num.* 1263. Aversa *q.* 17. *sect.* 9. Facundez, Granado, Lugus, & alii, quos affert, & sequitur Leander *disp.* 12. *q.* 29.

22. Justa existente caussa poterit Superior pœnitentem absolvere solum a reservatis, ipsumque remittere ad inferiorem pro reliquis, ut docent præcitati Doctores, quia non solum necessitas ex parte pœnitentis, sed etiam ex parte Confessoris potest esse sufficiens caussa dimidiandi Confessionem, & absolutionem. Hæc tamen raro evenire potest respectu Confessarii, qui si urgentes habeat occupationes, & negotiorum multitudinem, poterit, si peccata sint reservata cum censura, auditis reservatis, absolvere a censura, & pœnitentem remittere ad inferiorem pro absolutione Sacramentali peccatorum; si vero fuerint reservata sine censura, & ipse habeat potestatem subdelegandi, poterit ipsum remittere ad inferiorem cum potestate, ut absolvatur ab omnibus, absque eo quod ipse Sacramentaliter absolvat: & hæc forte est consuetudo Romanæ Curiæ, quam Cajetanus adducit, ut nimirum in casibus Papæ reservatis, qui annexam habent excommunicationem, Superior absolvat ab excommunicatione, & pœnitentem remittat ad inferiorem pro Sacramentali absolutione peccatorum; aliamque praxim non vigere notat Aversa *loc. sup. cit.*

23. Facilius urgere potest justa caussa in Confessario delegato, & non habente facultatem subdelegandi, qui proinde non potest reservationem tollere, nisi per absolutionem, ut bene advertit Lugus *disp.* 20. *n.* 79. tunc enim dum non potest ex integro audire pœnitentem, aut Confessionem differre, ut evenire potest in termino Jubilæi, aut anni per Bullam Cruciatæ concessi, aliisque similibus occasionibus certo termino limitatis, potest, ac debet tunc a reservatis absolvere, & reliqua peccata in aliud sequens tempus remittere, quod tutius est, quam id, quod cum aliis habet Diana *part.* 1. *tr.* 11. *resol.* 94. posse Confessarium electum tempore Jubilæi, si non potest intra tempus Confessionem perficere, nulla tunc data absolutione, illam differre in aliud tempus commodum.

24. Quæres: *An pœnitens Sacramentaliter absolutus a Superiore a solis peccatis reservatis, teneatur denuo manifestare Confessario inferiori omnia peccata tam reservata, quam non reservata?*

Resp. non teneri manifestare, nisi peccata mortalia non reservata, quia pœnitens in dicto casu vere, & legitime confessus est peccata reservata, & ab illis fuit a Superiore directe absolutus; ergo non tenetur eadem de novo repetere Confessario inferiori. Certe in casu inculpabilis oblivionis, & aliis similibus, in quibus pœnitens ob justam caussam dimidiat Confessionem, non tenetur peccata priora jam confessa repetere; ergo nec in casu præsenti, cum militet eadem ratio. Ita cum Coninch, Nogno, Vasquio, Zerola, Lugo, Suarez, Dicastillo, docet Antonius a Spiritu S. *nu.* 1266. ubi etiam advertit in hoc casu, quo licite dimidiatur Confessio, fieri duplex Sacramentum tribuens gratiam, cum utrumque sit formaliter integrum. Ita etiam cum Homobono *in exam. tr.* 5. *c.* 4. *q.* 25. tenet Aversa *cit. sect.* 9.

DUBIUM VI.

An licite possit Confessarius Pœnitentem absolvere a non reservatis, & ipsum remittere ad Superiorem pro reservatis?

25. PRima Sententia absolute affirmat, etiam absque ulla necessitate posse pœnitentem absolvi a Confessario inferiori directe a peccatis non reservatis, & indirecte a reservatis, cum onere recurrendi ad Superiorem pro absolutione directa reservatorum, dummodo pœnitens integram faciat Confessionem omnium peccatorum apud Confessarium inferiorem, & casus non sint reservati cum censura, a qua debet prius absolvi, quia ita præsumitur de voluntate Prælatorum, cum per illam absolutionem non tollatur obligatio, quam habet pœnitens comparendi coram Superiore pro reservatis. Ita Navarrus, Cajetanus, Sà, Valentia, Zerola, Medina, Sayrus, quos refert, & sequitur Bordonus *tom.* 1. *resol.* 39. *n.* 43. probabile putat Bassæus *V. Casus reservatus n.* 15. & novissime sequitur Ant. a Spiritu S. *disp.* 16. *sect.* 9. *num.* 1380.

26. Secunda Sententia absolute negat; etiam ex caussa necessitatis, quando urget præceptum communicandi; posse umquam talem Confessionem, & absolutionem dividi; sed, urgente necessitate communicandi, debere potius hominem communicare absque ulla prævia Confessione, præmissa dumtaxat Contritione. Ita docent Ricardus, Durandus, Adrianus, Vasquez, etsi casus sint reservati cum censura: tenent etiam Sotus, Canus, & Sylvius, quos affert Aversa *quæst.* 17. *sect.* 9.

27. Communis, & vera Sententia docet, inferiorem Sacerdotem non posse absque rationabili caussa, & urgente necessitate absolvere pœnitentem a non reservatis, remittendo postea illum ad Superiorem pro reservatis. Ratio est, quia tam integritas Confessionis, quam integritas absolutionis est de jure divino, a qua solum excusare potest rationabilis caussa, & gravis necessitas, at in eo casu non fieret Confessio integra; licet enim pœnitens dicat peccata omnia, revera tamen in ordine ad Sacramentum Confessio non est integra, cum non sit facta coram legitimo Judice, & inde nec absolutio est integra, cum non sit prolata a Judice habente jurisdictionem pro integra caussa. Sic cum Divo Thoma, Molfesio, Reginaldo, Megala, Ledesma, Soto, Henriquez, Suarez, Coninch, Lugo, aliisque recentioribus, tenet Leander *q.* 32. ita etiam Mazuchel. *q.* 3. *diffic.* 14. & Bonac. *q.* 7. *p.* 5. §. 3. *n.* 9.

28. Rationabili existente caussa, & necessitate, puta si instet præceptum Communionis, si quis debeat Sacrum facere, aut communicare, nec possit omittere sine scandalo, & infamia, nec tunc pateat aditus ad Superiorem, poterit Sacerdos inferior habens jurisdictionem super peccata non reservata, illa directe absolvere, & verum facere Sacramentum, per quod indirecte tollentur reservata; sicut indirecte tolluntur in casu oblivionis inculpabilis, aut quando adest in pœnitente justa caussa peccatum aliquod tacendi. Sicut enim in his, & similibus casibus sufficit integritas formalis pro Confessione, ita etiam potest sufficere formalis integritas pro absolutione, dummodo ultra peccata reservata quis confiteatur peccata alia non reservata, a quibus directe absolvatur. Ita Doctores supra citati, & alii communiter.

29. Quod verum est, non solum quando casus reservati non habent adnexam excommunicationem, sed etiam quando illam habent adnexam, quia excommunicatio solum prohibet receptionem Sacramenti extra casum necessitatis, non autem irritat illius valorem; sicut ergo, stante necessitate, excommunicatio non impedit Communionem; ita nec impedit receptionem Sacramenti Pœnitentiæ, ut cum Suarez, Coninch, Lugo, Maderno, & Leandro diximus *de Eucharistia cap.* 9. *dub.* 3.

30. Dices: hinc sequi, simplicem Sacerdotem non approbatum ad Confessiones audiendas, in casu urgentis necessitatis extra articulum mortis, quando non est recursus ad Superiorem, posse audire mortalia, sive reservata, sive non reservata, & illa indirecte absolvere, si pœni-

tens

tens simul aperiat aliqua peccata venialia, a quibus simplex Sacerdos potest directe absolvere.

Resp. sequela admittitur ab Ant. a Spiritu S. *sect. 9. n.* 1379. ubi adducit Suarez, & Dicastillum; melius tamen negatur sequela, quia simplex Sacerdos extra casum necessitatis non potest absolvere a peccatis venialibus, ut diximus supra *cap.* 13. *n.* 4. cohærenter ad Decretum Sacræ Congregationis ibidem allatum.

31. *An vero, adveniente casu, teneatur pœnitens facere Confessionem integram omnium peccatorum, etiam reservatorum; an vero possint peccata reservata reticeri, manifestatis dumtaxat non reservatis, a quibus Sacerdos inferior potest directe absolvere?* sufficienter diximus *cap.* 9. *de Eucharist. dub.* 3. ubi recensuimus tres Sententias; primam asserentem, necessariam esse Confessionem omnium peccatorum, quam sequuntur Doctores communiter: secundam asserentem, nullam esse præmittendam Confessionem in dato casu, sed communicandum, aut sacrificandum cum sola Contritione, quia non potest licite dimidiari Confessio, & absolutio: & tertiam volentem sufficere Confessionem peccatorum non reservatorum, absque necessitate manifestandi reservata, quia Sacerdos inferior non est Judex peccatorum reservatorum, & hæc non sunt tunc materia illius Confessionis, & illorum manifestatio non est sacramentalis, cum non sit facta coram legitimo Judice, nec possit absolutione formari, & effici pars Sacramenti; tum quia talis pœnitens, cum debeat ea peccata coram legitimo Judice confiteri, non est cogendus, ea confiteri, seu manifestare pluribus Ministris.

32. Nec obstat, quod Confessio debeat esse integra, quando illa fieri potest; nam Confessio debet esse integra, etiam materialiter, quando adest jurisdictio directa in Ministro; at si non adsit jurisdictio directa, non est necessaria illa integritas, a qua excusat defectus jurisdictionis. Quare in casu posito poterit quis reticere, vel confiteri peccata reservata, prout voluerit; inde consuluit Diana *part.* 5. *tr.* 13. *resol.* 10. adolescentem, qui magnum habebat ruborem confiteri in casu, de quo loquitur, peccata reservata cum quodam Sacerdote, potuisse illa non confiteri. Ita etiam tenet Aversa *q.* 17. *sect.* 9. Lugus, & alii, quos affert, & sequitur Leander *q.* 12. *resol.* 33.

DUBIUM VII.

An per Confessionem factam coram Prælato tollatur reservatio circa peccata oblita?

33. NEgant Vasquez *q.* 92. *art.* 3. *dub.* 5. *n.* 18. & 21. Hurtado *disp.* 11. *diffic.* 8. & alii, quia finis reservationis est, ut pœnitens se sistat Superiori pœnitentiam, & medicinam peccati reservati recepturus, cui fini non fuit satisfactum, quando peccatum reservatum non fuit in Confessione manifestatum per inculpabilem etiam oblivionem. Affirmant Suarez *disp.* 31. *sect.* 4. *n.* 12. Megala *p.* 1. *lib.* 2. *c.* 14. *n.* 7. & Bonacina *q.* 7. *p.* 5. §. 5. *n.* 4. quando pœnitens recurrit ad Superiorem, ut ab eo absolvatur a reservatis, si quæ habet, & hoc ei significat; secus quando recurrit ad Prælatum Confessione ordinaria; nam tunc perinde est, ac si fuisset absolutus a Confessario ordinario non habente potestatem super reservata, cum Superior non habuerit intentionem absolvendi a reservatis.

34. Resp. per Confessionem factam apud Prælatum, seu habentem facultatem absolvendi a reservatis, & per absolutionem ab eo datam, tolli reservationem circa peccata oblita, adeo ut possit pœnitens, quando in mentem veniunt, directe absolvi a quocumque communi Confessario, absque necessitate iterum recurrendi ad Superiorem. Ratio est, quia quando pœnitens expresse petit, & Minister expresse dare intendit absolutionem adæquate juxta omnem potestatem, quam habet, vere tollitur omnis censura, & reservatio; at pœnitens semper censetur saltem tacite id velle, & petere, & Sacerdos semper censetur idem intendere, nisi expresse oppositum determinet; ergo semper per consuetam absolutionem tollitur omnis censura, & reservatio, quæ a tali Ministro tolli potest. Et quidem si peccatum erat reservatum cum censura, facile omnes admittunt, tolli censuram etiam reservatam per illa verba generalia, quæ præcedunt absolutionem a peccatis: *Ego te absolvo ab omni vinculo excommunicationis in quantum possum, & indiges;* ergo etiam per absolutionem Sacramentalem peccatorum tollitur reservatio peccati inculpabiliter obliti, quia Sacerdos intendit absolvere, & facere quantum potest; sed potest tollere reservationem; ergo illam tollit. Ita Navar. Rodriquez, Sylvester, Angel. Rosella, & alii, quos citat, & sequitur Facundez *præcept.* 2. *lib.* 8. *c.* 3. *n.* 12. ubi ait, esse conclusionem certam, Leander *q.* 34. Candid. *disquisit.* 24. *art.* 69. *dub.* 56. *num.* 61. Bossius *sect.* 1. *casu* 32. *n.* 2. Ant. a Spiritu S. *n.* 1261. Lugus *disp.* 20. *sect.* 7. *n.* 94. & aliis citatis, Aversa *sect.* 8. Diana *part.* 10. *tract.* 13. *resol.* 56.

35. Quod dictum est de casibus inculpabiliter oblitis, valet etiam de peccatis scienter prætermissis, sed ex necessitate, & justa caussa, puta ad evitandum grave damnum ipsius pœnitentis, vel alterius, quod ex illorum peccatorum confessione prudenter timebatur, adeo ut per Confessionem legitime factam apud Superiorem tollatur circa ista peccata reservatio, sicut tollitur circa inculpabiliter oblita, ut pœnitens possit directe absolvi a quocumque alio Confessario inferiore. Ita notant Bossius *n.* 5. Homobonus *in exam. p.* 1. *tr.* 5. *c.* 6. *q.* 38. Diana *p.* 3. *tr.* 4. *resol.* 150. Lugus, & Aversa *loco cit.*

36. Hoc totum verum est non solum quando Confessio fit apud Superiorem habentem potestatem ordinariam super reservata, sed etiam quando fit apud Confessarium habentem tantum potestatem delegatam, quia in hoc est eadem utriusque ratio, cum uterque habeat potestatem super reservata, & uterque virtualiter intendat auferre omnem reservationem, & absolvere in quantum potest, ut etiam notat Mazuchel. *disp.* 1. *q.* 3. *de casib. reser. diffic.* 22. *n.* 77. non tollitur autem reservatio, si quæ peccata voluntarie sine caussa taceat.

37. Quæres 1. *An tollatur reservatio, quando Confessio facta apud Superiorem fuit nulla, & invalida, defectu doloris, propositi, aut integritatis?* Aliqui affirmant de Superiore habente potestatem Ordinariam super reservata, & negant de Superiore habente potestatem delegatam; alii vero absolute affirmant, cum quibus

38. Resp. per Confessionem invalidam tolli reservationem omnium peccatorum, quæ manifestantur in Confessione, sive fiat apud Superiorem ordinarium, sive apud Delegatum, ita quod non sit amplius pro absolutione recurrendum ad Superiorem, licet remaneat obligatio repetendi Confessionem, & faciendi Confessionem validam pro absolutione peccatorum, quæ fieri potest apud quemcumque Confessarium ordinarium. Dixi tolli reservationem peccatorum, quæ manifestantur in Confessione, quia si aliqua voluntarie, & scienter absque justa caussa taceantur, ab illis non tollitur reservatio. Ratio est, quia per illam Confessionem, licet invalidam, fuit satisfactum fini reservationis, quod pœnitens debeat recurrere apud Superiorem habentem jurisdictionem, eique suum peccatum revelare, ut ipse judicet pro eis, pœnitentiam imponendo, & impendendo absolutionem, quod totum factum est in dicta Confessione invalida: tum quia si pœnitens, manifestando peccata reservata, petiisset absolutionem a sola reservatione, eam utique obtinuisset; sed confitendo Sacramentaliter dicitur petiisse absolutionem a reservatione, & a culpa; ergo licet non maneat absolutus a culpa ob defectum commissum in ipsa Confessione, remanet tamen absolutus a reservatione, cujus ablatio non pendet a validitate Confessionis. Ita ex communi Sententia tradunt Sylvester, Cajet. Suarez, Coninch, quos citat, & sequitur Palaus, *tr.* 23. *disp. unica punct.* 15. §. 6. Mazuchellus *diffic.* 19. Aversa *q.* 17. *sect.* 8. Franc. a Jesu M. *c.* 13. *punct.* 3. *n.* 41. Vasquez, Nugnus, Comitolus, Bossius, & alii, quos affert, & sequitur Leander *q.* 42. Lugus *disp.* 20. *n.* 126. ubi advertit, pœnitentem debere in eo casu monere postea Confessarium, quæ illi fuerit imposita pœnitentia pro reservatis a Superiore in prima Confessione nulla, ut iterum ei eam imponat in Confessione valida, & sic fiat Sacramentalis, quia talem pœnitentiam exequi tenetur.

39. Dices: responsionem esse veram de Superiore habente potestatem ordinariam, non vero de Delegato, qui non potest tollere reservationem peccati, nisi media absolutione Sacramentali, qualis non est illa, quando pœnitens est indispositus, & Confessio invalida.

Resp. per se loquendo non tolli a Delegato reservationem, nisi per Sacramentalem absolutionem; tamen in nostro casu cum satisfactum sit fini reservationis, Superior ex recepta consuetudine, communi Doctorum auctoritate firmata, facultatem tribuit eam tollendi, vel eam ipse tollit, eo ipso quod a suo Delegato pœnitens absolvitur, ut recte docet Palaus *supra cit.* & notat Mazuchel. *n.* 63.

40. Quæres 2. *An ille, qui tempore Jubilæi confitetur invalide, maneat liber a reservatione peccatorum, quæ confitetur, a censuris, irregularitatibus, & votis?* Negant plures, quia facta Confessione invalida, non obtinetur indulgentia, ad quam requiritur, tamquam necessaria conditio, Confessio valida; ergo nec obtinentur alii favores. Ita Rodriq. Suarez, Filliuc. Floron. Homobon. Layman, & alii, quos affert Bossius *de Jubilæo sect.* 1. *casu* 34. sed Leander *q.* 43. probabiliter affirmat, quia in hoc, sicut in præcedenti casu, pœnitens manifestavit sua peccata habenti jurisdictionem, ejusque sententiam audivit, & impositam pœnitentiam accepit, qui est finis reservationis; ergo tollitur reservatio, quamvis Confessio fuerit invalida ex defectu doloris, propositi, aut integritatis; pro eadem Sententia citat Vasquez, Comitolum, Sylvestrum, & alios. Probabilem dicit Bossius *n.* 12. quia si illa absolutio non valet ut Sacramentalis, valet saltem ut ablatio reservationis, quæ non pendet ab ablatione culpæ; inde non esset damnandus, qui, adveniente casu, in praxi illam sequeretur, quia per illam Confessionem invalidam fuit satisfactum fini reservationis. Ita etiam tenet cum aliis Mazuchellus *disp.* 1. *quæst.* 4. *diffic.* 23.

DU-

D U B I U M VIII.

An, & quatenus quilibet Confessarius possit a peccatis reservatis absolvere in casu necessitatis?

41. POsse quemlibet Sacerdotem, etiam non approbatum, in mortis articulo, si desit copia alterius Confessarii, absolvere Moribundum a quibuscumque peccatis, etiam reservatis, & a quibuscumque censuris, expresse habetur in Trident. *sess. 14. c. 7. In Ecclesia Dei custoditum semper fuit, ut nulla sit reservatio in articulo mortis, atque ideo omnes Sacerdotes quoslibet pœnitentes a quibusvis peccatis, & censuris absolvere possunt;* & diximus supra *cap. 13. dub. 3.* ubi etiam notavimus, hanc facultatem absolvendi in articulo mortis descendere ex ipsa concessione Ecclesiæ, quæ tamen erat conveniens, & debita, ne reservationis rigore quis decederet sine absolutione cum periculo æternæ damnationis, nec posse tolli, aut impediri ab inferiore Prælato, & hanc facultatem extendi non solum ad mortis articulum, sed etiam ad periculum, & inde posse absolvi infirmum, etiam prima die infirmitatis periculosæ, aut quando timetur amissio loquelæ, aut usus rationis in periculosa infirmitate, ut cum aliis docet etiam Mazuchellus *disp. 1. q. 3. diffic. 25.*

42. Potest autem quilibet Confessarius absolvere constitutum in articulo, seu periculo mortis a quibuscumque casibus reservatis, sive Summo Pontifici, sive aliis inferioribus Prælatis, quia de omnibus loquitur Concilium, & de omnibus est eadem ratio: ab omnibus non solum peccatis, sed etiam censuris, ut expresse habetur in Trident. Sanch. *lib. 2. in Sum. c. 13. n. 12.* hoc intelligit solum de illis censuris, quæ Sacramentalem absolutionem, & Ecclesiasticam sepulturam impediunt, quales sunt excommunicatio, & interdictum, non vero de iis, quæ non impediunt, qualis est suspensio ab Ordine, Officio, vel Beneficio, quia Trident. hanc facultatem concessit: *Ne hac occasione aliquis pereat;* ubi videtur innuere, hanc facultatem pro iis tantum censuris esse factam, quæ impediunt receptionem Sacramentorum. Verum Ugol. *de Censur. tab. 1. c. 4. §. 1. num. 2.* tenet, simplicem Confessorem posse tunc absolvere ab omnibus censuris, tam impedientibus, quam non impedientibus Sacramentorum susceptionem, quia Concilium dicit, *a quibusvis censuris,* quæ particula cum sit generalis, & universalis, nec ullam excipiat, debet omnes comprehendere; ubi enim lex non distinguit, nec nos distinguere debemus; non dissentit Mazuchellus *diffic. 29.*

43. Hoc discrimen intercedit inter absolutionem a censuris, & absolutionem a peccatis, quod absolutus in articulo mortis ab excommunicatione reservata, tenetur, si convalescat, comparere coram Superiore, sub pœna reincidentiæ in eamdem censuram, si non comparuerit, ut habetur ex cap. *Eos qui, de sent. excom. in 6.* Quod verum est non solum de excommunicatione, & reservatione Pontificia, sed etiam Episcopali, aut alterius Prælati, quia de omni loquitur Pontifex eo capite, ut bene advertit Aversa *sect. 5.* Unde etiam Confessarius tenetur monere pœnitentem de hoc onere comparendi coram Superiore, & sub juramento etiam obligari, ex c. *Quamvis, de sent. excom.* debet autem comparere, non ut ab excommunicatione absolvatur, cum jam ab ea sit directe absolutus, ut docet Ant. a Spiritu S. *n. 1384.* sed ut mandatum ejus accipiat, & ostendat se obedientem, ac paratum ad recipiendam debitam medicinam, & majorem satisfactionem, si judicaverit imponendam. Liberatur autem ab onere comparendi, qui a censura reservata absolvitur virtute Jubilæi, aut Bullæ concedentis talem absolutionem in articulo mortis, ut concedi asserit Leander *q. 70.* in Bulla Cruciatæ semel in vita, & semel in articulo mortis, excepto casu hæresis; nam privilegium non est, ut absolvatur cum tali onere, sed absolute conceditur, ut absolvatur absque ulla obligatione. Ita etiam Lugo *disp. 29. n. 201.*

44. Quando moribundus absolvitur a peccato reservato sine censura, non tenetur coram Superiore postea comparare, nec potest ei hoc onus imponi, quia in illo Canone sermo solum est de censura, non vero de peccato reservato; & Trid. concedens facultatem absolvendi constitutum in articulo mortis, nullam imponit obligationem comparendi. Sic Suarez, Cordaba, Sanchez, Sancius, Coninch, Reginaldus, & alii, quos affert, & sequitur Leander *q. 78.*

45. Extra mortis articulum, qui gravi, & legitimo detinetur impedimento, ut non possit adire Pontificem, absolvi potest ab Episcopo a casibus, & censuris Summo Pontifici reservatis, ut habetur ex eodem c. *Eos qui*: c. *Mulieres*: c. *ex tenore*: & c. *Quamvis*. Legitima impedimenta censentur morbus, quamvis non periculosus, ut podagra, ætas senilis, aut puerilis, sexus muliebris, nimia paupertas, reclusio in Carcere, aut Clausura, occupatio in aliquo publico Ministerio non permittente discessum, & absentiam, de quibus videri potest Leander *p. 4. tr. 2. qu. 59.* inde qui aliquo ex istis detinetur impedimentis, potest absolvi ab Episcopo ab omnibus censuris Papæ reservatis, etiam contentis in Bulla Cœnæ, etiam publicis, cum hoc tamen discrimine, quod si impedimentum sit perpetuum, ut est sexus muliebris, ætas senilis, immo & puerilis, pœnitens absolvitur absolute absque onere amplius comparendi coram Pontifice; si vero impedimentum sit temporale, absolvitur cum onere comparendi cessante impedimento, sub pœna reincidentiæ, & ad majorem cautelam exigitur etiam juramentum. Sic Navar. *c. 27. n. 89.* Henriq. Tabiena, Covar. Angelus, & alii, quos affert, & sequitur Leander *q. 73. de Sacram. Pœnit. tr. 5. disp. 52.*

46. Hæc facultas absolvendi impeditum extra mortis articulum a casibus Pontificiis non competit cuicumque Confessario, sed duntaxat Episcopo, quia illi soli conceditur a Pontifice; nam supponit raro contingere posse, ut extra mortis articulum non possit recurri ad Episcopum. Sic Lugus *disp. 20. n. 225.* Suarez *disp. 30. sect. 2. n. 12.* Leander *q. 75.* Aversa *sect. 5.* qui notat, hanc facultatem exerceri posse non solum immediate ab ipso Prælato, & Episcopo, sed etiam per delegationem communicari posse alteri Confessario, quia cum sit concessio facta per viam juris ipsi Prælato ratione Officii, potest ab eo refundi in alios Ministros.

47. Quod si impeditus adire Pontificem, possit adire Legatum, seu Nuntium forte vicinum, aut alium habentem facultatem absolvendi a casibus Pontifici reservatis, non poterit absolvi ab Episcopo, cui conceditur facultas ista, solum quando non patet aditus ad Pontificem, seu Legatum, ut docent Navar. *c. 27. n. 60.* Corduba *q. 27.* Bonac. *de Censur. disp. 1. q. 3. pu. 2. n. 4.* Lugus *disp. 20. n. 221.* Certe si quis fuisset absolutus a Prælato cum onere comparendi coram Pontifice, si compareat coram Legato, aut alio Deputato, liberatur ab illo onere, & tenetur ad illum recurrere; ergo si ab initio poterat ad illum recurrere, tenebatur hoc facere, & sic non poterat absolvi ab Episcopo, qui solum habet facultatem in defectum Legati, vel alterius Delegati. Impeditus autem personaliter adire Pontificem, non tenetur scribere, aut mittere nuntium, etiamsi hoc facile possit facere, sed poterit ex juris beneficio a Prælato absolvi, quia absolute conceditur illa facultas pro iis, qui non possunt accedere, & dicitur, qui nec possunt accedere, nec mittere: absolutus a Prælato, poterit, si voluerit, scribere, aut nuntium mittere, ut liberetur ab onere personaliter comparendi, sed ad hoc non tenetur, cum possit expectare, ut cesset impedimentum. Mazuchellus *n. 153.*

48. Hic dubitari potest: *an impeditus adire Episcopum, possit eodem modo absolvi ab inferiore Confessario a casibus Episcopo reservatis?* Affirmant Cælestinus *in compend. Theol. Mor. tr. 1. c. 23. n. 5.* Gammachæus, & Granado, quos affert, & sequitur Diana *p. 5. tr. 14. resol. 58.* quia videtur par ratio, & fieri possit, data necessitate communicandi, vel celebrandi, ut non minus sit difficilis aditus ad Episcopum, quam ad Pontificem. At melius negant Andrian. Durand. Suarez *disp. 30. sect. 30. n. 12.* Lugus *disp. 20. n. 225.* Aversa, & alii, quia Canones solum loquuntur de casibus Pontifici reservatis, non de aliis reservatis Episcopo; nam Pontifices providere voluerunt pro casibus, quos sibi reservabant, relinquentes Episcopis, ut pro sua prudentia opportune providerent circa casus sibi reservatos, & reservandos. Itaque constitutus in necessitate communicandi, vel celebrandi, si non possit adire Episcopum, vel habentem facultatem, poterit a reservatis indirecte absolvi cum onere postea comparendi pro absolutione directa, ut diximus supra *dub. 6.* quamvis Ant. a Spiritu S. *n. 1387.* contendat absolutum in casu necessitatis non teneri se præsentare Superiori, aut habenti facultatem pro absolutione directa, nec posse hoc onus illi imponi; sed hoc est contra communem sensum aliorum.

49. Quæres: *An quando peccatum est pluribus reservationibus reservatum, una ablata, tollantur omnes?*

Resp. reservationes plures provenientes ab eodem Superiore, vel ab ejus Successore in munere, & Officio, quando sunt sine censura, pro una solum reputari; unde per unam facultatem absolvendi tollitur omnis hujusmodi reservatio. Si autem reservationes factæ sint a diversis Superioribus, ut a Papa, & ab Episcopo, tunc per facultatem concessam ab Episcopo non tollitur reservatio Papalis; bene tamen per facultatem concessam a Papa tollitur reservatio facta ab Episcopo, quia Pontifex, concedendo facultatem absolvendi a tali peccato, censetur auferre omnem aliam reservationem; & hac de caussa Sacra Congreg. de mandatu Clem. VIII. prohibuit, ne Episcopi reservent sibi casus Bullæ Cœnæ, nec Pontifici specialiter reservatos.

D U B I U M IX.

A quibus casibus possint Prælati Regulares absolvere suos subditos.

50. EX speciali Decreto Concilii Trident. *sess. 24. c. 6.* concessum est, ut liceat Episcopis, *in quibuscumque casibus occultis, etiam Sedi Apostolicæ reservatis, delinquentes quoscumque sibi subditos in Diœcesi sua, per se ipsos, aut Vicarium ad id specialiter deputandum in foro conscientiæ, gratis absolvere, imposita pœnitentia salutari. Item, & in hæresis crimine in eodem foro conscientiæ eis tantum, non eorum Vicariis sit permissum:* ubi nomine Episcoporum veniunt etiam Abbates, & alii Prælati habentes jurisdictionem quasi Episcopalem, & Capitulum Sede Episcopali vacante, ut, pluribus citatis, expresse docet Leander *p. 4. tr. 2. disp.*

disp. 17. q. 43. & 44. Per casus occultos intelliguntur, qui non sunt notorii, & publici, etiamsi alioquin sint noti duobus, aut tribus personis, & in magnis Urbibus etiam septem, aut octo personis prudentibus, quæ non censentur aliis propalaturæ: pro quo videri potest Bossius *de Jubilæo sect. 1. casu* 10. §. 3. & Leander supra *q.* 48.

51. *An vero talis facultas Episcopis in Trident. concessa sit revocata per Bullam Cœnæ, quæ quotannis renovatur?* & maxime facultas absolvendi a crimine hæresis valde controvertitur apud Doctores, quorum catalogum pro utraque parte dabit Leander *q.* 45. *&* 46. Aliqui affirmant, esse revocatam, nec posse amplius Episcopos absolvere a crimine hæresis, & aliis contentis in Bulla Cœnæ, quamvis occultis, quia in Bulla expresse tollitur facultas in quocumque etiam Concilio concessa, quo nomine venit etiam Concilium Trident., & sic referunt, declaratum fuisse a Sacra Congreg., & a Summis Pontificibus S. Pio V. Greg. XIII. & Clement. VIII.: favet damnatio proposit. tertiæ facta ab Alexandro VII. tenoris sequentis: *Sententia asserens, Bullam Cœnæ solum prohibere absolutionem hæresis, & aliorum criminum, quando publica sunt, & id non derogare facultati Tridentini, in qua de occultis criminibus sermo est, Anno 1629. 18. Julii in Consistorio Sacræ Congreg. Eminent. Cardinalium visa, & tolerata est.*

52. Alii e contra negant, talem facultatem esse sublatam, quia in Bulla Cœnæ non fit expressa mentio Concilii Trident. lex autem generalis, etiam posterior indistincte loquens, non tollit legem specialem anteriorem, sed per hanc limitanda est, & sic clausula Bullæ revocatoria facultatum limitari potest, ut intelligantur revocatæ facultates absolvendi a casibus publicis, non ab occultis, ut sentiunt Facundez, Becanus, Granados, & alii apud Leandrum, & Bossium *de Jubilæo sect. 1. casu* 10. §. 2. tum quia Concilio generali, præsertim Trident., non derogatur per clausulam generalem, nisi illius fiat expressa mentio. Sed quidquid sit de hac re, de qua fusius loquendum est suo loco *in tr. de Excom.* circa ipsam Bullam Cœnæ, certum est, non esse revocatam facultatem absolvendi ab aliis casibus Pontifici reservatis, & non contentis in Bulla Cœnæ, adeoque posse Episcopos ab illis, quando sunt occulti, suos subditos absolvere, juxta tenorem Concilii Trident. His positis

53. Resp. Prælati Regulares absolvere possunt suos subditos ab omnibus casibus, a quibus potest Episcopus de jure absolvere suos Diœcesanos. Ratio est, quia ex communi sensu Doctorum ipsi habent jurisdictionem quasi Episcopalem; siquidem jurisdictio, quam olim habebant Episcopi in Regulares, translata est in Prælatos Regulares per exemptionem a jurisdictione Episcoporum, unde possunt absolvere suos subditos ab omnibus casibus, & Censuris, a quibus Episcopi jure ordinario possunt suos Diœcesanos, quod licet possit pluribus privilegiis Summorum Pontificum confirmari, satis erit afferre Constit. S. Pii V. editam 21. Julii anno 1571. incipit *Romani Pontificis*, quam affert Andreas a Matre Dei *tr. 10. de Censuris c. 2. dub. 6.* his verbis: *Quia Sacrum OEcumenicum Concilium generale Trident. concessit Episcopis, ut absolvere possent in foro animæ, seu conscientiæ ab omnibus peccatis, & dispensare in irregularitatibus, prout sess. 24. c. 6. habetur; ne Prior Conventualis, & Superiores Prælati dicti Ordinis*, scilicet S. Dominici, & per communicationem aliorum Ordinum Prælati, *tum in dicta Provincia, quam extra eam ubilibet in hac parte deterioris conditionis, quam Clerici, & sæculares existant, eisdem Priori Conventuali, & Superioribus Prælatis, ut ipsi per se ipsos idem omnino possint in Fratres, & Moniales dicti Ordinis sibi subditos, quod possunt Episcopi in Clericos, & Laicos sibi subditos, tam quoad absolvendi, ac dispensandi hujusmodi, quam alias quascumque facultates, eisdem auctoritate, & tenore perpetuo concedimus, & indulgemus, ac etiam declaramus, præsentes litteras perpetuo durare, & valere.*

54. Ex quo constat, non solum Generales, & Provinciales, sed etiam Superiores locales habere hanc jurisdictionem, & potestatem in suos subditos, cum & ipsi habeant jurisdictionem quasi Episcopalem ex cap. *Abbates, de privilegiis in 6.* Idem valet de eorum Vicariis, quia omnem potestatem, & jurisdictionem, quam habebat Generalis, habet illius Vicarius, qui in ejus locum succedit, & idem est Vicarii Provincialis, & Superioris localis, quando in domo, & Conventu præsidet, absente Priore per diem naturalem, quia tunc tam ipsi, quam alii Præsidentes Monasteriorum habent eamdem potestatem commutandi, dispensandi, vel irritandi vota, absolvendi a reservatis, dispensandi super irregularitatibus, legibus, & cetera faciendi, quæ Prælatus, si præsens esset, facere poterat; quia sicut illis committitur gubernatio talis Monasterii, & administratio illius temporalis, sic etiam jurisdictio spiritualis, quam habebat ille, in cujus locum succedunt, & cujus vices gerunt, ut cum Lezana, Suarez, Rodriq. Navar. Ant. a Spiritu S. Peyrino, & aliis, docet Andreas a Matre Dei *t. 4. moral. tr. 17. c. 4. punct. 1.*

55. Possunt igitur Prælati Regulares tum jure communi, tum speciali privilegio S. Pii V. in suos subditos quidquid possunt Episcopi in suos Diœcesanos, & inde possunt absolvere ab omnibus casibus, & Censuris occultis Apostolicæ Sedi reservatis extra Bullam Cœnæ, quam facultatem possunt generaliter delegare, ut cum Rodriquez docet Candidus *t. 1. disquis. 3. art. 26. dub. 2.* quia hæc facultas illis competit non solum ex privilegio, sed ex vi Trident. cum habeant, ut dixi, jurisdictionem quasi Episcopalem.

56. Possunt etiam absolvere suos subditos ab excom. Canonis *si Quis suadente*, ex innumeris privilegiis relatis ab Ant. a Spiritu S. *in suo direct. Regul. tr. 2. disp. 1. n. 24.* etiamsi percussio fuerit enormis, sive facta sit ipsis Regularibus, sive Clericis Sæcularibus, quam Sententiam sequuntur Diana *p. 9. tr. 4. resol. 50. in fine*. Palaus *t. 6. disp. 3. punct. 23. §. 4. num. 14.*

57. Probabile est, posse Prælatos Regulares absolvere suos subditos a casibus, & censuris Bullæ Cœnæ, & etiam ab hæresi, quando sunt occulti. Ratio est, quia de jure communi, & ex speciali concessione S. Pii V. supra relata, Prælati Regulares possunt erga suos subditos totum id, quod possunt Episcopi erga suos Diœcesanos; sed probabile est etiam nunc Episcopos vigore Concilii Trid. *sess. 24. c. 6.* posse absolvere suos subditos ab omnibus casibus Papæ reservatis, etiam ab hæresi, & ab omnibus excommunicationibus eis annexis, ortis ex delictis occultis, nec talem facultatem fuisse revocatam per Bullam Cœnæ quotannis legi solitam, ut cum aliis pluribus a se relatis docet Leander *t. 4. tr. 2. disp. 17. q. 45. & 46.* ergo probabile est, idem posse Prælatos regulares erga suos subditos; & ita expresse tenent Rodriq. Candidus, Sanchez, Suarez, Bauni, Bordonus, Filliuc. Peyr. quos affert, & sequitur Ant. a Spirito S. *de pœnit. tr. 5. disp. 15. sect. 4. n. 1256.* & *in direct. Reg. tr. 2. disp. 1. sect. 1. n. 29.* ubi citat Vivaldum, Sousam, Portellam, Naldum, Vegam, & Bassæum, Andream a Matre Dei *tr. 10. de censuris c. 2. punct. 6.* licet ipse excipiat hæresim, & *t. 4. tr. 17. c. 4. p. 1.* Leander supra alios referens *q. 72. 73.* & sequent. Hyacint. Donatus *in praxi Regul. t. 1. tr. 13. q. 17. t. 2. p. 1. tr. 11. q. 17.* ubi idem probat per alia privilegia concessa Regularibus ab aliis Summis Pontificibus, quæ asserit, sicut etiam Leander, non esse revocata per Bullam Cœnæ, nec per Decreta Clem. VIII. Pauli V. & Urbani VIII. quæ ibidem videri possunt.

DUBIUM X.

An possint aliquando Confessarii Regulares absolvere Religiosos ejusdem Ordinis a Casibus Reservatis?

58. CErtum est, nullum Regularem cujuscumque Religionis posse intra suum Conventum absolvi a Sacerdote simplici, etiam ejusdem Ordinis, non habente jurisdictionem, & approbationem a suo Superiore. Ita ex communi Doctorum Sententia notat Bordonus *t. 1. resol. 4. n. 2.* quia ad validam absolutionem requiritur jurisdictio, quæ non datur in Sacerdote simplici, sed debet quilibet Regularis confiteri apud Confessarios approbatos, & deputatos a Superiore, juxta Constit. Clem. VIII. Certum insuper est, regulariter loquendo, non posse absolvi a casibus in Religione reservatis, nec etiam a Confessariis deputatis, nisi habeant expressam facultatem absolvendi a reservatis. Dubium est, an Confessarii hujusmodi deputati ad audiendas Religiosorum Confessiones possint aliquando illos absolvere a casibus sive Pontifici, sive in sua Religione reservatis absque illa particulari licentia, & facultate.

59. Plura referuntur privilegia concessa Regularibus in ordine ad absolvendos alios Regulares ejusdem Ordinis a casibus reservatis; primo enim dicunt, posse illos absolvere toties, quoties ab omnibus casibus, etiam Papæ reservatis extra Bullam Cœnæ ex privilegio Pauli III. pro Jesuitis, quod refert Lezana *t. 3. V. Confessor. n. 18.* & ex alio Sixti V. relato ab Ant. a Spiritu S. hic *disp. 16. sect. 7. n. 1347.* & in direct. Regul. *tr. 2. disp. 2. sect. 1. n. 31.* Secundo dicunt, posse etiam toties, quoties illos absolvere ab omnibus casibus Pontifici reservatis, etiam publicis, exceptis hæreticis relapsis, Schismaticis, Apostolicarum litterarum falsariis, & ad infideles prohibita deferentibus. Ita concessit Sixtus IV. *in Mari Magno Carmelit.* §. 26. confirmans aliam Bullam Eugenii IV. ut cum Lezana docet Andreas a Matre Dei *t. 4. Moral. tr. 18. c. 4. §. 8. n. 110.* Unde ex vi hujus Indulti possunt absolvere ab aliis casibus Bullæ Cœnæ, his exceptis, quia exceptio firmat regulam in contrarium. Nec obstat revocatio privilegiorum, quæ fieri solet in Bulla Cœnæ, quia ibi revocantur solum privilegia Regularium quoad absolutionem Sæcularium, non Religiosorum, ut cum Peyr. Peregrino, Naldo, & Molfesio docet Andreas a Matre Dei *loc. cit.* & Ant. a Spir. S. *n. 46. & 47.* inferens, posse ex vi hujus privilegii absolvere ab hæresi, si non sit relapsus, quia Pontifex solum excipit in hæresim relapsum, quod tamen non admitterem.

60. Possunt Religiosi omnes semel in vita eligere sibi Confessarium ex approbatis a suis Superioribus, qui eos absolvat ab omnibus casibus, nullo excepto. Ita concessit Sixtus IV. in Bulla, quam refert Lezana *t. 1. c. 19. num. 17.* & Greg. IX. Bulla 17. Leo X. alia Bulla relata ab Andrea a Matre Dei. Idem concessit Eugenius IV. Bulla 1. apud Rodriq. a Bullario, & Innocent. VIII. quam adducit Lezana *t. 5. in Mari Magno Servitarum ad §. 57.* quibus conceditur elige-

eligere posse Confessarium, qui eos semel in vita absolvat ab omnibus casibus, & Censuris, etiam ab illis; propter quæ Sedes Apostolica consulenda esset, nullo excepto; & cum neque excipiat casum aliquem Bullæ Cœnæ, nec relapsum in hæresim, qui erat unus ex quatuor, propter quos Sedes Apostolica consulenda esset; sequitur, neque hunc excludere, quod dicit esse notandum Ant. a Spiritu S. *in direct. Regul. n.* 36. ita etiam tenent Pelizzar. Bruno, Calasng. Crux, Bauni, quos affert, & sequitur Andreas a Matre Dei; hæc tamen privilegia censeo esse revocata.

61. Posse etiam Religiosos quater in vita eligere Confessarium ex approbatis a suis Prælatis, qui eos plenissime absolvat, concessit Paulus III. Bulla 6. quam refert Crux *l. 5. c. 6. dub.* 12. & Leo X. concessit Monialibus Sanctæ Claræ, ut quater in anno possent eligere Confessarium ejusdem Ordinis, qui ea plenitudine eas absolvat, ut ad statum Innocentiæ reducat, ac faceret Summus Pontifex, si ibi adesset; quod privilegium, licet fuerit vivæ vocis oraculum, fuit tamen per Bullas confirmatum, ut docent Andreas a Matre Dei, & Ant. a Spiritu S. *supra citati*. Posse etiam Religiosos in omnibus festivitatibus Domini Sabaoth, & B. Mariæ Virginis, Fundatoris, & omnium Sanctorum eligere Confessarium ejusdem Ordinis, qui eos plenissime absolvat, Concessit Leo X. Bulla 46. Monialib. S. Claræ, idemque concessit Leo X. Bulla 20. pro festo Sanctorum Petri, & Pauli, & pro tota Hebdomada Sancta, prout referunt Andreas a Matre Dei, & Ant. a Spiritu S.

62. Pro obtinenda absolutione juxta tenorem horum privilegiorum eligi debet Confessarius ex approbatis, & deputatis pro Confessionibus Religiosorum: in his casibus, in quibus Confessarii sic electi possunt absolvere a casibus Papæ reservatis, possunt etiam multo melius absolvere a casibus in Religione reservatis; nam quando in privilegio conceditur majus, censetur concessum, quod est minus, nisi in contrarium obsistant Statuta, & Leges particulares Religionum.

63. Pro mortis articulo Innocent. VIII. concessit, ut possint eligere Religiosi Confessorem approbatum a suis Prælatis, qui eos absolvat ab omnibus casibus, & censuris, nulla excepta, cum omnimoda auctoritate, ac si ibi Summus Pontifex præsens adesset. Ita etiam Sixtus IV. Bulla 45. apud Pelliz. *fect. 3. n.* 84. concedit, ut in articulo mortis possint eligere quemcumque Confessorem tam Regularem, quam Sæcularem, qui ab omnibus casibus eos absolvat, nullo excepto, & illis concedat Sanctissimum Jubilæum, sive omnes, & singulas Indulgentias, quæ per omnes Romanos Pontifices prædecessores Sixti IV. concessæ fuere Christi fidelibus, personaliter euntibus Romam anno Jubilæi, & visitantibus Ecclesias ad hoc statutas, & determinatas. Quamvis autem hæc Indulgentia reservetur pro vero articulo mortis, absolutio tamen dari potest etiam in probabili periculo mortis, quia, ut alibi diximus, pro eodem sumitur in ordine ad absolutionem dandam, periculum, & articulus mortis, ut cum aliis docet Leander *disp.* 11. *de pœnit. tr.* 5. *q.* 17. Diana *p.* 3. *tr.* 4. *resol.* 71. & *part.* 5. *tr.* 7. *resol.* 59. & alii communiter.

DUBIUM XI.

An, & quatenus Regulares absolvere possint Sæculares a Casibus Reservatis?

64. Multa olim erant privilegia Regularibus concessa, quibus absolvere poterant Sæculares undequaque ad eos venientes a casibus sive Summo Pontifici, sive Episcopis reservatis, ut erat illud Eug. IV. qui Bulla 2. concessit Benedictinis, ut absolvere possent ab omnibus casibus Episcopo, tam ab ipso, quam a consuetudine, quam a jure reservatis. Urbani IV. qui, ut constat ex Bulla Sixti IV. concessit Carmelitis eamdem in hoc facultatem, quam habent ex officio Minores pœnitentiarii Romanæ Curiæ. Item Pauli III. S. Pii V. Julii II. qui idem concesserant Societati, ut testatur Palaus *t.* 4. *tr.* 13. *disp. unic. pu.* 14. *n.* 14. Sixti IV. qui idem concessit Minimis Bulla 2. apud Peyrinum *ad Constit.* 1. *Julii* §. 36. *n.* 67.

65. Verum hæc privilegia fuerunt revocata per Decretum Clem. VIII. editum anno 1601. die 9. Januarii, & iterum anno 1602. die 26. Novembris, quod per extensum refert Hyacinthus Donatus *t.* 2. *praxi tr.* 9. *de potest. dispensandi, & absolvendi q.* 17. & per aliud Pauli V. anno 1617. die 7. Januarii, in quibus declarantur Regularium privilegia, ut non possint intra Italiam, & extra Romam, absolvere Sæculares a casibus Episcopis reservatis, nec a casibus reservatis in Bulla Cœnæ, nec ab aliis quinque casibus, nempe Percussionis Clericorum, Duelli in terminis Constit. Greg. XIII. Violationis immunitatis Ecclesiasticæ in terminis Constit. Gregor. XIV., Violationis Clausuræ Monialium ad malum finem, Simoniæ realis, & confidentialis in Ecclesiasticis Beneficiis. Quoad alios casus Sedi Apostolicæ reservatos, Pontifex in iis Decretis nec aufert Regularibus facultatem, si eam habebant, nec confert, si non habebant, sed relinquit in suo statu, & apponit pœnam Excom. ipso facto incurrendæ, & Pontifici reservatæ adversus Regulares secus absolvere præsumentes.

66. Ulterius Sacra Congreg. de mandato Urbani VIII. Decreto edito anno 1628. die 17. Novembris, de quo testatur Diana *p.* 1. *tr.* 17. *resol.* 30. & per extensum refert Hyacinthus Donatus *in praxi Regul. loco supra citato*, derogavit privilegiis Regularium absolvendi a casibus reservatis Episcoporum, etiam extra Italiam, sicut etiam declaravit, tam extra, quam intra Italiam non posse Regulares absolvere a casibus in Bulla Cœnæ contentis per sua Privilegia, utpote per annuam ipsius Bullæ publicationem sublata. Alexander VII. die 24. Septembris anno 1665. damnavit illam propositionem in ordine 12.: *Mendicantes possunt absolvere a casibus Episcopis reservatis, non obtenta ad id Episcoporum facultate*. Et novissime Clemens X. in sua Constit. incipit *Superne*, in qua explicat Regularium privilegia, expresse ait; *ex facultatibus per mare Magnum, aliave privilegia Regularibus cujuscumque Ordinis, Instituti, aut Societatis; etiam Jesu, concessis, sublatam eis non esse potestatem absolvendi a casibus ab Episcopo sibi reservatis: & per confirmationem dictorum privilegiorum, quam Regulares a Sede Apostolica post Sacrum Conc. Trid. obtinuerunt, nequaquam revixisse privilegia prius ab eodem Concilio, ac deinde Apostolicis etiam Decretis sublata, atque extincta, si quæ habebant, absolvendi a casibus Episcopo reservatis: & habentes facultatem absolvendi ab omnibus casibus Sedi Apostolicæ reservatis, non ideo a casibus Episcopo reservatis posse absolvere*. Quare certum, & indubitatum est, hodie Regulares absolvere non posse Sæculares a casibus contentis in Bulla Cœnæ, nec a casibus reservatis Episcopis, nec in Italia extra Urbem ab aliis quinque expressis in Decreto Clement. VIII. supra relato.

67. Per casus Episcopis reservatos, a quibus non possunt Regulares absolvere, Diana *p.* 3. *tr.* 2. *resol.* 13. quos sequitur Aversa *q.* 17. *sect.* 6. asserit, non venire casus reservatos de Jure communi, sed duntaxat illos, quos peculiaribus edictis Episcopi sibi reservant; quod colligitur ex ipso Decreto Clement. VIII. in quo habetur: *Nec etiam a casibus, quos Ordinarii locorum hactenus reservarunt, vel in posterum sibi reservabunt*; & licet in aliis Decretis Pauli, & Urbani absolute nominentur casus Episcopis reservati, tamen intelligi debent sicut in Decreto Clement. VIII., quod magis confirmatur ex Decret. Clem. X., in quo habetur per privilegia Regularibus concessa, non fuisse *eis sublatam potestatem absolvendi a casibus ab Episcopo sibi reservatis*: quare a casibus de Jure Episcopo reservatis poterunt absolvere.

68. Hinc inferunt Aversa, & Diana, posse adhuc Regulares, si habeant tale privilegium, absolvere ab omnibus casibus papalibus occultis, a quibus ex Concil. Trid. possunt Episcopi, quia tales casus occulti ex hac concessione Concilii facti sunt Episcopales, nisi aliquis illorum fuerit specialiter ab Episcopis reservatus. Ita Diana iterum *p.* 8. *tr.* 7. *resol.* 71. Sanchez, Merola, quos sequitur Del Bene *t.* 2. *c.* 19. *dub.* 69. *n.* 15. Pellizzar. Peyr. Belloch. Lezana, Vival. quos affert, & sequitur Franc. a Jesu M. *tr.* 6. *c.* 3. *n.* 53. Potuisse autem Regulares absolvere a casibus Papæ reservatis, patet ex privilegiis supra relatis, maxime ex privilegio Pauli III. facto Patribus Societatis Bulla 7., ubi concedit facultatem absolvendi Sæculares *ab omnibus, & singulis eorum peccatis, criminibus, excessibus, & delictis, quantumcumque gravioribus, & enormibus, etiam Sedi Apostolicæ reservatis, & a quibuscumque ex iis casibus resultantibus, sententiis, & censuris, & pœnis Ecclesiasticis, exceptis contentis in Bulla, quæ in die Cœnæ Domini solita est legi*, & ex alio simili facto a Sixto V. Congregationi Oratorii S. Mariæ de Vallicella de Urbe absolvendi non solum a supradictis casibus, & censuris reservatis, sed etiam in posterum reservandis Sedi Apostolicæ, præterquam ab his, quæ continentur in Bulla Cœnæ Domini.

69. Ex hoc infert Andreas a Matre Dei *c.* 4. *punct.* 2. §. 10. *n.* 125. posse Regulares virtute suorum Privilegiorum absolvere Sæculares a censuris, & pœnis incursis ob procurationem abortus fœtus animati, quia iste casus non est amplius Papalis, sed Episcopalis propter moderationem Gregor. XIV. qui abstulit reservationem; & ita tenent etiam Diana *p.* 5. *tr.* 9. *resol.* 40. Pellizzar. *tr.* 8. *c.* 3. *sect.* 2. *n.* 97. Peyr. *ad Constit.* 1. *Julii II.* §. 32. *n.* 65. & ab omnibus casibus extra Bullam Cœnæ contentis, qui jure ordinario reservantur Episcopis, quia Paulus III. illis concessit facultatem absolvendi ab omnibus casibus, & censuris, etiam Pontifici reservatis, ubi ly *etiam* extendit facultatem ad omnes alios casus extra Bullam Cœnæ contentos. Ita communiter Sanchez *lib.* 4. *cap.* 24. Diana *de dub. Regul. resol.* 23. Posse item absolvere excommunicatos, sive per Sententiam generalem a Jure, vel homine, sive nominatim, & specialiter excommunicatos, seu aliis Sententiis ligatos, prius tamen satisfacta parte, exceptis semper casibus Bullæ Cœnæ, & iis, quos specialiter sibi Episcopi reservant: Portel. Rodriq. Cruz, Avila, Suarez, & Tambur. quos affert idem Andreas a Matre Dei, etiamsi casus essent publici, & ad forum contentiosum deducti, & potest absolutio prodesse etiam pro foro externo, si taliter absolutus testimonium ferat in scriptis, & acceperit a Prælato, & interim in foro externo se gerere debet, ut excommunicatus, ut Tribunal externum non turbetur. Palaus *tr.* 25. *punct.* 18. *n.* 31. Tambur. *in method. c.* 9. §. 4. *l.* 3. *n.* 12.

70. An

70. *An vero possint Regulares absolvere etiam a casibus Bullæ Cœnæ, quando sunt occulti?* si enim sunt publici certum est apud omnes, ab illis non posse absolvere, affirmant Leander *p.4. tr.2. disp.17. q.85.* Candidus *t. 1. disq. 22. art.49.* Ant. a Spiritu S. *hic de pænit. disp.16. sect. 8. n.1363.* & in direct. Regul. *tr.2. disp.3. n.49.* Urbanus ab Ascensione, Sanchez, Trullench, Peyr. Baisæus, Hinojosa, Leander a Murcia, quos affert, & sequitur Andreas a Matre Dei *t.4. morel. tr.18. c.4. p.2. n.128.* & probant, quia omnes casus Bullæ Cœnæ Jure ordinario competunt Episcopis, si occulti sint, & sic jam non sunt Papales; sed Regulares possunt per sua privilegia absolvere ab omnibus casibus, a quibus potest Episcopus absolvere jure ordinario; ergo possunt absolvere a casibus Bullæ Cœnæ occultis.

71. Neque obstant Constitutiones Clement. Urbani, & aliorum Summorum Pontificum, quæ in contrarium possunt adduci; nam illæ solum tollunt facultatem absolvendi a casibus Bullæ Cœnæ, quando sunt publici, non vero quando sunt occulti, a quibus quando sunt occulti, si possunt de Jure communi absolvere Episcopi, nil mirum si possint etiam absolvere Regulares per sua privilegia, ut ajunt supra citati Doctores. Nec item obstat propositio 3. damnata ab Alexandro VII., de qua diximus *supra dub.9.* scil. licet *Sententia asserens, Bullam Cœnæ solum prohibere absolutionem hæresis, & aliorum criminum, quando publica sunt, & id non derogare facultati Tridentini, in qua de occultis criminibus sermo est, anno 1629. 18. Julii in Consistorio Sacræ Congreg. Emin. Cardinalium Visa, & tolerata est*; nam condemnatio non cadit super illam propositionem cathegoricam; *Facultas Tridentini, in qua de occultis criminibus sermo est per Bullam Cœnæ non revocatur*, sed supra illud prædicatum: *In Consistorio Sacræ Congreg. Visa, & tolerata est*; ut cum Magistris Academiæ Salmantinæ, & tribus primariæ Cathedræ moderatoribus a se consultis docet Andreas a Matre Dei *n. 130.*

72. Non possunt tamen Regulares absolvere ab hæresi etiam occulta, quia de illa est specialis ratio, nec umquam intelligitur concessa, quando in privilegio non fiat de illa specialis, & expressa mentio, ut cum multis probat Diana *p.6. tr.6. resol.54.* Nec sufficit, quod ab illa occulta possint absolvere Episcopi; nam in privilegio Episcoporum fuit illis expresse concessa, non sic in privilegio Regularium, ut bene advertit Ant. a Spiritu S. in direct. Regul. *supra n.47.* Unde merito ab Alexandro VII. fuit damnata illa propositio, quæ est in ordine 4. *Prælati Regulares possunt in foro Conscientiæ absolvere quoscumque sæculares ab hæresi occulta, & ab excommunicatione propter eam incursa.* Qui plura de hac re desiderat videre potent Leandrum, Andream a Matre Dei, & Ant. a Spiritu S. locis citatis, qui fuse de hac re tractant.

„ *Vide circa privilegia Regularibus concessa absolvendi a reservatis, quæ sequuntur sub n.5. lib.5. Synodi Diœcesanæ apud SS. D. N. Benedictum XIV.* Et quoniam de Regularibus sermo incidit, ad coercendam nimiam libertatem, quam sibi Religionum Prælati usurpabant, augendi in dies casuum reservationes, Clemens VIII. die 26. Maji 1593. undecim casus designavit, quos referunt Suarez *de Pœnit. disp. 29. sect. 3. n.11.* & Layman *Theol. mor. lib.5. tr.6. c.12. n.6.* vetuitque Regularibus, ne alios, præter illos, sibi reservare præsumerent, nisi *Generalis Capituli in toto Ordine, aut Provincialis in Provincia, matura discussione, & consensu*; quamvis non propterea, ad omnes ibidem descriptos sibi reservandos, eosdem adstrinxerit. Et nihilominus contendebant Prælati Regulares, sibi ablatam non esse facultatem alicui gravi peccato, in Clementino Decreto ceteroquin non expresso, adnectendi censuram, quam sibi reservare possent; nec deerant graves Doctores, qui huic eorum opinioni adstipularentur, inter quos Suarez, Filliucius, Villalobos, aliique, quos adducit Diana *to.2. tr.2. de dubiis Regular. resol.49.* Sed cum hac ratione Clementis Decretum prorsus eluderetur, Sacra Congregatio Episcoporum, & Regularium die 7. Julii 1617. prædictam opinionem improbavit: *Cum a nonnullis Regularibus dubitaretur, an in Decreto fel. rec. Clementis Papæ VIII. an. 1593. 26. Maji, super qualitate casuum, ab eorumdem Regularium Superioribus reservandorum, edito, censuræ etiam comprehenderentur, ita ut iisdem Superioribus, absque Capituli Generalis, aut Provincialis consensu, aliquibus peccatis in Decreto hujusmodi non contentis, excommunicationem adnectere, eiusdemque absolutionem sibi reservare liceat. Sacra Congregat. Cardinalium, negotiis Regularium præpositorum, Illustrissimo Bandino referente, censuras in supradicto Decreto comprehendi censuit.*

„ Verum quia homines, quantum propriam jurisdictionem dilatare gestiunt, tantum alienam, cui subsunt, restringere tentant, illi iidem, qui reservationis vinculum in subditos, plusquam par erat, injicere voluerant, reservationes ab Episcopis factas pro viribus conati sunt effugere, & nisi eorum conatibus Apostolica Sedes obstitisset, Episcoporum jurisdictionem fere labefactassent. Jampridem Benedictus XI. *in cap.1. de privilegiis, inter Extravag. comm.* & Clemens V. *in Clementina Dudum. §. Per hujusmodi, de sepulturis*: & *in Clementina Religiosi, §. Quibus, de privileg. & excess. Privilegiator.* declaraverant, non licere Fratribus Prædicatoribus, & Minoribus quempiam absolvere a casibus Episcopis reservatis; & nihilominus iidem, ceterique Regulares, obtentu privilegiorum, quorum confirmationem post Concilium Trid. impetraverant, & præsertim illius, quod contineri jactabant in Bulla, quam vocant *Mare Magnum*, jus sibi arrogabant crimina relaxandi, Episcopis reservata. Ut Regularium ausus reprimeret, suaque, & Coepiscoporum jura tueretur, S. Carolus Borromæus Sedem Apostolicam adiit, petiitque: *An Regulares, ex privilegiis a Sede Apostolica impetratis, & præsertim ex eo, quod nominant* Mare Magnum, *possint absolvere pœnitentes in casibus, quos sibi Episcopus reservavit.* Et Sacra Congreg. Concilii die 10. Septemb. 1572. approbante Gregor. XIII. respondit: *Ex facultatibus per hoc Mare Magnum, aliave privilegia Regularibus concessa, factam eis non esse potestatem absolvendi in casibus Episcopis reservatis*, cujus rei fidem faciunt ejusdem Sacræ Congregationis litteræ, de quibus in notis Card. Augustini Valerii Episcopi Veronensis ad Constitutiones editas per Joannem Matthæum Gibertum Antecessorem, *pag. 100. edit. anni* 1740. Hoc responso fretus S. Carolus in suo Concilio Provinciali Mediolanensi III. anni 1573. *sub tit. de iis, quæ ad Sacramentum Pœnitentiæ pertinent*, edixit: *Ne Confessarii Regulares eorum peccatorum, quorum absolutio Episcopo reservata est, vinculis irretitos pœnitentes absolvant, quemadmodum a Sancta Sede Apostolica declaratum est, id eis non licere, quovis privilegiorum suorum auctoritate*; atque efficacius Regulares in officio contineret, in alio Concilio Provinciali Mediolanensi V. anni 1579. *part. 1. pag. 222.* absolvere præsumentes a casibus Episcopis reservatis, excommunicatione innodavit: *Ab iis casibus, proxime promulgatis, si quis Confessarius cujusvis Ordinis, sine facultate scripta, ab Episcopo data, aliquem absolvere attentarit, excommunicationis pœnam ipso facto subeat.*

At non propterea Regulares sunt in ordinem redacti, sed alias in dies nectebant inanes rationes, quibus sibi assererent jurisdictionem, quam semel affectaverant; quare a Sacra Congregatione Episcoporum, & Regularium die 9. Januarii 1601. novum promulgandum fuit Decretum, Clementis VIII. auctoritate roboratum, quo iterum decisum est, nullam illis facultatem competere absolvendi a casibus, *quos locorum Ordinarii hactenus reservarunt, vel in posterum sibi reservabunt.* Et quoniam etiam hanc novam decisionem variis tricis eludere iidem tentarunt, ut his obviam iret, eadem Sacra Congregatio, jubente Paulo V. die 7. Januarii 1617. aliud edidit Decretum, quo priora confirmavit, atque ad unguem servari præcepit. Sed, ac toties repetitis sanctionibus minime perterriti Regulares, illas, si non prorsus evertere, saltem debilitare, novo molimine studuerunt, dictitantes nimirum, robur non habere extra Italiam. Quocirca, præcipiente Urbano VIII. die 18. Novemb. 1628. omnia hucusque relata Decreta jam tertio renovavit, ac Regulares tam intra, quam extra Italiam degentes afficere, & complecti, expresse edixit, & declaravit. Ad hæc Alexander VII. die 24. Septembris 1665. inter alias hanc etiam propositionem damnavit: *Mendicantes possunt absolvere a casibus Episcopo reservatis, non obtenta ad id Episcoporum facultate.* Et Clemens X. ut aditum obseraret innumeris effugiis a Regularibus adinventis, anno 1670. sua Constitutione, quæ incipit: *Superna magni Patrisfamilias* (*to.7. Bullar. pag.32.*) non solum denuo definivit, per *Mare Magnum*, aliave privilegia, nulli Regularium, cujuscumque Ordinis, Instituti, seu Societatis, etiam Jesu, factam esse potestatem absolvendi a casibus Episcopo reservatis; sed insuper sancivit: *Habentes facultatem absolvendi ab omnibus casibus Sedi Apostolicæ reservatis, non ideo posse absolvere a casibus, quos Episcopi sibi reservaverint.* Cumque demum Nos Sacræ Congregationis Concilii Secretarium ageremus, instante Archiepiscopo, & Electore Coloniensi, ejusdem Sacræ Congregationis examini subjecimus sequens dubium: *An Confessarii Regulares possint Sæculares, extra mortis periculum, absolvere a casibus Ordinario reservatis?* Ad quod die 16. Novembr. 1720. responsum fuit: *Negative.* Ne porro præfatæ decisiones ullo umquam tempore e Regularium memoria exciderent, utpote continuo præ oculis iidem haberent culpas, quas nequeunt relaxare, eadem Sacra Congregatio Concilii *in Sublacen. Jurisdictionis* die 10. Octobris 1676. dixit, eos teneri affigere propriis sedibus Confessionalibus notulas casuum Episcopo reservatorum, & renuentes opportunis juris remediis ad id cogi posse, uti habetur *lib. 29. Decretor. pag. 284. a tergo, & 285.*

Præter Regulares, alii quoque Episcoporum reservationes declinare, tentarunt, quibus iisdem Sacræ Congregationes obstiterunt. Confratres quarumdam Confraternitatum, & signanter Sanctissimi Rosarii, suorum privilegiorum virtute, sibi fas esse arbitrabantur, in quibusdam anni sollemnitatibus Confessarium eligere, a quo possent a ca-

a casibus absolvi Episcopo reservatis; sed Sacra Congregatio statim ac illorum talsam persuasionem detexit, eam radicitus evellere studuit, pluribus Decretis, quibus oppositum definivit, præcipue in Nemtonen. anni 1573. (*lib. 1. Decretor. pag. 143.*) in Mediolanen. eodem anno (*eod. lib. pag. 162.*) Unde S. Carolus Borromæus *in cit. Conc. Provinciali Mediolan. V. an. 1579. eod. part. 1. pag.* 322. statuit: *Ne facultatum, privilegiorumque jure, quæ cujuscumque, etiam Rosarii, & Cruce Signatorum, Scholæ, Confraterniæ, Collegiove, etiam Laicorum, quævo Collegiis, Confraternitatibusque in condscriptis ante, vel post Concilii Tridentini confirmationem concessa sunt, Confessarius, cujusvis Ordinis sit, ab iis casibus, quos sibi Episcopus in sua Diœcesi reservaverit, pœnitentes sine illius facultate absolvat. Si contrafecerit, suspensionem a Divinis ipso facto incurrat.* Canonicus Pœnitentiarius quandoque credidit, sola sui muneris assecutione, se facultatem nancisci relaxandi peccata Episcopo reservata; sed Sacra Congreg. Concilii sancivit, ejusmodi facultatem, sine speciali Episcopi concessione, illi neutiquam competere (*lib. 15. Decretor. pag. 621.*) Demum hæc olim opinio multorum mentes invaserat, liberum cuique esse ea propria Diœcesi, ubi in casum reservatum inciderat, ad aliam, in qua reservatus non esset, ad hunc finem commeare, ut inibi a simplici Confessario absolveretur; sed Sacra Congregatio probe noscens, per hanc opinionem factas ab Episcopo reservationes penitus eludi, atque inutiles reddi, in causa Compsana die 16. Septembr. 1649. (*lib. 18. Decretor. pag. 677.*) declaravit: *Absolutionem pœnitentibus indultam, qui fraudulenter, & sub eo fine in aliam Diœcesim se transtulerunt, non sustineri.* Quam declarationem postmodum confirmavit, & roboravit Clemens X. in laudata Constitutione, decernens: *Posse Regularem Confessorem in ea Diœcesi, in qua est approbatus, confitentes ex alia Diœcesi, a peccatis in ipsa reservatis, non autem in illa, ubi idem Confessor est approbatus, absolvere, nisi eosdem pœnitentes noverit in fraudem reservationis ad alienam Diœcesim, pro absolutione obtinenda, migrasse.*

CAPUT XVII.

De officio, & obligatione Confessarii.

DUBIUM I.

De Bonitate requisita in Confessario.

AD dignam hujus Sacramenti administrationem, quinque a Doctoribus assignantur conditiones in Ministro requisitæ; nimirum Potestas, tum Ordinis, tum Jurisdictionis, de qua hucusque dictum est; Probitas, Scientia, Prudentia, & Sigillum. Necessariam esse prudentiam ex eo patet, quod ars artium est regimen animarum; de illa tamen nihil specialiter occurrit dicendum, quia vel est communis ad omnes morales actiones, vel respicit obligationem Confessarii, de qua successive dicemus. Loquendo autem de probitate, seu bonitate Confessarii, certum est, ipsam non esse necessariam ad validam administrationem hujus Sacramenti, quia potestas, sive Ordinis, sive Jurisdictionis, non amittitur per peccatum mortale; quare Sacramentum administratum a malo Ministro existente in peccato mortali, dummodo non sit Excommunicatus vitandus, & habeat rectam intentionem, ac debitam proferat formam, cum debitis requisitis ex parte suscipientis, validum erit Sacramentum, ut habetur ex Tridentino *sess.* 14. *cap.* 6. & *Can.* 10. Catechismo Romano *de Sacram. Pœnitentiæ*, & docent omnes Doctores.

2. Resp. ad licitam administrationem hujus Sacramenti requiritur status gratiæ, adeo ut peccet mortaliter Confessarius, qui hoc Sacramentum administrat in peccato lethali, quia gravem injuriam, & irreverentiam irrogat Sacramento, & Christo, cujus nomine operatur, ut vidimus suo loco *de Sacramentis in genere*. Cum hoc non sit peculiare in hoc Sacramento, sed commune ad omnium Sacramentorum ministerium, non est tamen necesse, quod Confessionem præmittat, sed sufficit, quod se constituat in statu gratiæ per Contritionem, ut etiam diximus *loco cit. de Sacram. in genere*.

3. *An vero status gratiæ requiratur toto tempore, quo Confessarius audit Confessionem? an solum quando profert formam absolutionis?* variant Doctores. Aliqui affirmant, necessarium esse statum gratiæ pro toto tempore, quo Confessiones audit, quia talis actio est Sacramentalis, & quia se exponit Confessarius periculo non habendi Contritionem, etiam in actu proferendæ absolutionis. Ita Suarez *disp.* 28. *sect.* 1. *n.* 3. dicens, oppositum esse ex genere suo grave peccatum, licet in individuo judicandum asserat juxta circumstantias, & materiæ gravitatem; nam si quis aliqua necessitate compulsus inciperet in statu peccati audire Confessionem bona fide, & animo habendi Contritionem, quamprimum possit, antequam absolvat, & in hoc postea moralem diligentiam adhibeat, excusaretur a peccato lethali. Verum alii melius docent, non peccare mortaliter Sacerdotem extra statum gratiæ audientem Confessionem, vel etiam imponentem pœnitentiam, cum animo tamen eliciendi actum Contritionis ante prolationem absolutionis, quia solum in prolatione absolutionis confert gratiam, & exercet actum suæ judicialis auctoritatis in hoc ministerio. Sic tenent Aversa *q.* 19. *sect.* 10. Lugus *disp.* 8. *de Sacram. sect.* 9. *n.* 157. Diana *part.* 1. *tr.* 7. *resol.* 47. Leander *disp.* 11. *q.* 116. licet *q.* 117. dissentiat quoad impositionem pœnitentiæ, quia Sacerdos, dum pœnitentiam imponit, se habet ut Judex, & jam ponit partem aliquam Sacramenti; unde peccat, si pro eo tunc non est in statu gratiæ.

4. Quæres: *An tot numero peccata committat Sacerdos, quot Confessiones audit in peccato mortali?* Negant Henriq. *de Pœnit. c.* 5. *n.* 6. Possevin. *de Officio Curati c.* 5. *num.* 43. Rodriq. *in Sum. tom.* 2. *c.* 44. *n.* 23. Diana *p.* 1. *tr.* 7. *resol.* 43. Facundez *de 2. præcept. Eccles. lib.* 3. *c.* 5. *n.* 9. & probabile putat Lugus *disp.* 16. *num.* 558. quando Confessiones audiuntur successive sine notabili interruptione, quia tunc moraliter est unica actio continuata, & per consequens unicum peccatum. Verum Sententia probabilior, & sequenda docet, Confessarium tot numero peccata committere, quot Confessiones audit, etiam successive, & sine interruptione, in peccato lethali, & tamquam plura peccata in Confessione exprimenda, quia illæ auditiones sunt diversi actus, non solum physice, sed etiam moraliter; ea ratione, qua plura peccata committit, qui pluries etiam successive fornicatur; qui tres Missas in die Nativitatis Domini celebrat in lethali; qui plures, etiam successive, baptizat, quia unaquæque actio ex istis habet suum terminum completum, non ordinabilem ad ulteriorem tamquam ad finem; ergo etiam plura committit Sacrilegia, qui plura Sacramenta Pœnitentiæ in lethali administrat, ut dicebamus supra *cap.* 7. *dub.* 6. *n.* 41. & tenent Aversa *q.* 10. *sect.* 13. Ant. a Spiritu S. *disp.* 9. *sect.* 5. *nu.* 651. Homobon. *de exam. tr.* 5. *c.* 13. *q.* 82.

5. Quæres 2. *An sit licitum petere Sacramentum Confessionis ab indigno Ministro, qui non est illud sine peccato administraturus?*

Resp. hoc non esse facile præsumendum de Confessario, qui si forte sit in peccato lethali potest conteri, & acquirere statum gratiæ; dato tamen casu, non licere petere Sacramentum ab indigno Ministro absque necessitate, seu gravi utilitate: & hoc ex lege caritatis, qua tenemur vitare peccata proximi. Quare si pœnitens potest differre Confessionem, vel alium adire Confessarium, debet in illo casu hoc facere; data tamen urgenti necessitate, vel gravi utilitate suscipientis, potest Sacramentum petere ab indigno Ministro, quia petit rem bonam, & sibi utilem, quam Minister potest sine peccato conferre, si velit sibi consulere per actum Contritionis, ut dicebamus *tract.* 1. *de Sacramentis in genere cap.* 6. *dub.* 2.

DUBIUM II.

De Scientia requisita in Confessario.

6. SCientiam necessariam esse in Ministerio Pœnitentiæ, non potest esse dubium, cum sit Judex, qui sine sufficienti cognitione non potest recte judicare; Doctor, qui debet instruere; Medicus, qui debet curare animæ morbos, quod utique sine sufficienti peritia, & scientia præstare non potest, quin potius exponitur periculo mortem, non vitam, afferendi. Unde Pius II. dicere solebat, quod *imperiti Medici corporis dumtaxat, sed Confessarii indocti animæ interfectores sunt*; & S. Pius V. ajebat: *Dentur idonei Confessarii doctrina, & animarum zelo pollentes, & ecce omnium Christifidelium plena reformatio.* Inde peccat graviter Confessarius, qui sine sufficienti scientia Officium exercet extra casum necessitatis, quia exponit se periculo non recte administrandi hoc Sacramentum, ut tradunt communiter Doctores; nec ipsos excusat obtenta Prælatorum licentia, quando sufficienti scientia carent, nec acquirere, seu addiscere curent, quæ jure divino scire tenentur; nam licentia non supplet defectum cognitionis. Peccant etiam graviter Episcopi, Prælati Regulares, & Examinatores, qui imperitos, & ignaros exponunt, & approbant, seu non removent ab audiendis Confessionibus, ut recte docent Dicastill. *disp.* 10. *dub.* 12. *n.* 342. Ant. a Spiritu S. *n.* 1400. & Bonacina *disp.* 5. *q.* 7. *punct.* 4. §. 4. *n.* 6.

7. Quanta debeat esse scientia in Confessario, explicant Doctores, quod saltem tanta sit, ut in his, quæ communiter occurrunt, discernere possit inter lepram, & lepram; quænam peccata sint mortalia, quænam venialia, & quæ excusent a mortali. Non est tamen necesse, ut de singulis auditis a pœnitente determinate judicet esse mortale, aut veniale, immo nec an sit, vel non sit peccatum, cum id etiam Viri doctissimi sæpe nesciant; unde paucissimi invenirentur idonei Confessarii, si de singulis deberent determinatum ferre judicium; sed satis est, ut audiat, & intelligat peccatum commissum, & cum debita intentione absolvat. Ita Suarez, Navarrus, Vasquez, Sylvester, Reginaldus, quos affert, & sequitur Bonacina *disp.* 5. *q.* 7. *pu.* 4. §. 2.

§. 2. n. 12. Lugus *disp. 22. n. 70.* Granados *de Pœnit. disp. 5. sect. 3. n. 20.* ubi notat, Confessionem esse validam, quando pœnitens bona fide declarat culpam suam, nec esse repetendam, quamvis postea Pœnitens, vel Confessarius advertat, illud fuisse mortale.

8. Debet scire quænam sint partes Sacramenti Pœnitentiæ, quæ spectent ad materiam, & formam; quænam circumstantiæ sint necessario explicandæ; quænam peccata sint reservata; quænam habeant adnexam censuram; quænam obligationem restituendi; quæ dispositio sit necessaria in pœnitente, tam ex parte doloris, quam propositi, ac examinis; an sit in occasione proxima peccandi, & quoties iteranda sit Confessio, & alia similia. Non est tamen necesse, ut hæc omnia in promptu habeat Confessarius, & maxime, quæ spectant ad censuras, & obligationem restituendi; sed sufficit si de difficilioribus sciat dubitare, ut possit ad doctiores recurrere, vel, majori studio adhibito, de illis judicium ferre, ut cum D. Thoma, Lugo, Navarro, Suarez, Hurtado, & aliis notat Leander *disp. 11. q. 106.* & Aversa *q. 16. sect. 10.*

9. Advertont Doctores, non requiri æqualem scientiam in omnibus Confessariis, sed majorem, aut minorem pro diversitate locorum, & personarum; unde major est necessaria scientia in Confessariis in Civitatibus expositis, ad quos accedere solent Curiales, Mercatores, Milites, & similes, qui habere solent casus difficiliores, quam in Confessariis expositis in Pagis, & Villis, aut Collegiis, ad quos nonnisi simplices Rustici, aut Pueri, aut pii homines accedunt, vel etiam ad quos accedunt Viri periti, & docti, qui supplere possint scientiam requisitam in Confessario, ipsum instruendo de rebus necessariis, ut recte notant Aversa, Lugus, & alii supra citati.

10. Quæres: *An valida sit Confessio facta apud Confessorem ignorantem?*

Resp. esse validam, quando pœnitens bona fide accedit, & explicat omnia sua peccata, & Confessarius ea percipit, & cum debita attentione absolvit, etiamsi non distinguat, an sint peccata mortalia, vel venialia, vel etiam an sint peccata, dummodo cognoscat exposita esse materiam sufficientem, quia tunc concurrunt omnia necessaria pro validitate Sacramenti, materia, & forma, cum debita intentione Ministri. Nec pœnitens postea, cognoscens ignorantiam Confessarii, tenetur repetere Confessionem sic bona fide factam, sed dumtaxat satisfacere obligationibus ortis ex peccatis, si quæ sunt, de quibus non fuit monitus a Confessario. Ita tenent Gabriel, Sotus, Coninch, Suarez, Hurtado, Sylvius, & alii, quos affert, & sequitur Diana *p. 4. tr. 4. resol. 201. & p. 3. tr. 3. resol.* 121. Aversa *cit. sect. 4.* Bonac. *q. 7. p. 4. §. 2. n. 13. & 14.* Secus dicendum, quando pœnitens ex industria quærit Confessorem ignorantem, aut quando in ipsa Confessione advertit, Confessarium non percipere gravitatem delicti, & nihilominus Confessionem cum eo continuat; nam tunc Confessio est irrita defectu pœnitentis, qui in tali Confessione peccat mortaliter, ut cum aliis docet Franc. a Jesu M. *cap. 12. p. 2. n. 11.*

11. Nisi forte pœnitens sit Vir sapiens, & doctus, qui, ut diximus, possit supplere ignorantiam Confessarii, ipsum instruendo de numero, specie, & gravitate suorum peccatorum, & de obligationibus inde resultantibus, quia hac ratione Confessio erit valida. Excipe etiam casum necessitatis, quando non potest haberi Confessarius doctior, ut contingit existentibus apud Infideles, in Triremibus, aut parvis Oppidis, in quibus locis non adest Confessarius doctior; tunc enim licitum est confiteri cum illo, qui potest haberi. Immo etiam licitum est Prælatis, Confessarios, & Parochos minus doctos pro quibusdam locis deputare, quando non possunt haberi doctiores, quia melius est deputare Confessarium minus doctum, quam omni prorsus remedio suas Oves destitutas relinquere; eum tamen admonere debeat de imperitia, & defectu scientiæ, quam patitur, & de obligatione, quam habet comparandi doctrinam necessariam ad suum Ministerium obeundum. Ita Franc. a Jesu Maria, Aversa, Ant. a Spiritu S. & alii communiter.

» *Quantum intersit quemlibet Confessarium tam necessariam hanc sibi comparare scientiam, haud quidem sapientissimam latuit Pontificis nostri mentem. Extant enim tres ex suis Notificationibus, quibus pro meliori Diœcesis suæ regimine quam maxime hoc in primis curavit, ut nemini, qui ad hoc adeo grave munus promoti essent, facilis deesset proficiendi modus, cum quosdam per singulos annos instituti jusserit cœtus, ubi ad communem omnium eruditionem quæstiones variæ examinarentur Moralis Theologiæ. Ut hoc singuli libentius, ac frequentius exequantur, plura Pontificum, Patrum, ac Scripturarum adducit testimonia, in quibus cura potissimum commendatur id maxime percipiendi, quod ad injuncta sibi, & adeo excelsa ministeria spectat. Vide fusius, quas tibi hic ad litteram objicio Notificationes, in quibus de hoc ex professo quodammodo agit, & primum quæ extat sub num. 12. Tomi 2.* Duo profecto certissima sunt; primum quidem, Theologiæ Moralis Scientiam illis omnino necessariam esse, qui tamquam Parochi, aut Sacerdotes pro administrando Pœnitentiæ Sacramento constituti, Confessarii munere rite perfungi volunt; alterum, non satis esse, quod eamdem facultatem aliquis semel percurrerit, perceperit, & palam etiam docuerit, sed assiduo excolendam, ut animo penitus defigantur ea, quæ didicerit, & nova semper documenta, quibus ea facultas plurimum affluit, comparentur.

S. Gregorius Pontifex *part. 1. c. 1.* hæc scripsit: *Quis cogitationum vulnera occultiora esse nesciat vulneribus viscerum? & tamen sæpe, qui nequaquam spiritualia præcepta cognoverant, cordis se Medicos profiteri non metuunt, dum qui pigmentorum vim nesciunt, videri Medici carnis erubescunt.*

Et profecto, si, ut mediocris Confessarius quis habeatur, necesse est, ut generatim a levibus culpis lethales saltem discernat; in illis autem, quæ frequentius usuveniunt, ea cognoscat, quæ culparum genus, ac naturam immutant, aut ipsas graviores efficiunt: insuper casus Pontifici, sive Episcopo reservatos, & eos, quibus censura aliqua pariter reservata conjungitur; illos etiam, qui ad restitutionem impellunt, peccata, quæ juxta diversam hominum conditionem, ac munera crebrius admittuntur, quid necessario requiritur, ut Fideles suis criminibus dissolvantur, quonam tempore peractæ jam Confessiones repetendæ omnino sint; optima tandem consilia, quibus criminosi homines ad bonam frugem traducantur: si, inquam, hæc necessaria sunt, hac certe doctrina prædici esse non possunt, nisi Theologiam Moralem plane calleant, cum præsertim harum rerum cognitio jure Pontificio, & Pontificum Decretis innitatur, quæ sane nemo divinare potest, licet præclarissimo floreat ingenio, quemadmodum Card. Denhofius, olim Episcopus Cæsenas, *in Pastorali Institut. de Sacram. Pœnit.* recte perpendit. Quibus rebus si addatur, quod Alvarus Pelagius *de planctu Eccles. lib. 2. c. 20.* commemorat, inter majores Ecclesiæ calamitates tunc temporis eam fuisse, quod Confessarii Morali Theologia parum imbuti essent, & ea, quæ contra Dei Legem a Fidelibus perpetrantur, parum dignoscerent. Ex his quisque facile conjiciet hujus doctrinæ necessitatem in illis, qui ad Sacramentum Pœnitentiæ administrandum eliguntur.

Alia superaddenda videntur, ut expositam a Nobis initio sententiam magis confirmemus: *Præpara opus tuum,* monet Spiritus S. *Prov. cap. 24.* & cum id minime sufficiat, statim subdit, *& diligenter exerce agrum tuum.* Utinam non contingeret, quod tamen frequentissime videmus, aliquos nempe Sacerdotes, qui initio præclarissime Confessarii munus susceperunt, inde post diuturnum tempus, omni studiorum cura neglecta, pristinam Moralis Theologiæ scientiam amittere, ita ut qui in ejusmodi arte peritissimi fuerant, tandem exigua solum, confusaque ipsius artis scientia, primisque rudimentis instructi, vix inter tyrones adnumerentur. Card. Fridericus Borromæus, qui S. Caroli propinqui sui virtutes, & sedem occupavit, *in suo Ratiocinio Synodali 31. vol. 1.* hanc calamitatem deploravit, & opportune perpendit eos Confessarios, & Ecclesiæ Ministros in magno discrimine versari, qui, postquam ad excipiendas Fidelium Confessiones ab Episcopo probati fuerunt, omnem studiorum exercitationem prætermittant. Siquidem examen velut probabile testimonium habetur, quo ad Pœnitentiæ Sacramentum administrandum idoneus quis ducitur: neque ita certum judicium fit, ut in dubium revocari nequeat, sed conjectura solum de virtute, ac doctrina illius, qui ad examen vocatur. Itaque si ipse muneri suo haud satisfaciat, cum peculiare aliquid in audiendis Fidelium criminibus obringit, id minime Examinatoribus, sed Confessario tribuendum est, qui omni studio contendere debet, ne ob ignorantiam suam in hæc discrimina prolabatur, eaque summa diligentia penitus evitare. Hoc etiam sapienter admonet præclarus Auctor, qui pro novis Confessariis Institutionem Romæ primo edidit, quæ deinde in aliis plurimis locis typis iterum excusa fuit.

Ut gravissimo huic malo aditus præcludatur, Ecclesiastica disciplina satis opportuna remedia Episcopis suppeditavit. Alias sermonem instituimus de auctoritate, qua Parochi ad examen revocari possunt, si de illorum imperitia argumenta aliqua proferantur. Confert etiam magnopere, si Confessiones audiendi facultas certis limitibus concludatur, atque iterum periculum fiat de illius doctrina, cui facultas eadem prorogatur. Hoc remedio libenter utimur, servatis tamen iis legibus, quas æquitas præscribit. Postremo maximum adjumentum ex eo dimanat, si ad explicandos conscientiæ casus frequenter conventus habeantur, quemadmodum hac Declaratione probandum suscepimus.

Duo Episcopi, Petricoviensis, & Lucionensis, conventus Ecclesiasticus per ipsorum Clerum habitos in lucem protulerunt; primi quidem tribus libris, undecim vero secundi continentur. Idem in Italia perfecit Joannes Clericatus, qui justa morales casus per Patavinum Clerum in consuetis cœtibus examinatos, sapientes, præclarasque *Decisiones* congessit, ac promulgavit. Ipsi vero Episcopi, quos antea nominavimus, in librorum præfatio-

nibus

nibus eximia prædicant de iis conventibus, qui ab Episcopo cum Clero haberi solent, ut ea, quæ ad Christianam doctrinam, & mores pertinent, in examen adducta decernantur. De nostris cœtibus tam magnifice loqui non audemus, neque, ut ingenue fateamur, eisdem Scriptoribus in hac re fidem integram præstamus. Illud pro certo asserimus, conventus ejusmodi jampridem in hac Diœcesi fieri consuevisse, frequenter instituendos fore, & maximam cum ipsis utilitatem semper conjungi.

„ P. Ludovicus de Beja ex Ordine S. Augustini, ac Theologus Card. Gabrielis Paleotti, typis mandavit omnia, quæ per Clerum Bononiensem coram eodem Cardinali coactum de morum disciplina statuebantur. In Decretis etiam Synodalibus Card. Hieronymi Columnæ hujus Urbis Archiepiscopi *part.* 3. *c.*7. de his Ecclesiasticis conventibus sermo est; & cum idem Cardinalis inter vivos ageret, in lucem prolata sunt ea, quæ in ipsis post accuratum examen constituta fuerunt: omissis autem consiliis, quæ super hac re ceteri Decessores nostri post illos Cardinales Archiepiscopos susceperunt, in Synodo per Cardinalem Jacobum Boncompagnum peracta, *lib.* 3. *cap.*6. plura admonentur, ut iidem conventus utiliter habeantur. Nos quoque paullo superius ipsos agendos, utilesque, si recte fiant, affirmavimus, quod perspicuis documentis ostendemus. Sixtus V. in ea Constitutione, quæ incipit, *Romanus Pontifex*, tempus Episcopis ad invisenda sacra limina, docendamque Sacrum Concilii Congregationem de suarum Ecclesiarum statu decrevit: numquam tamen ad hoc recte perficiendum certa quædam norma proposita fuit. Quare cum in ultimo Romano Concilio, quod Benedictus XIII. convocavit, de hac re ageretur, Nos, ipsi, qui tunc Sacræ Congregationis Concilii munus, & in eodem Romano Concilio Canonum Interpretem gerebamus, jussi fuimus dissertationem conficere, ut Episcopi magno cum fructu suarum Ecclesiarum statum exponerent. Illam non modo idem Concilium sua auctoritate probavit, sed etiam in fine ipsius imprimi voluit. Cum igitur per eam moneantur Episcopi, ut Sacram Congregationem Concilii de ejusmodi conventibus Ecclesiasticis certiorem faciant: *An habeantur conferentiæ Theologiæ Moralis, seu casuum conscientiæ, & etiam Sacrorum Rituum, & quot vicibus habeantur, & qui illis intersint, & quinam profectus ex illis habeantur?* Si Sedi Apostolicæ parendum est, ut nemo dubitat, eosdem quoque Clericorum conventus habendos esse nemo inficiabitur: utilitatem vero, vel ex eo solum quisquis intelliget, quod tunc Moralis Theologiæ Scriptores evolvendi sunt, quorum graviores sententias per nostrum Theologum Pœnitentiarium funditus pertractantur, qui graves, utilesque proponit sententias, & magna doctrina, ingenio, & perspicuitate explicat. Smaragdus, cum cœtus Monachorum commemorat, in quibus ipsi de Sacris Litteris sermones invicem conferebant, quorum partem Cassianum, partem vero Odda Cluniacensis posteris descriptos tradiderunt, *cap.* 42. hæc habet: *De Scripturis Divinis, aliis conferentibus interrogationes, conferunt alii congruas responsiones, & sic, quæ diu latuerant occulta, conferentibus patefiunt perspicua.*

„ Superest igitur, ut normam, qua utiliter hi conventus fiant, perpendamus. Semel per mensem haberi solebant, cum Card. Gabriel Paleottus hanc Sedem Bononiensem obtineret. Ita Ludovicus de Beja *loco supracitato* fidem facit, cum Sixto V. Pontifici librum suum inscriberet: *Casus, quos vocamus conscientiæ, explano, & collectis in unum Curatis omnibus, præsente eodem Illustrissimo Archiepiscopo, singulis mensibus difficillimos quoque casus in dies occurrentes propono, & post varias a ceteris dictas pro cujusque ingenio, ac doctrina sententias, rectam pronuntio, quid tenendum, quid fugiendum indico.* Idem per Synodum Cardinalis Jacobi Boncompagni præcipitur. Nunc vero in Civitate octies hi conventus Ecclesiastici solum indicuntur; rarius autem in Diœcesi ob incommoda gravissima, quibus per hyemem viæ rurales impediuntur. In Synodo Cardinalis Hieronymi Columnæ *loco supra allato* pariter edicitur, ut *ad casus conscientiæ discutiendos modo in alia Ecclesia per circulum* (quod sane hoc tempore tamquam obsoletum prætermittitur) *quicumque, etiam Regulares, quibus animarum cura incumbit, quique a peccatis expiandis fortiti sunt facultatem, quolibet mense conveniant.* Insuper, ut quædam norma in his conventibus servetur, per aliquos Episcopos cautum fuit, ut qui forte ductus respondere debet, sententiam suam pagella descriptam haud legat, sed memoriæ prius demandatam coram exponat, ac pagellam deinde Secretario committat, quemadmodum his verbis deprehenditur, quæ in Institutione excusa in fine celeberrimæ Synodi Card. Caroli Barberini Abbatis Farfensis continentur: *Latino sermone utantur, suamque opinionem validis rationibus, ac præstantium Scriptorum auctoritatibus firmatam memoriter pronuntient, quam pariter integra pagina scriptam, & cujusvis manus obsignatam Secretario singuli tradent, cum cœtus dimittetur.* Cum hæc ita se habeant, nihil tamen ex his immutandum, neque angustiores limites definiendos volumus, sed præsentem rerum statum modo permittimus. Parochos solum Regulares, ac Sæculares, ceterosque qui curæ animarum præpositi sunt, Capellanos etiam, & Confessarios Sæculares monemus plurimum, ut cœtus ejusmodi frequentent, nisi subire velint pœnas olim constitutas, quas in præsentia renovamus. Reliquos etiam Cleri Sæcularis hortamur, ut in eumdem locum conveniant, ubi quæ ad mores pertinent explanantur. Id Sacræ Concilii Congregat. sententiis aptissime congruit, quas Monacellus *tom.* 1. *sui Formularii tit.* 3. *form.* 15. *num.* 2. commemorat: *Tu scientiam repulisti* (inquit per Oseam *cap.* 4. Deus) *& ego repellam te, ne Sacerdotio fungaris mihi.* Hanc auctoritatem Card. Carolus Barberinus *in Synodo Farfensi c.* 5. adduxit, ut perspectum omnibus faceret, ad suscipiendos Ecclesiasticos Ordines, & Beneficia, quibus animarum cura conjuncta est, obtinenda, tamquam impedimentum illis futurum, qui ejusmodi conventibus Ecclesiasticis adesse prætermiserint. Defunctus quoque Pisarum Archiepiscopus *in Synodo anno* 1708. *pag.* 91. id magnopere cavendum duxit; & Cardinalis Petra *tom.* 4. *suorum Operum pag.* 259. monuit Episcopos idem consilium suscipere, ne umquam Parochi, Confessarii, ceterique Diœcesis Ecclesiastici eosdem cœtus omitterent.

Illud statuendum videtur, ut in posterum duo solum casus examinandi proponantur, cum per hyemem tempus minime suppetat, ut tres casus ejusmodi satis declarentur. Prima autem quæstio per aliquem Parochum, altera vero per Capellanum, aut Confessarium judicetur. Superiori tempore, cum tres casus exponerentur, primo loco Parochus, deinde Capellanus, postremo Confessarius judicium ferebat. Hinc tres urnæ in medio positæ erant, ex quibus sorte ducebantur eorum nomina, quibus ad propositos casus respondendum erat, cum alius deinde cœtus haberetur. Quare præter ipsos ceteri imparati accedere poterant, & ne quidem ipsos casus legere, de quibus agendum foret. Insuper, qui semel responderat, in urnam demitti minime solebat, nisi postquam reliqui omnes educti, eodem munere perfuncti fuissent, ob quam rem certissimum habebat, nonnisi post turnum tempus sibi eam provinciam subeundam esse, ita ut absoluto omnium numero cum sortes repetebantur, quivis Parochus post sex annos cum dimidio sententiam dicere teneretur, Capellanus post quinquennium circiter, Confessarius autem post annos octo, si ipsorum numerus perpendatur.

„ Hæc consuetudo minime inducta fuerat, cum Cardinalis Gabriel Paleottus, & Alphonsus pariter Paleottus hanc Ecclesiam administrarent; tunc enim juxta præscripta Clero Bononiensi ab iisdem Archiepiscopis, quæ postea anno 1603. (*pag.* 59.) promulgata fuerunt, ut parati omnes accederent, haud nominabantur, qui in sequenti cœtu sermonem facere deberent, sed cœtu ipso coacto forte ducti assurgere, ac de rebus propositis judicium suum palam facere cogebantur: *Indicta die, & hora Congregationis, invocato Spiritus Sancti nomine, designatus scriba singulos nomine compellat, & absentes sine legitima caussa notantur, ut decretas pœnas exsolvant. Pecunia vero, quam reus impendit, jussu Archiepiscopi alicui Monasterio, vel Loco Pio tribuitur. Post hæc idem Archiepiscopus quæ necessaria sunt admonet; deinde sorte ducuntur, qui propositis difficultatibus respondeant: ipsi vero Latinum sermonem adhibent. Si quis contrariam opinionem sustineat, facultas coram disserendi conceditur. Postremo P. Theologus controversiam suo judicio dirimit, & absolvit.*

Ignoramus quonam tempore mos inceperit, ut priori cœtu nominarentur, qui sententiam suam ferrent, cum idem cœtus iterum convocaretur. Certum tamen est, id plurimum obesse Cleri conventibus, ubi Theologiæ Moralis quæstiones pertractantur, quorum norma post ultimum Romanum Concilium *pag.* 240. *edit. Rom.* sic impressa fuit: *Ad disquisitionem casus &c. devenient, & duo soltem verbo facient, qui sorte ducentur ex urna, ubi descripta, & iisdem complicata chartulis erunt illorum nomina, qui ad cœtum convenire debent, ut parati omnes accedant.* Itaque præcipimus, ut in proxima Congregatione, quæ mense Novembri indicetur, & aliis in posterum omnibus ex Parochorum urna nomen illius Parochi proferatur, qui propositæ quæstioni respondere statim debeat, suamque sententiam declarare. Idem servabitur, cum de Capellanis, & Confessariis agetur. Postea in urnam rursum demittantur, qui sorte ducti sermonem habuerint, ut simul cum aliis ad cœtum insequentem omnino se præparent. Caveant, ut responsiones perspicuæ sint, ordine digestæ, præclarisque auctoribus delibatæ, qui præsertim sententias calleant, quæ Romæ in Sacris Congregationibus prolatæ fuerunt.

Id minime grave, molestumque nostris Parochis, Capellanis, & Confessariis videri debet, cum totius rei summa in eo solum posita sit, ut octo per annum quæstiones diligenter examinent, quod sine ullo valetudinis

„ incom-

„ incommodo facile perficient. Nos ipsi, licet pro nostrarum virium tenuitate non exiguis curis distringamur, sexdecim integras quæstiones, sine ullo metu debilitandæ valetudinis, percurremus.

„ Si de aliqua alia Civitate, quæ doctis Parochis, peritisque Confessariis æque ac nostra non redundaret, sermo fieret, suspicari merito posset Episcopus, ne responsiones per tres, aut quatuor excogitatæ, ac descriptæ reliquis omnibus traderentur; atque ita fructus universus de medio auferretur, quem sane comparandum putavimus hac nova Institutione proposita, quæ aliis quoque Diœcesibus communis est. Tunc profecto Episcopus, ut certum rei experimentum faceret, aliquo per sortes nominato, auditoque de more, ad alios nominandos progredi deberet, ut quid de suo Clero judicandum sit aperte dignosceret. Hanc de Clero nostro suspicionem concipere nullo modo possumus; ideoque experimentum ejusmodi minime adhibendum confidimus.

„ *Nec aliam omittas positam sub n. 15. to. 5. in qua & Regularibus Confessariis curam animarum habentibus idem onus subeundum jure merito ostendis, & aptiores regulas pro his rectius componendis cœtibus statuis. Hæc quippe leguntur*: Quamvis in trigesima secunda Institutione, promulgata die 5. Septembris 1734. normam aliquam præscripserimus pro cœtibus Ecclesiasticis, qui in hac Metropolitana Ecclesia fieri consueverunt, & quæstiones Theologiæ Moralis examinentur, tamen perpauca necessario addenda sunt.

„ Ac primum monemus omnes, qui convenire debent, ne id facere prætermittant, iterumque in delinquentes easdem pœnas innovamus, quas jam constituimus.

„ Sed quoniam nonnulli se immunes putant, in fine harum litterarum indicem eorum subjicimus, qui cœtibus iisdem interesse omnino debeant.

„ Secundo, qui tenetur ad hos cœtus Ecclesiasticos accedere, ille permaneat, donec universa concio dimittatur. Quippe, *non dicitur venisse, qui non stetit*: nec discedat loco statim ac ab urna nomen illius extractum est, qui propositæ quæstioni respondeat. Nam quisque intelligat necesse est, quibus argumentis eadem quæstio declaretur, quid deinde Pater Theologus, & Nosmetipsi superaddamus. Qui non paruerit, pœnis iisdem obnoxius sit, quæ in absentes ab his cœtibus sanciuntur.

„ Tertio, qui cum reliquis in cœtu versatur, donec tota res peracta fuerit, modestiam præseferat, mentemque intendat; neque ob insitam socordiam eos corporis motus imitetur, qui ob naturales caussas fiunt ab animantibus, dum in machina pneumatica concluduntur, quemadmodum Nos ipsi non semel inspeximus.

„ Quarto, qui quæstioni respondet, haud novis, & insolitis opinionibus adhæreat, sed illas potissimum, quæ præstantium virorum auctoritatibus magis innituntur; quam sane viam magna cum doctrinæ laude P. Theologus insistit.

„ Quinto, curam aliquam impendant omnes, ut sententiam suam clarius exponant. Quæstionem prius declarent; responsum deinde subjiciant, illudque suis rationibus confirment, ac postremo diluant argumenta, quæ contraria esse videntur. Nam si confusa, & incondite simul omnia permisceantur, difficile prorsus est intelligi, quæ in medium proferuntur. Illud pariter monendum ducimus, ut ex gravioribus Theologis auctoritates desumantur, certaque de illis cognitio prius comparetur: etenim non semel Canones afferri deprehendimus, qui in tota juris amplitudine haud continentur. Sæpius pro Nostra mediocri experientia juris Pontificii ea nobis voluntas incessit, ut Canones illos omnino falso, vel pessime exscriptos ostenderemus, ob eam rationem, quod notis compendiariis ab Auctoribus editos describere nesciverint.

„ Postremo, cum tot Parochi, & Sacerdotes Confessarii, iis omnibus, quæ superius enumeravimus, accuratissime satisfaciant, reliquos hortamur, ut ipsorum exempla sibi ante oculos proponant, non vero imitentur eos, qui unum, vel plura ex iis, quæ nuper indicavimus, prætermittunt.

„ Sed jam illos recenseamus, qui his cœtibus interesse debent, in quibus de Moralis Theologiæ quæstionibus sermo instituitur. Itaque omnes id præstare tenentur, qui vel Sæculares, vel Regulares animarum curam exercent. Neque hoc sane in dubium revocari potest, cum Sacræ Congregationis Concilii sententiis comprobatum semper fuerit. Ut vetustiores prætereamus, illam tantum afferimus, quæ die 3. Septembr. anno 1750. promulgata fuit his verbis: (*to. 19. Regest. pag. 67. in Caussa Forosempron.*) *Sacra Congregatio censuit, Episcopum cogere posse ad interessendum Congregationi casuum conscientiæ Parochos tam Sæculares, quam Regulares, curam animarum exercentes.*

„ Convenire etiam debent Sacerdotes Sæculares, licet cooptati inter Canonicos hujus Metropolitanæ, vel alicujus Collegiatæ Ecclesiæ, qui Pœnitentiæ Sacramentum Fidelibus administrant. Id quondam in Sac. Congregatione propositum, sed nihil prorsus decretum fuit. Tandem post novam disquisitionem, & examen responsum est, etiam Canonicos Confessarios teneri, & præ ceteris Canonicum Pœnitentiarium. Quippe die 15. Martii 1692. petitum illud fuit: (*tom. 42. Regest. pag. 147.*) *An Episcopus possit compellere Canonicos, Confessarios, ceterosque Presbyteros Cathedralis sub pœna pecuniaria, ut accedant ad Congregationem casuum conscientiæ?* Sacra autem Congregatio ita respondit: *Posse compellere omnes Sacerdotes Sæculares Confessarios, etiamsi sint Canonici; ceteros vero non posse compellere, sed hortari.* Monacellus *tom. 1. sui Formul. legal. tit. 3. formul. 15. n. 2. & 3.* alia Decreta commemorat, quibus Sac. Congregatio eamdem sententiam confirmavit.

De Canonico Pœnitentiario latius constat ex auctoritate Cardinalis Petra, qui per plures annos Secretarii munus in Sacra Congregatione Concilii magna cum laude gessit, suisque præclaris in Apostolicas Congregationes sententiis *tom. 4. pag. 460. edit. Rom. num. 67.* plurimum illustravit. Porro ille perpendens certum, decretumque esse a Sacra Congregatione, ut Sæculares Confessarii his cœtibus Ecclesiasticis interveniant, statim hæc superaddit: *Ceterum ab inde citra eadem Sac. Congregatio censuit, Episcopum cogere posse* (ut iisdem cœtibus intersint) *nedum Parochos, sed etiam Confessarios Sæculares: quod sane non solum procedit quoad eos, qui ex fundatione Beneficii, vel Officii tenentur ad munus Confessarii, ut præ ceteris est Canonicus Pœnitentiarius; sed etiam quicumque alii Sacerdotes Sæculares sine titulo, & voluntarie ad Confessiones ab Episcopo destinati.*

Alias pariter disputatum fuit, *utrum Regulares Confessarii conveniant eosdem pro examinandis Theologiæ Moralis quæstionibus coactos adire teneantur?* Cardinalis quidem Columna in sua Synodo ipsos impulit, ut id facerent. (*num. 8. Notificat.*) Romanum quoque ultimum Concilium *tit. 15. cap. 9.* Regularibus Confessariis idem præcipit, nisi forte in suis Monasteriis cœtus ejusmodi statuantur. Attamen ex communi jure id necessario præstandum ab ipsis nequit affirmari, quamvis in Monasteriis non immunibus, sed Episcopi ditioni subjectis immorentur.

Nemo ignorat, aliqua Regularium Monasteria jurisdictioni Episcoporum subjici ob eam caussam, quod præscriptus ab Innocentio X. in Constitut. *Ut in parvis*, numerus Religiosorum Virorum in illis non habeatur. Quare Episcopus Forosemproniensis die 12. Maji anno 1685. illud petiit a Sacra Congregatione: (*Lib. 35. Decret. fol. 238.*) *Episcopus exponit, in Civitate Forosemproniensi duo adesse Regularium Cœnobia, unum scilicet Minorum Conventualium Sancti Francisci, alterum vero Barnabitarum, quæ propter exiguum Religiosorum numerum ibi degentium subjecta sunt jurisdictioni Ordinarii ex Decreto san. mem. Innocentii X. incipien.* Ut in parvis: *& licet dicti Religiosi hujusmodi subjectionem agnoscant, atque patiantur, qui tamen ex eis Sæcularium Confessiones, eodem Ordinario approbante, excipiunt, ad Congregationem casuum conscientiæ, quæ singulis mensibus habetur, cuique Confessarii omnes intersunt, accedere renuunt; quocirca petit declarari, an prædictos Confessarios Regulares cogere possit ad interessendum præfatæ Congregationi casuum conscientiæ?* Sacra &c. respondit: *Negative.*

Idem argumentum rursus propositum fuit in Sacra Congregatione, cum Nos ipsi Secretarii munere fungeremur, ab Asculano Episcopo, qui exponens Ecclesiæ suæ statum, & conditionem, illud præsertim admonuit, plura in sua Diœcesi Regularium Monasteria inveniri sibi subjecta juxta Decretum Innocentii X. quod nuper commemoravimus. Regulares autem in ipsis degentes, qui Sæcularium Confessiones excipiunt, declinare a conventibus Ecclesiasticis, in quibus Moralis Theologiæ quæstiones examinandæ proponuntur. Quare idem Asculanus Episcopus exposcebat, an id præcipere posset in litteris, quæ dari solent, cum facultas audiendi Confessiones illis concederetur? Nos profecto rationes omnes congessimus, quæ Episcopo suffragari possent; verum Sacra Congreg. die 12. Martii anno 1718. respondit, servari Decretum editum in Caussa Forosemproniensi, de quo nuper mentionem fecimus.

Postremo, cœtibus iisdem necessario interesse non oportet reliquos Sacerdotes, qui ad Confessiones excipiendas designati minime sunt, neque ceteros ex Clero Sæculari; tamen id perutile foret ipsis, nec Episcopus prætermittere umquam debet eos vehementer hortari, ut conveniant, quod Nos hisce litteris libentissime facere intelligimus.

Omittimus alteram, quæ se habet sub num. 14. lib. 5. incipit: Fateri revera possumus &c. *in qua nihil amplius continetur, quam, mutatis terminis, illud fere idem, quod in jam allata.*

DUBIUM III.

De Obligatione, quam habet Parochus audiendi suorum subditorum Confessiones.

12. Certum est, Parochum ad minus teneri ad audiendas Confessiones suorum subditorum, quando ipsi tenentur confiteri, in mortis articulo, semel in anno ad satisfaciendum præcepto Ecclesiæ, quando ad id tenentur ex voto, & quando Confessio esset pœnitenti medium necessarium ad aliquod peccatum mortale vitandum. Sic enim obligat Pastoris Officium ad Sacramenta ministranda, quoties adest obligatio in subdito illa recipiendi. Difficultas est, quando pœnitens non ex obligatione, sed ex mera devotione vult intra annum confiteri, *an teneatur Parochus ipsum audire quoties voluerit, & petierit?* Negant Riccardus, Sylvest. Armilla, Medina, & Reginaldus, relati a Leandro *disp 11. q.119.* quia ubi non adest necessitas, vel obligatio Subditi, nec etiam videtur adesse Ministri.

13. Resp. teneri Parochum audire Confessiones suorum subditorum non solum quando ipsi confiteri tenentur, sed etiam alias, quoties id rationabiliter petunt, sive ratione Festi occurrentis, aut Indulgentiarum, vel quia singulis mensibus solent confiteri, vel quia habent conscientiam gravatam, vel ob aliam similem caussam. Ratio est, quia Pastor non solum consulere debet extremæ Ovium necessitati, sed etiam illarum utilitati; tempus autem urgentis præcepti videtur extrema necessitas; ergo tenetur etiam extra tempus præcepti hoc Sacramentum ministrare juste petentibus, ob maximam hujus Sacramenti utilitatem, ad præcavenda maxime in futurum peccata. Ita tenent Navar. Suarez, Vasq. Coninch, Bonacina, Lugus, Nugnus, & alii, quos affert, & sequitur Leander *cit. p. 119.* Aversa *sect. 71.* Bonacina *q.7.p.4. §.2. n.23.*

14. Advertunt tamen, Parochum non teneri suos subditos audire per se, sed satisfacere officio suo, si de aliis Ministris idoneis provideat, vel illos remittat ad alios delegatos, & audire paratos, quos pœnitens commode possit adire, nisi forte in Paschate, aut mortis articulo instaret quis suo proprio Parocho confiteri, ut docet Possevin. *de Officio Curat. c. 5. q. 7.* & probabile putat Diana *p. 2. tr. 16. resol. 2.* quamvis id neget Leander *qu. 121.* dicens, nec in Paschate, nec in mortis articulo teneri Parochum per se ipsum audire, si subdito provideat de alio idoneo, & apto Ministro.

15. Excusatur Parochus a peccato ratione parvitatis materiæ, si semel, vel iterum neget, vel differat Confessionem rationabiliter petenti, dummodo non neget Confessionem annuam, aut necessariam ex voto, aut tempore Jubilæi; nam tunc ratione præcepti evadit materia gravis, ut cum aliis notat Dicastillus *disp. 10. num. 481.* & docent Suarez, Nugnus, Lugus, & Sancius, quos sequitur Leander *q. 120.* Multo magis excusatur Parochus, si Confessionem neget, aut differat irrationabiliter petenti, ut si nimis frequenter, aut hora importuna, aut ex indiscreta molestia scrupulorum, quis peteret; non enim tunc faceret injuriam pœnitenti Confessionem differendo in alium diem, aut aliud tempus magis commodum.

16. *An vero teneatur Parochus suis subditis Sacramentum pœnitentiæ ministrare, etiam cum periculo vitæ, ut contingere potest tempore pestis, vel alio simili, quando ad illos non potest accedi sine periculo?* Nonnulli distinguunt, & dicunt, Parochum teneri, etiam cum periculo vitæ, Sacramentum hoc ministrare suis subditis in extrema, & gravi necessitate, quando aut non possunt, aut nonnisi cum magna difficultate sibi succurrere per actum perfectæ Contritionis; alios vero Confessarios non Parochos non teneri cum periculo vitæ audire pœnitentes, quando possunt habere actum Contritionis, licet cum difficultate illum faciant. Ita Ant. a Spiritu S. *disp. 18. n. 1414.* & citat Navar. Coninch, & Lugum. Verum hoc in praxi non potest habere locum, quia non constat Ministro, *an pœnitens sit, vel non sit in tali necessitate extrema, vel gravi; an possit, vel non possit habere actum Contritionis, vel nonnisi cum difficultate?* quare dicendum est: Pastores communiter teneri, & obligari ex officio, etiam cum periculo vitæ, audire in tali necessitate subditorum Confessiones; alii vero Sacerdotes tenentur lege caritatis in defectum Parochorum, vel quando ipsi non sufficiunt omnibus; sic tempore pestis, quando multi decederent sine Confessione, tenentur etiam alii Confessarii cum periculo vitæ succurrere indigentium necessitati. Ita Aversa *sect. 11.*

DUBIUM IV.

An Confessarius teneatur pœnitentem interrogare?

17. Nullam adesse obligationem in Confessario interrogandi, & examinandi pœnitentes judicavit Sotus *in 4. dist. 18. q. 2. art. 4.* quia officium, & onus Confessarii est audire, & absolvere, non autem interrogare; quod quidem verum esse potest, quando pœnitens fuit diligens in examinanda conscientia, & peccata sua distincte quoad speciem, numerum, & circumstantias explicat, nec dubitari potest, attenta qualitate personæ, circumstantiarum, & temporis brevitate ab ultima Confessione, ipsum prætermittere aliquod peccatum. At si Confessarius advertat, non fuisse præmissum a pœnitente sufficiens examen conscientiæ, tenetur suis interrogationibus adjuvare, quia si defectus est culpabilis ex negligentia, peccaret Confessarius absolvendo indispositum. Si autem pœnitens non se examinavit quantum potuit, quia sperabat, & cupiebat Confessarii interrogationibus adjuvari, ut sæpe contingit in Confessionibus simplicium, & rusticorum, tenetur Confessarius illum adjuvare, & suis interrogationibus supplere defectum, ut bene tradit Aversa *q.16. sect.11.* Coninch *disp. 8. q.17. n.530.* & alii.

18. Et quidem loquendo de rusticis, quamvis isti reperiantur negligenter examinati, non sunt communiter dimittendi, ut se examinent, & redeant; nam hi, licet millies se examinent, numquam redduntur magis apti, quam si a principio a Confessario examinentur, ut etiam notavimus supra *c.7. dub.1.* & si inveniantur multo tempore agresti, & inculto modo Confessiones bona fide fecisse cum indocto Parocho, sine explicatione numeri peccatorum mortalium, non sunt cogendi illas repetere, ad explicandum verum numerum peccatorum, quia bona fide confessi sunt, & cum uniformem vivendi modum, & rationem habeant, statim ex Confessione unius anni potest prudens Confessarius colligere quantum in reliquis annis peccaverint, & sic facile formare judicium plenum, & sufficiens. Ita Diana *p.3. tr.4. resol.89.* Lugus *disp.16. n.577.* & aliis citatis, Leand. *disp.5. q.72.*

19. Dubium est: *An quando fuit a pœnitente præmissum debitum examen juxta suum captum, & possibilitatem, teneatur ipsum interrogare Confessarius, si probabiliter credat ex ignorantia, aut oblivione aliquod peccatum omittere?* Negat Medina *de Confess. q. 19.* quando peccatum illud non vergit in damnum proximi, quia confessio illius peccati inadvertenter omissi non est necessaria ad integritatem Confessionis, quæ est formaliter integra, nec ad veniam consequendam, cum illud simul cum aliis indirecte remittatur; quam Sententiam probabilem judicat Vasquez *q.93. art. 3. dub. 7. num. 2.* & tenet Victoria relatus a Leandro *q. 124.*

20. Resp. Confessarium etiam in eo casu teneri opportune interrogare pœnitentem de peccatis, seu circumstantiis necessariis, quæ videt, vel probabiliter credit commisisse, & ob ignorantiam, seu inadvertentiam etiam inculpabilem non fatetur, & sic ipsum adjuvare ad Confessionem integram perficiendam. Sic colligitur ex cap. *Utriusque sexus, de pœnit. & remiss.* ubi dicitur: *sit Sacerdos discretus, & cautus more periti Medici, diligenter inquirens peccatorum circumstantias,* &c. Et ratio est, quia Sacerdos, tamquam Judex, & Dei Minister, non solum tenetur ex officio cavere peccatum pœnitentis in mutilatione Confessionis, sed etiam ex officio curare tenetur, ut judicium ipsum integre fiat, non solum formaliter, quantum ad bonam fidem, & diligentiam pœnitentis, sed etiam materialiter, quantum morali modo fieri potest. Ita tenent S. Thom. Sylvest. Angel. Navar. Canus, Suarez, Vasquez, Lugus, Ochagavia, Villelobos, & alii, quos affert, & sequitur Leander *cit. quæst. 124.*

21. Non tenetur Confessarius in examine pœnitentis adhibere exactissimam diligentiam quantum simpliciter adhiberi potest, sed moralem, & humanam, quæ non reddat hoc judicium Confessario, & pœnitenti nimis molestum, & onerosum; unde non debet longas, minutas, & molestas facere interrogationes, sed dumtaxat ab unoquoque quærere, quæ, considerata qualitate personarum, ei convenire videntur, & quæ possunt considerari ab ipso fuisse prætermissa. Maxime autem debet esse prudens, & cautus circa peccata carnis, modeste solum interrogando, quæ præcise necessaria sunt, non multiplicando interrogationes superfluas, & curiosas, ne vel ignorantem doceat, vel scandalizet, aut se, vel illum periculo pravæ delectationis exponat; ut enim ait Coninch *disp. 7. de Sacram. dub. 7. n. 56.* præstat aliquando, Sacerdotem minus perfecte peccatum pœnitentis intelligere, quam vel illi, vel sibi aliquod scandalum creare, & esse nimium. Similia habet Homob. *in Exam. tr. 6. c. 13. q. 54.* Ita etiam Aversa *qu. 16. sect. 11.* quem sequitur Franc. a Jesu M. *c. 12. punct. 2. n. 22. & alii* communiter.

22. Quæres *Quid facere debeat Confessarius, qui scit, pœnitentem commisisse aliquod peccatum, quod neque ex se, neque interrogatus confitetur?*

Resp. non debere ipsum absolvere, quando sibi evidenter constat, illum peccasse, nec fuisse alteri confessum, quia forte paullo ante Confessionem vidit illum peccantem; nam tunc sibi clare constat, hujusmodi pœnitentem sacrilege negare, & mentiri contra integritatem Confessionis, & sic non esse rite dispositum, ut cum Sylvio, Suarez, Henriq. Facond. Sancio, & aliis, docet Aversa *cit. sect. 11.* Si vero non sibi certo constat, ipsum peccasse, aut non fuisse confessum, potest absolvere, quia quilibet debet præsumi bonus, & recte dispositus, nisi contrarium clare constet; cum autem rarissima sit hæc evidentia, quia plures sunt causæ, quæ ipsum excusare possunt a manifestatione talis peccati, etiamsi illud commiserit, ut alibi diximus,

ximus, rarissime neganda videtur absolutio. Quod si Confessarius ex aliorum confessione solum cognovit, hunc pœnitentem tale peccatum commisisse, nec esse confessum, debet ipsum absolvere, quamvis interrogatus neget, quia in hoc judicio pœnitens est reus, testis, & accusator, magisque in hoc foro est pœnitenti credendum in sua caussa, quam aliis in aliena. Ita cum Perez *disp.* 53. *sect.* 2. *nu.* 8. *& 9.* tenet Ant. a Spiritu S. *disp.* 18. *sect.* 2. *n.* 1420.

DUBIUM V.

An Confessarius debeat admonere pœnitentem, qui per ignorantiam est in statu malo?

23. Certum est apud omnes, pœnitentem admonendum esse a Confessario de obligationibus resultantibus ex Confessione audita; puta de obligatione tollendi occasionem proximam peccandi, si quam habet; restituendi, si forte aliquem læsit in bonis, fama, aut honore; adimplendi vota, juramenta, aut promissiones, & Sacramentales satisfactiones, si in hisante defecerat, & adhuc subdatur oneri adimplendi, tollendi, seu reparandi scandala, aliave damna, si quæ intulit; addiscendi Mysteria Fidei, si forte ignoret, maxime illa, sine quibus non est capax absolutionis, ut sunt Mysterium Sanctissimæ Trinitatis, & Incarnationis, cum sit damnata ab Innocent. XI. propositio illa in ordine 64. *Absolutionis capax est homo, quantumvis laboret ignorantia Mysteriorum Fidei; & etiamsi per negligentiam etiam culpabilem nesciat Mysterium Sanctissimæ Trinitatis, & Incarnationis Domini Nostri Jesu Christi.*

24. Debet Confessarius admonere pœnitentem, quando ex conscientia erronea credit aliquid esse peccatum mortale, quod tale non est, quia illa ignorantia affert maximum damnum pœnitenti, & iste ad Confessarium accedit tamquam ad Doctorem, ut ab ipso instruatur, & sic debet tollere hanc ignorantiam, & docere veritatem, ut removeatur peccatum. Sic Lugus *disp.* 22. *n.* 23. Sanchez, quem affert, & sequitur Leander *q.* 126. Debet insuper admonere pœnitentem, qui ex ignorantia vincibili, & culpabili versatur in aliquo peccato mortali, etiamsi ab illo nullam speret emendationem, quia perseverando in tali statu perseverat in peccato, a quo non excusat ignorantia prædicta, & per consequens non est capax absolutionis quousque in tali statu perseverat. Ita ex communi docent Suarez, Vasquez, Coninch, Hurtado, quos affert Leander *cit. quæst.* 126.

25. Difficultas est: *an quando pœnitens versatur in statu malo ex ignorantia invincibili, & inculpabili; puta quia bona fide contraxit, & retinet matrimonium cum impedimento dirimente, teneatur Confessarius illum admonere, & docere veritatem?* Communis Sententia distinguit, & docet, pœnitentem esse admonendum, si monitio sit profutura sine gravi scandalo; secus si non speretur profutura, vel timeatur majus damnum pœnitentis, aut grave scandalum, sive deinde ignorantia illa sit facti, sive juris humani, vel naturalis, dummodo sit invincibilis, nam in tali casu monitio esset nociva pœnitenti, & occasio committendi peccata, quæ, monitione non facta, vitantur. Inde si Confessarius advertat, matrimonium esse nullum, sed rationabiliter timet, post monitionem Conjugem adhuc permansurum in tali matrimonio, vel periculo committendi actus conjugales, debet potius ab admonitione cessare, & illum relinquere in bona fide; nam aperire in hoc casu nullitatem matrimonii, esset laqueos injicere pœnitenti, qui per admonitionem poneretur in mala fide. Similiter si timeatur magnum damnum ex illa admonitione secuturum, puta ex separatione Conjugum magnum scandalum, personarum hostilitatem, vel infamiam, aut filiorum detrimentum, debet dissimulare, quia non debet cum tanto proximi dispendio providere, ubi alioquin non aderat formalis culpa, sed tantum materiale opus per ignorantiam excusatum. Ita ex Adriano, Medina, Navar. docent Layman *in Theolog. mor. l.* 5. *tr.* 6. *c.* 13. *n.* 5. Suarez *t.* 4. *disp.* 32. *sect.* 5. *n.* 3. Sanchez *de matrim. t.* 1. *l.* 2. *disp.* 38. *n.* 6. Villalobos *in sum. t.* 1. *tr.* 9. *diffic.* 70. *nu.* 4. Diana *p.* 3. *tr.* 4. *resol.* 80. ubi dicit, quemdam imprudentem Confessarium dedisse occasionem multorum peccatorum ex manifestatione impedimenti. Sic etiam Leander *q.* 127. Aversa *q.* 16. *sect.* 12. & apud ipsum Lugus, Pontius, & alii communiter. Quod etiam colligitur ex Innocent. III. in c. *Quia circa, de consang. & affinit.* ubi dissimulare præcipitur ob vitandum scandalum cum quibusdam, qui bona fide Matrimonium se contraxisse putabant, cum tamen impedimentum occultum haberent.

26. Hoc totum verum putant non solum in matrimonio contracto, sed de proximo contrahendo cum impedimento dirimente; nam si Confessarius videat, quod, etiamsi detegat impedimentum, adhuc matrimonium sit faciendum, vel majora damna sequenda, non debet veritatem aperire, sed eos debet in sua bona fide relinquere. Ita cum Perez, Ant. a Spiritu S. *sect.* 3. *nu.* 1424. qui addit, Conjugem nolentem in dato casu reddere debitum marito, admonendam esse a Confessario de obligatione, quam habet reddendi, quia, supposita illa bona fide, Conjux tenetur reddere debitum, & si nollit, non est absolvenda. Sic etiam Sanchez, Ledesma, Corduba, Henriq. Coninch, Lugus, Filliuc. quos affert, & sequitur Leander *q.* 128.

27. Iidem dicunt, etiamsi opus illud materiale ex ignorantia factum redundet in damnum tertii; puta, si quis bona fide retineat facultatem, & hereditatem alterius, vel si faciat contractus re ipsa injustos, & usurarios, non tenetur Confessarius eum admonere, immo potius tenetur tacere, quando non speret se profuturum, quia talis monitio esset caussa peccati, non remedii. Sic Aversa, Ant. a Spiritu S. Sanchez, & Leander *q.* 129. nisi forte redundet in grave damnum Communitatis: ut si Confessarius advertat, aliquem invalide ordinatum Sacerdotem bona fide celebrare, & ministrare Sacramenta, debet ipsum admonere, etiamsi credat, illum perseveraturum, quia præponderat salus publica, quæ periclitatur per invalidam Sacramentorum administrationem. Idem valet si Parochus invincibiliter haberet opiniones erroneas, quas subditis ingereret circa mores, ut cum Dicastillo *disp.* 10. *n.* 543. notat Ant. a Spiritu S. *loco cit.*

28. Sententia communis, quamvis reddatur probabilis propter auctoritatem Doctorum, qui illam sequuntur, tamen magis placet Sententia opposita, docens, Confessarium semper teneri ignorantiam invincibilem pœnitentis tollere, quando est juris naturalis, & divini positivi, cumque admonere, etiamsi non speret emendationem: quis enim dicat, Confessarium non teneri admonere Juvenem pœnitentem, qui sæpe labitur in voluntarias pollutiones, invincibiliter putans, illas non esse peccatum, ex eo præcise, quod timeat perseveraturum? Ratio est, quia Confessarius in hoc Sacramento non solum est Judex, sed etiam Doctor, qui docere tenetur ea, quæ necessaria sunt ad æternam salutem, & quæ pœnitens scire tenetur; at pœnitens scire tenetur præcepta juris naturalis, & divini, quæ obligant semper, & pro semper, & ea peccata, per quæ Deus offenditur; ergo Confessarius tenetur illum docere, & removere ignorantiam impedientem cognitionem, & observantiam Divinorum præceptorum, juxta præceptum Christi Matth. ult. *docentes eos servare omnia quæcumque præcepi vobis.*

29. Nec obstat, monitionem non esse profuturam, eo quod pœnitens sit perseveraturus in statu malo, quia non ita facile hoc præsumendum est de viro Catholico, qui pro expiatione suæ conscientiæ, & animo se reconciliandi Deo accedit ad Confessarium. Dato tamen, quod Confessarius probabiliter cognoscat, pœnitentem perseveraturum in statu malo, adhuc tenetur ipsum admonere; nam obligatio, quam habet Confessarius monendi, & instruendi pœnitentem, non pendet a bona, vel mala dispositione pœnitentis, sed a præcepto divino, ut impius a sua iniquitate recedat; cum enim pœnitens addiscere, & scire teneatur præcepta divinæ Legis, sequitur quod Confessarius, & Pastor teneantur illum docere, & instruere; nam obligatio addiscendi, & obligatio docendi sunt correlativa, & pendent ex eodem præcepto divino. Adde, quod Confessarius advertens, monitionem non esse profuturam, sed pœnitentem perseveraturum in malo statu, non debet, nec potest illum absolvere, quia judicando, ipsum perseveraturum in malo statu, judicat eo ipso indignum absolutione: ille enim, qui ita virtualiter dispositus est; ut si sciret, aliquod esse peccatum, adhuc vellet illud facere; si sciret matrimonium esse nullum, vellet perseverare; si sciret accessum ad hanc mulierem esse fornicarium, adhuc vellet accedere; si sciret contractum esse usurarium, adhuc vellet contrahere; si sciret obligationem restituendi, nollet restituere, est indignus absolutione, quia non concipit efficax propositum abstinendi a peccato, sed potius retinet virtualem affectum ad peccatum; ergo Confessarius, qui pœnitentem ita dispositum invenit, non potest eum absolvere, sed tenetur eum admonere, & removere a mala voluntate, incutiendo Dei timorem, ut recte arguit Tyrsus Gonzales *in opusc. de recto usu opinionis probab. dissert.* 14. *c. ult.*

30. Facilius toleranda esset ignorantia, quando pœnitens esset monitionem libenter accepturus, & executurus, sed Confessarius videret remedium esse difficillimum, & moraliter impossibile, aut infamiam, & magna scandala inevitabiliter secutura, quia tunc non est facienda correctio, & monitio cum tanto incommodo, & detrimento, sed prudenter dissimulandum, donec effulgeat spes aliqua melioris fortunæ, & quod possit remedium adhiberi sine tanto incommodo, quod utique magis verificatur, quando ignorantia invincibilis pœnitentis est tantum juris humani, eo quod leges humanæ, juxta communem doctrinam, non obligant cum notabili detrimento, & in hoc sensu sustinenda est Sententia communis supra relata.

31. Quod si pœnitens dubius sit de valore Matrimonii, vel de potestate petendi debitum, vel de obligatione restituendi, & quærat veritatem a Confessario, non debet, nec potest iste dissimulare, sed tenetur veritatem docere, quia pœnitens in isto casu jam incipit habere ignorantiam vincibilem, & taciturnitatem Confessoris posset prudenter interpretari in suum favorem, & ita taciturnitas illa esset erroris approbatio, quæ numquam licet. Sic Sanchez, Sotus, Ledesma, Corduba, Henriq. Lopez, Suarez, Lugus, Bonac. Villalobos, & alii, quos affert, & sequitur Lean-

der *q.*130. quod utique verum est, etiamsi pœnitens Confessarium interrogaret non ex dubio, sed ex scrupulo, quia silentium Confessoris, posita illa interrogatione, pœnitens interpretaretur affirmationem, & per consequens auctoritate Confessarii faceret, quod prius ex ignorantia faciebat; quare debet Confessarius etiam in isto casu veritatem docere, ut tenent Sanchez, Sotus, Ledesma, Lugus, & Leander *q.*131.

DUBIUM VI.

An Confessarius teneatur sequi Opinionem probabilem pœnitentis?

32. ALiqui distinguunt inter Sacerdotem proprium, seu Parochum, qui ex Officio tenetur audire subditorum Confessiones, & Confessarium delegatum, qui solum ex caritate sine alia obligatione illas excipit: & dicunt, primum teneri sequi opinionem probabilem pœnitentis contra propriam, non sic secundum, puta quando Confessarius opinatur, aliquam actionem esse mortaliter peccaminosam; contractum, quem pœnitens vult inire, esse usurarium; rem taliter acquisitam esse restituendam, & pœnitens adhæret sententiæ probabili asserenti, actionem non esse malam; contractum non esse illicitum, & rem taliter acquisitam posse juste retineri: primum, dicunt, posse, & debere pœnitentem absolvere, quamvis nollit recedere ab opinione sibi favorabili, & commoda, nec desistere a contractu, nec velit restituere rem taliter acquisitam; non sic secundum. Verum hæc distinctio non subsistit, quia postquam pœnitens legitime est confessus, quilibet Confessarius, sive ex officio, sive ex caritate audiens, tenetur ex justitia eum absolvere, si bene dispositus sit; & differunt solum in eo, quod delegatus audiens ex caritate poterat ab initio non audire: at postquam audivit tenetur pœnitentem dispositum absolvere.

33. Resp. Quilibet Confessarius, sive ex officio, sive ex caritate, audita pœnitentis Confessione, tenetur eum absolvere juxta ejus probabilem opinionem. Ratio est, quia pœnitens, peracta Confessione, si est bene dispositus, habet jus ut absolvatur, & Confessarius tenetur sub mortali illum absolvere; sed pœnitens, qui sequitur opinionem probabilem, a qua non vult recedere, est bene dispositus, cum detestatione peccatorum, & proposito in futurum abstinendi a peccatis, & adimplendi omnem suam obligationem; ergo quilibet Confessarius tenetur sub lethali eum absolvere juxta ejus probabilem opinionem, quando vere est probabilis: alias injuriam facit pœnitenti in re gravi, quia cogeretur, absque sua culpa, cum sui confusione, & verecundia, bis propria peccata confiteri, quod gravamen est, & injuria non parva. Sic tenent Palud. Sotus, Navar. Victoria, Medina, Valentia, Suarez, Vasquez, Sayrus, Villalobos, Palaus, Bonac. Diana, Toletus, & alii communiter, quos affert, & sequitur Bossius *p.*1. *moral. tit.* 1. §. 23. *n.*225. Leander *q.*132. Aversa *q.*16. *sect.* 12.

34. Dices: Judex non potest sequi opinionem probabilem, relicta probabiliori; sed Confessarius est Judex; ergo non potest sequi opinionem probabilem pœnitentis, relicta sua probabiliori.

Resp. majorem esse veram in foro externo, non in foro pœnitentiali; & disparitas est, quod in foro externo Judex tenetur judicare in favorem illius partis; quæ habet meliora, & potiora jura, ad hoc enim constituitur Judex; at illa pars, quæ habet pro se rationes potiores, & probabiliores, sive juris, sive facti, habet etiam potiora, & meliora jura, & sic in favorem illius Judex tenetur judicare. At Confessarius est Judex, qui debet judicare de peccatis, actionibus, & obligationibus Pœnitentis secundum Legem Dei, & tutam conscientiam ipsius pœnitentis, qui sequendo opinionem probabilem, sicut tutus est in conscientia, ita Confessarius eum tenetur judicare juxta suam probabilem opinionem, maxime quia totum, quod in foro pœnitentiali agitur, est in favorem pœnitentis, cujus proinde probabili opinioni tenetur Confessarius se conformare.

35. Quod quidem verum est, etiamsi opinionem pœnitentis, quam Doctores periti probabilem, & tutam in conscientia judicant, & tuentur, ipse Confessarius, sive ordinarius, sive delegatus, speculative improbabilem, & falsam existimet, quia etiam in hoc casu pœnitens, cum sequatur opinionem probabilem, ex hac parte caret culpa, & est bene dispositus ad absolutionem; quare Confessarius in isto casu potest, & tenetur deponere in praxi suum dictamen, saltem per extrinseca principia, quando opinio, quam sequitur pœnitens, habet omnia requisita, ut sit practice probabilis, & contra proprium judicium speculativum formare judicium practicum, quod sibi liceat absolvere ob opinionem aliorum probabilem. Ita tradunt Sanchez, Bonacina, Layman, Bresserus, & alii Doctores, quos sequitur Bossius *n.*207. & *n.*226. Ant. a Spiritu S. *sect.* 5. *n.* 1476.

36. Peccaret autem mortaliter, per se loquendo, Confessarius, qui, audita pœnitentis Confessione, nollet ipsum absolvere juxta suam opinionem probabilem, si Confessio facta sit de mortalibus, quia illi faceret injuriam in re gravi, sine legitima caussa ipsum obligando ad iterum aperienda peccata sua alii Confessario. Sic Sanchez, Diana, Hurtado, Lugus, quos sequitur Leander *q.*133. Potest tamen excusari a lethali ratione parvitatis materiæ, si Confessio esset brevis, vel de solis venialibus facta, vel si non esset admodum onerosum pœnitenti repetere Confessionem apud alium Sacerdotem. Ita etiam tenent Suarez, Sanchez, Bonacina, & alii relati a Bossio *n.*239.

DUBIUM VII.

De obligatione supplendi defectus in Confessione audita forte commissos.

37. TRipliciter contingere potest, Confessarium errare in administratione hujus Sacramenti. Primo circa valorem, & substantiam Sacramenti, ut si absolvat a reservatis sine jurisdictione, sine intentione, aut sine debita dispositione ex parte pœnitentis, qua ratione Sacramentum est invalidum. Secundo potest defectus contingere circa materialem integritatem, salva tamen validitate, & substantia Sacramenti; puta quia non interrogavit pœnitentem, qui bona fide confitetur, de numero, speciebus, aut circumstantiis requisitis peccatorum. Tertio potest contingere defectus cum damno tertii, ut si non obligavit pœnitentem ad restitutionem debitam, vel illum obligavit ad indebitam; & in hoc triplici eventu potest Confessarius errare culpabiliter, aut inculpabiliter.

38. In primo casu, si Confessarius erravit circa valorem Sacramenti, absolvendo quem non poterat absolvere, si pœnitens iterum ad ipsum accedat pro nova Confessione, debet ipsum monere, ut denuo de præteritis peccatis accuset, vel saltem generaliter interrogare, an de omnibus doleat, etiam de expositis in præcedenti Confessione, quorum memoriam, saltem confusam, retinere Confessarium suppono, eumque directe absolvere ab omnibus, obtenta prius necessaria jurisdictione. Ita Suarez *disp.*32. *sect.*5. *n.*6. Filliuc. *tr.*7. *de Confess. c.*12. *n.*372. Lugus *disp.*22. *n.*54. Aversa *sect.*13. Si vero pœnitens non sit reversurus ad eumdem Confessarium, & illum non possit admonere absque scandalo, & absque detrimento suæ famæ; quod regulariter contingeret, quando aperiret suum culpabilem defectum, alioquin ignotum, pœnitenti, nec posset se, prætextu inadvertentiæ, aliove titulo, excusare: non tenetur ipsum admonere, nisi forte subesset periculum damnationis æternæ ipsius pœnitentis, qui forte esset in articulo mortis, nec aliam Confessionem esset facturus; nam tunc præponderat salus æterna pœnitentis, qui proinde versatur in extrema necessitate; adeoque debet Confessarius, etiam cum dedecore, & incommodo, errorem corrigere. Ita cum Lugo, & aliis Leander *q.*135. Ant. a Spir. S. *n.* 1482.

39. Si vero Confessarius erravit scienter, & culpabiliter, tenetur, etiam cum gravi suo detrimento (dummodo non præponderet) monere pœnitentem de defectu commisso, etiam extra mortis articulum, quia fuit voluntaria caussa nullitatis Sacramenti. Ita Thomas Tambur. *in Meth. c.*8. *lib.*3. §. 4. *n.*5. ubi citat Filliucium, & Lugum. Alii tamen satis probabiliter docent, non teneri Confessarium, extra mortis periculum, monere pœnitentem de defectu commisso, cum gravi suo incommodo, scandalo, aut dedecore, quia in hoc casu nullum sequitur grave damnum, quod facile non possit reparari, relinquendo pœnitentem in sua bona fide; nam in sequenti Confessione illi remittuntur indirecte omnia peccata, quæ in prima non fuerunt directe absoluta. Illud autem inconveniens, quod non servetur integritas materialis quoad absolutionem directam, excusatur ab incommodo, & dedecore Confessarii, quia sicut ipsemet pœnitens non tenetur cum suo notabili damno, aut periculo facere Confessionem materialiter integram: ita nec tenetur Confessarius cum eodem periculo illum admonere. Sic Aversa *sect.* 13. Ant. a Spiritu S. & apud ipsum Suarez, Perez, Vasquez, Dicastillus. Ita Filliuc. *supra cit. nu.*373. ubi ait, si sequatur grave incommodum, aut scandalum, non tenetur, sed satis est dolere de peccato commisso, & relinquere pœnitentem in bona fide, quia, per subsequentes Confessiones justificabitur.

40. In secundo casu, quando fuit error circa integritatem materialem, salva substantia Sacramenti, si pœnitens iterum accedat ad Confessarium pro nova Confessione, debet ipsum admonere de errore commisso, & procurare integram Confessionem; si vero non amplius accedat, & Confessarius solum negative, & omissive se habuit, non interrogando numerum, & speciem peccatorum, non tenetur, per se loquendo, penitentem admonere, quia est res dura, & odiosa, & Confessio fuit legitima, & peccata omnia remissa fuere, solumque fuit defectus circa integritatem materialem, qui non fuit positive caussatus a Confessario, & sic sufficit, quod doleat de culpa sua, si quam habuit, & penitentem relinquat in sua bona fide. Ita cum aliis Leander *qu.*139.

41. Si vero fuit positive caussa, ne pœnitens integre confiteretur, dicendo, non esse necesse aliter explicare numerum, species, aut circumstantias peccatorum, sive culpabiliter, sive inculpabiliter hoc fecerit, tenetur monere penitentem, si commode potest, & auferre ab illius mente erro-

errorem, quem forte caussavit; si vero non possit hoc facere sine gravi incommodo, ad nihil tenetur; nam sicut pœnitens non tenetur ad integritatem materialem Confessionis cum gravi suo incommodo: ita nec Confessor, qui caussa fuit, ne daretur Confessio integra, sive defectus fuerit culpabilis, sive non. Ita cum aliis Aversa, Leander, & Ant. a Spiritu S.

42. In tertio casu, quando contingit error cum damno tertii, omnes conveniunt, Confessarium debere pœnitentem admonere, ut restituat, quia saltem lege caritatis ad id tenetur, ne innocens sui caussa damnum patiatur, maxime si ex culpabili negligentia monitionem omisit. *An vero, illo non restituente, teneatur ipse Confessarius restituere?* affirmant Gabriel, Nugnus, Salonius, Aragon. Zanard. Navar. Rosella, Sayrus, & alii relati ab Aversa *sect.* 13. Alii distinguunt inter Confessarium proprium, & delegatum; illum obligant ad restitutionem, quia tenetur ex officio, non istum, qui solum ex caritate Confessiones audit. Verum hæc distinctio magis communiter rejicitur, quia Confessarius quicumque sit tenetur restituere, si peccavit contra justitiam.

43. Resp. Confessarius, sive proprius, sive delegatus, qui solum omisive, & negative se habuerit, nec positive obligando, nec positive deobligando pœnitentem; sive ex mera inadvertentia, sive etiam ex malitia, aut negligentia omiserit, non tenetur ad restitutionem, etiamsi pœnitens non restituat. Ratio est, quia Confessarius, omittendo monitionem, non peccavit contra Justitiam, sed contra Religionem, rectamque Sacramenti administrationem; non enim tenetur ex officio procurare utilitatem temporalem aliorum, & quod jus suum unicuique servetur, sicut Judex, & Gubernator temporalis, sed solum tenetur prospicere bono spirituali pœnitentis; contra quod formaliter peccat, si ipsum non admoneat de obligatione, quam habet restituendi; non vero peccat contra justitiam debitam alteri; & sic non tenetur de suo restituere, sive Confessarius sit proprius, sive delegatus, cum de utroque sit eadem ratio. Suarez *disp.* 32. *sect.* 6. *n.* 8. Coninch *disp.* 8. *dub.* 17. *n.* 144. Lugus *disp.* 22. *sect.* 3. *n.* 73. Bonacina *de restit. disp.* 1. *q.* 2. *punct.* 11. *n.* 13. Diana *p.* 1. *tr.* 16 *resol.* 1. Lessius, Sanchez, Azorius, Malderus, & alii communiter, quos affert, & sequitur Aversa *loco cit.*

44. Si vero Confessarius ex malitia, & lata culpa positive consuluit, & docuit, pœnitentem non teneri restituere cum teneretur, aut teneri cum non teneretur, debet sine dubio pœnitentem admonere, ut restituat, &, ipso, aut non monito, aut impotente restituere, tenetur Confessarius restituere de proprio, sicut tenetur quilibet alius, qui fuit caussa damni, quoniam actu positivo peccavit contra justitiam inferendo tale damnum, quod jam non potest aliter reparare, ut docent supra citati Doctores, Et hoc verum est etiam, quando præcepit restitutionem indebitam, quia jam sua actione injusta fuit caussa illius damni, decipiendo pœnitentem. Liberatur tamen Confessarius ab onere restituendi, si moneat pœnitentem adhuc potentem restituere, & doceat quid debeat facere, etiamsi postea non restituat, quia Confessarius eo ipso, quod suum dictum retractat, & instruit, ac monet pœnitentem de suo debito, removet totam caussam, quam dedit; unde si postea ipse non restituit, non amplius movetur auctoritate Confessarii, cum fuerit retractata, sed sola sua perversitate.

45. Quod si Confessarius absque sua gravi culpa, sed vel bona fide, vel ad summum levi negligentia deceptus, falso docuit pœnitentem non teneri restituere, & re melius considerata cognoscat obligationem restituendi; tenetur, si potest, monere pœnitentem de suo vero debito, ut illam erroris caussam amoveat; si tamen admonere non possit, vel inveniat inhabilem ad restitutionem, tunc non tenetur ipse de suo restituere, quia non peccavit graviter contra justitiam; sicuti qui absque sua culpa admovit ignem, ex quo sequitur incendium, tenetur quidem, si potest, & quantum potest, incendium extinguere; sed si non potest, non tenetur resarcire damnum. Sic Suarez, Bonacina, Filliucius, Malderus, Diana, & alii, quos affert, & sequitur Leander *quæst.* 137.

C A P U T XVIII.

De Sigillo Confessionis.

D U B I U M I.

Quid sit Sigillum, & qualis ejus obligatio?

Sigillum communiter definitur, *strictissima obligatio tacendi ea, quæ in Confessione Sacramentali dicuntur.* Dicitur *Sigillum*, sumpta metaphora ab instrumento, quo solent obsignari litteræ, quo durante non possunt aperiri, sed abscondita manent, & secreta, quæ in iis continentur: inde translatum est hoc nomen ad significandam strictissimam obligationem non manifestandi ea, quæ in Confessione cognita sunt. Dicitur *strictissima obligatio*, quia in nullo umquam casu frangi potest. Dicitur *occultandi ea, quæ in Sacramentali Confessione dicuntur*; nam per hoc distinguitur a sigillo, & secreto naturali, quia ad Sigillum Sacramentale solum pertinent ea, quæ in Confessione Sacramentali, vel in ordine ad illam dicuntur.

2. Nascitur hæc gravissima obligatio servandi Sigillum, & celandi, quæ in Confessione Sacramentali dicuntur, ex jure Naturali, Divino, & Ecclesiastico. Nascitur ex jure naturali, quo quis tenetur servare secretum sibi commissum, & illud violando facit contra fidem datam, & tenetur ad restitutionem damni, si quod nascitur ex tali violatione secreti; & multo magis tenetur Confessarius jure naturæ audita in Confessione celare, maxime quia ex revelatione Confessionis nascitur infamia pœnitentis, quam jure naturali cavere debemus, ut cum Navarro, Reginaldo, Vasquez, Nugno, Sayro, & aliis docet Bonac. *disp.* 5. *qu.* 6. *sect.* 5. *punct.* 1. Homob. *in exam. tr.* 5. *c.* 19. *q.* 107.

3. Nascitur ex jure Divino, & ex ipsa institutione Sacramenti, quia Christus Dominus eo ipso, quo pœnitentem obligavit ad integram omnium suorum peccatorum Confessionem Sacerdoti faciendam, censetur etiam ipsum Sacerdotem obligasse ad secretum inviolabiliter servandum, ne Confessio fieret odiosa, & onerosa, & ne ab illa Fideles retraherentur, & abhorrerent, timentes ne Confessarius aliqua ratione induceretur ad manifestanda ea, quæ per Confessionem cognovit; immo non tenerentur Fideles sua peccata manifestare; non enim tenentur ex institutione Christi Domini, nisi ad Confessionem secretam; at secreta non esset, si licite posset Confessarius audita in Confessione manifestare. Addunt alii præceptum positivum Christi Domini manifestatum ex ipsa traditione, & praxi totius Ecclesiæ; cum enim ab initio nascentis Ecclesiæ semper inviolabiliter viguerit observantia hujus secreti, ut nullo omnino eventu, & propter nullum omnino finem umquam licuerit sacrissimi hujus Sigilli violatio, sufficienter ostendit, Christum Dominum, instituendo hoc Sacramentum, hanc legem secreti tulisse, ne Sacramentum redderetur odiosum. Ita Aversa *q.* 18. *sect.* 1. Palaus *tr.* 23. *disp. unic. punct.* 19. Ant. a Spiritu S. *disp.* 19. *sect.* 1. Leander *disp.* 10. *sect.* 2. & aliis citatis, Bonac. *n.* 2. Homobon. *supra.*

4. Oritur etiam hæc obligatio ex jure Ecclesiastico, in Can. *Sacerdos, de pœnit. distinct.* 6. & in cap. *Omnis utriusque sexus, de pœnit. & remiss.* ubi hoc strictissime præcipitur sub pœna infligenda depositionis, & perpetuæ pœnitentiæ in arcto Monasterio; quæ tamen pœna extenditur solum ad Confessarium, non ad alios, qui sunt puniendi arbitrio Judicis, ut cum Menochio, Grassio, Mascardo, & aliis notat Bonacina *n.* 3. Non incurrit illa pœna ipso facto, sed est infligenda per sententiam Judicis, idque spectat ad Tribunal ordinarium Episcopi, non vero ad Officium S. Inquisitionis, nisi in casu, quo admisceatur aliquis error contra fidem, contra obligationem hujus sigilli, vel aliam conditionem debitam Sacramenti, ut notat Aversa *q.* 18. *sect.* 1. Addunt aliqui, Confessarium frangentem Sigillum Confessionis incurrere irregularitatem, sed immerito, quia irregularitas non incurritur, nisi sit in jure expressa, & hæc lis non est. Ita tenent Bonacina *supra*. Diana *p.* 4. *tr.* 8. *resol.* 95. & *p.* 5. *tr.* 11. *resol.* 51. & 53. Bordonus *tom.* 3. *Variar. resol.* 9. *n.* 31 Lugus *disp.* 23. *sect.* 5. §. 5. & alii, qui dicunt, in jure communi nullam aliam esse impositam pœnam ultra supradictas.

5. Hinc sequitur, frangentem Sigillum Confessionis duo peccata committere, unum injustitiæ, alterum Sacrilegii, quia peccat contra justitiam revelando secretum sibi commissum, & lædendo famam proximi; unde etiam tenetur ad restitutionem damni forte inde secuti. Peccat etiam peccato Sacrilegii contra Religionem, quia facit injuriam Sacramento Pœnitentiæ, quod cum obligatione Sigilli a Deo institutum est, illudque reddit odiosum, & onerosum hominibus. Alii addunt malitiam inobedientiæ contra præceptum Ecclesiæ, vel ipsius Christi, & contra fidelitatem, & caritatem. Verum hæc non multiplicant peccata, nam virtus fidelitatis, & caritatis hic non distinguitur a justitia; & præceptum Ecclesiæ, seu Christi, cum sit latum intuitu ejusdem Religionis, & reverentiæ debitæ Sacramento, non multiplicat peccata diversa. Ita Anton. a Spiritu S. *n.* 1499. Facundez, Suarez, Bonacina, Villalobos, & alii, quos sequitur Leander *q.* 4.

6. Adeo grave Sacrilegium est frangere Sigillum Confessionis, ut non admittat parvitatem materiæ excusantem a lethali, cum ex manifestatione cujuslibet peccati in Confessione auditi, gravia sequi possint incommoda, & Confessio reddi possit odiosa, & onerosa; inde manifestare peccatum veniale auditum in Confessione, etiamsi audientes non intelligant illud peccatum veniale auditum fuisse in Confessione, est peccatum lethale Sacrilegii contra reverentiam debitam Sacramento, cui gravis irrogatur injuria per talem manifestationem. Ita Bonacina *supra n.* 4. Suarez, Vasquez, Facundez, Layman, Lugus, Candidus, Diana, Malderus, & alii communiter, quos affert, & sequitur Leander *disp.* 10. *q.* 5. Homobonus *q.* 108.

DUBIUM II.

Quinam teneatur ad Sigillum Confessionis?

7. Certum est per se primo, & principaliter ad Sigillum teneri Confessarium, qui nullo umquam casu, sive boni consequendi, sive mali vitandi, nec directe, nec indirecte potest citra Sacrilegii scelus audita in Confessione revelare; quod verum est non solum de Confessario legitimo, sed etiam de illo, qui fingens se talem, Confessionem audivit, quia saltem ex intentione pœnitentis Confessio ei facta fuit Sacramentalis, ut cum Suarez, Mæratio, Ochagavia, & aliis docet Diana *p.5.tract.11.resol.15.* Deinde minus principaliter tenentur omnes illi, qui occasione Sacramentalis Confessionis peccata cognoscunt.

8. Secundo tenetur Interpres, quo pœnitens ignoræ linguæ utitur ad manifestanda Confessario sua peccata; nam iste cum peccatum cognoscat in ordine ad Confessionem Sacramentalem ejusdem Sigillo teneri debet, alias non esset pœnitenti satis consultum, & sic Interpres Confessionem revelans facit injuriam Sacramento, & est reus Sacrilegii. Sic Homobonus *in exam.tr.5.c.21.q.115.* Bonacina *supra p.3.* Aversa *qu.18.sect.5.* Suarez, Mæratius, Henriquez, Villalobos, & alii, quos affert, & sequitur Diana *p.5.tr.11.resol.48.*

9. Tertio tenetur, qui quoquo modo, casu, aut dolose alterius Confessionem audivit, sive peccatum audierit a Confessario, sive a pœnitente alta voce loquente, vel dum arctaret prope Confessionalia; notitia enim illius peccati provenit ex Sacramentali Confessione, & res transit cum onere. Ita Megala, Facundez, Mæratius, Reginaldus, & alii, quos sequitur Diana supra *resol.16.* Homobonus *q.115.* Ant. a Spiritu S. *n.1510.* Idem dicendum de illis, qui audierunt alterius Confessionem alta voce factam, quia aliter fieri non poterat, ut accidit in naufragio, & tempore pestis; nam tunc omnes audientes tenentur ad Sigillum, nec possunt inter se loqui de auditis in Confessione, quia omnes notitiam peccati, ex Sacramentali Confessione, quatenus tali, accipiunt, ac proinde obligari debent ad Sigillum Sacramentali Confessioni annexum; ea ratione, qua pœnitens, si idem peccatum cum omnibus Confessariis unius Civitatis confiteretur, omnes ad Sigillum tenerentur, nec inter se possent de tali peccato loqui. Sic Diana *resol.23.* Facundez, & alii, quos sequitur Leander *disp.10. q.28.* & *29.* Aliter dicendum, si pœnitens coram aliis ob majorem sui confusionem absque ulla necessitate confiteretur; nam audientes non tenentur Sigillo Sacramentali, sed Naturali, ex justitia, aut fidelitate. Addo, audientem malitiose alterius Confessionem non solum teneri ad Sigillum, sed etiam peccare mortaliter, quia gravem injuriam facit pœnitenti, & Sacramento, ut bene advertit Aversa *quæst.18. sect.5.*

10. Quarto tenentur Prælati, Superiores, ac Pœnitentiarii, a quibus facultas absolvendi ab aliquo casu reservato petitur, sive pœnitens hanc per se postulet, ut ab eo absolvi valeat, sive illam postulet Confessarius; & Superior forte veniat in cognitionem personæ, quia hæc omnia ordinantur ad Confessionem, & transeunt cum suo onere. Homobonus *cit. q.115.* Bonacina *punct.3.* Leander *qu.50.* Suarez, Coninch, Megala, Villalobos, & alii, quos sequitur Diana supra *q.12.* Hoc idem valet de illis, quibus Confessarius, vel consilii captandi gratia, vel de consensu pœnitentis, vel etiam sine illius consensu, peccatum aliquod simul, & auctorem illius manifestat, quia omnis notitia habita ex Confessione, sive mediate, sive immediate cadit sub Sigillo, quia semper transit cum suo onere. Navar. Sylvester, Bonacina, Suarez, Filliuc, Candidus, & alii, quos affert, & sequitur Leand. *q.49.* & Diana *resol.11.*

11. Quæres: *An teneatur ad Sigillum Sacramentale, qui forte invenit chartam, in qua scripta erant peccata Confessionis, sive factæ, sive faciendæ?* Affirmant Facundez, Delrius, Grassius, Homobonus, Zanardus, Malderus, & alii, quos citat, & sequitur Diana *p.3.tr.4.resol.112.* & *p.5.tr.11. resol.27.* ubi citat Faustum, Fornarium, & Marchinum de peste *p.3.c.11.n.14.* sequitur Ant. a Spiritu S. *n.1514.* & aliis citatis, Leander *qu.46.* quia talis scriptura est veluti inchoatio, & pars Confessionis faciendæ; & si Confessio jam sit facta, jam illa peccata sunt affecta secreto Confessionis; quæ quidem Sententia est valde probabilis, & multum favet reverentiæ debitæ Sacramento: tamen

12. Contraria Sententia magis placet, quia Scriptura illa, quamvis ad Confessionem faciendam deservire possit, & contineat materiam faciendæ Confessionis; vere tamen non est Confessio Sacramentalis, nec etiam inchoative, sed est præparatio ad Confessionem, solumque inservit ad excitandam peccatorum memoriam, unde non debet necessario cadere sub Sigillum Sacramentale: & ita sentiunt Suarez, Coninch. Lugus, Granad. Mæratius, Tanneius, Ochagavia, Henriq. Layman, & alii, quos affert, & sequitur Aversa *sect.5.* tenetur tamen, qui chartam invenit eam celare sub secreto naturali, & sub debito justitiæ, & peccabit mortaliter, non solum revelans, quæ legerit, sed etiam apud se legens, quando cognoscit, in ea charta contineri peccata, quia facit injuriam alteri sic explorando ejus peccata: & inde Judex non potest uti tali notitia, nec inquirere de hujusmodi peccatis, sive per se invenerit, & legerit chartam, sive cognoscat testes hac via didicisse delicta alterius, & multo minus illa judicialiter punire, quia illa delicta sunt secreta, & illorum manifestatio cederet in gravem irreverentiam Sacramenti, pro cujus susceptione illa scriptura facta est, ut admittunt non solum Auctores primæ Sententiæ, sed etiam Aversa *sect.5.*

13. Quæres 2. *An pœnitens teneatur ad Sigillum?*

Resp. negative, quia tota ratio Sigilli inducta est in favorem Sacramenti, & pœnitentis, quibus non facit injuriam pœnitens, qui citra scandalum sua peccata manifestat, aut pœnitentiam pro illis sibi impositam; tenetur tamen sub Sigillo naturali non manifestare ea, quæ dicta sunt in Confessione, quando diminuere possunt famam, & bonam existimationem Confessarii, excepto casu sollicitationis ad turpia, quia tunc ratione publici boni præponderantis, debet illum denuntiare ad Inquisitores. Tenetur etiam sub eodem sigillo naturali celare defectus Confessarii forte cognitos in Confessione, non sub sigillo Sacramentali, quia non facit injuriam Sacramento, cum illos non cognoscat ex Confessione sibi facta, sed tantum Confessori, si illos manifestat. Sic Diana *part.5.tr.11.resol.8.* Ant. a Spir. S. *n.1517.* Suarez, Facundez, Vasquez, Hurtadus, Molfes. & alii, quos affert, & sequitur Leander *q.81.* & *82.* Homob. *q.116.*

DUBIUM III.

Quænam Confessio inducat obligationem Sigilli?

14. Resp. ad Sigillum Confessionis spectare ea omnia, quæ Sacerdoti manifestantur per ordinem ad Confessionem Sacramentalem factam animo se accusandi: quia nimirum obligatio sacri Sigilli servandi oritur solum ex omni, & sola Confessione Sacramentali, cui fit injuria per fractionem Sigilli. Illa autem dicitur Confessio Sacramentalis, in qua quis sua peccata manifestat Sacerdoti animo se accusandi, & obtinendi absolutionem; & sic ea omnia, & sola, quæ tali animo, & tali Ministro dicta sunt, spectant ad Sigillum Confessionis, ut tradunt Navarrus, Suarez, Vasquez, Lazarius, Henriquez, Reginaldus, quos sequitur Bonac. *q.6.sect.5.pu.2.* Inde si deficiat in pœnitente animus se accusandi, aut in Ministro potestas manifeste cognita, deficit etiam obligatio Sigilli Sacramentalis, quamvis dari possit obligatio Sigilli naturalis.

15. Quare non nascitur obligatio Sigilli, quando pœnitens narrat sua peccata Confessario animo dumtaxat petendi consilium, & directionem, vel si ea narret Laico, aut Clerico, quem manifeste novit non posse absolvere, quia talis manifestatio non est ordinata ad Confessionem, & absolutionem obtinendam: bene tamen nascitur obligatio Sigilli, si bona fide manifestat sua peccata sive Laico, sive Clerico fingenti se Sacerdotem, & Confessarium, quia pœnitens bona fide, & animo recipiendi absolutionem se accusavit, ac proinde debet ei servari Sigillum; secus tum ipsi, tum Sacramento fieret injuria. Sic Diana, *resol.15.* Aversa *q.18.sect.3.* Suarez, Vasquez, Coninch, Bonacina, Candidus, Lugus, & alii, quos sequitur Leander *disp.10. quæst.55.*

16. Non nascitur obligatio Sigilli Sacramentalis, sed dumtaxat Naturalis, quando aliquis alteri communicat secretum, dicens, se hoc ei dicere in Confessione seu sub sigillo Confessionis, ut interdum dici solet etiam laicis, aut cum Sacerdotibus absque prævia accusatione, & Sacramentali Confessione, sed per modum narrationis, aut ad petendum consilium, aut ex alio motivo, quia nulla intervenit Sacramentalis Confessio, ex qua solum oritur obligatio hujus sigilli; quod verum putat Leander *disp.10. qu.58.* etiamsi manifestans, genibus flexis, & prævio signo Crucis, & Confessione Generali *Confiteor Deo*, dicat: *hoc tibi dico in Confessione*, quia non datur Confessio Sacramentalis, unde talis modus loquendi est abusivus, & solum denotat rigorosum secretum naturale. Sic etiam D. Thomas *2.2.q.70.art.1.ad 2.* Navar. Cajet. Henriquez, Vasquez, Suarez, Facundez, Villalobos, Bonacina, Candidus, & alii apud Leandrum: ita etiam Homobonus *in exam. tr. 5. c.20. q.111.*

17. Nec etiam oritur obligatio Sigilli ex Confessione mere ficta, & dolosa, facta animo irridendi, decipiendi, sollicitandi Confessarium ad peccatum, aut illum pertrahendi in errorem, ut decisum fuisse Romæ narrant Ant. a Spiritu S. *n.1504.* & Bonacina supra *n.7.* quia talis Confessio nullo modo est Sacramentalis, nec illius revelatio cedit in præjudicium Sacramenti; unde non oritur obligatio sigilli, sed potius obligatio corripiendi hujusmodi hominem, aut etiam denuntiandi, si hoc esset necessarium, ad grave malum innocentis, & præcipue Reipublicæ avertendum; debet tamen Confessario certo, & clare constare de fictione, & pravo animo pœnitentis, seu fingentis se pœnitentem, quia in dubio esset præsumendum pro Confessione cum obligatione sigilli, ut cum aliis advertit Suarez *disp.33. sect.2.n.6.* Aversa *sect.3.* & plures, quos sequitur Bonacina *q.6.sect.5.punct.2.n.5.* Homob. *cit.qu.111.*

18. Oritur obligatio sigilli ex Confessione etiam imperfecta,

perfecta, & incompleta facta animo se accusandi, quamvis non sequatur absolutio; unde tenetur Sacerdos celare sub sigillo, quæ in Confessione audivit, etiamsi pœnitentem ob aliquem defectum non absolverit, puta quia non erat dispositus, quia erat in occasione proxima, quia habebat casum reservatum, quem non poterat absolvere; nam illa Confessio fuit relata ad Sacramentum, quod, licet non fuerit completum, fuit tamen inchoatum. Sic Aversa *cit. sect.* 3. Suarez *disp.* 33. *sect.* 2. *n.* 8. & cum aliis Bonacina *n.* 6.

DUBIUM IV.

Quænam cadant sub Sigillo Confessionis.

19. Loquendo jam de materia Sigilli dico, ea omnia cadere sub Sacramentale Sigillum, quorum detectione Sacramentalis Confessio fidelibus odiosa redderetur; unde sub illud cadunt non solum peccata mortalia, & venialia, sed etiam eorum circumstantiæ, & ea omnia, quæ diminuere possunt famam pœnitentis, quia horum manifestatione Confessio redditur odiosa. Hoc tamen intercedit discrimen inter peccata mortalia, & venialia, quod illa nec in genere, nec in specie, nec in individuo possunt manifestari; peccata vero venialia, quamvis non possint in specie manifestari, possunt tamen in genere sine fractione sigilli; nam qui confitetur ostendit, se habere aliqua venialia, secus illa non esset Confessio. Quare peccaret mortaliter contra Sigillum Confessarius, qui diceret, Petrum commisisse, aut confessum fuisse peccata mortalia, aut etiam dicendo, se accusavit de peccato mendacii, seu etiam habebat plura, & graviora venialia, quia id non constat ex eo præcise, quod quis confiteatur; secus si tantum diceret, illum confessum fuisse peccata venialia, seu non habuisse nisi materiam venialem. Ita Homobonus *cit. q.* 111. Aversa *sect.* 4. Leander *q.* 10. Diana *resol.* 4). Navar. Suarez, Facundez, Lugus, & alii apud Leandrum; ita etiam Ant. a Spiritu S. *n.* 1519.

20. Cadunt sub Sigillo peccata etiam aliunde nota audientibus, & publica in populo, nec potest Confessarius dicere; talis meretrix mihi confessa est suas turpitudines, quamvis hoc cederet in laudem ipsius, ut si addat confessa est sua peccata carnalia, cum magna compunctione, & firma emendatione; qua ratione non frangi sigillum tenet Medina *Cod. de Confess. q.* 47. §. *Tertium dictum*, nam vere revelaret peccatum cognitum in Confessione cum injuria Sacramenti: nam per accidens est, quod peccatum sit aliunde notum, & publicum, & quod illius manifestatio cedat in laudem pœnitentis. Sic Navar. Henriquez, Facundez, Suarez, Mollef. Lugus, & alii, quos affert, & sequitur Leander *disp.* 10. *q.* 8. & Diana supra *resol.* 6. Poterit tamen Confessarius loqui de tali peccato publico, si illud aliunde novit extra Confessionem, dummodo non addat majorem certitudinem, aut aliquam circumstantiam cognitam ex sola Confessione, & ad tollendam omnem suspicionem, bene faciet si statim declaret, qua via extra Confessionem noverit; ex quo Bonacina *cit. sect.* 5. *num.* 9. cum Soto infert, Confessarium posse accusare illum, qui res suas furatus est, si id novit extra Confessionem, quamvis latro cum illo confessus sit hoc furtum. Similiter Parochum posse repellere a Communione publicum Concubinarium, sibi confessum, & non absolutum, quia forte non erat dispositus, dummodo extra Confessionem cognoscat esse publicum Concubinarium. Ita etiam S. Thomas, Nugnus, Graffius, Vasquez, Navarrus, quos ibidem citat Bonacina.

21. Cadunt sub Sigillo circumstantiæ peccatorum, & defectus occulti, sive morales, sive naturales, qui diminuere possunt famam pœnitentis, & cognoscuntur ex Confessione; ut si pœnitens ad explicandum suum peccatum dicat, se esse illegitimum, eunuchum, pauperem, scrupulosum, timidum, pusillanimem, & alia hujusmodi, quæ pœnitentem rationabiliter tegi velle credendum est, quia licet hæc in se non sint peccata; reductive tamen spectant ad materiam Confessionis, quæ gravis, & odiosa redditur non solum per manifestationem peccatorum, sed etiam eorum omnium, quæ vel per se, vel per accidens, directe, vel indirecte, verecundiam, vel confusionem, vel aliquod damnum pœnitenti afferre possunt. Sic Homobonus *c.* 20. *p.* 1. *exam. q.* 111. Aversa *q.* 18. *sect.* 4. & apud ipsum Sotus, Suarez, Coninch, Bonacina, & alii, quamvis Diana *resol.* 50. teneat, non frangi sigillum a Confessario dicente, Petrum sibi caput obtundere suis minutiis, aut suis scrupulis: ita etiam Lugus, & Aversa. Quamvis cavendum sit, ne cum offensione pœnitentis, aut scandalo aliorum hujusmodi pœnitentis defectus in fabulam, aut derisionem adducat; quod verum puto, si hujusmodi defectus sint per se noti extra Confessionem. Si enim non cognoscantur, nisi ex Confessione, censeo etiam illos cadere sub sigillo, quia talis manifestatio potest pœnitenti obesse, ne eligatur in Prælatum, vel in alia Officia, ut recte advertit Thomas Tamburinus *in methodo Confessionis cap.* 3. §. 10. *numer.* 19.

22. Virtutes, revelationes, & similia dona Dei, per se loquendo, non sunt materia sigilli Sacramentalis, sed naturalis, durante vita pœnitentis, quia non sunt peccata, nec exponuntur tamquam materia Confessionis, sed pro directione capienda, & declaratione sui status. Si enim essent materia Sigilli Sacramentalis, nec etiam post mortem possent manifestari, sicut non est licitum manifestare peccata mortuorum; cum ergo sine scrupulo soleant a Confessariis post obitum manifestari, signum est, quod non sunt materia Sigilli Sacramentalis. Ita Diana *p.* 5. *tr.* 11. *resol.* 30. Ant. a Spiritu S. *n.* 1530. Bonacina *sect.* 5. *punct.* 2. *n.* 11. Lugus, Candidus, Navarrus, & alii, quos affert, & sequitur Leander *q.* 89.

23. *An vero licitum sit Confessario manifestare pœnitentiam a se impositam pœnitenti?*

Resp. negative, quando ex tali manifestatione potest inferri, illum fuisse reum culpæ mortalis certæ, aut dubiæ, aut alicujus venialis in specie, vel multorum venialium, & graviorum; secus si fuerit ita levis, ut non excedat illam, quæ solet imponi in Confessione ordinaria de aliquo veniali. Exempla ponit Diana *resol.* 31. peccasse contra Sigillum Sacerdotem, qui dixit, se imposuisse cuidam Coronam B. Virginis: non autem dicendo, se imposuisse unum *Miserere*, aut quinque *Pater noster*, quia hæc, non illa solet imponi pro venialibus.

24. Quæres: *An solum peccatum pœnitentis, sed etiam peccatum complicis cadat sub Sigillo Sacramentali?* Contingere aliquando solet, pœnitentem, sive ex necessitate ad explicandum peccatum proprium, sive absque necessitate, ex simplicitate, & ruditate manifestare in Confessione peccata aliena, sive Complices sui peccati; quæritur ergo: *an ista debeant sub Sigillo celari?*

Resp. affirmative, quia id spectat ad securitatem, & libertatem Confessionis, cum ex manifestatione peccati Complicis sæpissime cognosci potest peccatum pœnitentis; tum quia illa manifestatio, sive ex necessitate, sive ex simplicitate, fuit ordinata ad explicandum peccatum proprium, & sic debet sub Sigillo celari. Ita cum Soto, Ledesma, Paludano, Suarez, Lugo, Maldero, Villalobos, & aliis Aversa *q.* 18. *sect.* 4. quod adeo verum putat Ant. a Spir. S. *n.* 1529. ut nec de licentia pœnitentis possit Confessarius manifestare peccatum Complicis. Oppositum tenent Suarez, Hurtadus, Præpositus, & Malderus apud Aversam, quia Sigillum obligat dumtaxat in favorem pœnitentis, quocedente juri suo, factum Complicis non debet amplius Sigillo gaudere Sacramentali, remanet tamen Sigillum naturale conservandi famam proximi; quare, supposita licentia pœnitentis, manifestatio Complicis non esset sacrilega contra Religionem Sacramenti, esset tamen injusta contra famam proximi pro qualitate, & gravitate rei.

DUBIUM V.

Qualiter licitum sit Confessario loqui de auditis in Confessione.

25. Adeo stricte obligat observantia sacri Sigilli, ut nec verbis, nec factis, nec directe, nec indirecte liceat Confessario illud infringere, aut aliquid agere, ex quo possit culpa pœnitentis manifestari, ut præcipit Pontifex in c. *Omnis utriusque sexus*, ubi ait: *Caveat autem omnino, ne verbo, aut signo, aut alio quovis modo aliquatenus prodat pœnitentem*; & inde peccaret Confessarius, si peccatum auditum in Confessione manifestaret in tali loco, & tempore, aut aliis circumstantiis, ex quo possit cognosci persona pœnitentis; secus si illa nullo modo cognosci posset, quia, non revelato peccatore, illi non fit injuria, nec ob id Confessio redditur odiosa, & onerosa, ut tradit Bonacina *punct.* 4. *n.* 1. & aliis pluribus citatis, Leander *disp.* 10. *q.* 39. qui tamen bene advertit, in hac materia satius esse omnino tacere, quia de se est periculosissima, & sæpe contingit per hujusmodi locutionem Confessiones revelari.

26. *An vero sit frangere Sigillum, nullo manifestato particulari, dicere in illa Civitate, seu Diœcesi committuntur peccata gravia sodomiæ, bestialitatis, &c.* Dubium est: communis tamen opinio negat, si agatur de ampla Civitate, & Diœcesi, quia nulli fit injuria, nec est periculum, ut aliquis dignoscatur in particulari; secus autem videtur dicendum de aliquo loco non valde amplo, & populato, ut de aliquo Oppido, de aliquo Collegio, aut Monasterio, quia de facili potest ingeri aliqua suspicio redundans contra famam particularium. Est etiam contra secretum naturale, & obligationem vitandi scandali pro qualitate, & gravitate rei, ut proinde talia dicens non sit immunis a peccato lethali, si gravis resultet infamia Communitatis, Monasterii, aut particularium. Ita Coninch, Vasquez, Henriq. Navar. Reginaldus, Nugnus, quos affert, & sequitur Bonacina *sect.* 5. *punct.* 4. *n.* 3. Aversa *q.* 18. *sect.* 4. & aliis citatis, Leander *q.* 30. & 32.

27. Confessarius in actu Confessionis non solum licite, sed etiam utiliter loqui potest cum pœnitente de auditis in præcedenti Confessione, si necessarium sit ad ejus correctionem, & monitionem, ut concedunt Lugus *disp.* 23. *n.* 127. Granad. *contr.* 7. *tr.* 11. *disp.* 5. Malderus *de sigillo c.* 12. Aversa *q.* 18. *sect.* 6. Potest etiam loqui immediate post Confessionem, seu post datam absolutionem, si aliquid necessarium sit adjungere, dum pœnitens adhuc genuflexus exi-

stit ante pedes Confessarii, quia moraliter censetur perseverare eadem Confessio, & idem Sacramentum, quod licet finitum sit, quantum ad partes essentiales, potest tamen durare Sacramentale judicium, & officium Confessarii instruendi, monendi, & corrigendi pœnitentem; si enim licitum est post absolutionem imponere pœnitentiam, & impositam minuere, & moderari, cur non erit licitum corrigere, & admonere pœnitentem, ut restituat, & occasionem deserat? Ita Lugus *n.* 129. Henriquez *l.* 6. *c.* 23. *n.* 2. & cum aliis Aversa supra.

28. Extra Confessionem non posse cum illo loqui, non petita, & obtenta facultate, omnes facile admittunt, quia secus Confessio redderetur odiosa, & pœnitens afficeretur rubore. Dubium est: *an si renuat facultatem concedere, possit nihilominus Confessarius cum illo loqui ad corrigendum errorem in praecedenti Confessione forte commissum?* Plures affirmant, posse, quia illa locutio non censetur esse extra Confessionem, sed intra, cum suppleat, & perficiat illam, quæ inchoata, & imperfecta manserat, & pœnitens tunc est irrationabiliter invitus. Ita Suarez, Nugnus, Turrianus, Hurtad. Filliuc. Cælestinus, Mercerus, & alii, quos sequitur Leander *q.* 23. Verius tamen, & magis communiter alii negant, quia completum fuit illud judicium, in quo pœnitens antea confessus fuit, quamvis cum illo defectu Confessarii, nec dici potest ejus officium amplius durare, unde non diceretur loqui intra illam Confessionem, quæ potest præcessisse per plures dies, & etiam per annum, sed illa locutio simpliciter esset extra Confessionem, quod virtute sigilli non licet, & in eo casu, negata sibi facultate, Confessarius satisfecit suæ obligationi, & ad amplius non tenetur; pœnitens autem peccaret negando licentiam, nisi forte cognito errore apud alium Confessarium, illum amendaret: & ita tenent Lugus *disp.* 23. *n.* 40. Sylvius *q.* 8. *art.* 5. *quæsito* 4. *concl.* 2. Bonacina *q.* 6. *sect.* 5. *punct.* 4. *nu.* 8. Ant. a Spiritu S. *n.* 1533. Diana *p.* 5. *tr.* 11. *resol.* 18. & aliis citatis, Aversa *q.* 18. *sect.* 6.

29. Quæres: *Quomodo debeat se gerere Confessarius, & quid, citra mendacium, & fractionem sigilli, debeat respondere interroganti de auditis in Confessione?* Aliqui asserunt, reprehendendum esse, & objurgandum interrogantem de tam importuna, & iniqua curiositate; alii etiam dicunt, si id, de quo interrogatur non cognovit nisi ex Confessione, posse, & debere prompte, & libere negare, etiam cum juramento, si opus est, se tale peccatum audivisse, aut scire; nec in hoc mentitur, aut est perjurus, quia revera non scit illud scientia manifestabili, & qua uti possit ad loquendum, de qua scientia solum possunt, & debent homines interrogare, ut cum Perez *disp.* 54. *sect.* 9. *n.* 6. *& seq.* docet Ant. a Spiritu S. *nu.* 1540. & Aversa *quæst.* 18. *sect.* 2. Quod si interrogans urgeat, & petat: *an noverit in Confessione, pœnitentem fecisse illud peccatum?* sublata quacumque restrictione, licet Confessarius possit absolute negare, se illud scire, etiam sublata quacumque restrictione, quia nescit ut homo, ut de illo possit loqui; melius tamen est respondere increpando, & objurgando de iniqua curiositate.

30. Si Confessarius interrogetur: *an absolverit publicum Usurarium, aut publicam Meretricem?* quam de facto non absolvit, propter indispositionem pœnitentis, aut quia habebat casum reservatum; respondere debet: *functus sum officio meo, feci quod debui*: & si amplius urgeatur, debet objurgationibus, & verbis gravibus retundere talem importunitatem interrogantis, ut bene notant Aversa, & Ant. a Spiritu S. *loco cit.* & apud ipsum, Sotus, Vasquez, Victoria, Dicastillus, & alii.

31. Quæres 2. *An possit, & debeat Confessarius præbere schedulam, & attestationem Confessionis illi, quem ob indispositionem, aut aliam caussam non absolvit, si eam postulet, ut Parocho, Domino, seu Magistro, tempore Paschatis, ægritudinis, peregrinationis, aut alia simili exhibeat?* si enim negat schedulam, videtur revelare Confessionem, seu indispositionem illius cognitam in Confessione; si concedit, videtur mentiri, & cooperari peccato fraudis. Bonac. *q.* 6. *sect.* 5. *punct.* 4. *n.* 7. docet, esse negandum, quia secus via fraudibus aperiretur; nam multi improbi deciperent Parochos in Paschate, allato testimonio Confessionis; ita etiam tenent Dicastillus *disp.* 12. *n.* 119. Perez *disp.* 54. *sect.* 10. *n.* 6. & cum illis Ant. a Spiritu S. *n.* 1542. quia Confessarius utitur jure suo negando schedulam indigno, & pœnitens sibi debet imputare damnum, si quod retulerit, cum non se disposuerit ad recipiendam absolutionem cum posset. Alii dicunt, liberum esse Confessario illam concedere, vel negare, prout magis viderit expedire. Ita Henriquez *lib.* 9. *cap.* 12. *n.* 4. Leander *disp.* 10. *q.* 80. & Lugus *disp.* 23. *nu.* 87. qui ait, Confessarium posse illam negare absque fractione sigilli, & posse concedere absque culpa mendacii; sed debere cavere a periculo scandali, ne schedulam det peccatori publico non emendato, aut etiam occulto, sic volenti Superiorem decipere.

32. Alii, quibus adhæreo, absolute docent, esse concedendam, maxime si constat pœnitentem ad talem Confessarium accessisse, vel si aliis sibi confessis illam concessit. Ratio est, quia negando uni schedulam, quam concedit aliis, aperte manifestat peccatum, & indispositionem pœnitentis cognitam ex Confessione, vel saltem illius suspicionem ingerit, & sic indirecte violat sigillum, quod non licet. Nec dando schedulam mentitur, quia non dicit, ipsum absolvisse, sed solum audivisse ipsius Confessionem, quod est verum. Quod deinde pœnitens abutatur schedula ad decipiendum, & persistendum in peccato, Confessarius ad hanc fraudem non concurrit, sed tantum illam permittit, ne exponatur periculo revelandi Confessionem. Ita Coninch *disp.* 9. *dub.* 1. *n.* 14. Facundez, & Moscoso, quos citat, & sequitur Diana *p.* 5. *tr.* 11. *resol.* 22. & iterum *p.* 11. *tr.* 5. *resol.* 14. ubi pro eadem citat Amicum, Layman, Marchant. & Aversam: ita etiam Homobonus consult. *t.* 2. *part.* 3. *resp.* 198.

33. Exponitur periculo revelandi sigillum Confessarius non solum si ex tribus sibi confessis schedulam duobus concedat, & tertio neget, sed etiam si unum ex illis maxime laudet, tamquam innocentem, bonum, & honestum; vel si dicat, solum venialia fuisse confessum, quia dat occasionem suspicandi, alios habuisse mortalia, aut non esse honestos, & bonos; secus dicendum, si unus solus fuerit confessus, quia tunc cessat comparatio, aut exclusio aliorum, de quibus tunc non occurrit occasio loquendi. Ita Aversa *q.* 18. *sect.* 1. Granados, Suarez, Facundez, Reginaldus, Navar. & alii, quos affert, & sequitur Leander *disp.* 10. *qu.* 38.

34. Quæres 3. *An Confessarius possit peccatum in Confessione auditum revelare, quando ipse suum peccatum aliter in Confessione explicare non potest?*

Resp. negative, quia major est obligatio sigilli, quam integritatis materialis Confessionis. Ita Navarrus, Nugnus, Vasquez, Henriquez, Reginaldus, & alii, quos sequitur Bonacina *q.* 6. *sect.* 5. *punct.* 4. *n.* 21. Diana *p.* 5. *tr.* 11. *resol.* 9. & aliis pluribus citatis, Leander *q.* 60.

35. Quæres 4. *An saltem de licentia pœnitentis possit Confessarius revelare peccata audita in Confessione?* Negant Scotistæ, quia obligatio sigilli non tam inducta est in bonum pœnitentis, quam in bonum Sacramenti, cui non potest pœnitens renuntiare, quamvis possit cedere juri suo, ea ratione, qua Clericus non potest renuntiare beneficio Canonis, quod est introductum favore Clericatus, seu Communitatis Ecclesiasticæ; quare si pœnitens velit Confessarium loqui de peccato audito in Confessione, debet illud iterum manifestare extra Confessionem. Communis, & vera sententia affirmat, quia sigillum Confessionis fuit principaliter introductum a Christo Domino in favorem, & gratiam pœnitentis, ne illius fama periclitaretur; cum autem pœnitens possit cedere juri suo, poterit facultatem concedere Confessario loquendi secum, aut cum aliis de peccatis auditis in Confessione. Sic Diana *p.* 5. *tr.* 11. *resol.* 10. Lugus *disp.* 23. *a n.* 131. Bonacina *sect.* 5. *p.* 4. *nu.* 8. Candidus *disquis.* 24. *art.* 50. *dub.* 10. Suarez, Vasquez, Coninch, Layman, & alii communiter apud Leandrum *q.* 17. Debet autem talis licentia esse formalis, & expressa, nec sufficit præsumpta, vel interpretativa; debet etiam esse spontanea, & libera sine ulla vi, aut deceptione obtenta; non debet necessario esse in scriptis, quia hoc esset valde periculosum, & onerosum pœnitentibus. Diana supra *resol.* 41. & alii communiter apud Leandrum *q.* 21. ubi advertit in casu, quo Confessarius de fractione sigilli accusaretur, & esset dubium, an revelatio facta fuerit de licentia pœnitentis, credendum esse testimonio Sacerdotis. Ita etiam Aversa *sect.* 7.

DUBIUM VI.

Qualiter sit licitus usus notitiæ habitæ in Confessione.

36. CErtum est, illicitam, & prohibitam esse quamcumque manifestationem, sive directam, sive indirectam cujuscumque peccati in Confessione auditi, & inde non posse Confessarium aliquid facere, vel omittere, quod sit directa, vel indirecta revelatio alicujus peccati, vel tacita exprobratio peccatoris cum illius verecundia, confusione, & damno, quia omnis gravis, & onerosa redderetur Confessio, & facile possent homines ab illa retrahi. Dubium est: *an possit esse licitus usus talis notitiæ habitæ in Confessione, ad dirigendas externas actiones, & ad gubernationem externam, etiamsi nullum adsit periculum revelandi peccatum, aut ingerendi ruborem, damnum, seu confusionem pœnitenti?* in quo discrepant Doctores.

37. Prima Sententia antiquitas satis communis affirmabat, quia Confessor solum obligatur ex præcepto sigilli ad tegenda ea, quæ in Confessione audivit; ergo si nulla sequatur revelatio, bene poterit Confessarius uti scientia Confessionis ad bonum publicum, aut particulare, sive sui ipsius, sive pœnitentis; & ita, pluribus citatis, probabile dicit Leander *q.* 62. Alia Sententia docet, Confessarium nihil posse efficere, vel omittere, si alias non esset facturus, vel omissurus ex sola notitia habita in Confessione. Sic Bonacina, Coninch, Layman, Granado, Filliuc. Hurtado, Facundez, Beja, Malderus, Candidus, & alii apud Leandrum, Diana *p.* 3. *tr.* 4. *resol.* 76. dicens, oppositam Sententiam esse periculosam, & nocivam honori, ac Sacramento; & iterum *p.* 5. *tr.* 11. *resol.* 3. Lugus *disp.* 23. *n.* 93. & alii.

38. Resp.

38. Resp. primo Superiores Regulares non possunt uti notitia Confessionis ad externam gubernationem, etiamsi nullum sit periculum revelandæ Confessionis, aut confusionis, & pudoris in pœnitente. Sic enim habetur ex Decreto Clement. VIII. edito die 26. Maii 1594. ibi: *Tam Superiores pro tempore existentes, quam Confessarii, qui postea ad Superioritatis gradum fuerint promoti, caveant diligentissime, ne ea notitia, quam de aliorum peccatis in Confessione habuerunt, ad exteriorem gubernationem utantur, atque ita per quoscumque Regularium Superiores, quicumque illi sint, observari mandamus*; & hoc ob libertatem Confessionis, ne arceantur Religiosi a manifestatione suorum peccatorum, timentes, ne ob eorum manifestationem privandi essent commoditatibus, honoribus, Ordinibus, Eucharistia, officiis, vel beneficiis, qua ratione Confessio redderetur nimis gravis, onerosa, & odiosa; & tenent Doctores communiter post tale Decretum.

39. Hinc sequitur, non licere Superiori ob peccatum in Confessione cognitum privare subditos officiis ad nutum amovibilibus; negare suffragium pœnitenti, quem solum per Confessionem cognoscit indignum esse ad officium, vel Prælaturam; negare Eucharistiam; intercedere a Sacris Ordinibus; negare licentias exeundi foras; claudere fenestras: & alia hujusmodi facere ob peccatum in Confessione auditum, etiamsi nullus præter penitentem suspicari possit, id ea de causa fieri, ne timore damni incurrendi retrahantur subditi a Confessione gravium peccatorum.

40. Resp. 2. Nullus Confessarius, sive Regularis, sive Sæcularis uti potest notitia Confessionis ad actiones externas, externamque gubernationem, quando ex illa Confessio difficilis, & odiosa reddi potest, vel quando inde confusio, verecundia, sive damnum potest evenire pœnitenti; secus si talia non timeantur evenire. Sic potest Confessarius ex auditis in Confessione occasionem sumere doctos consulendi, libros de casibus conscientiæ accuratius legendi, ut aptior reddatur ad dirigendas pœnitentium conscientias, & ea pericula vitandi, in quæ facile alii prolabuntur. Potest etiam Prælatus Regularis, qui audit querelas de suo rigore, illum moderari, & alia hujusmodi facere, quæ non sunt injuriosa pœnitenti, sed utilia Confessario; nam præcipua ratio sigilli est, ne Confessio difficilis, & odiosa reddatur pœnitenti; si ergo talis non redditur, non erit illicitus usus notitiæ habitæ in Confessione, bene tamen si talis reddatur.

41. Et inde nullus Confessarius, sive Regularis, sive Sæcularis, ob peccatum auditum in Confessione potest pœnitentem removere ab officio, etiam ad nutum amovibili, ut cum Suarez, Coninch, Bonacina, Trullench, Dicastillo, & aliis docet Ant. a Spiritu S. n. 1555. Nequit Confessarius, qui ex Confessione novit, suum famulum esse furem, ipsum dimittere ex sola notitia habita in Confessione, quia sequeretur pudor, & damnum pœnitenti. Sic cum Reginaldo, & aliis Bonacina *sect.* 5. *p.* 4. *nu.* 15. nec illi, aut aliis pœnitentibus ob peccata audita in Confessione vultum asperiorem præbere, quam antea solebat, quia inde sequeretur confusio pœnitenti. Bonac. *n.* 26.

42. Sequitur ulterius, Confessarium etiam Sæcularem non posse suffragium negare illi, quem per Confessionem novit indignum, si antea dignum reputabat; sive suffragium publice, sive secreto fiat. Ita cum Suarez, & Sanchez, Bonacina *n.* 16. Non potest Confessarius denegare Eucharistiam ob peccatum auditum in Confessione. Non potest Parochus repellere a Matrimonio pœnitentem, quem ex Confessione cognovit habere impedimentum dirimens, sed tenetur ipsum in Confessione admonere ne contrahat; si tamen persistat non potest illum extra Confessionem repellere, ut cum Sanchez, Coninch, & aliis tradit Bonacina *n.* 17. Qui per Confessionem cognovit, Ecclesiam esse pollutam, non potest id detegare, sed potest in ea celebrare. Bonacina *n.* 23. & cum aliis Ant. a Spiritu S. *n.* 1560.

43. Infertur etiam, non posse Confessarium uti scientia Confessionis, quando adest periculum revelandi pœnitentem ad tuendum bonum, sive temporale, sive spirituale Communitatis, & totius Mundi, quia præponderat sigillum Confessionis: unde non potest admonere illum, cui parantur insidiæ, nec revelare proditionem futuram Civitatis, quando periculum est, ne auctor detegatur, quo cessante, poterit in genere admonere illum, cui periculum imminet, ut sibi consulat, cavendo pericula, quæ possunt evenire: hoc tamen intelligitur quando Confessarius nequit delinquentem a peccato retrahere; nam si potest illum a peccato retrahere, cessat ratio admonendi illum, cui parabantur insidiæ. Ita cum communi Sententia Bonacina *num.* 19.

44. *An vero Confessarius, qui ex Confessione novit sibi parari insidias, possit illas fugere, quæsito aliunde colore?*

Resp. Affirmative, si id fieri possit sine manifestatione directa, seu indirecta peccati, & pœnitentis, quia tunc Confessarius utitur jure suo, nec ob id Confessio redditur odiosa; unde poterit domi se continere, si cognoscat in via necem sibi ab aliquo præparari, aut divertere ab isto loco; immo etiam fugere, occasione aliunde suscepta; poterit etiam reddi cautior ad custodiendas res suas juxta regulas prudentiæ, ut cum aliis docet Bonacina *num.* 27. Si vero id fieri non possit sine aliqua saltem indirecta manifestatione peccati, ut contingit quando ex Confessione unius ex sociis cognoscit paratas insidias in via, seu in sylva, aut immissum fuisse venenum in vino præparato ad celebrandum; si enim declinet ab eo itinere, vel recuset celebrare, alii socii conjicient, fuisse insidias sibi notificatas in Confessione socii; tunc plures asserunt, non posse fugere, nec alio divertere, sed debere sylvam intrare, & calicem venenatum bibere, quia neque pro vitanda morte potest Confessionem revelare. Ita Diana *p.* 5. *tr.* 11. *resol.* 46. Aversa *q.* 18. *sect.* 8. Bonacina *n.* 29. Lugus, Dicastillus, Navarrus, Suarez, & alii, quos affert, & sequitur Ant. a Spiritu S. *n.* 1567. Alii oppositum sentiunt, quæsito aliquo colore, & honesto titulo, quod verum putat Leander *disp.* 10. *q.* 69. etiamsi Confessarius prævideat, socium manifestantem fore ab aliis sociis occidendum ob manifestationem delicti; licet enim sit laudabile pro tuenda vita pœnitentis mortem subire; ad hoc tamen Confessarius non tenetur, sed potest uti jure suo. Ita etiam Coninch, & Hurtadus apud Leandrum.

C A P U T XIX.

De Confessariis sollicitantibus.

D U B I U M I.

Plura præmittuntur circa obligationem denuntiandi Confessarios sollicitantes ad turpia.

CUm ad munus Confessarii spectet non solum fugere turpe vitium sollicitandi feminas in Confessione ad inhonesta; verum etiam quas noverint ab aliis sollicitatas monere de obligatione, quam habent denuntiandi Dominis Inquisitoribus Confessarios sollicitantes; proinde duximus explicanda pro complemento istius Tractatus, & quæ ad talem obligationem spectant. Et quidem variæ extant Constitutiones Summorum Pontificum contra Confessarios sollicitantes in Confessione penitentes ad turpia, contra quos tamquam de hæresi suspectos inquiri præcipiunt, eosque jurisdictioni subjiciunt Inquisitorum, ut est Constitutio Pii IV. incipit: *Cum sit nuper*: Decretum Clementis VIII. approbatorium, & confirmatorium Constitutionem Pauli IV. & Pii IV. Constitutio Pauli V. incipit: *Dilecte Fili*; & postremo Constitutio Gregorii XV. incipit: *Universi Dominici Gregis*, sub datum Romæ die 30. Augusti 1622. in qua idem Gregorius confirmat, ampliat, & extendit aliorum Pontificum Constitutiones, & Decreta ad omnes ubique locorum existentes, etiam Regulares, & exemptos, & ad sollicitantes quascumque personas in Confessione, ante, vel post Confessionem immediate, occasione, vel prætextu Confessionis, dicens: *Qui personas, quæcumque illæ sint, ad inhonesta sive inter se, sive cum aliis quomodolibet perpetranda, in actu Sacramentalis Confessionis, sive ante, vel post immediate, seu occasione, vel prætextu Confessionis hujusmodi, etiam ipsa Confessione non secuta: sive extra occasionem Confessionis in Confessionario, aut in loco quocumque, ubi Confessiones Sacramentales audiuntur, seu ad Confessionem audiendam electo, simulantes ibidem Confessiones audire, sollicitare, vel provocare tentaverint; aut cum eis illicitos, & inhonestos sermones, sive tractatus habuerint, in Officio Sanctæ Inquisitionis severissime puniantur, ut infra.* Insuper idem Gregorius præcipit omnibus Confessariis, ut moneant suos penitentes, quos noverint ab aliis sollicitatos, se teneri, & obligatos esse ad denuntiandum sollicitantes Inquisitoribus, seu locorum Ordinariis, quas omnes Constitutiones per extensum refert Leander *tr.* 5. *de Pœnit. disp.* 13. *q.* 1.; & quæstione secunda refert discrimen, quod inter illas Constitutiones intercedit, quod etiam præstat Castro Palaus *tom.* 1. *tr.* 4. *disp.* 9. *punct.* 1.

2. Constitutiones Pii IV. Clementis VIII. & Pauli V., quæ editæ fuerunt solum pro Hispaniæ, Portugalliæ, & Algarbiorum Regnis, illorum Inquisitoribus, vel ab eis Deputatis committunt cognitionem hujus delicti. Constitutio vero Gregorii XV. pro toto Orbe Christiano, omnibusque Inquisitoribus totius Orbis Christiani, & locorum Ordinariis simul, vel separatim dat facultatem cognoscendi de hoc delicto. In nullo tamen horum Decretorum imponitur excommunicatio contra non denuntiantes, quæ tamen imponitur ab Inquisitoribus, ut cum Acuna *q.* 10. *n.* 1. notat Ant. a Spiritu S. *disp.* 18. *sect.* 4. *n.* 1431.

3. In Bulla Gregorii XV. præcipitur omnibus Confessariis, ut suos penitentes, quos noverint fuisse ab aliis sollicitatos, moneant de obligatione denuntiandi sollicitantes; quæ quidem obligatio, cum sit de re gravi, per se obligat sub mortali, & mulier tenetur sub mortali Confessarium sollicitantem denuntiare, ut etiam constat ex pœna excommunicationis latæ sententiæ in Edicto Inquisitorum posita, & docent Diana *p.* 4. *tract.* 5. *resol.* 3. Bonacina *de onere denuntiandi disp.* 6. *punct.* 3. *n.* 10. Henriquez, Rodriquez, Facundez, & alii, quos sequitur Leander *disp.* 13. *qu.* 11.

4. Nec

4. Nec dicas: Constitutiones Pontificias præcipientes, Confessarios sollicitantes esse denuntiandos, fundari in præsumptione, quod male sentiant de Sacramento Pœnitentiæ, & sint suspecti de hæresi, ut patet ex illis verbis positis in Bulla Gregorii XV. *Nos in animum inducere nequeuntes*; sed lex fundata in præsumptione non obligat, cessante præsumptione, etsi constet de veritate in contrarium, ut, pluribus allatis Doctoribus, probat Homobon. *de exam. p. 1. tr. 5. c. 8. q. 53.* & tenent Riccius *p. 3. decis. 278. n. 6.* & Joannes Valerius *in different. utriusq. fori verb. Hæresis diff. 1. n. 4.*; ergo si constet, Confessarium sollicitantem non male sentire de Fide, nec de Sacramento Pœnitentiæ, non erit denuntiandus.

Resp. quod licet prædictæ Constitutiones fundentur in præsumptione, adhuc tamen Confessarios sollicitantes esse denuntiandos, quia judicare de tali suspicione, an sint, vel non sint suspecti, non spectat ad pœnitentes, vel ad Confessarios, sed ad Inquisitores, quibus in iis Constitutionibus traditur facultas cognoscendi, & procedendi, ut cum Freit. tradunt Diana *q. 1. tr. 4. resol. 10.* & Bossius *in append. ad tract. de Jubilæo dub. 28. num. 95.*

DUBIUM II.

Quænam Personæ sint denuntiandæ?

5. Sollicitatio, de qua loquimur in præsenti, nihil est aliud, quam provocatio pœnitentis ad turpia, & inhonesta: nam sollicitare idem est, ac provocare, & allicere, seu alio modo invitare verbis, nutibus, aut aliis signis amatoriis ad turpia, & inhonesta, ut cum Roderico Acuna, & Bonacina notat Bossius *in append. ad tract. de Jubil. n. 2.* estque de se gravissimum Sacrilegium; contra quod militant Constitutiones Summorum Pontificum supra relatæ, quæ contra Sollicitantes, tamquam de hæresi suspectos, inquiri mandant.

6. Resp. denuntiandos esse Confessarios sollicitantes non solum mulieres, sed etiam masculos ad turpia, & inhonesta, ut colligitur ex illis verbis positis in Bulla Gregorii XV. *qui personas, quæcumque illæ sint &c. sollicitare, vel provocare tentaverint.* Nomen enim *personæ* utrumque sexum includit, cap. *Mulieres, vel alia persona, de sent. excommunic. in 6.* cap. *Cum personæ 7. de privil. in 6.* & confirmat particula illa *quæcumque.* Unde certum est, sollicitantes pueros esse Bullæ transgressores, & esse denuntiandos, ut in terminis dictæ Constitut. docent Naldus, Peyrin. Vener, Bellocch. quos affert, & sequitur Diana *p. 1. tr. 4. res. 32.* Bossius *supra n. 2.* qui probat, id esse verum non solum post Bullam Gregorii, sed etiam ante illam, quamvis id non esset ita clarum, & expressum.

7. Debent autem denunciari Sollicitantes ad turpia, & inhonesta, non vero ad alia crimina, etsi graviora sint, quia nullum extat Decretum præcipiens denuntiationem aliorum criminum, cum de illis non sit æquale periculum, ac de sollicitatione ad Venerem, ut cum Castro Palao bene advertit, Ant. a Spiritu S. *sect. 4. n. 1429.* & docet Bossius *n. 4.* quia in odiosis non debet fieri extensio, ex cap. *In pœnis, de regul. juris in 6.* Nec obstant illa verba posita in Edicto Inquisitorum: *Che abbiano abusato, o abusino il Sacramento della Penitenza contro i Decreti, e Constituzioni Appostoliche*, quia referuntur ad prædictas Bullas de sollicitatione ad turpia. Ita Portel. V. *Sollicitatio de dubiis Regul.* & tenent Diana *p. 1. tr. 4. resol. 20.* & *p. 4. tr. 5. resol. 17.* Bonacina *supra punct. 3. n. 7.* Homobon. *consult. vol. 2. part. 5. resp. 130.* & alii communiter.

8. Non debent denuntiare Sacerdotes sollicitantes feminas, dum illis ministrant alia Sacramenta præter Pœnitentiam, puta Baptismum, Eucharistiam, vel Matrimonium, quia Summi Pontifices loquuntur solum de Ministro Sacramenti Pœnitentiæ. Deinde, quia rarissime occurrit, ut in aliis Sacramentis Sacerdos sollicitet feminas, quod facilius, & periculosius accidit in Sacramento Pœnitentiæ. Diana *part. 4. tr. 5. resol.* Ant. a Spiritu S. *n. 1432.* Bossius supra *num. 7.* Bonacina *n. 14.* Lezana, Sanctarellus, Trullench, Castro, Palaus, & alii, quos affert, & sequitur Leander *quæst. 10.*

9. Denuntiandus est Confessarius sollicitans feminam, etiamsi illa non consentiat, nec actus libidinosus sequatur; nam ex parte Confessarii sufficit sollicitatio absque effectu subsecuto; hæc enim, etiam per se sumpta, punitur, ut constat ex verbis Bullæ, *sollicitare, vel provocare tentaverint.* Ita Freitar, Acuna, & alii, quos sequitur Bossius *dub. 7.*

10. Urget obligatio denuntiandi Confessarium, sive iste tentaverit, & procuraverit inducere pœnitentem ad peccandum secum, sive cum tertia persona, quod est lenonem agere in Confessione, sive etiam procuraverit, ut sibi, vel alteri filiam suam, amicam, vel aliam feminam inducat ad consentiendum, ut constat ex illis verbis: *sive inter se, sive cum aliis quomodolibet perpetranda, & habentes cum eisdem pœnitentibus in Confessione, ante, vel post immediate, vel occasione, seu prætextu Confessionis, sermones, vel tractatus illicitos, & inhonestos*; ita in terminis Bullæ Gregorii XV. Naldus, & Sancius, quos sequitur Diana *p. 1. tr. 4. resol. 19.* Bonacina *cit. disp. 6. p. 3. nu. 28.* Barbosa, Lezana, & Peyrinus; quos sequitur Bossius *dub. 4. n. 14.*

11. *An vero sit denuntiandus, qui mulierem sollicitat per interpositam personam, nempe per Confessarium, cui mandat, ut nomine suo sollicitet pœnitentem?* Affirmat Riccius *in praxi p. 3. resol. 65.* per illam regulam: *Qui per alium facit, per se facere videtur: de reg. jur. in 6.*; unde lex puniens patrantem delictum comprehendit etiam mandantem.

Resp. negative, quia Bulla loquitur de Confessariis sollicitantibus pœnitentes suos in actu Confessionis, vel ante, aut post immediate, ac proinde non habet locum illa regula: *Qui per alium*; nam Bulla non punit absolute omnes sollicitantes, sed tantum Confessarios sollicitantes suos pœnitentes, & dum audiunt eorum Confessiones. Et ita tenent cum aliis Diana supra *resol. 22.* Bonacina, Grassius, & alii, quos sequitur Bossius *dub. 6.*

DUBIUM III.

An sit denuntiandus Confessarius, qui sollicitatus a femina in Confessione, sollicitationi consentit?

12. Attenta Constitutione Gregorii XV. videtur denuntiandus Confessarius non solum sollicitans, sed etiam consentiens sollicitationi sibi a femina factæ, quia ibi Summus Pontifex expresse præcipit, esse denuntiandos illos Confessarios, qui pœnitentes *sollicitare, vel provocare tentaverint, aut cum eis illicitos, & inhonestos sermones, sive tractatus habuerint*; at Confessarius in casu posito, qui consentit feminæ sollicitanti, licet non dicatur sollicitasse, habuit tamen cum illa illicitos, & inhonestos sermones in Confessione, & sic vigore dictæ Constitut. est denuntiandus; & ita tenent Facundez *de precept. Eccles. in 2. edit. præcept. 2. lib. 4. c. 3. n. 56. & 57.* Leander *disp. 13. q. 20.* Diana *p. 1. tr. 4. resol. 11. & par. 4. tract. 5. resol. 42. & p. 9. tract. 9. res. 32.*

13. Contraria Sententia, quæ non est minus probabilis, docet, Confessarium non esse denuntiandum a femina sollicitante. Ratio est, quia Bullæ loquuntur de Confessariis sollicitantibus, & puniunt solum sollicitationem scandalosam principaliter provenientem a Confessario cum scandalo pœnitentis, ut patet ex illis verbis, *sollicitare, vel provocare tentaverint*, quæ denotant actum principaliter provenientem a Confessario, quem proinde Bullæ punire intendunt; non autem quando femina incipit sollicitatio, etiamsi Confessarius illi consentiat, quia nimirum raro contingit, feminam esse primam, & tunc peccatum Confessarii levius est, nec caussa ruinæ, cum jam femina sit parata, nec facit suspectum in fide, cum præsumatur provenire ex vehementi passione orta ex sollicitatione mulieris. Quod verum putat Roder. Acuna infra citandus, etiamsi sollicitatio fuisset mutua, a femina tamen primo incepta, & prosecuta a Confessario absque interruptione; nam sequens sollicitatio Confessarii non esset scandalosa; secus si hæc fuisset subsecuta cum interruptione post aliquod tempus, & postquam ad alia divertissent. Ita tenent Rodericus Acuna *tr. de Confess. sollicit. q. 11. n. 11.* Seraph. Freitas *in addit. ad eumd. Rodric. ib. n. 24.* Riccius *in praxi fori Eccl. resol. 67.* Bonac. *disp. 6. var. p. 3. n. 20.* Peyrin. *in privil. Minim. tom. 2. in Const. 4. Gregori XV. §. 2.* Homobon. *de exam. p. 2. tr. 11. c. 12. q. 26.* Sanctarell. *de hæres. c. 46. n. 2.* Bossius *in append. dub. 3. n. 12.* Lezana *sum. qq. Regul. c. 19. n. 34.* Ant. a Spiritu S. *disp. 18. sect. 4. n. 1434.* ubi citat Joan. Sancium, & Suarez, & probabile dicit Diana *loco cit.* sequitur Bordon. hoc loco.

14. Nec obstant illa verba Bullæ Gregor. XV. *aut cum eis illicitos, & inhonestos sermones, sive tractatus habuerint*, quia intelligi possunt non de Confessario consentiente sollicitationi pœnitentis, sed de Confessario de rebus turpibus cum pœnitente in Confessionario confabulante, absque sollicitatione ad aliquid inhonestum perpetrandum, dummodo confabulatio ortum habeat a Confessario, ut explicat Peyrinus *supra*, vel ad innuendum, pœnis dictarum Constitutionum subjacere etiam Confessarium, qui provocat, seu inducit pœnitentem, ut sibi filiam prostituat; seu aliam inducat ad peccandum secum, vel cum aliis; hos enim, & similes sermones, seu tractatus inhonestos ad sollicitationem directos non ita clare in aliorum Pontificum Bullis comprehensos, voluit Gregorius sua Constitutione comprehendere; & ita intelligit illa verba August. Barbosa *de offic. Parochi c. 19. n. 49.*

15. Hinc infert Anton. a Spiritu S. *n. 1434.* multo minus esse denuntiandum Confessarium, qui per metum consensit sollicitationi sibi factæ a muliere, ut si ipsa in domum accersitum Confessarium, titulo Confessionis faciendæ, provocet ad libidinem, & nolenti consentire timorem impingat, quod clamabit, quod ipse eam voluerit sollicitare, aut opprimere. Ita etiam Hurtado *tr. 4. c. 8. n. 419.* *An vero sit denuntiandus Confessarius, qui a muliere sollicitatus ad copulam, eam divertit ad oscula, & tactus?* negat Castro Palaus *to. 1. tr. 4. disp. 9. pun. 5. n. 4.* quia divertendo ad oscula, & tactus in dimidiatam solum sollicitationem consentit; secus si sollicitatus ad copulam eam diverteret ad sodomiam. Ita etiam Thomas Hurtadus *tr. 4. c. 5. a n. 56.* & cum eo Ant. a Spiritu S. *n. 1437.*

16. Quæ-

16. Quæres: *An mulier in Confessione sollicitans Confessarium sit ipsa denuntianda?*

Resp. negative, quia omnes Constitutiones Pontificiæ, etiam Gregorii XV. loquuntur tantum de ipsis Confessariis sollicitantibus; unde non est facienda extensio ad mulieres, maxime quia non est par ratio, & raro contingit feminas sollicitare; unde lex de illis non disponit, quia leges humanæ ea, quæ frequentius accidere solent, considerant; & cum istæ Constitutiones sint penales, non sunt extendendæ ad alium casum, ut probat Diana *p.* 1. *tr.* 4. *resol.* 23. & tenet Leander *q.* 41. Peyrinus, Lezana, & Bonacina, quos affert, & sequitur Bossius *n.* 10.

DUBIUM IV.

Quisnam dicatur sollicitare ante, vel post Confessionem?

17. ANte Constitutionem Gregorii XV. dubium erat: *an sollicitantes pœnitentem immediate ante, vel post Confessionem, seu ipsa non secuta, inciderent in pœnas, & essent denuntiandi?* nam plures talem obligationem negabant, quia in aliis Bullis erant illa verba: *Sacramento Pœnitentiæ in actu audiendi Confessiones abutantur*; & illa: *Mulieres pœnitentes, dum earum audiunt Confessiones, ad actus inhonestos provocantes*; & sic pœna imposita crimini facto in Sacramento non videbatur extendenda ad crimen factum prope, sive ante, sive post, quia lex penalis non est extendenda. Communior tamen opinio semper tenuit, hujusmodi Confessarios esse denuntiandos, ut optime probat Bossius *dub.* 15. *n.* 37. Hodie tamen cessat difficultas, quia in Bulla Gregorii XV. expresse ponitur, esse denuntiandos hujusmodi Confessarios sollicitantes *in actu Confessionis, vel ante, vel post immediate, seu occasione, vel prætextu Confessionis, etiam ipsa Confessione non secuta*; ut jam tenent communiter Doctores.

18. Difficultas esse potest, *quando sollicitatio dicatur fieri ante, vel post immediate.*

Resp. sollicitationem fieri immediate ante, vel post, quando inter ipsam, & Confessionem nihil aliud mediat, ita ut nec Confessarius, nec femina ad extraneos actus diverterint, ut cum Palao, Sancio, Ægidio, & Tancredo docet Ant. a Spiritu S. *n.* 1441. & cum Freita, & Paramo, Bossius *n.* 38. ut si Confessarius in Confessione agnoscens, feminam esse levem, & flexibilem, finita Confessione, statim illam provocet ad turpia; si vero post datam absolutionem aliquis illorum ad extraneum actum diverterit, & postea illam sollicitet, non dicetur sollicitasse incontinenti, seu proxime, & consequenter Bullis Pontificum, nec etiam Gregorianæ tenetur, ut cum Sancio, & Coninch notat Palaus *cit. disp.* 9. *p.* 7. *n.* 2. & cum Bonacina, Barbosa, Sanctarello, & aliis notat Bossius *nu.* 39. Unde Confessarius, qui post datam absolutionem moram temporis interponit, vel alium penitentem audiendo, vel aliquid aliud agendo, & postea primam penitentem sollicitat, vel si illam domi visitet, & visitando alliciat ad turpia, non comprehenditur præfatis Constitutionibus, quia neque in actu Confessionis, neque proxime sollicitat.

19. *An vero sit reus Bullæ, & denuntiandus Confessarius, qui agnoscens in Confessione fœminam levem, & de facili flexibilem, post absolutionem eam insequitur domum redeuntem, & in itinere, vel domi sollicitat, seu mittit lenam, quæ eam insequatur, & sollicitet?* Affirmant Peyrinus *to.* 2. *Const.* 4. & penes ipsum Graffius, Trimarchus *disp.* 2. *n.* 70. & Lezana *in sum. qq. Regul. c.* 29. *n.* 34. & Bossius *n.* 40. quia Confessarius tunc id facit occasione Confessionis, & injuriam facit Sacramento, sive eam sollicitet per se, sive per lenonem, juxta regulam: *Qui per alium facit, per se facere videtur*; tum quia illa insecutio fuit inchoata immediate post Confessionem, & continuata usque ad domum, ut proinde sollicitatio dici debeat facta immediate post Confessionem.

20. Alii negant, quia sollicitatio in casu posito nec est facta in actu Confessionis, nec sub prætextu, seu occasione Confessionis, nec immediate post; & quidem sollicitatio non est facta occasione Confessionis, quia hæc respicit invitationem ad Confessionem, & provocatio antecedit; nec immediate post, quia cum mulier jam recesserit, mediat tempus inter Confessionem, & sollicitationem subsecutam, & mulier jam ad alia divertit; & sic sollicitatio non potest dici facta immediate post. Ita tenent Leander *disp.* 13. *qu.* 25. ubi citat Molfesium, Scortiam, & alios; Bordonus in cap. *de Sollicit. n.* 40. nec omnino dissentit Diana *p.* 4. *tr.* 5. *resol.* 7. dum ait, & *ita sentiunt docti Recentiores a me consulti, præsertim aliqui Magistri Societatis Jesu, quia prætextu Confessionis, de quo agitur in Bulla, debet esse proximus, non autem remotus a loco; & statu Confessionis, ut tradit Sousa opusc. de Confess. sollicit. in addit. n.* 10. *& de occasione idem dicendum putant.* Quinimmo dicti Recentiores sentiunt: Pontificias Bullas non contravenire, si ante discessum ab Ecclesia talis Confessor feminam sollicitaret, dummodo id efficeret extra tempora, & loca in Bulla Gregor. XV. contenta.

21. Esset tamen denuntiandus Confessarius, si puerum confessum, & absolutum immediate post duceret ad cubiculum titulo conficiendi, & trahendi schedulam Confessionis, & ibi eum sollicitaret, quia iste casus ratione dependentiæ includit Confessionem, ut ex Sousa tradit Diana supra *resol.* 11. & cum illo Leander *quæst.* 35.

22. Immediate ante sollicitare dicitur Confessarius, qui feminam accedentem ad Confessionem prævenit, ut Confessionem in aliud tempus differat, eamque sollicitat, maxime si prædicta sollicitatio fiat in Confessionario, & Confessarius, dum sollicitat, simulet Confessionem audire, ut cum Diana, Trullench, Facundez, & aliis docet Leander *q.* 27. secus si extra locum Confessionis sollicitet feminam, quæ dixit, se velle cras confiteri, quia talis sollicitatio non est proxima Confessioni faciendæ, sed proxima conventioni de Confessione facienda. Ita cum aliis Leander *q.* 29. & cum Sancio, Palao, & Tancredo Ant. a Spiritu S. *num.* 1440.

DUBIUM V.

An sit denuntiandus Confessarius, qui sollicitavit pœnitentem in Confessionario extra occasionem Confessionis?

23. CErtum est, post Bullam Gregorianam denuntiandum esse Confessarium, qui penitentem sollicitat non solum in actu Confessionis, seu ante, vel post immediate, sed etiam extra occasionem Confessionis, si sollicitat in Confessionario simulando Confessionem, cum ibi expresse habeatur: *sive extra occasionem Confessionis in Confessionario, aut in loco quocumque ubi Confessiones Sacramentales audiuntur, seu ad Confessiones audiendas electo, simulantes ibidem Confessiones audire.* Contingit autem simulatio Confessionis, quod tam Confessarius, quam penitens fingunt, & per signa externa significant, se esse in actu Confessionis; ut si mulier genuflectat ante Sacerdotem, signet se Cruce, tundat pectus, & ita colloquatur cum Confessario, ut exterius appareat, se accusare de peccatis, & Confessarius feminam audiat in Confessionario, seu in loco ad Confessionem audiendam electo, ibique cum ea loquatur eo prorsus modo, ac si illius Confessionem exciperet, ut tradunt Bordonus *t.* 1. *Sacri Tribunal. c.* 23. *de sollicit.* Ant. a Spiritu S. *n.* 1438. & Bossius *n.* 29.

24 Dubium est: *an sit denuntiandus Confessarius, qui sedens in Confessionario, & loquens cum fœmina stante, vel sedente ante Confessionarium, illam sollicitat?* Affirmant Diana *p.* 4. *tr.* 5. *resol.* 30. ex quodam Decreto Pauli V. quod ex Coriolano, & Peyrino sic refert *Feria* 5. *die* 10. *Julii* 1614. *in Generali Congreg. Sanctæ Rom., & Univers. Inquisitionis habitæ in Palatio Apostolico, &c. facta relatione, quod multi Confessarii tractant cum Mulieribus in Confessionali extra occasionem Confessionis de rebus inhonestis, Sanctissimus decrevit, ut contra huiusmodi Confessarios procedatur in Sancto Officio*; in quo Decreto cum nulla fiat mentio de simulatione Confessionis, sequitur esse denuntiandum Confessarium, qui in Confessionali feminam sollicitat, seu cum illa loquitur de rebus inhonestis, etiam non simulata Confessione. Idem habet *p.* 9. *tr.* 9. *resol.* 33. & apud ipsum Bordonus in acro Tribub. *c.* 23. *n.* 46. & Trullench. *in Decal. t.* 1. *l.* 1. *c.* 3. *dub.* 18. *n.* 73. & Escobar a Carro *tr. de confess. sollicit.* I. *p. q.* 4. *§.* 1. *n.* 35. quod verum dicit, etiamsi femina non genuflectat, sed stet, aut sedeat.

25. Sed alii probabilius negant, quia non quæcumque sollicitatio facta in Confessionario est prohibita in Bulla Gregoriana, sed illa dumtaxat, quæ fit cum simulatione Confessionis, ut constat ex illis verbis *simulantes ibidem Confessiones audire*; sed in casu posito non datur simulatio audiendi Confessiones; ergo talis sollicitatio non est inclusa in illa Bulla, nec Confessarius taliter sollicitans est denuntiandus. Ita cum Freita, Leander *disp.* 13. *q.* 30. Bossius *in discep. moral. discep.* 5. *n.* 3. Facundez *l.* 6. *in decal. c.* 12. *n.* 16. Castro Palaus *t.* 1. *tr.* 4. *disp.* 9. *punct.* 8. *n.* 4. Lezana *in sum. qq. Regul. cap.* 19. *n.* 34. Thomas Hurtad. *t.* 1. *moral. resol. tr.* 4. *c.* 4. *n.* 4. & latius *c.* 8. *resol.* 33. Ant. a Spiritu S. *n.* 1439.

26. Ad fundamentum oppositum desumptum ex Decreto Pauli V. respondetur; Gregorium XV. per suam Constitutionem, aut declarasse illud Decretum Pauli V., aut restrinxisse ad terminos simulationis, ut cum Freita docent Leander, & Bossius, vel, ut ait Sancius *disp.* 11. *nu.* 66. uterque Pontifex in utroque Decreto idem decrevit, & sic non solum Decretum Gregor. sed Decretum Pauli V. solum procedit, quando adest simulatio Confessionis, in quo solum casu Confessarius erit denuntiandus.

Habetur Bulla contra Sollicitantes SS. Domini Nostri „ *Bened. XIV. in Tom.* 1. *Bullar. sub n.* 20. *quæ incipit:* „ Sacramentum Penitentiæ &c. *quam si percurrere totam,* „ *& ad litteram cupis, in fine hujus Tomi, & suo ordine* „ *collocatam invenies.* „

DUBIUM VI.

An in dubio Sollicitationis Confessarius sit denuntiandus?

27. CErtum est, Summorum Pontificum Constitutionibus, & eorum penis comprehendi Confessarium, non

non solum qui expressis, & apertis verbis, sed qui tacite feminam sollicitat in Confessione, scilicet nutibus, & tactibus, si feminam osculetur, & amplectatur, vel illius manum, aut aliam corporis partem libidinose tangat, aut alia hujusmodi signa libidinosa, & amatoria erga illam exhibeat. Dubium est: *an sit reus Bullæ, & denuntiandus, quando talia signa, & verba sunt ambigua, dubia, & æquivoca?* Affirmat Sousa apud Dianam *p.4.tr.5. resol.25.* quia dum verba, signa, & facta, sunt dubia, possunt Inquisitores inquirere, & interrogare Confessarium, qua intentione illa verba, & signa ambigua protulerit, & sic debet ad Inquisitores deferri, ut ipsi cognoscant, & examinent, an sint sollicitationes; quam sententiam præter Sousam, tenere etiam Peyrinum docet Diana.

28. Contrarium tenet Bordonus in Sacro Tribunali *cap. de sollicitatione*, sive dubium sit ex parte pœnitentis, quia in dubio nemo tenetur, cum in tali casu quisque possideat suam libertatem, sive ex parte Confessarii, quia in dubio potius favendum est reo, juxta *regulam juris in 6.* tum quia in dubio crimen, sive delictum non præsumitur, ideoque actus, qui potest sonare in delictum, & non delictum semper interpretator, ut absit delictum; in dubio, cum non constet de malo, qui bonus præsumendus est; & benignior interpretatio facienda est in se dubia, *l. Prætor. §. decere, l. merito ff. pro Socio*, cap. *Cum delictis de accusationibus, l. proxime ff. de his, quæ in testamento*, ibi: *in re dubia benigniorem interpretationem sequi non minus justius, quam tutius*; cap. *grave 11. q.3. regula in obscuris de regul. juris in 6.* & cap. *Estote misericordes*. Conf. ex Glossa in cap. *Absit. 11. q.3. V. Sinistrum*, affirmante Clericum, qui amplectitur feminam, debere interpretari, eam benedicendi caussa facere. Adde, quod si propter verba, vel signa dubia possent Confessarii ad Inquisitores deferri, & ab eis in carcerem tradi, facillime, & ex levissima caussa possent Confessarii incurrere gravem infamiam ex delatione, & carceratione; unde etiam boni Confessarii retraherentur ab audiendis Confessionibus cum animarum damno; videtur ergo dicendum in dubio sollicitationis, Confessarium non esse denuntiandum.

29. Quæres 1. *An sit denuntiandus Confessarius, qui in actu Confessionis laudat pulcritudinem, & venustatem feminæ pœnitentis?* Negat Freitas *q.7. n.44. & 45.* Th. Hurtad. *t.t. tr.3. c.8. resol.23.* Sousa apud Dianam *p.4. tr.5. resol. 38.* & Joan. del Castro apud Leandrum *q. 18.* quia feminam laudare de pulcritudine, non est sermones inhonestos cum illa habere; affirmant vero Diana *ibidem*, Bonacina *p.3. n.5.* Homobon. *t.p. exam. tr.13. c.3. q. 13. assertione 3.* & cum aliis Bossius *in appendic. n.48.* quia talis laudatio est implicita sollicitatio. Et quidem si ex circumstantiis, occasione, & modo loquendi colligi possit, laudationem procedere ex animo libidinoso provocandi feminam ad turpia, vel illam alliciendi ad malum, certe denuntiandus est Confessarius, quia vere, & proprie in Confessione sollicitat, ut docent Auctores secundæ sententiæ; si autem feminam laudat, non ex fine malo, sed indifferenti, seu etiam honesto, dicendo; injuriam facere suæ pulcritudini peccando, & se prostituendo, non est denuntiandus, quia non sollicitat, ut etiam tradunt Bossius, Bonacina, & Leander *q. 13.* concludens, quod ut talis femina teneatur denuntiare, debeat esse moraliter certa de tali provocatione, & sollicitatione ad turpia.

30. Hoc idem valet de Confessario donante munera pœnitenti, quem Trimarchus *tr. de Confess. Sollicit.* vult esse denuntiandum, quia ex Ledesma, & Paramo sollicitatio fit per donorum largitionem, & quia dona magis, quam verba alliciunt, nisi dentur Mulieri titulo paupertatis; sed negat Bordonus *in Sacro Tribun. c.23. q.10. n.61.* quia donatio est res de se indifferens, nec ordinatur ex natura sua ad venerea, sed ad honestam benevolentiam, & sic non est signum sufficiens ad arguendum sollicitationem, nisi adjungantur verba redolentia sollicitationem, vel hæc rationabiliter deduci possit ex aliis circumstantiis. Sicut enim ex Trimarcho *n.19.* sollicitatio non præsumitur, quando pecunia tribuitur pœnitenti pauperi, quia præsumptio stat pro Confessario ex titulo paupertatis, ita in casu donationis non præsumitur, cum possit procedere ex bono fine, ac proinde non est admittenda. Deinde sollicitatio, si qua est, est solum dubia, & præsumpta, ac proinde non est conformis Bullæ Gregorianæ, quæ punit certam sollicitationem, non præsumptam, & inde nulla est obligatio denuntiandi Confessarium donantem, nisi aliunde constet de mala voluntate. Idem sentit Diana *p. 9. tract. 9. resol. 34.* quando donum est exiguum, non magni valoris; secus si sit magni valoris, & absque ulla occasione donatum.

31. Quæres 2. *An sit reus Bullæ, & denuntiandus Confessarius, qui in actu Confessionis dicit feminæ pœnitenti: Se in fossi scelere vi prenderei per moglie?*

Resp. hujusmodi verba dicta absque ulla occasione, & motivo habito a femina, sapere sollicitationem, utpote maxime incitativa ad venerem, & impertinentia ad Confessionem, ut tradit Diana *part. 9. tract. 9. resolut. 32.* At si dicantur ex aliquo fine honesto, utpote ad consolandam feminam conquerentem, se non invenire occasionem maritandi, posse excusari a sollicitatione, attenta maxime qualitate personarum, docet Bordonus *in Sac. Tribun. c.23. q. 4. n.54.* quia illa verba de se non præseferunt inhonestatem, nec dicuntur ad feminam sollicitandam, sed consolandam; esset tamen reprehensione dignus Confessarius, quia incaute, & imprudenter se gereret. Si vero diceret feminæ: si locus permitteret, & tu permitteres, animum meum te turpiter tractandi explicarem, sed propter reverentiam Sacramenti non facio; vel si diceret, si non esset peccatum sollicitatio, ego te ad venerem sollicitarem; tunc esset sine dubio denuntiandus, quia illa verba, quamvis conditionata, & abstrahentia a malitia, sunt maxime provocativa, & caussativa motionis in pœnitente, & per consequens aperta sollicitatio, ut cum Hurtado docet Ant. a Spiritu S. *sect.4. §. 2. n.1435.*

32. Quæres 3. *An sit reus Bullæ, & denuntiandus Confessarius, qui in actu Confessionis tribuit pœnitenti chartam provocativam ad venerem, postea legendam?*

Resp. affirmative, quia sic habetur definitum ab Alexandro VII. damnante hanc propositionem, quæ est in ordine sexta: *Confessarius, qui in Sacramentali Confessione tribuit pœnitenti chartam postea legendam, in qua ad venerem incitat, non censetur sollicitasse in Confessione, ac proinde non est denuntiandus.* Ratio esse potest, quia in actu Confessionis, tradendo chartam postea legendam, inchoat sollicitationem, cum talis actio, & traditio ordinetur ad sollicitationem. Quod si mulier epistolam non legeret, sed combureret, vel laceraret, non teneretur Confessarium denuntiare, quia nesciret quid contineatur in scriptura, nisi alias aperte mulier fuisset sollicitata, ut tradit Bordonus.

33. Quæres 4. *An in sollicitatione detur parvitas materiæ excusans a pœnis, & denuntiatione?* Prima Sententia affirmat, & docet, quod si Confessarius dicat verba levia, vel aliud signum, aut aliud opus leve faciat indicativum amoris lascivi, quæ ad judicium prudentis viri nec sint peccatum mortale, nec sufficientia ad persuadendam; talis Confessor erit excusandus, non accusandus, quia materia levis excusat in omnibus delictis, saltem a pœna Ecclesiastica, ut patet de levi percussione Clerici, quæ non inducit excommunicationem. Ita Portel. *in addit. ad dub. regul. V. Sollicitare feminas n.4.* Castro Palaus *tract.4. disp. 9. p.3. n.3.* & Sousa apud Dianam *infra citandum*.

34. Secunda Sententia probabilior tenenda, & in praxi sequenda negat, & docet, talem Confessarium sub gravi culpa esse denuntiandum, quia probabilius est, prædictos actus, licet in se leves, exercitos tamen tempore ministrandi Sacramenti, esse mortales, & damnandos, ob gravem injuriam illatam Sacramento. Nam delicta recipiunt gravitatem ex loco, tempore, caussa, persona, & qualitate, maxime si adsit scandalum; & ita tenent Bossius *dub.18. n.51.* Diana *p.4. tr.5. & resol.5. p.10. tr.14. resol.44.* Homob. *in consul. vol.2. p. 5. resp.139.* Leander *q. 12.* & apud ipsum Acuna, Freitas, Sancius, Antonius, Navarrus, & Thomas Hurtado.

DUBIUM VII.

An Laicus, qui fingit se Confessarium, & sollicitat feminam bona fide confitentem, sit denuntiandus?

35. RESP. ex hoc capite non esse denuntiandum, quia omnes Constitutiones, etiam postrema Gregorii XV. loquuntur tantum de Sacerdotibus, non de illis, qui se Sacerdotes fingunt, & hoc titulo Confessiones audiunt; unde nec denuntiandi sunt Subdiaconi, Diaconi, aut alii Clerici, qui Sacerdotes non sunt; & ita tenent Doctores communiter, Rodericus Acuna, Sanctarell. Bonac. Portel. & Diana, quos affert, & sequitur Bossius *dub. 10. n.23.* Castro Palaus, Sousa, Trullench, Facundez, & alii relati a Leandro *q.37.* Ant. a Spiritu S. *n.1447.* *An vero Laicus, & Clericus non Sacerdos sint denuntiandi, ex aliis Decretis Pontificiis latis contra eos, qui se Sacerdotes simulant, & sub tali simulatione Confessiones excipiunt?* Affirmant Ant. de Sousa, & Facundez apud Leandrum *q.38.* necnon Rodriquez, Acuna, & Freitas relati a Bossio *n. 24.* idque propter Constitutionem Gregorii XIII. editam die 6. Augusti 1574. Clementis VIII. editam die 1. Decemb. 1601. & alteram Pauli V.

36. Limitant Castro Palaus *pu. 9. n. 5.* & Leander *dicta q.38.* dummodo hujusmodi non Sacerdotes, qui Confessiones audiunt, absolutionem etiam impendant, quia in Bulla Greg. XIII. expresse habetur: *Confessiones audire, ac absolutionem impertiri ausi fuerint*; quam tamen limitationem non admittit Bossius, & quidem probabilius, quia in alia Constitut. Clement. VIII. non habetur illa particula: *& absolutionem impertiri ausi fuerint*. Adde, quod Confessio bona fide facta carenti Sacerdotio, & fingenti se Confessarium, ex parte pœnitentis est Sacramentalis, utpote facta ad modum Sacramenti, & animo recipiendi Sacramentalem absolutionem. Fatetur etiam Leander *dicta q.38.* aliunde, & ex vi aliarum Constitutionum, posse ab Inquisitoribus puniri prædictos Laicos, qui fingentes se Sacerdotes Confessiones audiunt, etiamsi non absolvant, quia sunt de fide suspecti, ut tenet Salzedo *in pract. crimin.* & Diana *p.9. tr.9. resol. 32.*

37. Major difficultas esse potest de Sacerdote non habente jurisdictionem: *an, si audiat Confessiones, & sollicitet, sit de-*

sit denuntiandus? Negat Portel. sive bona, sive mala fide Confessiones audiat, quia poena non incurritur per actum nullum, cujusmodi est Confessio facta Sacerdoti non habenti jurisdictionem. Negat etiam Leander *q.* 39. quia Constitutio Pii IV. Clem. VIII. Pauli V. & Gregorii XV. solum intendunt removere abusus, & inhonestas Confessariorum sollicitationes a Sacramento Pœnitentiæ; atque adeo loquuntur solum de illis, qui officio Confessariorum funguntur; non de aliis Sacerdotibus; qui tamen etiam per Leandrum poterunt puniri ab Inquisitoribus ex vi aliarum Constitutionum, licet non propter sollicitationem, & citat Facundez, Soulam, & Hurtadum.

38. Verum censeo esse denuntiandum, quia prædictæ Constitutiones loquuntur de omnibus Sacerdotibus sollicitantibus feminas, dum earum audiunt Confessiones, nec restringunt pœnas solum ad habentes jurisdictionem; & Gregorius ligat etiam sollicitantes *occasione, seu prætextu Confessionis*. Deinde quia, ut habet Castro Palaus *disp.* 9 *punct.* 9. *n.* 1. Omnis Sacerdos censetur Confessarius, cum habeat potestatem Ordinis, & possit absolvere a peccatis venialibus, & mortalibus confessis, & ab omnibus in articulo mortis: alias posset quilibet Sacerdos sollicitans affirmare, se non sollicitasse pœnitentem, eo quod jurisdictionem non haberet ad absolvendum a peccatis, quod esset eludere Decreta Inquisitionis, & Constitutiones Pontificum. Et ita tenent Acuna, Freita, & Sancius relati a Palao *ibidem*. Ita etiam Diana *p.* 1. *tr.* 4. *resol.* 17. *& p.* 4. *tr.* 5. *resol.* 8. & Bossius *dub.* 9.

39. Interpres, quicumque sit, etiamsi sit Sacerdos, si pœnitentem in Confessione sollicitet, denuntiandus non est ex vi prædictarum Constitutionum, quia Interpres absolute non est Confessarius, sed potius se tenet ex parte pœnitentis, ut cum Sancio, Acuna, & Freita docet. Palaus *supra n.* 6. Diana *p.* 4. *tr.* 5. *resol.* 9. & cum aliis Leander *q.* 40. ubi advertit, Interpretem aliunde posse subjici judicio Inquisitorum, eo quod & injuriam faciat Sacramento, & suspectus videatur in fide.

DUBIUM VIII.

De caussis excusantibus a denuntiatione.

40. Plures olim assignabantur caussæ excusantes mulierem in Confessione sollicitatam ab onere denuntiandi Confessarium sollicitantem. Primo enim dicebant liberari ab illo onere, si sollicitationi consensisset, quia nemo tenebatur prodere se ipsum, & detegere suam turpitudinem: talis autem femina denuntiando exponeret periculo suam famam; nam posset Confessarius denuntiatus in Tribunali S. Officii fateri, se actus inhonestos cum illa habuisse, quod esset feminam prodere. Sed hodie sublatum est periculum ex Litteris datis de mandato Urbani VIII. a Supremis Inquisitoribus ad omnes Inquisitores Provinciales, in quibus præscribunt modum id faciendi absque infamia mulieris, quæ non tenetur suum peccatum exprimere, nec possunt Inquisitores de illo interrogare, aut dictum excipere, si forte imprudens illud voluntarie aperiat. Et ita tenent Bossius *dub.* 23. *num.* 83. Leander *quæst.* 43. Bonac. *p.* 3. *nu.* 10. Diana *p.* 1. *tr.* 4. *resol.* 9. *& p.* 4. *tr.* 5. *resol.* 31. ubi per extensum refert Epistolam Cardin. Millini directam ad Federicum Card. Borromæum Mediolani Archiepiscopum, in qua habetur, ita fuisse declaratum in quadam Congregatione S. R. U. Inquisitionis die 25. Julii 1624.

41. Secundo excusabant, si femina de peccato commisso confiteretur cum ipso sollicitante, cessante periculo novæ sollicitationis; sed hæc reprobatur ab Alexandro VII. damnante illam propositionem, quæ est in ordine 7. *Modus evadendi obligationem denuntiandæ sollicitationis est, si sollicitatus confiteatur cum sollicitante, hic potest ipsum absolvere absque onere denuntiandi.*

42. Tertio excusabant sollicitatum ab onere denuntiandi, quando spes erat sollicitantem fore emendandum correctione fraterna, sive facta, sive facienda, quia præceptum correctionis præmittendæ est Divinum, Naturale, ac proinde præferendum præcepto denuntiationis, quod est humanum; quæ quidem Sententia erat valde probabilis, eamque sequebantur graves Doctores, quorum plures eo quolibet ordine numerat Leander *disp.* 13. *q.* 6. Sed hodie nullo modo est sequenda propter Decretum Alexandri VII. incipit: *Licet alias*, datum Romæ 1660. die 24. Augusti, Pontificatus sui anno sexto, in quo Pontifex præcipit sub excommunicatione sibi reservata, & aliis gravissimis pœnis, ut omnes denuntient Inquisitoribus, etiam leviter suspectos de hæresi, etiamsi nulla fraterna correctio, vel alia monitio præmissa sit, & ad id omnes teneri declarat Sanctitas sua, & consequenter videtur declarare, in hoc caso non obligare jus Naturale, & Divinum præmittendæ correctionis sicut nec obligat in casu hæresis.

43. Quarto excusant Facundez, Megala, & alii sollicitatum ab onere denuntiandi, quando delictum est occultum, nec sollicitans est aliquo modo de hoc crimine diffamatus, quia denuntiatio præcepta sub excommunicatione regulariter non obligat de delictis occultis, & quæ probari non possunt, excepto crimine hæresis, ne denuntiator reputetur calumniator. Verum, si hoc admittatur, femina sollicitata raro, aut numquam teneretur denuntiare, & sic destruerentur Constitutiones Pontificiæ, quia hoc crimen secretissime committitur, nec aliis, quam sollicitato solet esse manifestum; & quamvis hæc denuntiatio sit judicialis, tamen denuntians non tenetur probare, cum non se habeat ut accusator, sed ad summum ut testis, juxta Directorium Inquisitorum; quare femina etiam semel tantum sollicitata, etiam certo sciens, quod ipsa sola fuerit ab illo sollicitata, tenetur sollicitantem denuntiare. Ita cum aliis Bossius *dub.* 24. *n.* 84. *&* 85. Castro Palaus supra *punct.* 10. *n.* 3. Diana *p.* 4. *tr.* 5. *resol.* 1. Homobon. Zanard. Naldus, Barbosa, Bonacina, Sanctarellus, & alii communiter, quos sequitur Leander *quæst.* 5.

44. Quinto excusant, quando Confessarius jam est emendatus sine periculo relabendi, quia, supposita emendatione, cessat finis talis denuntiationis, quæ non tam respicit punitionem, quam emendationem delinquentis, & reverentiam Sacramenti. Ita Sotus, Molfesius, Genuensis, Naldus, Victorellus, Finellus, Portel. Peyrinus, & alii, quos affert Diana *p.* 1. *tr.* 4. *resol.* 3. Ille autem censetur emendatus, qui per triennium a sollicitatione bene vixit. Ita Homobon. *de exam. tr.* 7. *c.* 7. *q.* 33. Riccius *p.* 2. *decis.* 159. *n.* 14. Mascardus, Farinacius, Alciatus, Freitas, quos affert, & sequitur Sancius *in select. disp.* 11. *n.* 41. vel qui Confessionem fecit Sacramentalem, aut consecutus est Jubilæum, juxta doctrinam Felini in cap. *Testimonium, de Testibus*, & Genuensis *in praxi c.* 18. *n.* 6. Item censetur emendatus, quando mulier sollicitata ter, vel quater ad ipsum accedens, non amplius libidinosum animum, nec libidinis signa reperit, ut docet Ant. de Sousa, quem sequi videtur Diana *p.* 4. *tr.* 5. *resol.* 23. Alii tamen melius arbitrio boni viri id remittendum esse putant, qui, considerata qualitate personarum, totum judicabit cum prudentia, & maturitate, quia difficile est cognoscere correctionem hujusmodi personarum. Ita Freitas *quæst.* 18. *num.* 19. & Portel. V. *Sollicitare feminas* tradit, feminas ante denuntiationem, & Confessarios, antequam illas obligent, debere consulere viros doctos, & pios, qui judicent de obligatione denuntiationis: ideo namque Inquisitores illis assignant triginta dies, ut possint viros doctos consulere in re tam gravi, qualis est Sacerdotum punitio.

45. Quamvis hæc Sententia sit probabilis, magis tamen placet opposita, dicens, quemlibet Sollicitantem esse denuntiandum, quia Constitutiones, & Decreta Pontificia simpliciter, & absolute obligant ad denuntiandum, & non excipiunt hunc casum; aliter denuntiatio raro locum haberet, quia omnes Confessarii post factum signa præberent emendationis ad pœnas avitandas. Ita cum Sanctarello, Sancio, Bonacina, Azorio, Suarez, Salonio, Paramo, docet Diana *p.* 1. *tr.* 4. *resol.* 3. & Bossius *dub.* 13. *n.* 34. ubi dicit, hoc esse verum, etiamsi statim post sollicitationem eum pœniteat, quia in Bullis absolute, & sine limitatione punitur Sollicitans, nec eum excusat vehemens passio libidinis.

46. Sexto excusant, quando denuntiatio fieri non potest sine gravi damno in vita, fama, & honore; vel si timeatur magna, & notabilis jactura bonorum temporalium, sive damnum sit proprium, sive Patris, aut Matris, Mariti, Uxoris, Fratrum, aut aliorum Conjunctissimorum, quia Lex humana non obligat cum tanto incommodo, & detrimento contra jus naturale, quod quisque habet se, & sua conservandi, nisi agatur de Hæretico formali, & dogmatizante, quia tunc, etiam cum gravi periculo, est denuntiandus. Ita, pluribus citatis, Bossius *dub.* 29. *n.* 96. & cum aliis Diana *p.* 1. *tr.* 4. *resol.* 7. & Leander *disp.* 13. *quæst.* 44.

47. Alii denique excusant illum, qui tantum audivit ab alio, Sacerdotem in Confessione sollicitasse, etiamsi a persona fide digna audierit, aut si sub secreto naturali cognovit, illum sollicitasse; sed neutra excusatio subsistit, non prima, quia Edicta Inquisitorum afficiunt quoscumque habentes notitiam certam, cujusmodi est notitia, quæ habetur a persona fide digna; secus si habeatur a feminis ordinariis, infimæ notæ, malæ famæ, levibus, & loquacibus. Ita Bossius *dub.* 25. *n.* 86. & cum aliis Leander *q.* 53. quod magis urget, quando pœnitens aut non potest, aut non vult denuntiare. Non subsistit secunda excusatio, quia non obligat secretum naturale, quando ejus observantia cedit in damnum commune, cujusmodi esset observantia secreti in non denuntiando Sollicitatore, quæ est contra bonum publicum, & spirituale, in damnum scilicet Sacramenti Pœnitentiæ, & ad illud accedentium, quibus venenum loco medicinæ paratur. Bossius *dub.* 26. *n.* 88. Castro Palaus *disp.* 9. *supra cit. punct.* 10. *n.* 5. Diana *p.* 1. *tr.* 4. *resol.* 24. *& p.* 4. *tr.* 5. *resol.* 32. & cum aliis Leander *quæst.* 45.

DUBIUM IX.

An Persona sollicitata possit absolvi ante factam denuntiationem?

48. Quamvis regulariter loquendo, absolvi non debeat persona sollicitata, antequam facta sit Inquisitoribus denuntiatio; potest tamen absolvi, si accedat ad Confessionem, nondum elapso tempore in Edicto Inquisitorum ad denuntiandum concesso, sive tempus illud sit quinde-

cim,

cim, sive triginta dierum, modo parata sit denuntiare intra terminum debitum; nam præceptum non obligat ad denuntiandum statim, sed ad non differendam denuntiationem ultra illud tempus: quo transacto, & denuntiatione, sine caussa excusante, non facta, peccat mortaliter, & incidit in excommunicationem, a qua non potest amplius absolvi, antequam Sollicitantem denuntiet Inquisitoribus, quia nolens denuntiare, voluntarie manet in peccato mortali, per quod redditur incapax absolutionis, ut cum Zanardo, Rodriquez, Peyrino, Acuna, Diana, & Trullench docet Leander *quæst.* 48.

49. Poterit tamen absolvi, si justa adsit caussa differendi denuntiationem judicio prudentis Confessarii, & necessitas communicandi, ut si Monialis sollicitata, aut Filia nobilis sub Matris potestate, si non absolvatur ob Eucharistiam sumendam; incurreret infamiæ, vel scandali periculum, modo sit parata denuntiare quamprimum poterit, vel si cessavit obligatio, denuntiandi ob mortem Sollicitantis, ut docet Bossius *dub.* 32. *nu.* 104. Si autem persona sollicitata, sit ex caussa absoluta ante denuntiationem, si, cessante caussa, differat denuntiare, peccabit mortaliter, & reincidet in excommunicationem; nam cessante caussa differendi, resurgit obligatio denuntiandi sub pœnis. Ita cum Acuna, Freita, Henriquez, & aliis, Bossius *n.* 85.

50. Facta autem denuntiatione, aut obligatione denuntiandi extincta, seu suspensa, poterit persona sollicitata absolvi ab excommunicatione contracta, ob denuntiationem non factam suo tempore, a quolibet Confessario tempore Jubilæi, aut qui Bullæ Cruciatæ, & a Regularibus, qui vi suorum privilegiorum, saltem in foro conscientiæ, possunt absolvere etiam ab excommunicatione Edicti Inquisitorum, contracta ob omissionem denuntiationis in illis casibus, in quibus obligatio denuntiandi vel jam omnino extincta est, vel suspensa. Nam possunt absolvere ab omnibus peccatis, & censuris, etiam Sedi Apostolicæ reservatis, exceptis casibus Bullæ Cœnæ, & aliis sex in Decreto Clementis VIII. expressis, ut diximus supra *cap.* 16. *dub.* 9. Ita Leander *quæst.* 49. & Bossius *num.* 106. Reliqua, quæ ad hujus criminis probationem, & pœnas spectare possunt, non ad Confessarios, sed ad Judices, & Inquisitores pertinent, & videri possunt apud Dianam, Leandrum, Bonacinam, Acunam, Freitam, Sanctarellum, & alios.

CAPUT XX.

De Indulgentiis.

TRactatui de Pœnitentia non incongrue per modum Appendicis materiam adnectimus de Indulgentiis; ut cum illa clavibus suis solvat hominem a debito pœnæ æternæ, cum solvit a culpa: ita istæ hominem solvant a pœna temporali ex condonatis culpis relicta; diverso tamen modo; nam illius claves nonnisi in Sacramentali judicio vim absolvendi habent: istæ vero extra Sacramentum solvunt a reliquo pœnæ ex condonatis peccatis relictæ, Proinde sit

DUBIUM I.

Quid, & quotuplex sit Indulgentia?

1. INdulgentiæ nomen, quamvis multipliciter sumi possit, ut notant Juristæ in cap. *Indulgent. de pœnit. & remiss.* secundum tamen communem, & receptum Ecclesiæ usum, sumitur in præsenti pro remissione, seu condonatione pœnæ temporalis, quæ, remissa culpa per Sacramentum Pœnitentiæ, remanet persolvenda; & definiri solet: *Relaxatio, seu condonatio pœnæ temporalis debitæ Deo pro peccatis actualibus jam dimissis, concessa homini existenti in gratia a Prælato, per applicationem Thesauri Ecclesiastici*; quæ definitio est communis: & ita ex Corduba, Soto, Valentia, Suarez, Coninch, & aliis, docet Bonacina *disp.* 6. *quæst.* 1. *punct.* 1.

2. Dicitur *remissio, condonatio, seu relaxatio pœnæ temporalis*, quia per Indulgentiam non remittitur culpa, seu peccatum, neque pœna æterna, quæ simul cum peccato per Sacramentum pœnitentiæ, vel in re, vel in voto susceptum, remittitur, sed pœna temporalis, quæ, dimissa culpa, adhuc solvenda relinquitur; ut enim diximus supra *c.* 5. *dub.* 3. licet dimissa culpa, dimittatur etiam pœna æterna, non tamen semper dimittitur tota pœna, sed illa mutatur in temporalem, quæ major, aut minor esse potest, prout majora, seu minora fuerunt peccata dimissa, & prout major, seu minor fuit satisfactio pro illis Deo exhibita, quæ quidem pœna temporalis solvi debet in hac vita per alia opera satisfactoria, aut per ignem Purgatorii in alia vita; hæc est illa, quam relaxat, seu condonat Pontifex concedendo Indulgentiam. Dicitur *pro peccatis actualibus*, quia Indulgentia non tollit pœnas debitas, aut consequentes ex peccato originali, quod remittitur per Baptismum, per quem aufertur etiam omnis reatus pœnæ, ut dictum est supra de Baptismo.

3. Hanc remissionem, seu condonationem facit Pontifex applicando de thesauro Ecclesiæ quantum sufficit pro remissione, & compensatione pœnarum; habet siquidem Ecclesia thesaurum infinitum, & inexhaustum, constitutum ex meritis, & satisfactionibus Christi Domini, quæ sunt infiniti valoris, & ex meritis, ac satisfactionibus Sanctorum, quorum plures, vel nullum peccatum commiserunt, ut fuit Beatissima Virgo, vel si aliquod commiserunt, superabundanter satisfecerunt pro illo, seu illis, & hæ satisfactiones superabundantes, quibus Sancti non indigebant, remanserunt in acceptatione divina, & reservantur in thesauro Ecclesiæ, applicandæ aliis indigentibus, ut expresse traditur a Clement. VI. in Extrav. *Unigenitus* de pœnit. & remiss. ibi: *Ad cujus quidem Thesauri cumulum Beatæ Dei Genitricis, & omnium Electorum a primo Justo usque ad ultimum merita adminicula præstare noscuntur*; & constat ex Communione Sanctorum, quam in Symbolo profitemur, & ex aliis auctoritatibus, quas passim afferunt Doctores.

4. Hujus Thesauri dispensationem, & Claves habet Summus Pontifex sibi traditas a Christo, ut habetur in eadem Extr. *Unigenitus* dicente: *Christum thesaurum, quem sui Sanguinis effusione, acquisivit, non in sudario repositum, sed per Beatum Petrum Cæli Clavigerum, ejusque Successores commisisse fidelibus salubriter dispensandum*; prout etiam docet Trident. *sess.* 25. *in Decreto de Indulgentiis*, & constat ex illo Matth. 16. *Quodcumque solveris super terram, erit solutum & in Cælis*, quo loco traditur Divo Petro, ejusque Successoribus generalis, & amplissima potestas vincula quæcumque solvendi, & tollendi omne id, quo possunt homines a consecutione Beatitudinis Æternæ præpediri, cujusmodi sunt non modo peccata, sed etiam peccatorum pœnæ; idque confirmat communis, & universalis praxis Ecclesiæ a tempore Apostolorum usque in præsens deducta, & docent Patres, & Doctores omnes Catholici contra Lutherum, ejusque Sectatores, damnatos a Leone X. & a Concilio Trident.

5. Nec obstat, Christum Dominum abunde satisfecisse pro peccatis, illorumque pœnis, ac proinde, superfluum esse Indulgentiarum usum; nec fore Indulgentiam, & liberalem donationem, sed potius rigorosam satisfactionem, si tantumdem applicaretur de thesauro Ecclesiæ quantum sufficit pro integra solutione. Resp. Christum Dominum utique infinite satisfecisse pro peccatis omnibus; hanc tamen satisfactionem non prodesse ad remissionem peccatorum, nisi quatenus alicui applicatur, vel immediate per ipsum Christum, aut perceptionem Sacramentorum, vel per Christi Vicarium Romanum Pontificem concedentem Indulgentiam pro pœnis temporalibus remanentibus, dimissa culpa; si enim Christus voluisset immediate remittere culpas, & pœnas non instituisset Sacramenta, nec dedisset Ecclesiæ facultatem ligandi, & solvendi: deinde dico, concessionem Indulgentiæ esse liberalem donationem respectu illius, cui conceditur, cum non sit illi debita, sed gratis applicata; esse vero integram solutionem respectu divinæ justitiæ, cui satisfit cum applicetur de satisfactionibus Christi, & Sanctorum quantum sufficit pro integra solutione pœnæ debitæ pro peccatis.

6. Dices, in litteris Summorum Pontificum aliquando concedi Indulgentiam a culpa, & pœna; ergo illa liberat etiam a culpa.

Resp. Indulgentiam per se solum liberare a pœna, sed quia in illius concessione solet aliquando Pontifex concedere facultatem eligendi Confessarium, qui absolutionem impendat a quolibet peccato: sic dicitur liberare a culpa, & a pœna, ut cum Valentia, & aliis notat Bonacina *q.* 1. *& punct.* 1.

7. Indulgentiam multipliciter dividi solet, & primo dividitur ratione pœnæ, quæ per illam dimittitur, in plenariam; seu totalem, per quam remittitur tota pœna debita peccatis, & partialem, per quam remittitur pars aliqua pœnæ, cujusmodi est Indulgentia quadraginta dierum, aut septem annorum, aut plurium, prout conceditur a Pontifice; talis etiam Carena, quæ erat indulgentia, & remissio pœnitentiæ, quæ secundum antiquos Canones injungebatur pro quibusdam peccatis, sic dicta a *carendo*, quia peccatores, quibus injungebatur carebant cibo, & potu, & jejunabant in pane, & aqua quadraginta diebus, qui præcedebant septem annos pœnitentiæ publicæ, & solebat imponi illis, qui falsa accusatione erant caussa mortis alterius. Interdum per Indulgentiam remittitur tertia, quarta, vel dimidia pars pœnarum peccatis debitarum, & tunc qui plura habent peccata, seu plures pœnas solvendas, per accidens consequuntur majorem fructum, & Indulgentiam.

8. Nonnulli distinguunt inter Indulgentiam Plenariam, Pleniorem, & Plenissimam; vere tamen nulla est distinctio quoad effectum remittendi omnem pœnam, sed illis formulis utuntur Pontifices ad majorem expressionem, ut ostendant, se dare maximas, quas possunt, ut cum Grassio, Toleto, Bellarmino notat Bonacina *disp.* 6. *q.* 1. *punct.* 2. *n.* 5. Ita etiam Suarez, Lugus, & Candidus, quos sequitur Leander *disp.* 14. *q.* 168. Nec etiam differt Indulgentia Plenaria a Jubilæo quoad effectum remittendi totam pœnam, licet differat accidentaliter, quia in Jubilæo concedi solet facultas commutandi vota, & absolvendi a casibus

refer-

reservatis. Ita Bonacina *loco cit.* Lugus, Candidus, & alii, quos sequitur Leander *q.* 169.

9. Secundo dividitur Indulgentia, ratione temporis, & durationis, in perpetuam, & temporalem, seu datam in perpetuum, & ad tempus, puta septennium. Tertio dividitur ratione subjecti in personalem, localem, & realem: personalis est illa, quæ immediate conceditur alicui personæ particulari, sive alicui Communitati, seu Religioni: realis dicitur illa, quæ conceditur rebus, puta Granis, Numilmatibus, Coronis, Imaginibus, & similibus rebus mobilibus: localis est, quæ conceditur alicui pio loco, seu Ecclesiæ, id est visitantibus talem Ecclesiam, & hæc Indulgentia concessa Ecclesiæ extenditur ad Cœmeterium, quod in favorabilibus venit nomine Ecclesiæ; & inde si ob concursum, & multitudinem populi nequeas Ecclesiam intrare, lucraris Indulgentiam orando in atrio, seu prope Ecclesiam, ut docent Suarez *disp.*52. *sect.*1. *n.*7. Bonacina *pu.* 5. *n.*26. Diana *p.*1. *tr.*11. *resol.*103. Lugus *disp.*27. *num.*97. Boss. *de Jubil. sect.*4. *casu* 14. *n.*10. *& casu* 17. *n.*2.

10. Dum conceditur Indulgentia septem, aut centum annorum, non est sensus, quod per illam relaxetur pœna luenda per centum annos in purgatorio, sed quod remittatur tot, & tanta pœna purgatorii, quot, & quanta deleta fuisset per pœnitentiam septem, & centum annorum injunctam juxta antiquos Canones; nam olim pro gravibus peccatis, puta pro adulterio, homicidio, & similibus injungebantur pœnitentiæ septem, & plurium annorum; unde qui plura millia peccatorum patraverant, debebant multis annorum millibus pœnitentiam agere, si tanto tempore vixissent, & hanc pœnam remittit Indulgentia: & sic Indulgentia septem annorum remittit tantam pœnam purgatorii, quanta deleta fuisset per pœnitentiam septem annorum, si fuisset peracta. Ita Doctores communiter, quos affert, & sequitur Bonacina *punct.* 2. ubi observat, non omnes æquali tempore in purgatorio commorari, sed aliquos diutius cum leviori pœna, aliquos brevius cum majori cruciatu, juxta ordinem Divinæ providentiæ.

DUBIUM II.

Quisnam possit Indulgentias concedere?

11. Resp. Summum Pontificem, & utique solum, posse primario, & jure divino Indulgentias quascumque concedere, cum illi soli traditæ sint a Christo Domino claves thesauri Ecclesiastici: Matth. 16. *Quodcumque solveris super terram, erit solutum & in Cælis*, idem habetur in Extrav. *Unigenitus*, in cap. *Cum ex eo*, & cap. *Nostro de pœnit. & remiss.* Ratio esse potest, quia facultas distribuendi bona publica per se competit supremo Principi Reipubl. cujusmodi est in Ecclesia Universali solus Summus Pontifex, cui dictum est a Christo Joan. 20. *Pasce Oves meas*, ac proinde solus Summus Pontifex potest jure divino omnes, & quascumque Indulgentias concedere; & ita cum D. Thoma *in addit. q.* 26. *art.* 3. tenent Doctores communiter, Suarez *disp.*49. *sect.*1. *& disp.*55. *q.*1. Bellarm. *l.*1. *de indulg. c.*55. Lugus *de pœnit. disp.*27. *sect.* 8. & alii, quos affert, & sequitur Bonacina *disp.*6. *q.*1. *punct.* 3.

12. Similem potestatem concedendi jure divino quascumque Indulgentias extendunt nonnulli ad Concilium generale. Ita Sotus *dist.*21. *q.*1. *art.*4. *concl.*1. Henriq. *l.*7. *c.*31. *nu.*3. Corduba *l.*5. *q.* 12. *proposit.* 8. Tolet. *l.* 6. *c.* 25. ubi fatetur, concessas fuisse a Concilio Lateran. Verum cum soli Petro dictum sit a Christo, *quodcumque solveris super terram &c.* soli Petro, ejusque Successoribus, non vero Concilio generali tradita fuit potestas concedendi Indulgentias. Quod si Concilium Lateranense, vel aliud Concilium generale Indulgentias concessit, dicendum est, id fecisse per potestatem sibi delegatam a Pontifice, non vero per potestatem sibi propriam. Sic Bellarm. *lib.* 1. *de Indulg. c.* 11. *dub.* 1. Suarez *disp.* 55. *sect.* 1. Lugus *disp.* 27. *nu.* 132. & cum aliis Leander *disp.*14. *q.*15.

13. Episcopi possunt jure ordinario nonnullas Indulgentias concedere suis subditis, sed limitate, nimirum Indulgentiam unius anni in dedicatione Ecclesiæ, & Indulgentiam quadraginta dierum in anniversario dedicationis, & in aliis occasionibus, cap. *Cum ex eo*, & cap. *Nostro de pœnit. & remiss.* Similem concedere possunt Archiepiscopi in suo Archiepiscopatu, & in tota Provincia, cap. *Nostro*, sed solum in actu visitationis, ut explicant nonnulli, vel etiam extra actum visitationis, ut volunt Corduba, & Nugnus apud Bonacinam, quia in cap. *Nostro* non ponitur ulla restrictio; hæc autem facultas concedendi Indulgentias competit illis jure ordinario, quia est adnexa muneri, & dignitati Episcopali.

14. Disputant hic Doctores: *an hujusmodi facultatem habeant Episcopi solum ex jure humano, & concessione Summi Pontificis, an vero ex jure divino?* Communis sententia docet, hoc illis convenire ex concessione summi Pontificis, in quo residet tota facultas Indulgentias concedendi ratione potestatis ligandi, & solvendi sibi traditæ a Christo, ut supra diximus, ac proinde liberum sit Pontifici talem facultatem concedere, quam utique limitationem facere non potest, si id haberent Episcopi ex jure divino. Sic Suarez *disp.*55. *sect.*2. Henriq. *l.*7. *c.* 31. *n.*3. Bellarm. *loc. cit.* Bonacina *q.* 1. *punct.* 3. *n.*1. *&* 2. Leander *q.* 6. aliique communiter. Non desunt tamen qui velint, id Episcopis competere ex jure divino, cum, teste Apostolo, sint *dispensatores Mysteriorum Dei*, & sint a Spiritu S. præpositi regimini Ecclesiæ Dei, Actor. 20. *Spiritus Sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei*; quicquid tamen sit, certum est, hoc regimen, & illam dispensationem subordinari regimini, & dispensationi generali, quam obtinet summus Pontifex in universa Ecclesia, ut proinde possit illam limitare, & tractare, sicut Episcopis limitat facultatem absolvendi, dum aliquos casus sibi reservat, in quo omnes conveniunt.

15. Cardinales, Patriarchæ, & Primates non habent de jure communi potestatem concedendi Indulgentias, nisi in quantum sunt Archiepiscopi, aut Episcopi, vel illis detur talis potestas ex privilegio, seu consuetudine; nam Cardinales, & alii omnes, qui non sunt Episcopi, non sunt dispensatores thesauri Ecclesiastici, ut cum Grassio, Valentia, Suarez, & aliis notat Bonacina *n.*22.

16. Capitulum Ecclesiæ Cathedralis, Sede Vacante, quamvis succedat in jurisdictione Episcopi, non tamen in potestate concedendi Indulgentias, quæ soli dignitati Episcopali est reservata. Bonac. *n.*23. Henriq. *c.*31. Suarez *disp.* 55. *sect.* 4. *n.*4. *&* 5. Leander *q.* 23. Prælati inferiores, ut sunt Abbates jurisdictionem quasi Episcopalem habentes, nec ipsi possunt propter eam rationem Indulgentias concedere. Leander, & alii citati; Generales Ordinum, & Prælati Religionum, quamvis possint alios participes efficere satisfactionum, & orationum, quæ fiunt in Religione, non tamen possunt, per se loquendo, Indulgentias concedere, cum talis concessio sit actus jurisdictionis reservatus Episcopo; id tamen possunt ex speciali concessione Summi Pontificis; nam Leo X. concessit Ministris Provincialibus de Observantia, ut possint concedere suis subditis plenariam Indulgentiam in sua visitatione; & Alexander IV. quadraginta dies Indulgentiæ concessit audientibus Conciones Fratrum Minorum, ut fatetur Hieron. Rodriquez *in compend. QQ. Regular. An vero hujusmodi Indulgentiæ sint revocatæ per Paulum V. qui revocavit Indulgentias ante illud tempus Regularibus concessas?* alii affirmant, alii negant; debent tamen concedi nomine Suæ Sanctitatis.

17. Quæres 1. *An valida sit concessio Indulgentiæ facta ab Episcopo ultra quadraginta dies?*

Resp. peccare mortaliter Episcopum concedentem Indulgentias ultra terminum sibi permissum, validam tamen esse concessionem pro termino sibi permisso, non ultra; unde si concedat Indulgentiam sexaginta dierum, valida erit pro quadraginta, non pro aliis viginti, quia utile per inutile non vitiatur, juxta *regul. juris in* 6. & tenent communiter Doctores, quos sequitur Bonacina *n.*3. *&* 4. Potest autem illam concedere Episcopus dumtaxat electus, & confirmatus, quamvis nondum sit consecratus; nam talis concessio est actus jurisdictionis, qui potest exerceri ab Episcopo non consecrato; non tamen ab Episcopo excommunicato vitando, qui cum privetur omni jurisdictione, privatur etiam potestate concedendi Indulgentias. Bonacina *pu.* 3. *n.* 6. *& seqq.* Lugus *disp.*27. *n.*135. Leander *q.* 22. Existens in peccato lethali, potest illam valide, & licite concedere, cum non sit actus ordinis, sed jurisdictionis. Suarez, & alii, quos affert, & sequitur Bonac. *n.*9.

18. Quæres 2. *Pro quibus possint Episcopi concedere Indulgentias?*

Resp. posse tantum concedere pro suis subditis viventibus, non pro mortuis, quia nullo jure id eis conceditur, nec constat, illos umquam Indulgentias concessisse pro mortuis, sine speciali, & expressa commissione Summi Pontificis. Suarez, Henriquez, Lugus, & alii, quos affert, & sequitur Leander *disp.* 14. *q.* 21. De Indulgentiis ab Episcopo concessis participare possunt etiam Regulares exempti, se submittendo in hoc Episcopis; nam exemptio Regularium, cum sit illis data in favorem, non debet cedere in illorum damnum. Bonacina *n.* 15. iisdemque frui potest Episcopus ipse concedens, cum non sit deterioris conditionis aliis. Ita communiter Doctores cum Bonacina *n.* 16.

19. Quæres 3. *An possit Episcopus Vicario, & aliis delegare facultatem concedendi Indulgentias?* Certum est, Summum Pontificem de plenitudine potestatis non modo Clerico, sed etiam Laico posse delegare potestatem concedendi Indulgentias; cum enim non sit actus ordinis, sed jurisdictionis, non est cur non possit a Pontifice delegari Laico, qui est capax jurisdictionis; & ita docent Suarez *disp.*55. *sect.*6. *n.*5. Leander *q.* 25. & cum aliis Bonacina *punct.* 3. *n.* 13. De Episcopo major est difficultas, quia talis potestas videtur adnexa dignitati Episcopali.

Resp. tamen posse Episcopum delegare talem facultatem non solum Vicario suo, sed etiam cuicumque Clerico capaci jurisdictionis Ecclesiasticæ; nam facultas alicui competens jure ordinario potest aliis delegari, nisi sit specialiter prohibitum: non est autem prohibitum delegari Clerico jurisdictionem Ecclesiasticam, bene tamen Laico, cui proinde non potest delegari facultas ab Episcopo concedendi Indulgentias, sicut potest delegari Clerico. Suarez *sect.* 6. *n.* 5. Leander *q.* 24. Bellarminus, Reginaldus, & alii relati a Bonacina *n.*11.

DU-

DUBIUM III.

De caussa requisita ad valorem Indulgentiarum.

20. Certum est, ad validam, & licitam concessionem Indulgentiæ necessariam esse caussam rationabilem. Cum enim Pontifex non sit Dominus thesauri Ecclesiastici, meritorum, & satisfactionum Christi, & Sanctorum, sed tantum dispensator, non potest pro libito thesaurum dissipare, sed tenetur illud fideliter dispensare, juxta intentionem Christi, volentis illud dispensari ad honorem Dei, & Ecclesiæ utilitatem, ut habetur in Extrav. *Unigenitus*, ubi Clemens VI. dicit, Christum Dominum Ecclesiæ thesaurum reliquisse per Summum Pontificem Fidelibus distribuendum *salubriter, & rationabiliter, ac justis de caussis*. Quare qui illud dispensat pro libito, sine caussa, facit contra intentionem Christi, estque potius dissipator, quam dispensator, ac proinde peccat, & nulla est concessio, prout tenent Doctores communiter. Suarez *disp.* 54. *sect.* 2. *n.* 2. dicens, esse sententiam omnium Doctorum, tam Theologorum, quam Canonistarum, Lugus *disp.* 27. *n.* 138. Bonacina *punct.* 4. *n.* 1. Coninch *disp.* 12. *n.* 30. Corduba, Reginaldus, & alii relati a Bonacina.

21. Caussa concedendi Indulgentias debet esse caussa pia, quæ quidem triplex esse solet, honor Dei, Ecclesiæ utilitas, & bonum commune. Difficultas tamen est apud Auctores: *an sufficiat quæcumque minima, aut levissima caussa pia pro concessione cujuscumque, etiam maximæ, & plenariæ Indulgentiæ?* Prima Sententia affirmat, quia Indulgentiæ tantum valent, quantum sonant; & sicut Deus per actum minimum Contritionis æternam pœnam relaxat: ita relaxare potest pœnam temporalem per actum quemcumque præscriptum ad consequendam Indulgentiam; quæ quidem Sententia valde probabilis est, eique favet D. Thomas *in supplem. qu.* 25. *art.* 2. ubi sic ait: *Quæcumque caussa adsit, quæ in utilitatem Ecclesiæ, & honorem Dei vergat, sufficiens est ratio Indulgentias faciendi, & ideo dicendum, quod Indulgentiæ simpliciter tantum valent, quantum prædicantur, dummodo ex parte dantis sit auctoritas, & ex parte recipientis caritas, & ex parte caussæ pietas*: ita S. Doctor; & prius rejecerat opinionem dicentium, non sufficere quamlibet caussam piam ad cujusvis Indulgentiæ valorem. Ita etiam tenent Bonac. *p.* 4. *n.* 5. & apud ipsum Graffius, Reginaldus, Henriquez, Durandus, Medina, Sylvester, & alii.

22. Secunda Sententia communior, & probabilior requirit caussam aliquo modo proportionatam, & adæquatam. Ratio est, quia ad valorem Indulgentiæ requiritur caussa justa; ut autem caussa sit justa, debet esse vel adæquata, vel proportionata; nam justum est, quod est adæquatum, & aliquo modo proportionatum rei; & inde pro majori, & pleniori Indulgentia, necessaria est caussa major, & majoris momenti. Si enim nulla existat caussa, nulla, & invalida est Indulgentia, etiam minima: ita parva, & minima existente caussa, invalida erit maxima, & plenior Indulgentia. Ita Lugo *disp.* 26. *n.* 141. Coninch *disp.* 12. *dub.* 6. *n.* 31. Bellarm. *l.* 1 *de Ind. c.* 12. Suarez *disp.* 54. *sect.* 3. *n.* 5. Leander *d.* 14. *q.* 22. Cajetanus, Layman, Filliucius, Granadus, & alii, quos affert & sequitur Diana *p.* 5. *tr.* 12. *resol.* 10.

23. Ad constituendam caussam justam, & proportionatam, duo requiruntur: primo, ut concedatur Indulgentia ob finem aliquem pium, qui magis cedat in honorem Dei, & utilitatem Ecclesiæ, quam satisfactio pœnitentialis, quæ per Indulgentiam relaxatur: secundo requiritur, ut pro consecutione Indulgentiæ præscribatur opus aliquod faciendum, quod sit aptum, & utile ad finem hujusmodi consequendum. Sic v. g. dum Summus Pontifex Indulgentiam concedit illis, qui vere pœnitentes, & confessi, ac Sacra Communione refecti, Ecclesiam visitaverint, & preces fuderint pro hæreticorum extirpatione, Christianorum Principum pace, & exaltatione Sanctæ Matris Ecclesiæ, habet pro fine hæreticorum extirpationem, & Christianorum pacem, quæ certe magis cedit in honorem Dei, & Ecclesiæ utilitatem, quam sit pœnitentialis satisfactio. Media item, & opera ad hunc finem consequendum injuncta, sunt aptissima, & sic datur debita proportio, & valida est Indulgentiarum concessio.

24. Hinc notandum est, spectare ad Concedentem Indulgentias judicare de justa caussa, ejusque proportione, ut recte monet Bellarminus *supra c.* 12. nec debere subditos de hujusmodi rebus temere judicare. Fieri enim potest, ut justissimam habeat caussam illas concedendi pro rebus, quæ minimæ videntur. Sic Pontifex justam, & rationabilem caussam habet, quando concedit Indulgentias habenti Granum benedictum, Rosarium, aut Imaginem, quia illas non concedit intuitu solius Grani, vel Imaginis, sed principaliter in cultum alicujus Sancti, vel ob aliquam necessitatem, aut ob egregia merita alicujus Principis Christiani erga Ecclesiam, vel etiam, quia ipsum Granum multum conducit ad pietatem; siquidem conservando, & venerando illud, eo ipso profitetur, & veneratur auctoritatem Summi Pontificis, a quo mediate, vel immediate Granum illud fuit benedictum. Sic Lugus *disp.* 27. *n.* 130. Henriquez *l.* 7. *cap.* 14. *n.* 3. Suarez *disp.* 52. *sect.* 1. *n.* 10. Diana *p.* 10. *tr.* 11. *res.* 53. Corduba, Granados, & alii, quos sequitur Leander *disp.* 14. *q.* 31.

25. Quod si re vera caussa non sit proportionata ad totum, quod conceditur, adhuc tamen valida erit concessio quoad partem, ad quam datur caussa proportionata; nam concedens Indulgentiam intendit, ac vult concedere illam remissionem in quantum potest; ergo si non potest totam, ponet partem, quam potest. Ita Lugus *disp.* 27. *num.* 145. Suarez *loco cit. n.* 11. Coninch *disp.* 12. *n.* 31. & cum aliis Leander *q.* 31.

DUBIUM IV.

De requisitis ex parte Recipientis Indulgentias.

26. Requiritur primo ex parte illius, qui est suscepturus Indulgentias, ut sit homo viator, baptizatus, & ratione utens, quia thesaurus Ecclesiæ valide dispensari nequit, nisi filiis Ecclesiæ; & quia concessio Indulgentiæ est actus jurisdictionis, quæ non potest exerceri, nisi in subditos, & membra Ecclesiæ, cujusmodi tantum sunt homines viatores, baptizati, & in ætate sufficienti ad præstanda ea, quæ in Litteris concessionis præscribuntur. Sic ex communi Sententia docent Suarez *disp.* 52. *sect.* 2. Lugus *disp.* 27. *n.* 79. Bonacina *p.* 6. *n.* 1. Leander *q.* 36. Palaus *tr.* 24. *disp. unica punct.* 8. aliique communiter.

27. *An vero possit Indulgentia concedi, & prodesse Cathecumenis Fidem, & Caritatem habentibus, antequam baptizentur?* incertum est. Nonnulli docent, Cathecumenos nullo modo esse capaces Indulgentiæ, nec per modum absolutionis, nec per modum suffragii, sive in hac vita, sive in purgatorio, quia Indulgentia per modum absolutionis, & judicii directi non conceditur nisi subditis, in quos exercet Ecclesia judiciariam potestatem, cujusmodi non sunt Cathecumeni antequam Baptismum recipiant: deinde quia applicatio Indulgentiæ operatur suum effectum ex opere operato, sicut Sacramenta; nullum autem Sacramentum applicari potest Cathecumeno, etiam in Fide, & Caritate existenti, nisi sit baptizatus. Adde, quod juxta praxim Ecclesiæ Indulgentia solis baptizatis conceditur, secunda tabula indigentibus; ergo non potest applicari Cathecumenis. Ita Suarez *disp.* 52. *sect.* 4. *n.* 8. Bonacina *punct.* 5. *n.* 2. Coninch *disput.* 12. *dub.* 10. *in fine*, Filliucius *tract.* 8. *n.* 214. quos sequitur Palaus *disp. unica p.* 8. *nu.* 2.

28. Alii admittunt, Cathecumenum esse incapacem Indulgentiæ per modum absolutionis ob dictam rationem; volunt tamen esse capacem, tum vivum, tum defunctum, per modum suffragii, & de facto illis in gratia defunctis prodesse, quod est probabilius, quia ad dandam Indulgentiam per modum suffragii non requiritur jurisdictio erga suscipientem, sed sat est, hunc esse in gratia, licet sine Baptismo; tum quia Cathecumenus, quamvis inculpabiliter Caracterem non habeat baptismalem, illum tamen habuit in voto, estque membrum Christi capax beatitudinis, pro quo etiam Missa offerri potest; ergo potest esse capax Indulgentiæ. Sic tenent Villalobos, Faber, Layman, Henriq. Tannerus, Granado, quos affert, & sequitur Diana *p.* 5. *tr.* 12. *resol.* 9. sequitur etiam Leander *q.* 35. & Lugus *disp.* 27. *n.* 77. & 79.

29. Non desunt, qui sentiant, Cathecumenis viventibus, & defunctis existentibus in gratia prodesse Indulgentiam, non solum per modum suffragii, sed etiam per modum absolutionis, quia Cathecumenus existens in gratia, licet non sit membrum Ecclesiæ in externa facie, defectu Caracteris baptismalis, est tamen aliquo modo membrum coram Deo, & pertinet ad communionem Sanctorum, & est particeps orationum publicarum, & suffragiorum Ecclesiæ, cujus etiam dici potest membrum in voto, venitque nomine fidelium in favorabilibus, sicut Novitius venit nomine Religiosorum; unde etiam spectat ad favorabilem jurisdictionem Papæ, & Ecclesiæ: quam Sententiam probabilem asserit Bossius *de Jubil. sect.* 4. *casu* 22. *n.* 19. & affert Navarrum, Zerolam, Leonem, Pollancum, Bottunum, & alios.

30. Requiritur 2. status gratiæ sanctificantis, eo saltem tempore, quo Indulgentiam est consecuturus, seu quo ponitur ultima conditio requisita ad consecutionem Indulgentiæ; siquidem pœnæ temporalis remissio necessario præsupponit remissionem culpæ; quod adeo verum est, ut Pontifex nec etiam de plenitudine potestatis possit existenti in peccato mortali Indulgentiam concedere, ut notat Bossius *de Jubilæo sect.* 4. *casu* 11. Nam merita Christi applicantur membris, & amicis, non mortuis, & inimicis: quæ ratio probat, nullius peccati etiam remissi consequi posse Indulgentiam, quando nimirum adest aliud peccatum non remissum. Ita Palaus *punct.* 8. *n.* 3. Suarez *disp.* 52. *sect.* 2. *n.* 3. Bonacina *punct.* 5. *num.* 4. & alii communiter, quos affert Leander *disp.* 14. *q.* 40. Sequitur etiam non posse consequi omnium peccatorum plenariam Indulgentiam, nisi careat omni culpa, etiam veniali, neque Indulgentiam pro iis peccatis venialibus, quibus adhuc est affectus. Bossius alios referens, *loc. cit.*

31. Dixi: *pro eo instanti, quo quis est Indulgentiam consecuturus*: nam plures requirunt statum gratiæ pro toto tempore, quo fiant omnia opera ad consequendam Indulgentiam præscripta. Si enim sint facta in peccato mortali non sunt meritoria, aut satisfactoria, & ideo inepta ad

finem

finem intentum a Pontifice. Ita Cajet. *t. 1. opuscul. tr. 15. c. 9.* Comitolus *in respons. moral. l. 1. q. 37.* n. 2. Sucus, & alii apud Bellarminum, qui hanc Sententiam dicit tutiorem, & in aliquibus casibus omnino certam, quando videlicet præscribitur a Pontifice, ut opera injuncta fiant in statu gratiæ, at contingit quando conceditur Indulgentia iis, *qui vere contriti, & confessi aliquas Ecclesias visitaverint, ibique oraverint pro pace &c.* tunc statum gratiæ nonnulli requirunt, etiamsi in Bulla non exprimatur, quando opus injunctum tale est, ut factum extra gratiam non conferat ad finem Indulgentiæ, puta ad placandum Deum, & impetrandam pacem; secus si facta in peccato mortali conferant dicto fini, puta ædificationi Ecclesiæ, subventioni pauperum ec. nam huic fini tam prodest pecunia peccatoris, quam justi, modo adsit status gratiæ eo tempore, quo conferri debet fructus Indulgentiæ.

32. Verum probabilius est, sufficere statum gratiæ pro eo instanti, quo applicatur fructus Indulgentiæ, & perficitur ultimum opus, non vero pro omnibus operibus; secus paucissimi Indulgentias consequerentur; nam, regulariter loquendo, quando sunt plura opera præstanda, puta Jejunium, Eleemosyna, & visitatio Ecclesiæ, præstari solent, vel inchoari ante Confessionem, etiam ab illis, qui conscientiam habent culpæ lethalis; & ratio est, quia status gratiæ pro omnibus operibus non exigitur a Pontifice, nec est necessarius ex natura rei; siquidem opera bona facta in statu peccati prosunt ad bona tum temporalia, tum spiritualia, ad implenda præcepta, ad excusandum a novo peccato, ad illustrandam mentem peccatoris, ut agnoscat suum statum, & pœniteat, & consequenter ad excitandam pietatem, & devotionem, & sic etiam prodesse possunt ad obtinendum id, quod Pontifex per Indulgentiam intendit. Deinde quia non est necesse, ut opus præscriptum sit meritorium, & satisfactorium de condigno; cum præscribatur a Papa solum, ut conditio, & sic sufficit, si fiat, etiam extra statum gratiæ. Sic tenent Suarez *disp.* 52. *sect.* 5. *n.* 7. Bonacina *punct.* 5. *n.* 10. Palaus *punct.* 8. *n.* 3. Leander *disp.* 14. *q.* 41. Corduba, Henriq. Grassius, Navar. Bottonus, & alii, quos affert, & sequitur Bossius *de Jubilæo sect.* 4. *casu* 11. n. 12.

33. Quando Pontifex Indulgentiam concedit iis, qui vere contriti, & confessi Ecclesiam visitaverint, non est sensus, quod debeat necessario præmitti contritio, seu confessio cuicumque operi præcedenti, sed visitationi Ecclesiæ, quam supponit esse opus ultimum, per quod debeat consequi Indulgentiam; vel dicendum est, illa verba inducere consilium, non præceptum, ut cum Rodriquez docet Bossius *loc. cit.* Tutius tamen est, & magis expediens præstare omnia opera in statu gratiæ, quia sic sunt magis Deo grata.

34 Quæres: *An perficiens ultimum opus in peccato mortali consequatur effectum Indulgentiæ, remota per pœnitentiam obice, sicut contingit in Sacramentis, quæ, remota obice, & fictione, suum effectum operantur?* Affirmant plures, quia non solum Sacramenta sortiuntur effectum, recedente fictione, sed etiam satisfactio Sacramentalis facta in statu peccati reviviscit, & sortitur effectum suum ablato peccato, ergo etiam suum effectum habere potest Indulgentia, sublato peccato. Probatur consequentia, ideo Sacramenta, & Sacramentalis satisfactio sortiuntur effectum, sublato peccato, quia talis effectus non est ex opere, & merito operantis, sed ex opere operato, id est virtute meritorum Christi Domini; sed effectus Indulgentiæ non est ex merito, & dispositione illius, cui applicatur, sed quasi ex opere operato, id est ex applicatione satisfactionum Christi Domini, & Sanctorum; ergo, remoto obice, communicatur; & cum hoc non sit impossibile, credendum est, Pontificem ita dispensare thesaurum Ecclesiæ, ut homini prosit, cum primum fuerit justificatus, prout tenent Palud. Sylvester, Henriquez, & Granados relati a Leandro *q.* 42.

35. Communior tamen, & probabilior Sententia tenet, effectum Indulgentiæ non reviviscere, sublato obice, & recedente fictione; ratio est, quia Pontifex non concedit Indulgentiam sub ea conditione, ut suum effectum conferat, quando susceptivus fuerit positus in gratia, sed absolute, quando fuerit positum opus ab eo præscriptum, quo posito, si subjectum est capax, ei statim confert suum effectum, si vero sit incapax, privatur effectu, qui non suspenditur in futurum, ut reviviscat, recedente fictione: estque maxima disparitas inter Indulgentiam, & Sacramenta; nam Sacramenta, quæ reviviscunt, jam fuerunt in suo esse perfecte constituta, & sic nil mirum, quod postea suum effectum producant, recedente fictione; at Indulgentia peccatori applicata numquam fuit in suo esse constituta, cum numquam possit existenti in peccato remittere pœnam per applicationem thesauri Ecclesiastici, & satisfactionum Christi, in quo consistit essentia Indulgentiæ. Nec dici potest: Pontificem ita concedere Indulgentiam, ut homini prosit cum primo fuerit justificatus, cum hoc non constet ex verbis concessionis, ex quibus solum constat, Indulgentiam concedi pro eo instanti, quo fuerit positum opus præscriptum; & ita tenent Suarez *disp.* 53. *sect.* 2. *n.* 13. Coninch *disp.* 12. *dub.* 7. *num.* 37. Bossius *casu* 11. *num.* 3. Bonac. *punct.* 5. *n.* 13. Palaus *punct.* 8. n. 4. Lugus *disp.* 27. *n.* 84. & alii relatis, Leander *disp.* 14. *q.* 42.

36. Tertio requiritur, ut sit immunis ab excommunicatione majori, quæ privat hominem communibus Ecclesiæ suffragiis, & participatione bonorum spiritualium. *An vero possit lucrari Indulgentiam excommunicatus contritus, si nequeat absolutionem obtinere?* Si enim sit contumax, & nolit illam habere, certum est, non posse lucrari; de illo vero, qui procuratam absolutionem non potest habere, vel non habet a quo possit absolvi; plures affirmant, Indulgentiam consequi posse, quia non videtur esse intentio piæ Matris Ecclesiæ velle privare communibus Ecclesiæ suffragiis, & bonis Filios obedientes; & quantum est ex se a contumacia recedentes; tum quia excommunicatus potest præstare opera, pro quibus datur Indulgentia, potest enim privatim orare in Ecclesia, jejunare, & Eleemosynam facere; quoad Confessionem valde probabile est, non esse necessariam, quando quis non potest confiteri, vel etiam poterit commutari a Confessario electo, sicut etiam Communio, si id Bulla concedat. Ita Navar. Henriquez Zerola, Emanuel Sà, & alii, quos affert, & sequitur Bossius *de Jubilæo sect.* 4. *casu* 22. §. 1. *n.* 12. Leander *q.* 39. & probabile putat Diana *p.* 5. *tr.* 12. *resol.* 13.

37. Verum probabilior est Sententia opposita. Nam excommunicatus, quamvis contritus, & justus, semper manet excommunicatus, quia excommunicatio non tollitur pœnitentia, & justificatione, sed absolutione, qua non posita, semper afficitur pœnis excommunicationis, & privatur communibus Ecclesiæ bonis, & participatione Indulgentiarum. Ita cum Suarez, Ugolino, & Nugno tenent Bonac. *p.* 5. *n.* 3. Pollanchus *de Jubilæo sect.* 4. *n.* 12. Layman *l.* 1. *tr.* 5. *p.* 2. *c.* 2. n. 2. quibus adhæret Diana *loc. cit.* qui satis piam, & probabilem dicit sententiam affirmativam Bossii, & aliorum.

DUBIUM V.

De opere injuncto pro Indulgentia consequenda.

38. Quamvis concedi possit Indulgentia absque necessitate operis alicujus externi exequendi, ut cum Valentia, Reginaldo, & Coninchio docet Bonacina *disp.* 6. *q.* 1. *punct.* 4. *nu.* 6. & tenent Lugus, Suarez, & Granado, quos sequitur Leander *disp.* 14. *q.* 45. regulariter tamen loquendo, concedi solet sub onere, & conditione operis exequendi, & tunc certum est, illud esse exequendum eo modo, & ratione, qua præcipitur, adeo ut non consequatur Indulgentiam, qui etiam ex impotentia, oblivione, vel alia de caussa, illud non exequitur, nisi forte sit permutatum, ex concessione ejusdem Bullæ; nam concessio facta sub aliqua conditione, & forma corruit, conditione non servata, prout docent Doctores communiter.

39. Qui partem operis exequitur, non vero totum opus injunctum, non consequitur Indulgentiam, neque totam, neque secundum partem, quia Indulgentia concessa est tale opus exequenti, non vero exequenti partem, ut bene observat Bonacina *punct.* 5. *n.* 20. & concessio est unica, & indivisibilis sub determinata conditione talis operis, quod omittens nihil consequitur, ut cum aliis docet Bossius *de Jubilæo sect.* 4. *casu* 8. *n.* 3. nisi forte pars omissa sic adeo levis, ut pro nihilo reputetur, ut si in recitatione Coronæ omittatur unum Pater, vel Ave Maria, vel si injunctum jejunium frangatur in materia levi. Ut autem pars aliqua dicatur levis, non debet considerari secundum se, & absoluta, sed respective ad opus injunctum; unde non lucratur Indulgentiam omittens v.g. *decem Ave Maria* in Corona, seu Rosario, vel unum *Pater, & Ave* quando quinque debent recitari, quia licet sint res levis in se, sunt tamen graves respectu totius operis. Ita Bonac. *n.* 21. & Bossius *n.* 7.

40. Opus injunctum pro consecutione Indulgentiæ debet esse bonum, & honestum, saltem secundum substantiam, & ex genere suo; vel si est indifferens, debet esse relatum a concedente in finem honestum, secus non cederet in honorem Dei, nec esset utile ad finem intentum a concedente, si illud esset moraliter malum; an vero debeat esse opus bonum undequaque, non solum secundum substantiam, sed etiam secundum omnes circumstantias, affirmant plures; nam opus aliqua circumstantia venialiter mala vitiatum displicet Deo, & est insufficiens ad applicanda merita Christi, & non conducit ad consecutionem finis intenti; & inde, qui Ecclesiam visitat, jejunat, seu facit Eleemosynam ex vanagloria non lucratur Indulgentiam. Sic Adrianus, quem sequitur Navar. *de Indulgent. notab.* 19. *n.* 6. *& not.* 32. n. 46. Rodriq. *t.* 2. *qq. Regul. q.* 93. *art.* 6. Sylvius *in* 3. *p. D.Thom. q.* 27. *art.* 1. *concl.* 2. Limitant Bellarm. *l.* 1. *c.* 23. *q.* 2. Layman *l.* 5. *tr.* 7. *c.* 6. n. 4. dicentes, hoc esse verum, quando opus pium injunctum sit ad placandum Deum, secus si ad alium finem requiratur, ut si exigatur Eleemosyna ad sustentationem pauperum; nam erogatio Eleemosynæ vitiata ex vanagloria, seu alia circumstantia mala conducit ad finem intentum, & sic est sufficiens ad lucrandam Indulgentiam, tametsi vitietur a circumstantia mala.

41. Probabilior est Sententia docens, satis esse opus bonum secundum substantiam, & ex objecto, quamvis sit vitiatum aliqua circumstantia venialiter mala, si fiat cum intentione lucrandi Indulgentiam, quia tale opus leviter

vitiatum est sufficiens ad implendum præceptum divinum, & humanum, ut communiter tradunt Doctores; ergo etiam est sufficiens ad lucrandam Indulgentiam, cum non sit verosimile, plus requiri a Pontifice pro consecutione Indulgentiæ, quam quod requiritur ab Ecclesia pro implendis præceptis, cum tam præceptum, quam Indulgentia sit ordinata ad caussam piam, & ad honorem Dei. Sic tenent Bossius *casu* 12. *n.* 10. Palaus *punct.* 9. *n.* 7. Diana *p.* 5. *tr.* 12. *resol.* 5. Bonacina *punct.* 5. *n.* 15. Lugus *disp.* 27. *n.* 85. Leander *q.* 43. & alii communiter.

42. Dixi: *si opus fiat cum intentione lucrandi Indulgentiam*; si enim adæquate fieret ob malum finem, puta ob vanam gloriam, non sufficeret, quia non esset opus pium, nec cederet in gloriam Dei, prout requiritur; bene tamen si cum fine malo conjungatur finis bonus, & satis est finis lucrandi Indulgentiam; nam in isto fine virtualiter includitur gloria Dei, quæ manifestatur in parcendo, & adest saltem virtualiter voluntas faciendi tale opus secundum intentionem Papæ, qua ratione opus evadit moraliter bonum. Quamvis autem circumstantia venialiter mala, cum qua perficitur ultimum opus non impediat lucrum Indulgentiæ, impedit tamen quoad remissionem pœnæ debitæ eidem culpæ, de qua est complacentia, quia non remittitur pœna, nisi remissa culpa, ut supra dictum est.

43. Quæres 1. *An sufficiat intentio solum abitualis ad lucrandam Indulgentiam?* Certum est apud omnes, non requiri intentionem actualem, & formalem in ipsa operum executione, sed sufficere virtualem, qua quis paullo ante statuit, velle opera facere ad consequendam Indulgentiam, & ex tali voluntate processit ad opera præstanda, quamvis in illorum executione non amplius illius voluntatis meminerit; si enim talis intentio sufficiens est pro ministrandis, & recipiendis Sacramentis, ita sufficiens erit pro consequenda Indulgentia. Difficultas est: *an sufficiat intentio solum habitualis, & interpretativa, qua quis tacite, vel implicite censetur velle bonum animæ suæ, adeo ut consequatur Indulgentiam, qui opera injuncta præstat, etiamsi ignoret, concessam esse Indulgentiam facientibus talia opera?* Plures negant, volentes necessariam esse intentionem saltem virtualem procedentem ex actuali, quia non videtur esse de mente Papæ concedere Indulgentiam nescientibus, & quia intentio solum habitualis, & interpretativa cum non sit sufficiens ad meritum, nec videtur sufficiens ad consequendam Indulgentiam. Ita Corduba, Rodriquez, Vega, Suarez, & Leo relati a Bossio *casu* 10. quibus & ipse favet *n.* 4. admittens, sufficere habitualem solum in casu, quo aliquando præcesserit actualis.

44. Probabilior est Sententia affirmativa, quia de facto Pontifex concedere potest Indulgentiam, ut prosit etiam ignorantibus; nam potest illam applicare homini sensibus destituto, & mox morituro; si enim ministratur illi Extrema Unctio, ex eo præcise, quod christiane vivendo, censetur habere voluntatem sufficientem recipiendi ea omnia, quæ conducunt ad suam spiritualem salutem; ita poterit illi applicari Indulgentia; ergo necessaria non est intentio actualis; seu virtualis; tum quia illam non requirit natura Indulgentiæ, nec postulant verba concessionis, cum solum dicatur, Indulgentiam esse consequendam ab illis, qui Ecclesiam visitaverint, quod fieri potest cum sola intentione habituali, quæ proinde erit sufficiens. Et ita tenent Villalob. Sanctarell. Portel. & Layman, quos affert, & sequitur Diana *p.* 5. *tr.* 12. *resol.* 6. Palaus *punct.* 9. *nu.* 8. & cum aliis Leander *quæst.* 37.

45. Quæres 2. *An faciendum sit opus principali intentione lucrandi Indulgentiam?* Affirmant Corduba, Rodriquez, & alii, quia opus factum principaliter ob finem diversum, etiam indifferentem, non est opus pium cedens in gloriam Dei, ac proinde insufficiens ad lucrandam Indulgentiam; & inde qui visitaret Ecclesiam principaliter ob recreationem, vel Romam pergeret in Anno Sancto propter curiositatem videndi illam, vel ad videndos amicos, seu consequendum temporale beneficium, non lucraretur Indulgentiam; quamvis, faciendo opus, haberet etiam intentionem lucrandi Indulgentiam.

46. Melius tamen dicendum est, sufficere intentionem etiam minus principalem lucrandi Indulgentiam, licet alius finis intendatur æque, aut magis principaliter, quia cum tali intentione, quamvis minus principali, opus remanet pium, & adimpletur conditio posita in concessione Indulgentiæ, in qua non dicitur, ut injuncta opera efficiantur principaliter ad lucrandam Indulgentiam; & ita cum Suarez docet Bossius *casu* 10. *n.* 8. & tenent Diana *tr.* 12. *res.* 7. & Leander *q.* 38.

47. Quæres 3. *An sufficiat præstare opera alias debita ex Lege Naturali, Divina, ex Voto, aut præcepto Ecclesiastico, seu Confessarii?*

Resp. affirmative, quia opus alio titulo debitum, adhuc est pium, cedit in honorem Dei, & utilitatem Ecclesiæ, ac proinde est sufficiens ad lucrandam Indulgentiam; quod confirm. ex praxi, quando publicatur Indulgentia, seu Jubilæum tempore jejunii, vel sub Pascha; nam tunc illud jejunium, & illa Communio jam debita censetur sufficiens, quia nimirum uno, eodemque actu potest satisfieri pluribus obligationibus, si natura illarum id patiatur, & intentio obligantis aliud non præcipiat. Sic Layman, Comitolus, Fernandez, & alii, quos sequitur Diana *p.* 5. *tr.* 12. *resol.* 54. Bossius *casu* 9. *n.* 3.

48. Quæres 4. *An uno, eodemque opere possit quis lucrari diversas Indulgentias diversis viis concessas; puta si quis habeat diversa Grana, diversis benedictionibus, & a diversis Pontificibus benedicta, & unumquodque habeat adjunctam Indulgentiam unius anni, recitando semel Pater, & Ave Maria; an per recitationem unius Pater, & Ave Maria consequatur tot annos Indulgentiæ, quot habet Grana benedicta?* Affirmant Corduba, Graffius, Henriquez, & Sà, quos sequitur Leander *q.* 170. quia opus exequitur omnibus Indulgentiis correspondens.

49. Sed contrarium tenendum est, quia talis solet esse mens Pontificias Indulgentias concedentis, nisi in casu, quod variæ illæ Indulgentiæ essent concessæ per modum unius; ut cum visitanti talem Ecclesiam conceduntur omnes Indulgentiæ omnium Ecclesiarum Urbis, tunc enim unica visitatione potest omnes illas lucrari. Sic tenent Suarez *disp.* 52. *sect.* 8. *n.* 10. Bonac. *p.* 5. *n.* 29. Diana *cit. tr.* 12. *resol.* 11. Filliucius, Coninch, & Layman, quos sequitur Palaus *punct.* 9. *n.* 12. qui cum Bonacina advertit, habentem plura Grana benedicta, semel recitando orationem præscriptam, consequi illius Indulgentiam, ad quam suam determinaverit intentionem; quod si ad nullam suam determinaverit intentionem, consequi eamdem Indulgentiam ratione omnium.

50. Potes tamen eodem tempore per diversos actus acquirere plures Indulgentias; si enim una sit concessa Indulgentia recitanti Coronam, & alia audienti Missam, potes utramque lucrari, si audiendo Missam recitas Coronam, cum non sint actus incompossibiles, qui non possint æque bene fieri eodem, ac diverso tempore, prout notavit Bonacina *p.* 5. *n.* 31.

51. Quæres 5. *Utrum possis sæpius eodem die lucrari Indulgentiam concessam visitantibus Ecclesiam, si sæpius eamdem Ecclesiam visites eodem die?*

Resp. affirmative, si talis Indulgentia sit concessa sine limitatione temporis; ut si absolute sit concessa Indulgentia visitantibus Ecclesiam Metropolitanam, quia pluries potes præstare opus præscriptum, & sic pluries consequi potes Indulgentiam; secus si illa sit concessa cum limitatione temporis; puta, visitantibus Ecclesiam tali die, quia tunc Indulgentia videtur concessa pro una vice. Sic cum Navarro, Corduba, Toleto, Reginaldo, & aliis docet Bonac. *punct.* 5. *n.* 32. & sequitur Palaus *punct.* 9. *n.* 16.

52. Quæres 6. *An qui non est consecutus Indulgentiam propter aliquod opus non recte adimpletum, possit intra tempus debitum illud iterum recte facere, & consequi Indulgentiam, non repetitis aliis operibus jam rite factis?*

Resp. Affirmative, quia faciens opus intra tempus debitum, præstat quicquid necessarium est ad consecutionem Indulgentiæ, quam proinde consequitur, etiam non repetitis aliis actibus jam rite factis; nam utile per inutile vitiari non debet, Cap. *Utile, de reg. jur. in* 6.

DUBIUM VI.

An, & quatenus sit necessaria Confessio pro consecutione Indulgentiæ?

53. Certum est, Confessionem non esse necessariam ad consequendam Indulgentiam, quando illa non exprimitur in Bulla concessionis; nam status gratiæ potest sufficienter haberi per Contritionem: quod verum est, etiamsi exigatur Communio, & adsit conscientia culpæ lethalis; tunc enim Confessio esset necessaria titulo Communionis, non titulo Indulgentiæ consequendæ, ac proinde, si quis communicaret cum sola Contritione, non habens copiam Confessarii, vel habens aliud legitimum impedimentum, consequeretur Indulgentiam, quia præstaret omnia requisita sine Confessione, quam Superior non exigit, dum illam non exprimit. Difficultas est: *an illa sit necessaria, quando exprimitur in Bulla concessionis: ut si dicatur, concedimus Indulgentiam plenariam omnibus vere pœnitentibus, & confessis, seu contritis, & confessis, qui Ecclesiam visitaverint?* in quo sensu

54. Prima Sententia exigit actualem Confessionem, etiam in illo, qui non habet conscientiam peccati lethalis. Ratio est, quia Indulgentiæ tantum valent, quantum sonant, hoc est, debent observari omnes conditiones positæ a Pontifice; sed Confessio exigitur, & est possibilis, & facilis; ergo, illa omissa, non obtinetur Indulgentia, seu Jubilæum. Nec obstat, quod non habenti peccata lethalia Confessio non sit necessaria pro Communione; nam Pontifex illam exigere potest, & de facto exigit tamquam opus supererogationis, sicut exigit alia, quæ sunt tantum de consilio, & sicut jejunium in senibus, vel juvenibus, qui nondum habent 21. annum; ac proinde, qui habet solum peccata venialia, tenetur Confessionem præmittere, idque etiamsi non habeat nisi peccatum veniale jam rite confessum; nam adhuc potest confiteri, & Confessio simpliciter exigitur tamquam conditio, sine qua non. Ita tenent Sanchez, Nugnus, Floronus, Acosta, Pellachus, Lavorius, Fernandez, Homobonus *de cas. ref. c.* 5. *observ.* 5. quos refert Diana *p.* 1. *tr.* 11. *resol.* 107. & *p.* 5. *tr.* 12. *resol.* 30. quibus addi possunt

possunt alii plures apud Bossium *sect.* 4. *casu* 19. §. 3. *n.* 38. qui dicit, hanc Sententiam esse tutiorem.

55. Secunda Sententia ex opposito, non requirit de necessitate Confessionem, nec etiam in illo, qui conscientiam habet peccati lethalis, dicens, sufficere veram, & perfectam Contritionem cum Confessione in voto, & cum proposito confitendi tempore debito secundum statutum Ecclesiæ, vel certe sufficere Confessionem jam factam tempore debito, quamvis postea inciderit in mortale. Ratio est, quia Confessio non videtur requisita a Pontifice tamquam opus necessarium, sicut exigitur Eleemosyna, Jejunium, & Communio, sed tamquam dispositio ad tollendum scilicet obicem peccati, qui sufficienter tollitur per perfectam Contritionem cum sola Confessione in voto. Nec obstat particula *&* posita in Bulla concessionis, in qua conceditur Indulgentia *contritis, & confessis*; nam illa potest resolvi in disjunctivam *vel*, ut sæpe contingit in Jure tam Civili, quam Canonico; & in nostro casu pro Indulgentia non requiritur Contritio, sed sufficit Attritio cum Confessione, quamvis in Bulla concessionis dicatur, *contritis, & confessis*. Deinde, quia satis confessus dicitur, qui habet propositum confitendi tempore debito, vel qui jam in Paschate confessus est; non enim Bulla expresse requirit Confessionem de præsenti, sed generaliter requirit Confessionem, quod sufficit esse factam tempore debito, secus pauci consequerentur Indulgentias, cum pauci Confessionem præmittant; & ita tenent gravissimi Doctores Panorm. Jo: Andreas, Sylvester, Paludanus, Henriquez, Suarez, & Filliucius, quos affert Bossius *casu* 19. §. 5. *n.* 51. sequitur Diana *p.* 5. *tr.* 12. *resol.* 30. Palaus *punct.* 9. *n.* 22. & probabilem dicit Lugus *disp.* 27. *num.* 94.

56. Resp. 1. non esse necessariam Confessionem Sacramentalem in eo, qui non habet conscientiam peccati lethalis. Ratio est, quia dum in Bulla Indulgentiæ, seu Jubilæi exprimitur Confessio, si aliud non exprimatur, intelligi debet de illo, qui conscientiam habet peccati lethalis; nam Ecclesia non consuevit præcipere Confessionem, nisi de mortalibus, & Confessio absolute sumpta non intelligitur, nisi de Confessione illorum, ac proinde dum Pontifex exigit Confessionem, intelligit de Confessione mortalium, non de Confessione venialium, sicut de illis, non de istis intelligitur præceptum annuæ Confessionis. Quod verum est, etiamsi Pontifex Confessionem, & Communionem requirat, ut si concedat Indulgentiam illis, qui intra tot dies sua peccata confessi fuerint, & Sacram Communionem receperint; nam Pontifex loquitur de Confessione necessaria, non de libera, estque magna disparitas inter Confessionem, & Communionem; nam ista requiritur per se tamquam opus, & conditio, sub qua conceditur Indulgentia, illa vero exigitur non propter se, sed ut certius, & efficacius tollatur peccatum, & obex Indulgentiæ consequendæ, cujusmodi solum est peccatum mortale, non veniale. Sic tenent Suarez, Zanard. Comitol. Reginald. Graff. Coninch, Filliuc. Henriq. Benzon. Botton. & alii plures, quos affert, & sequitur Leander *disp.* 14. *q.* 76. Bonac. *punct.* 5. *n.* 7. Palaus *punct.* 9. *n.* 20. Bossius §. 3. *n.* 39. ubi Sententiam dicit tutam, & probabiliorem, & pro eadem citat Homobon. *p.* 2. *exam. tr.* 11. *c.* 12. *qu.* 29. *quæsito* 5. Dian. *part.* 1. *tr.* 11. *resol.* 107. *& part.* 5. *tract.* 12. *resol.* 30.

57. Dixi, *si aliud non exprimatur*, quia certum est, Pontificem exigere posse pro lucro Indulgentiæ Confessionem venialium; cum enim talis concessio sit privilegium Principis, potest pro illius acquisitione requirere opus supererogationis, sicut exigit eleemosynam, & jejunium in senibus, & in illis, qui nondum habent 21. annum, & sic potest etiam exigere una cum aliis operibus Confessionem venialium, & tunc habenti venialia, esset necessaria illorum Confessio, quia esset pars operis, & conditio necessaria. Si vero Pontifex solum exigat Confessionem, & non exprimat Confessionem venialium; censendus est loqui solum de Confessione mortalium; de quibus intelligitur Confessio absolute sumpta, & per hoc patet ad rationes primæ Sententiæ.

58. Resp. 2. necessariam esse Confessionem actualem de peccatis mortalibus commissis, & nondum rite confessis, nec sufficere solum Contritionem cum voto, seu proposito confitendi tempore ab Ecclesia statuto. Ratio est, quia verba concessionis clare, & expresse requirunt Contritionem, & Confessionem in eo, qui lucraturus est Indulgentiam; & sic qui Contritionem, & Confessionem omittit, non adimplet conditionem requisitam, ac proinde non obtinet Indulgentiam concessam sub tali conditione. Particula *&*, quamvis in Jure sumatur aliquando disjunctive, proprie tamen, & magis communiter sumitur copulative; copulata autem dispositio, requirit veritatem utriusque partis, nec sufficit Confessio jam facta, seu facienda tempore debito; nam Pontifex Confessionem requirit de præsenti, quando quis intendit lucrari Indulgentiam, seu Jubilæum, sicut de præsenti requirit Contritionem, cujus nomine venit etiam Attritio, quæ est Contritio imperfecta, illamque requirit Pontifex simul cum Confessione, ut sic securius, & certius tollatur peccatum, & obex Indulgentiæ; nam perfecta Contritio, quæ esset sufficiens pro gratia consequenda, difficilis est, ac incerta. Sic Durand. Adrian. Cajet. Navar. Rodriq. Zerula, Graffius, & alii, quos affert, & sequitur Bossius §. 5. *n.* 54. Bonacina *punct.* 5. *nu.* 5. Leander *qu.* 78. & probabilem, ac consulendam dicit Palaus *punct.* 9. *nu.* 22.

59. Quod si actualis Confessio in aliquo casu alicui sit impossibilis propter legitimum impedimentum physicum, seu morale; adhuc illum posse consequi Jubilæum, seu Indulgentiam, præstitis aliis operibus injunctis, tenent Henriquez, Reginald. Layman, Fernandez, Zanardus, & alii, quos affert, & sequitur Leander *q.* 83. Ratio est, quia Confessio, cum non præcipiatur tamquam opus per se requisitum, sed tamquam securior dispositio ad lucrandam Indulgentiam, dum illa est impossibilis, præsumendum est, piam mentem Pontificis esse, ut sufficiat Contritio, si præstentur alia opera injuncta; non enim præsumi potest, stante illa impossibilitate, Pontificem velle Fidelem contritum Indulgentia privare. Contrarium tenet Barthol. a S. Fausto, Suarez, Sanctarell. Filliuc. Homobonus, & alii, quos sequitur Diana *p.* 5. *tr.* 12. *resol.* 29.

60. Si quis autem confessus sit intra tempus a Jubilæo præscriptum, sed ante finem hebdomadæ, seu antequam perficiat reliqua opera, incidat in mortale, vel recordetur obliti, teneri iterum confiteri pro lucro Indulgentiæ, tamquam probabilius tenet Bossius *casu* 16. §. 2. *num.* 22. cum Suarez *disp.* 52. *sect.* 3. *n.* 1. Filliucio *tr.* 8. *c.* 6. *n.* 187. & Sanct. *c.* 14. *dub.* 4. quia in Bullis, ad effectum consequendi Jubilæum, videtur exigi Confessio omnium mortalium usque ad tempus Indulgentiæ commissorum, cum præscribatur ut via securior ad statum gratiæ necessarium pro fructu Indulgentiæ consequendo. Sed probabile est, ipsum non amplius teneri ad novam Confessionem, sed sufficere tunc habere Contritionem, quia per Contritionem semel rite factam impleta est conditio requisita: secus dicendum, si Confessio facta, fuisset sacrilega, quia illa esset insufficiens; & ita tenent Diana *p.* 5. *tr.* 12. *resol.* 1. Lugus *disp.* 27. *n.* 101. Bonac. *punct.* 5. *n.* 9. & alius relatis, Leander *q.* 79.

DUBIUM VII.

De Eleemosyna, & Jejunio requisito pro consecutione Jubilæi.

61. SOlet quandoque pro consecutione Indulgentiæ, & fere semper pro Jubilæo, inter alia opera, injungi Eleemosyna facienda, & tunc illa debet esse realis, & temporalis, nec sufficit spiritualis, ut voluit Zanardus *p.* 1. *sui Direct. Confess. de Pœnit. c.* 21. *quæsit.* 26. quia Pontifex exigit Eleemosynam proprie, & non aliam, licet majoris excellentiæ; proprie autem Eleemosyna est realis, & temporalis, prout tenet Diana *p.* 5. *tr.* 12. *resol.* 31. & Bossius *casu* 21. *n.* 1. ubi alios refert, & Leander *disp.* 14. *q.* 52.

62. Dubium est: *An illam teneantur facere pauperes, qui ostiatim mendicant, & qui vivunt, aluntque familiam de quotidiano labore, &, si sint impotentes, an egeant commutatione in aliud opus pium?* Affirmant Sanctarellus, Homobonus, & Leo, quos affert, & sequitur Bossius *casu* 21. *n.* 3. quia servanda est forma Bullæ, & adimpleri debent opera injuncta, inter quæ numeratur Eleemosyna, quæ proinde facienda est; vel si ob impotentiam præstari non potest, petenda est dispensatio in aliud opus pium, sicut fit a non potente jejunare, aut Ecclesiam visitare, secus etiam non potentes jejunare, visitare Ecclesiam, & communicare propter tussim, non indigerent dispensatione, & sine illa possent Indulgentiam consequi. Satisfaciet tamen pauper faciendo minimam Eleemosynam, curando ut ab alio detur pro se, ratificando datam nomine suo.

63. Alii tamen volunt, ad id non teneri pauperes, nec indigere commutatione, sed lucrari Indulgentiam, si cetera opera faciant, & hoc ex quadam Epicheja, & benigna interpretatione mentis Pontificis, qui non videtur velle obligare ad Eleemosynam erogandam eum, qui nihil habet, & est impotens ad illam faciendam. Ita Navar. Henriq. & Fernandez, quos sequitur Leander *q.* 53. Securius tamen est, si pauper petat dispensationem, vel faciat minimam Eleemosynam, etiam unius oboli, vel faciat sibi ipsi applicari a Confessario Eleemosynam, quam ipse pro lucro Indulgentiæ tenetur facere; sicut pauper debitor rei incertæ, cum consilio, & auctoritate Confessarii, potest illam sibi applicare, ut notat Bossius *n.* 8.

64. Quod dictum est de paupere, proportionaliter dicunt de Religiosis, etiam Novitiis, qui non habent proprium, & non possunt aliquid dare, non indigere scilicet commutatione, sed posse absque Eleemosyna lucrari Indulgentias concessas sub onere Eleemosynæ. Sic cum Graffio *lib.* 2. *append. c.* 5. *n.* 58. tenet Leander *q.* 54. Alii magis communiter tenent cum Bossio *casu* 21. *n.* 10. illos indigere commutatione, quando dare non possunt Eleemosynam, sicut etiam dicunt de paupere.

65. Religiosi habentes bona non solum in communi, sed etiam permissa in particulari quoad usum, & administrationem, debent Eleemosynam facere de sibi permissis, & concessis, & non necessariis ad victum, seu vestitum. Seu melius, Superior Monasterii bona in communi possidentis, & etiam non possidentis, si vires suppetunt, tenetur pro omnibus suis subditis, vel per se, vel per alium, ministrum Eleemosynam facere, quia, quantum est ex se, non debet impedire suis subditis consecutionem Indulgentiæ, seu

seu Jubilæi, sed concedere necessaria ad illud consequendum, ut docet Bossius n. 13.

66. Superiore negante, & non faciente Eleemosynam pro suis subditis, tunc istos posse, seclusio scandalo, aliquid ex bonis Monasterii dare, invito Superiore, pro Eleemosyna ad lucrandum Jubilæum, tenet Diana *p. 5. tr. 12. resol.* 31. cui adhæret Bossius *n.* 14. quia Superior est irrationabiliter invitus; & ideo in tali casu Religiosus subditus operatur ex licentia Superioris debita. Quod idem valet de Uxoribus, Filiisfamilias, Servis, Monialibus &c. qui, non faciente Domino, Patre, & Viro, Eleemosynam, quam tenentur facere pro consecutione Indulgentiæ, non peccant, si absque scandalo, & rixa faciant aliquam Eleemosynam de bonis Domini, Patris, aut Viri; melius tamen esset in tali casu, supradictas personas petere commutationem in aliud opus pium, vel curare ab amico fieri nomine suo, vel aliquid subtrahere ex proprio victu, & dare in Eleemosynam, etiam absque licentia, ut cum Sanchez notat Bossius.

67. Circa quantitatem Eleemosynæ, si illa non sit determinata a Pontifice, sed relinquitur facienda juxta devotionem, & arbitrium cujuscumque, ut regulariter fieri solet; tunc sufficit quæcumque etiam minima quantitas, tam in divite, quam in paupere, quia per quamlibet servatur forma præscripta in Bulla, quod verum putant nonnulli, etiamsi dicatur facienda *juxta possibilitatem, & facultatem cujusque*, licet enim in eo casu velint alii satis communiter, majorem esse faciendam Eleemosynam a divite, quam a paupere, juxta conditionem personarum, facultatum, & honorum; volunt tamen in utroque casu sufficere pro lucro Indulgentiæ quamcumque etiam minimam Eleemosynam, tam in divite, quam in paupere; & verba illa, *juxta facultatem cujusque*, non poni præceptive, sed consultive, seu adhortative, ad exhortandum divites ad faciendam majorem, & abundantiorem Eleemosynam, quam pauperes; secus difficilis esset acquisitio Indulgentiæ, & Jubilæi, remanente semper dubio de quantitate, seu proportione Eleemosynæ faciendæ, maxime in magnis Divitibus, Principibus, & Regibus; expedit tamen, quod dives majorem eroget, quam pauper. Sic plures relati a Cæsare Bottono apud Bossium n. 29.

68. Potest Eleemosyna fieri ante, vel post Communionem, etiamsi hæc fiat die Dominica, prout cum Grassio tenet Bossius n. 21. *& casu* 8. *n.* 14. & ita declaratum fuisse a Gregor. XIII. testatur Leo apud Leandrum *q.* 56.

69. Quæres: *An quis teneatur facere Eleemosynam per se ipsam, vel illam possit facere per famulum, seu aliam personam?*

Resp. illam posse facere per famulum; nam licet opera requirentia personalem actionem, ut sunt Jejunium, Oratio, visitatio Ecclesiæ, & Sacramentorum susceptio, debeant fieri ab eodem, qui intendit lucrari Indulgentiam; non enim quis potest denominari jejunans, & orans, si ad illius mandatum jejunet, & oret famulus; secus tamen est, si non requirant personalem actionem, sed respiciant bona extrinseca, cujusmodi est Eleemosynæ distributio, quæ si fiat per famulum, tamquam per instrumentum, censetur facta a Domino, & mandante, ac proinde sufficiens erit pro consecutione Indulgentiæ, prout tenet Bonacina, Lugus, Suarez, Bossius, Henriquez, & alii, quos affert, & sequitur Leander *disp.* 14. *q.* 48.

70. Si tamen famulus acceptam Eleemosynam a Domino pauperibus non distribuat, Dominus non consequitur Indulgentiam concessam facientibus Eleemosynam, quia vere, & realiter non præstat opus præscriptum. Sic Bonac. *punct.* 5. *n.* 22. Lugus *disp.* 27. *num.* 122. Diana *p.* 5. *tr.* 12. *resol.* 31. Homob. Leo, & Philippus de Cruce, quos sequitur Leander *quæst.* 49.

71. Jejunium pro consecutione Jubilæi requisitum, non est Naturale, sed Ecclesiasticum, id est, abstinentia a cibo secundum regulam traditam ab Ecclesia ad satisfaciendum præcepto jejunii, non obligat omnes; sed illos, qui volunt consequi Jubilæum concessum sub tali conditione, & cum tali onere, & fieri debet tribus diebus in Bulla præscriptis, adeo ut jejunium factum aliis diebus non sit sufficiens, nisi sit commutatum a Confessario, quia est onus affixum illis diebus, & valet, etiamsi tunc jejunandum esset ex voto, ut cum Lugo, Diana, Fernandez, Bossio, & aliis docet Leander *q.* 63.

72. Difficultas est: *an jejunans illis diebus pro consecutione Jubilæi vesci possit ovis, & lacticiniis?* & quidem in locis, ubi extra Quadragesimam licitus est usus hujusmodi ciborum, poterit quis illis uti, quamvis non habeat Bullam Cruciatæ; nam pro consecutione Jubilæi non requiritur, nisi jejunium Ecclesiasticum, quod extra Quadragesimam in quibusdam locis observatur cum esu ovorum, & lacticiniorum; & sic tale jejunium est sufficiens in illis locis pro consecutione Jubilæi; & ita tenet praxis Fidelium, & docent communiter Doctores relati a Bossio *casu* 18. n. 19. & valet etiam pro illis locis, in quibus permissus est ex legitima consuetudine esus ovorum, & lacticiniorum in Quadragesima, quia cum esu ovorum stat substantia jejunii, & sufficit jejunare juxta legitimam consuetudinem loci, ut cum aliis notat Bossius *n.* 38. idemque valet de illis, qui habent Bullam Cruciatæ. Diana *p.* 1. *tr.* 9. *res.* 17. Bonac. *p.* 5. *n.* 16. Lugus *disp.* 27. *n.* 108. & alios plures referens Leander *q.* 60.

73. In locis, in quibus tum in Quadragesima, tum extra illam observatur jus commune abstinendi non solum a carnibus, sed etiam ab ovis, & lacticiniis; *an satisfaciat jejunans pro Jubilæo injuncto* (idem valet de jejunio ex voto, vel præcepto Confessarii debito) *si quis comedat ova, & lacticinia*; major est difficultas. Communis Sententia negat, quia hæc jejunia servanda sunt eo modo, quo juxta morem patriæ, populi, aut loci servatur jejunium Ecclesiasticum; si ergo hoc jejunium, tum in Quadragesima, tum extra illam, observatur cum abstinentia ab ovis, & lacticiniis, taliter etiam observandum erit jejunium requisitum pro Jubilæo, Rodriquez, Medina, Angles, Lopez, Corduba, Cæsar Bottonus, Henriquez, Azor. Bonacina, Filliuc. Homobonus, quos affert Bossius *n.* 71.

74. Hæc Sententia, quamvis sit communis, probabilior, & in praxi sequenda, tamen Sententia opposita non caret sua probabilitate, quando Pontifex expresse non prohibet ova, & lacticinia. Ratio est, quia præceptum abstinendi ab ovis, & lacticiniis in Quadragesima est diversum, & distinctum a præcepto jejunandi; siquidem diebus Dominicis nullus, per se loquendo, tenetur jejunare, & tamen viget obligatio illis diebus abstinendi ab ovis, & lacticiniis, a quibus etiam debent abstinere Juvenes, qui nondum attigerunt annum 21., quamvis non teneantur jejunare; inde substantia tota jejunii Ecclesiastici, etiam in Quadragesima, salvatur cum esu ovorum, & lacticiniorum, adeoque cum esu hujusmodi ciborum stat jejunium requisitum pro lucro Indulgentiæ; jejunium enim Ecclesiasticum importat solum abstinentiam a carnibus cum unica comestione, nec peccaret contra præceptum jejunii, sed contra aliud Ecclesiæ præceptum, qui ova & lacticinia manducaret in Quadragesima. Ita Sanchez, Henriquez, & Marchinus, quibus adhæret Bossius *n.* 72.

75. Hoc a fortiori valet extra Quadragesimam in locis, ubi viget consuetudo abstinendi ab ovis, & lacticiniis in jejuniis Ecclesiæ, tum quia abstinentia ab illis non est de essentia jejunii Ecclesiastici, præsertim extra Quadragesimam, tum quia non facile dignoscitur, an consuetudo abstinendi ab illis cibis extra Quadragesimam obliget in conscientia, ac proinde, qui non abstinet ab illis, potest satisfacere jejunio Ecclesiastico, & requisito pro Jubilæo; & ita tenent Sanchez, Lugus, Trullench, Sancius, Bottonus, quos affert, & sequitur Leander *q.* 61.

D U B I U M VIII.

De Oratione, & Visitatione Ecclesiæ.

76. INter alias conditiones, & opera præstanda pro consecutione Jubilæi, solet adesse visitatio Ecclesiæ cum oratione ibidem facienda, ut constat ex Bulla concessionis, in qua si præscribantur aliquæ determinatæ preces Deo fundendæ; puta recitare tot Pater Noster, & Ave Maria, Psalmum Miserere, Septem Psalmos Pœnitentiales, vel quid simile, ut determinantur in Bulla Cruciatæ, & in Indulgentiis Numismatum, & aliis Indulgentiis, quæ quandoque sub determinata precum forma conceduntur, illæ utique sunt Deo fundendæ, & necessario dicendæ, cum pro consecutione Indulgentiæ sit necessario servanda forma præscripta.

77. Si vero nullæ sint determinatæ preces Deo fundendæ, tunc sufficiens erit quæcumque, etiam brevis oratio tam mentalis, quam vocalis, cum non solum ista, sed etiam illa sit vera oratio, & per consequens sufficiens pro consecutione Jubilæi tum Ordinarii, tum extraordinarii, prout docent Diana *p.* 5. *tr.* 12. *resol.* 44. Lugus *disp.* 27. *n.* 151. Leander *q.* 64. & alios referens Bossius *casu* 17. *n.* 52. quamvis tutius sit cum oratione mentali aliquam vocalem intermiscere; non est tamen necesse recitare Pater, & Ave, neque Litanias, & alias Preces, quæ pro majori populi commoditate quandoque in publicatione Jubilæi eduntur ab Ordinariis, ut cum Henriquez *lib.* 7. *sum. cap.* 10. *n.* 3. *in fine* notat Bossius *num.* 14. sed sufficit recitare quaslibet Preces, & quacumque lingua Latina, Italica, Germanica &c. & quascumque preces alias ex obligatione voti, aut pœnitentiæ debitas, quia ad lucrandum Jubilæum non requiruntur opera aliunde indebita, ut cum Bossio docet Leander *q.* 66.; potes etiam orare cum Socio, recitando Preces alternatim, & hoc sedendo, stando, & etiam capite operto, quia in Bullis non est determinata certa forma precandi. Expedit tamen, & consulendum est omnibus in visitatione Ecclesiæ pro consecutione Jubilæi, ut non sint contenti quacumque brevi oratione, sed ut fundant orationes prolixas, & quantum fieri potest devotas, puta quinquies Pater noster, & Ave Maria, Litanias, Septem Psalmos, Coronam, aut alias Preces pro cujuslibet opportunitate, ac devotione.

78. Si visitaturus Ecclesiam illam invenias clausam, vel ob multitudinem non possis corporaliter introire, sufficiens erit pro consecutione Indulgentiæ ante fores, & prope Ecclesiam orare, quia moraliter sic diceris visitare Ecclesiam; nam in favorabilibus nomine Ecclesiæ venit etiam Cœmeterium, & oratio facta ante fores Ecclesiæ secundum communem existimationem censetur facta in Ecclesia, ut cum Suarez, Filliucio, & aliis docet Bossius *casu* 14. n. 10.

num. 10. & ita servat praxis fidelium visitantium septem Urbis Ecclesias, quas dum inveniunt clausas, orant ante fores, & censentur obtinere Indulgentiam. Ita etiam docent Suarez *disp.* 52. *sect.* 1. *n.* 7. Bonacina *punct.* 5. *n.* 26. Lugus *disp.* 27. *n.* 97. & alios referens Leander *disp.* 14. *q.* 67.

79. Quod si Indulgentia concessa sint visitantibus aliquod Altare, seu Capellam, non lucratur Indulgentiam qui orat ante fores Ecclesiæ, si Altare illud, seu Capella posita sit tam intus Ecclesiam, ut a Valvis Ecclesiæ non possit videri, quia non adimplet opus visitationis, deficiente præsentia corporali, nec censetur moraliter præsens; secus si a Valvis Ecclesiæ appareret Altare, seu Capella, & ob multitudinem impediretur accessus ad illud, vel ad illam, nam tunc censeretur moraliter præsens. Ita cum Zerola docet Bossius *n.* 14.

80. Quæres: *An qui cupit obtinere Indulgentiam concessam visitantibus quinque Altaria, debeat localiter moveri, & singula accedere?*

Resp. negative; sufficit enim quod existens in Ecclesia, quamvis suo loco fixus, & immotus, oret versus quinque Altaria, non tantum corde dirigendo preces ad illa, sed singulis præstando aliquam capitis inclinationem, ut aliquo signo, & motu sensibili distinguatur una visitatio ab alia, & exterius demonstretur, orationem fieri ad tale Altare. Sic Bonacina *p.* 5. *n.* 25. Lugus *disp.* 27. *n.* 98. Azor. Grassius, Henriquez, quos sequitur Diana *p.* 5. *tr.* 12. *resol.* 16. qui vult, sufficere moveri corde ab uno Altari ad aliud absque ullo prorsus motu sensibili, & corporali; sed necessarium esse motum aliquem sensibilem, puta gestum, seu conversionem capitis, aut corporis, indicantem conversionem cordis ad singula Altaria, probabilius cum aliis docent Lugus, Leander *q.* 69. & Ant. Fernand. *in medulla p.* 3. *c.* 7. §. 10. *n.* 3. & Bossius *casu* 14. *n.* 16.

81. Si unum tantum Altare sit in Ecclesia, & concedatur Indulgentia quinquies visitantibus tale Altare, tunc debet tale Altare quinquies visitari cum precum effusione, interpollatis vicibus; unde tenetur, qualibet visitatione finita, corpus, vel caput inclinare in signum distinctæ visitationis. Ita cum Lugo, Trullench, & aliis docet Leander *q.* 70., & si dicatur, ut eadem Ecclesia quinquies visitetur, tunc necessarium esse ingredi, & egredi quinquies, fundendo preces qualibet vice cum Ant. Fernandez, & Navarro docet Bossius *n.* 17.

DUBIUM IX.

Qualiter Indulgentia possit applicari Defunctis.

82. Certum est apud omnes Christifideles, Indulgentias applicari posse, ac prodesse defunctis in Purgatorio existentibus, ut constat ex consensu, & praxi Summorum Pontificum concedentium Indulgentias applicandas animabus in Purgatorio existentibus; easque concessit D. Gregorius ut habetur *l.* 4. *dialog. c.* 57. & *l.* 2. *c.* 22. aliique communiter, & Leo X. condemnavit errorem Lutheri, qui, ut refert Roffensis *art.* 22. *contra Luther.* asserebat, non posse defunctis Indulgentias concedi. Ratio esse potest, quia Fideles defuncti in Purgatorio existentes cum Fidelibus viventibus ita conjuncti sunt, ut unam cum illis Ecclesiam constituant, adeo ut possint particularibus Suffragiis, & Orationibus viventium adjuvari; ergo etiam poterunt sublevari per applicationem satisfactionum Christi, & Sanctorum, quæ fit a Pontifice concedente Indulgentias applicabiles defunctis; & ita tenent communiter Patres relati a Bellarmino *cap.* 14.

83. Hanc applicationem Indulgentiæ factam defunctis dicunt communiter Doctores, non habere rationem absolutionis, sicut factam viventibus, sed dicunt, fieri per modum Suffragii; & meræ solutionis, cujus discrimen in eo consistit, quod concedens Indulgentias per modum absolutionis, tamquam Judex, & Superior exercet jurisdictionem in illum, cui applicat Indulgentias, ipsumque absolvit a pœna debita pro peccatis; offert siquidem Deo ex Thesauro Ecclesiæ, & satisfactionibus Christi, quantum necessarium est ad hunc effectum, & tamquam Minister Christi oblatam satisfactionem acceptat, & liberat debitorem a pœna; at concedens Indulgentias per modum Suffragii nullam exercet jurisdictionem, nec absolvit debitorem a pœna, sed offert Deo satisfactionem sufficientem, ut ipse eam acceptans pœnam debitam remittat. Defectu igitur jurisdictionis, quam Pontifex non habet in mortuos, illos non absolvit, sicut vivos, in quos habet, ac exercet jurisdictionem. Sic Suarez *disp.* 46. *sect.* 3. & 4. Bellarm. *l.* 2. *de Indulgent. c.* 5. Lugus *disp.* 25. *n.* 4. Coninc. Valentia, Layman, quos affert, & sequitur Palaus *punct.* 10. *n* 2.

84. Hinc statim dubitatur: *utrum applicatio Indulgentiæ facta Defunctis in Purgatorio existentibus habeat certum, & infallibilem effectum, ipsosque liberet a tota pœna, sicut liberat viventes bene dispositos, quibus applicatur Indulgentia Plenaria?* Prima Sententia negat prodesse illis certo, & infallibiliter, sed ex mera tantum liberalitate Dei acceptantis; quia supremus Judex non tenetur acceptare commutationem pœnæ solvendæ a peccatoribus, nisi ad id sua promissione se obligaverit; at ex nullo Scripturæ loco, ex nulla certa traditione constat, Deum promisisse, & se obligasse acceptare satisfactiones ex thesauro Ecclesiæ depromptas, illique oblatas pro liberatione defunctorum, maxime quia Indulgentias applicat defunctis Ecclesia, non per modum absolutionis, sed per modum Suffragii, quasi orans Deum, ut hujusmodi satisfactionem, & solutionem pro Defunctorum liberatione misericorditer acceptare dignetur, & quia *Matth.* 16. solum promisit Deus solvere in Cælis, quod Pontifex solverit super terram, non vero sub terra, ubi detineantur, & torquentur Animæ Defunctorum, quæ proinde amplius non spectant ad forum Ecclesiæ.

85. Conf. ex usu, & praxi Ecclesiæ, ac Fidelium applicantium pro eadem anima plura, & plura Suffragia, & Sacrificia in Altari Privilegiato, cum applicatione Indulgentiæ plenariæ, quæ viderentur superflua, & inutilia, si applicata semel Indulgentia Plenaria infallibiliter prodesset, ac liberaretur talis anima a Purgatorio; cum ergo multiplicentur Suffragia, signum est, Indulgentias non semper infallibilem effectum pro Defunctis habere, sed pendere ex divina misericordia, ut sic Fideles viventes non redderentur segniores, sed maxime excitarentur ad ipsis præstandum auxilium orationibus, Sacrificiis, & Indulgentiarum applicatione. Sic tenent Ricard. *in* 4. *dist.* 20. *art.* 3. *q.* 3. Durand. *q.* 4. *n.* 12. Cajet. *tr.* 2. *de Indulg. opusc.* 27. *q.* 5. Corduba *de Indulg. q.* 15. & 17. *in fine ad* 2. Canus *l.* 12. *de locis c.* 13. *ad* 9. Sotus *sect.* 3. *de Ind.* Layman *l.* 5. *tr.* 7. *c.* 7. *n.* 3. quibus adhæret Bonac. *punct.* 6. *n.* 15.

86. Secunda Sententia verior, & probabilior docet, Indulgentias Defunctis concessas illis prodesse infallibiliter, & non ex mera tantum liberalitate Dei acceptantis. Colligitur ex Epist. Leonis X. missa ad Cajet. cum erat Legatus Germaniæ, cujus verba refert idem Cajet. 3. *p. q.* 48. *art.* 5. *ad* 1. *D. Thomæ*, dicit enim Leo Papa, esse traditionem Ecclesiæ Romanæ, posse Romanum Pontificem omnibus Fidelibus in caritate unitis tam vivis, quam defunctis concedere Indulgentias, & quod, si illas consequantur, liberabuntur secundum divinam justitiam a tanta pœna, quanta respondet illi Indulgentiæ; ergo sentit Pontifex hujusmodi Indulgentias eodem modo prodesse Vivis, ac Defunctis; sed illis prosunt infallibiliter; ergo etiam istis.

87. Conf. quia Pontifex accepit a Deo potestatem dispensandi Ecclesiæ thesaurum tam pro Vivis, quam pro Defunctis; nam Petro *Matth.* 16. dedisse Claves, quibus Cælum aperiret, & tolleret impedimenta retardantia ingressum; ergo statuit Deus acceptare pro Defunctis satisfactionem illis applicatam per Indulgentias: non enim traderet Pontifici facultatem dispensandi thesaurum Ecclesiæ, & applicandi animabus Defunctorum, si non promitteret acceptationem; nam inutilis, & defectuosa redderetur talis facultas; ergo dicendum est, Indulgentias applicatas Defunctis habere infallibilem effectum, sicut applicatas viventibus. Ita tenent Acosta, Faber, Granadus, Suarez, Ledesma, Valentia, Coninch, Tannerus, Trullench, quos affert, & sequitur Diana *p.* 5. *tr.* 12. *resol.* 8. & alios referens Palaus *p.* 10. *n.* 4. Ita etiam Bellarm. *l.* 1. *c.* 14. ubi vocat primam Sententiam rationabilem, nostram vero admodum piam.

88. Confirmari etiam potest ex Communione Sanctorum, quæ datur in Ecclesia, ratione cujus potest unus pro aliis orare, illisque, sive Vivis, sive Defunctis, suas applicare satisfactiones, quæ proderunt illis pro tanta pœna, pro quanta fuerit oblata satisfactio; ergo etiam proderunt infallibiliter satisfactiones applicatæ Defunctis per Indulgentias, cum non fiant deterioris conditionis, nec amittant suum valorem per hoc, quod applicentur per Ecclesiam. Antecedens prob. quia applicatio facta sive Vivis, sive Defunctis, fundatur in Caritate, ratione cujus mea opera, & meæ satisfactiones, quoad vim satisfaciendi, fiunt illius, qui mihi unitur per Caritatem, & cui ego applico talia opera: cum ergo detur in Ecclesia Sanctorum Communicatio ex Lege Divina fundata in ipsa natura Caritatis, eadem Lege fit, ut mea opera applicata Defuncto existenti in Caritate fiant illius, illique prosunt infallibiliter pro condonatione pœnæ.

89. Ad rationes primæ Sententiæ facile respondetur negando, Deum non se obligasse acceptare satisfactionem oblatam ex thesauro Ecclesiæ in compensationem pœnæ a Defunctis debitæ; hoc enim promisit Petro, ejusque Successoribus, dando Claves regni Cælorum, & potestatem solvendi, ac tollendi impedimenta retardantia, cujusmodi sunt pœnæ Purgatorii; nec obstat illud verbum *super terram*, quia non refertur ad personas solvendas, quasi solum existentes super terram solvi possint, sed ad actum solutionis, ita ut sensus sit; quamcumque solutionem posueris super terram, sive Viventium, sive Defunctorum, ratam habebo in Cælis: alii explicant ly *super terram* per contrapositionem ad Cælum, id est pro omni loco extra Cælum.

90. Nec item obstat, Indulgentias applicari Defunctis per modum Suffragii, quia hoc non tollit infallibilitatem, supposita divina promissione acceptandi Suffragium applicatum Defunctis: est enim Indulgentia per modum Suffragii dispensatio thesauri Ecclesiæ facta existenti extra forum judiciale Ecclesiæ, qui se ipsum juvare non potest, sed indiget potius ab aliis pro aliquo opere juvari, & consequitur effectum, ex ratione, qua liberat a Carceribus, qui solvit pretium pro alio ibidem detento.

91. Dices: debitum Animæ existentis in Purgatorio non est reale, sed personale, ortum ex proprio crimine; licet autem unus possit pro alio satisfacere, si agatur de debito reali, quia potest dare, & solvere pretium æquivalens debito; secus si agatur de debito personali, quod non potest remitti, nisi ea liberalitate Principis. Sed contra dico, argumentum valere per se loquendo, non vero supposita promissione Dei acceptandi satisfactionem oblatam ea thesauro Ecclesiæ, quia jam habet rationem solutionis, & æquiparatur debito reali, quod fiat per modum suffragii, solum addit supra modum solutionis, respectum ad illud opus pro Defuncto ab alio exhibitum, & non ab ipso Defuncto.

92. Ad Conf. resp. non esse inutile sæpe, & iteratis vicibus Indulgentias lucrari pro Defunctis, quia sæpe ex defectu sufficientis caussæ, ob quam concessa est Indulgentia, fieri potest, ut non valeat quantum sonat: potest etiam esse defectus in opere injuncto, vel in dispositione requisita in eo, qui opus injunctum exequitur, maxime si est vera opinio illorum, qui requirunt statum gratiæ in exequente opus injunctum, & sic cum numquam sit certum, Indulgentiam esse consecutam, bene, & laudabiliter repetuntur Suffragia, & Indulgentiæ pro eadem Anima, ut cum aliis docet Palaus *n.* 5.

93. Quæres: *An qui lucratur Indulgentiam pro Defunctis debeat esse in gratia quando exequitur opus a Papa præscriptum?*

Resp. Negative, quia sufficit, quod sit in gratia ille, cui Indulgentia applicatur, & quod vere ponatur opus a Pontifice præscriptum; nam status gratiæ non requiritur ad hoc, ut opus præscriptum sit meritorium, aut satisfactorium ex supradictis *dub.* 4. sed requiritur, ut obicem tollat, & disponat subjectum ad recipiendam Indulgentiam; at qui consequitur Indulgentiam pro Defuncto, exequendo opus injunctum, non recipit Indulgentiam sibi, sed conditionem exequitur necessariam pro consecutione Indulgentiæ; & sic status gratiæ non est in illo necessarius; & ita tenent Præpositus, Naldus, Navarrus, Faber, Granados, Reginaldus, & alii, quos affert, & sequitur Leander *disp.* 14. *q.* 177. Diana *p.* 5. *tr.* 12. *resol.* 38. Suarez *disp.* 53. *sect.* 4. Bonacina *punct.* 6. *n.* 11. & alios referens Palaus *punct.* 10. *n.* 10.

DUBIUM X.

De Cessatione Indulgentiæ.

94. DUrat Indulgentia juxta concedentis intentionem, & non ultra, quia gratia dependet a voluntate concedentis, nec ipsam excedit; nam actus agentium non operatur ultra intentionem ipsorum, & si fuit absolute, & simpliciter concessa, non capitat morte concedentis. Cap. *Decet, de regul. juris in* 6. quia est beneficium Principis, quod decet esse mansurum; & ita tenent Sylvester, Angelus, Suarez, Emmanuel Sà, Reginaldus, & Coninchus, quos affert, & sequitur Bonacina *p.* 8. *n.* 2. & cum aliis Palaus *p.* 11. *n.* 4. & hoc valet non solum de Indulgentiis concessis a Pontifice, sed etiam ab Episcopo, & Archiepiscopo, vel etiam a Legato a Latere, ejus officio finito, & terminato; arg. *c. ult. de Officio Legati*, & tradit ibi Glossa, nam horum facultas, quamvis sit restricta quoad quantitatem Indulgentiæ concedendæ, non tamen quoad durationem, ut tradit Suarez *sect.* 2. *n.* 4. Si vero fuit concessa pro aliquo determinato tempore, non durat ultra præfixum tempus, & eo finito cessat; quia extendi non potest ultra intentionem concedentis.

95. Cessat Indulgentia per revocationem factam ab eo, qui eam concessit, vel illius Successore, aut Superiore; sicut enim dependet in fieri a voluntate concedentis; ita etiam in conservari, & patet ex praxi Summorum Pontificum quandoque Indulgentias revocantium. Inferior vero non potest revocare Indulgentias Superioris, nec Episcopus concessas a Pontifice: neque ad revocationem requiritur caussa, ut sit valida, etsi requiri soleat, ut sit licita, quia beneficium Principis decet esse mansurum: regul. *Decet, de regul. juris in* 6. & quia revocatio facta sine caussa arguit levitatem, & incostantiam in revocante.

96. Ut revocatio suum habeat effectum debet esse sufficienter promulgata, & devenire in cognitionem illius, in cujus favorem fuit concessa, quia talis præsumitur voluntas revocantis, ne Indulgentiæ fructu fraudentur, qui præstant opera ad Indulgentiam requisita; quare invincibiliter ignorans revocationem Indulgentiæ, & Indulti, si bona fide absolvatur a censuris, & a reservatis, erit bene absolutus ea præsumpta rationabili voluntate Pontificis. Ita Sylvester, Emmanuel Sà, Grassius, Reginaldus, & Corduba, quos sequitur Bonacina *punct.* 8. *n.* 8. Palaus *punct.* 11. *n.* 2. & Suarez *disp.* 57. *sect.* 2. *n.* 8. licet contrarium probabilius putet quoad cessationem fructus liberationis pœnæ, admittit tamen validitatem absolutionis censurarum, & casuum reservatorum, & subdit, alios Doctores ita esse intelligendos, quia in exemplis ab ipsis allatis colligitur tantum, illas revocationes esse necessario notificandas, ex quibus habentes tale privilegium possent aliquod damnum pati.

97. Cessat præterea, si pereat res, vel locus, cui est concessa Indulgentia; cum enim nequeat lucrari nisi in tali loco, eo destructo, utique cessat Indulgentia, quæ est accessoria. Quod si Ecclesia paullatim destruatur, & reædificetur, non cessat Indulgentia per reparationem, & reædificationem, quia censetur idem locus perseverare, & prior Ecclesia non desiisse. Si vero totaliter destruatur, & iterum in eodem loco reædificetur, & Bonac. *pu.* 8. *n.* 4. Indulgentiam perseverare, quia eadem Ecclesia moraliter censetur, quando sub spe reædificationis destructa fuit; secus si fuisset destructa auctoritate Superioris, & sine spe reædificationis. Idem sentit Suarez *disp.* 52. *sect.* 1. *n.* 9. at Lugus *de pœnit. disp.* 27. *sect.* 8. *n.* 131. dicit, hanc Indulgentiam esse valde dubiam, quia re vera illa est alia Ecclesia, non solum physice, sed moraliter, quæ indiget nova consecratione; aliter dicendum esset, si non tota simul, sed per partes destrueretur, nam tunc prior Ecclesia non desiit esse, sed semper moraliter eadem perseveravit. Idem dicendum, quando Ecclesia destructa in alium locum sub eodem titulo, & Patrono transfertur ædificanda, si ratione situs, & loci fuit Indulgentia concessa, quia Privilegium est veluti accidens morale, quod subjecto adhæret, eoque destructo, desinit esse. Si autem non fuit concessa ratione loci, & situs, sed ratione Oppidi, Religionis, vel Patroni fuerunt privilegia tali Ecclesiæ concessa, tunc privilegia, & Indulgentiam transferri docent Bonacina *n.* 5. Suarez *disp.* 52. *sect.* 1. *n.* 9. *de Indulgent. l.* 8. *de legib. c.* 5. *in fine.* Sed de ea dubitat Lugus *loco cit.* contrarium fuisse decisum a S. Congreg. notat Diana *p.* 9. *tr.* 12. *resol.* 17.

98. *An vero Indulgentiæ concessæ alicui diei Festo transferantur, si dies festus transferatur?* Communis Sententia negat, quia ea concessione Pontificis sunt annexæ diei certo, & non possunt in alium diem transferri, nisi id permittatur in Bulla concessionis. Ita Facundez *præcept.* 1. *Eccles. l.* 1. *c.* 2. *n.* 10. & Azor. *t.* 2. *moral. instit. l.* 1. *c.* 28. *qu.* 8. Verum si Indulgentia non fuit alligata diei certo, sed concessa fuit visitantibus talem Ecclesiam in Festo talis Sancti, & contingat, festum illud transferri, probabile putat Franciscus Sylvius *in resol. variis* verb. *Indulgentia* 2. Indulgentiam quoque transferri; nam Indulgentia conceditur pro die Festo talis Sancti: dies autem Festus illius fit, quando ejus officium, & Festum celebratur; ex quo infertur, Festum Annuntiationis B. Mariæ Virginis, si veniat in hebdomada Sancta, quia transfertur simul cum officio, ac celebratur post Dominicam in Albis, Indulgentiam concessam tali festo lucrandam esse non die 25. Martii, sed ea die, quo post Pascha Festum illud celebratur. Idem probabile putat Diana *part.* 6. *tr.* 7. *resol.* 31.

99. Non cessat Indulgentia per renuntiationem, quia pendet a voluntate concedentis; unde potest quis renuntiare illius consecutionem, seu illam non assequi, non tamen potest tollere Indulgentiam, & renuntiare potestatem illam lucrandi. Nec etiam cessat, cessante caussa, propter quam fuit Indulgentia concessa, si ab initio fuit proportionata concessioni, quia duratio Indulgentiæ non dependet a duratione caussæ, sed potest Indulgentia perpetua concedi ob caussam temporalem; & patet a pari de dispensatione voti, & juramenti, quæ semper durat, quamvis cesset caussa, ob quam fuit dispensatio concessa, ut docent communiter Doctores in materia de Privilegiis, & de Dispensatione. Nec obstat, quod cessante caussa debeat cessare effectus, & sic cessante caussa concessionis, vel dispensationis, debet cessare concessio, vel dispensatio; nam hoc verum est ab initio concessionis, seu dispensationis, quæ nulla est, si nulla adest caussa sufficiens, & proportionata; secus postquam fuit gratia concessa, quæ amplius non pendet ab existentia, & duratione caussæ; & ita tenent Suarez *disp.* 57. *sect.* 2. *n.* 14. Palaus *punct.* 11. *n.* 4. & cum Reginaldo, & Nugno Bonac. *punct.* 8. *n.* 9.

Plura equidem, quamvis omnia quodammodo obiter, pari laude scripta semper invenies apud SS. D. N. Benedict. XIV. circa opera præsertim præstanda ad valida Indulgentias lucrandas; sed cum hæc se habeant quasi per modum unius, ita, ut in plures partes, & has omnes veluti minimas abstrahantur, at sua sua adnectentur, sicuti usque adhuc actum est, omnia hic in fine totius Tractatus ponenda eo sane modo, quo extant, optimum duxi, ubi quilibet, quid pro quacumque opus sit difficultate solvenda, & sapienter seligere, & securius percipere valeat. Primum quidem habitus fuit sermo in Dub. IV. Capitis hujus XX. de requisitis ex parte recipientis Indulgentias. Secundo ibi veluti necessariam conditionem innocentiæ, maxime a lethalibus, probavit noster hic Sapientissimus Auctor. Tertio, quo tempore, ut quis Indulgentiam lucretur, innocens esse debeat a culpa; & hoc eadem confirmatur a Sapientiss. nostro Pontifice in sua Instit. 7. Tom. 3. & efficaciori quadam ratione, ac eruditissime plane fundamentis probantur. Quarto agitur etiam in Dub. V. §. 47. utrum opera aliàs debita ex Lege vel Naturali, vel Divina, ex voto, aut præcepto Ecclesiæ, seu Confessarii sufficiant ad Indulgentiam lucrandam. Quinta in Dub. VI. quomodo sit necessaria Confessio, utrum scilicet ut opus præscriptum, vel ut opus præparatorium. Sexto in Dub. IX. quomodo Indulgentia applicari possit Defunctis: de quibus omni-

bus

bus pariter confirmationem nobis idem Sapientissimus Pontifex exhibet in alteris ex suis Institutionibus positis sub n. 13. Tomi 3. itidemque sub n. 15. Tomi 3. quæ omnia tibi, studiose Lector, hic ad litteram, & in unum redacta, ad quamcumque vitandam confusionem, quamlibentissime sic subjiciam. Et primum sit Institutio 7. To. 3. ex prælaudatis assertis, in qua sic legitur: Quamobrem illud primo affirmabimus, nihil ei prodesse Indulgentiam, qui lethalis culpæ vinculo teneatur, uti apud S. Thom. *in supplem. q. 27. art. 2.* Secundo inquirunt Theologi, quo tempore culpæ innocens, atque integer esse debeat, qui obtinere Indulgentiam exoptet?

„ Card. Bellarminus in *tom. 2. Controv. lib. 1. cap. 13.* asserit, eorum sententiam veritati magis consentaneam, qui fatentur Dei gratiam omnino requiri, cum fiunt præscripta opera; tunc vero certam illam esse omnino, cum id Pontifex decernit, quemadmodum cum hæc habentur: *pœnitentes, & confessi visitent Ecclesias, orent &c.* Tunc solum id necessarium non judicat, cum præscriptum opus, licet cum Dei gratia non conjungatur, propositam Indulgentiæ caussam magis adjuvet; velut si Indulgentia promulgata fuerit, ut Templum exstruatur, ut Egeni subleventur, ut pro recuperanda Terra Sancta pecunia, vel arma conferantur. Hoc etiam Beccanus *in Sum. Theol. Scholast. cap. 28. sub tit. de Sacramentis q. 6.* confirmat.

„ Alii tamen Dei gratiam cum præscriptis operibus haud necessario jungendam existimarunt, inter quos Dominicus Soto *in lib. 4. Sentent. dist. 21. q. 2. art. 3.* qui se docere id fatetur: *sub doctiorum censura*. Estius *in lib. 4. sentent. distinct. 20. §. 8.* magis libere docuit, nihil sane prodesse, si designata opera perficiant ii, qui lethalis culpæ amore tenentur; contra vero, qui illam detestari paratus sit, & in amicitiam Dei, omni labe expiata, redire, is utiliter in præscriptis operibus versatur, licet divina gratia præditus non sit, quæ tam necessario requiritur, cum Indulgentiam adipisci secum deliberat; quamvis etiam Pontifex criminum præviam Confessionem præcipiat, cum Indulgentiam, gerendaque opera promulgat: *Atque hinc est*, ait Sotus, *quod consueta Indulgentiarum forma non tantum requirit veram Pœnitentiam, seu Contritionem; verum etiam Confessionem; non quod conditiones requisitæ impleri non possint, nisi ab iis, qui, prævia Confessione, fuerint a peccatis absoluti, sed quia ipsam Indulgentiam non consequuntur, nisi in gratia existentes.*

„ Eamdem rem fusius Suarez *to. 4. in part. 3. Divi Thomæ disp. 52. sect. 5.* exponit, probatque ad comparandam Indulgentiam non omnino necessarium esse, ut simul cum Dei gratia præcepta pia opera suscipiantur; etenim licet ipsam vitam æternam non mereantur; animas tamen ad eam præparant. Tunc solum Dei gratiam requiri censet, cum eamdem Indulgentiam consequi statuimus: insuper, licet Pontifices Sacramentum Pœnitentiæ, & Eucharistiam percipiendam proponant, ac postremo aliquod Templum invisendum, hanc rem non adeo judicandam arbitratur, ut crimina omnino confiteri, & ad Sacram Eucharistiam accedere necessario Pontifices jubeant, antequam Templum visitemus, sed hoc ultimum proponi posse, atque ita re ipsa fieri omnia, quæ a Pontificibus indicuntur, & quæ necessaria sunt ad consequendam Indulgentiam, nempe caussam aliquam, quæ ad honorem Dei pertineat, legitimam auctoritatem illius, qui Indulgentiam concedit, & divinæ gratiæ conditionem pro illo, qui eamdem Indulgentiam assequi contendit, uti S. Th. *quodlibet 2. art. 16.* docuit.

„ Reliqui Doctores, qui post Suarez de his rebus scripserunt, ejus opinionem secuti sunt, quam Nos etiam hoc tempore ob hanc caussam amplectimur &c.

„ *In Institutione vero 13. Tomi 3. quæ incipit:* Summus Pontifex &c. *hæc leguntur* ..... Verum de injunctis piis operibus sermonem habeamus. Licet post acceptam etiam immunitatem a quadragesimali abstinentia huic Civitati, ac Diœcesi per Summum Pontificem hoc anno concessam singulis Feriis sextis, ac Sabbatis jejunium servandum sit, nec esus carnium, nec ova permittantur, idque in majori pariter hebdomada præcipiatur; tamen si jejunium fiat, in Civitate quidem Feria quarta, sexta, ac Sabbato quartæ hebdomadæ, vel hebdomadæ Passionis, in Diœcesi autem Feria quarta, sexta, ac Sabbato ejusdem hebdomadæ Passionis, aut majoris hebdomadæ, idem jejunium pro lucranda Indulgentia satis esse declaramus, licet iidem dies, uti dictum est, jejunio obligentur propter eam immunitatem, quæ alibi commemorata est.

„ Id vero de Eleemosyna statuere non possumus, quæ Indulgentiæ caussa necessaria est. Nemo enim potest illam subrogare, quam ter in hebdomada impendere solet, si carnibus vesci per Quadragesimam juxta Pontificis facultatem cupiat. Alia pro Indulgentia præcipitur, alia vero pro eadem immunitate obtinenda. Idem de præcepto Paschalis Communionis decernendum est, quod a Dominica Palmarum, ad Dominicam in Albis circumscribitur. Nemo sane putet in Diœcesi, ubi pro comparanda Indulgentia hebdomadæ Passionis, ac Palmarum propositæ sunt, eadem Paschali Communione utrique mandato satisfacere. Siquidem cum diversa illa sint, semel pro acquirenda Indulgentia, atque iterum Paschalis præcepti gratia Divina Eucharistia percipienda est. Immo, qui post Paschalem Communionem, & Confessionem lethalem culpam admiserit, ad Pœnitentiæ Sacramentum rursus accedere debet, cum Indulgentiam adipisci deliberat.

Hæc profecto communi Theologorum doctrina confirmantur. Primo enim disputant, an opera, quæ alioquin debita sunt, ad parandam Indulgentiam satis habeantur? Secundo, an peccatorum Confessio, tamquam præscriptum opus necessaria sit, vel tantum requiratur, ut animi ad gratiam, atque Indulgentiam accipiendam præparentur, adeoque sufficere possit eorumdem dolor, & contritio; vel, si quis culpæ lethalis innocens sit, an absque Sacramento Pœnitentiæ Indulgentiam consequatur? Primam quæstionem ita dirimunt; rem totam ex voluntate Concedentis Indulgentiam pendere, qui largiri illam potest opera indicens, quæ ob aliam caussam persolvi debent. In altera vero quæstione asserunt, verba sedulo examinanda, quibus Indulgentia promulgatur; peccatorum tamen Confessionem illi omnino necessariam existimant, licet non præcipiatur, qui lethalem culpam contraxerit; nam Indulgentia pro idoneis tantum conceditur, qua conditione illi carent, qui Sacramento Pœnitentiæ lethalia crimina non expurgaverint; quemadmodum, qui gravi labe inquinatur ad Eucharistiam licite accedere non potest, licet dolorem, etiam perfectum, de patratis criminibus animo concipiat, sed ipsorum Confessio necessaria est, uti Passerinus ex Ordine S. Dominici *in tr. de Indulg. q. 48. per tot. & q. 41.* & P. Viva Soc. Jesu *in tr. de Jubil. q. 8. art. 1. & 3.* præstantes Theologi fuse demonstrant.

Nos quidem ex allata Nobis Indulgentia clare cognovimus, a Summo Pontifice probari jejunium Romæ Feriis quarta, & sexta, ac Sabbato, licet ratione Quadragesimæ persolvendum illud sit, non tamen ex eadem Indulgentia, quam Pontifex jubet evulgari in hac Civitate, ac Diœcesi quantocius fieri potest, aliquid deprehendimus, ex quo judicari queat inter opera præscripta Communionis, & Eleemosynæ, Paschalem etiam Communionem, eamque contineri posse Eleemosynam, quæ in Egenos eroganda est illis, ut facultate comedendi carnes in Quadragesima gaudere possint. Ob hanc caussam superius affirmavimus, jejunium quidem Quadragesimæ, etiam pro Indulgentia satis esse; Eleemosynam vero pro Indulgentia, & pro immunitate Quadragesimæ simul obtinenda; Communionem quoque pro eadem Indulgentia, & pro Paschali etiam præcepto sufficere nullo modo posse. Illud pariter asserimus, illi necessariam omnino esse criminum Confessionem, qui Indulgentiam expetat, & post Confessionem in Paschate peractam gravi iterum culpa teneatur. Accedit ex verbis Pontificis Indulgentiam elargientis, haud constare utrum Confessionem solum exquirat pro disponendis ad Dei gratiam animis, an vero illam tamquam opus necessarium præscribat. Quare gravissimi Scriptores hortantur ad Confessionem peragendam pro Indulgentia, quamvis nullum lethale crimen admissum fuerit, tunc levia peccata Sacerdoti exponenda, vel etiam lethalia, quæ jam Pœnitentiæ Sacramento deterfa fuerint. Hæc habet Bellarminus *de Indulg. lib. 1. c. 13. q. 3. controv. to. 2.* qui S. Antonini, Adriani, Card. Cajetani, & Navarri auctoritate utitur: hæc etiam feliciter explicat P. Constantini *in Theoric. & Praxi Jubil. part. 2. cap. 5. quæst. 3.*

Hæc de injunctis operibus monenda putavimus. Nunc superest, ut Populo Nobis commisso in memoriam adducamus Pœnitentiæ Sacramento crimina quidem, pœnasque æternas condonari, sed luendas adhuc temporalias plerumque superesse. Quare cum perpauci suis criminibus satisfacere piis operibus contendant, clementissimus Redemptor Noster ob singularem in Nos caritatem hominum calamitati prospexit, & opulentissimum in Ecclesia thesaurum suorum meritorum reliquit, quæ per mortem, cruciatusque suos congessit; præclara etiam merita B. Mariæ Virginis, Sanctorum Apostolorum, Martyrum, aliorumque Cælitum Ecclesiæ largitus est, quibus divitiis spiritualibus distribuendis Apostolorum Principem S. Petrum, Romanosque Pontifices in ejus locum sufficiendos præposuit; illos enim sui Vicarios in terris constituit, & claves Regni Cælorum, plenamque ligandi, atque solvendi potestatem iisdem concessit.

Id Clemens VI. his verbis aperte declaravit in Decret. *Unigenitus*, inter Extravag. Commun. *de Pœnit. & Remiss. quem quidem Thesaurum non in sudario repositum, non in agro absconditum*, (de merito Passionis Christi Domini infinito res agitur) *sed per Beatum Petrum Cœli clavigerum, ejusque Successores suos in terris Vicarios commisit Fidelibus salubriter dispensandum &c. ad cujus quidem Thesauri cumulum Beatæ Dei Genitricis, & omnium Electorum a primo Justo usque ad ultimum merita adminiculum præstare noscuntur.*

tur. Insuper S. Thomas, & S. Bonaventura, sapientia, ac sanctitate clarissimi, licet in variis opinionibus dissimiles, eamdem rem confirmarunt centum annis, priusquam Clem. VI. suam Decretalem conficeret, quod Cardinalis Pallavicinus *in Hist. Concil. Trident. l. 2. c. 5. n. 8.* & Doctor Estius *in lib. 4. sentent. dist. 20. §. 4. & 5.* sapienter advertunt.

„ Hac divina facultate prædicti Pontifices hunc Thesaurum sæpius recludunt, & legitimis adducti caussis, variis temporibus nunc limitatam, nunc plenissimam pœnarum omnium remissionem impertiunt, quas vel in hac vita, vel in Purgatorio ob scelera nostra luere debemus. Olim non adeo liberales Pontifices extiterunt, uti Sanctus Thomas *in 4. dist. 20. q. 1. art. 3. quæst. 2. ad 4.* testatur, qui tradit, Indulgentiam quinque annorum tribui illis consuevisse, qui trans Mare positi ad invisenda Sanctorum Petri, & Pauli Templa Romam se conferebant, trium annorum Indulgentiam illis, qui ob eamdem caussam ultra Montes degentes ad Urbem profecti essent; unius vero anni Indulgentiam iis, qui ex vicinioribus Provinciis hoc iter susciperent. Cum tamen hoc tempore ob gravissimas rationes pœnæ a Canonibus præscriptæ rursus induci nequeant, ut ex Card. Pallavicino in sua allata *Hist. lib. 24. c. 12. num. 6.* majori liberalitate Pontifices utuntur, ut Fideles impensius ad Deum confugiant, cum necessitas postulat, ut cultus Deo præstetur, & animarum saluti facilius provideatur: *Respondemus* (ait Bellarm. *in tr. de Indulg. l. 1. c. 12. in to. 2. suarum Contr.*) *Thesaurum meritorum Christi, & Sanctorum esse veram caussam, cur Indulgentiæ concedi possint; sed præter istam caussam requiri aliam, quæ moveat ad dispensandum Thesaurum hoc tempore potius, quam alio, & nunc magis, nunc minus liberaliter; non enim debent Pontifices relaxare pœnitentialem satisfactionem, neque recurrere ad Thesaurum, nisi quando judicant id esse necessarium, & utile ad gloriam Dei, & animarum salutem.*

„ Hujus liberalitatis caussas expendere prætermittimus, atque utrum æqualitas quædam inter opus injunctum, & Indulgentiam intercedat: *Observandum est* (prosequitur Bellarminus) *justam quidem semper caussam requiri, sed non esse subditorum judicare, utrum caussa sit justa, vel injusta; debent enim simpliciter existimare, justam esse.* Ad Nos pertinet summas Deo gratias exsolvere, qui his temporibus versamur, quibus hic cælestis Thesaurus frequenter, ac liberalissime patet. Ad Nos etiam spectat, omnem curam impendere, ut his spiritualibus divitiis cumulentur, ea diligenter, fructuoseque opera perficientes, quæ decernuntur, quæ si negligenter suscepta fuerint, Thesaurum Indulgentiæ nequidquam expetimus. S. Pontifex Gregorius VII. *in suo lib. 1. epist.* Remigio Episcopo plenariam Indulgentiam largitus fuit: *Absolutionem peccatorum tuorum, sicut rogasti, auctoritate Principis Apostolorum fulti, tibi mittere dignum duximus, si tamen, bonis operibus inhærendo, commissos excessus plangendo, quantum valueris, corporis tui habitaculum Deo mundum templum exhibueris.* Card. autem Baron. ad an. Christi 1073. *num. 71.* postquam eam sententiam exposuit; *ut appareat*, inquit, *Sedis Apostolicæ Indulgentias illis communicari, qui, quantum suppetunt vires, bene operari non prætermittunt, non autem ignavis, otiosis, ac negligentia torpescentibus.* Card. Cajetanus *in tract. 10. de suscipient. Indulg. q. 1.* ad obtinendam Indulgentiam censuit, non modo præscriptis operibus satisfaciendum, sed etiam necessario deliberandum salutari pœnitentia criminum labes peculiariter expiare; id qui facere contemnat, cum possit, nullum ex Indulgentia fructum percipere. Cardinalem Cajetanum Navarrus *in tract. de Jubil. & Indulg. notab. 21.* quoque sequitur; licet alii plures eam sententiam nequaquam probent; & Nos ipsi, quibus opinionum novitas displicet, illam pariter omittamus. Nullum quippe Diploma Pontificium pro concedendis Indulgentiis umquam vidimus, in quo ea singularis conditio præferatur. Singulis tamen Card. Bellarmini *loco allato cap. 12.* doctrinam proponendam ducimus: *Accipiant prudentes Christiani Pontificias Indulgentias, ut simul etiam studeant dignos pœnitentiæ fructus facere.* Illam Cardin. Pallavicinus *in eod. cap. 12.* cum de usu Indulgentiarum sermonem habet, his verbis explanat: *Neque sane Fideles Indulgentiarum caussa negligentes fiunt, ut pro expurgandis criminibus alia pietatis opera Deo minime persolvant. Cum enim ancipites fiant, utrum reipsa Indulgentiam sibi meruerint, stimulo quodam incitantur, ut pro cælesti hoc Thesauro tutius comparando varias salutaris pœnitentiæ rationes aggrediantur; ex alia parte injuncta pietatis opera, si fiant, studium religionis adaugent, & quamdam facilitatem inducunt, ut alia similia suscipiantur, quod ferme quotidiana experientia comprobatur &c.*

„ *Reliquum est, ut de modo aliquid agatur, quo Indulgentia potest applicari Defunctis, quod leviter, ac quodammodo obiter attingit idem Sapientissimus Pontifex in Institut. 15. Tom. 3. hisce verbis:* Certum, & commune est apud Theologos Indulgentias Defunctis prodesse, non tamquam ex potestate judiciaria, uti contingit, cum Indulgentiæ degentibus adhuc inter Vivos conceduntur, sed modo tantum suffragii, quemadmodum Gabriel Biel *de Canon. Missæ lect. 57.* fuse demonstrat. Hoc fundamento innititur Summus Pontifex, cum privilegiatas Aras declarat, ac pro Missæ celebratione, quæ in illis indicitur, ad expiandam Defuncti alicujus animam, Thesauri Ecclesiastici eam partem attribuit *per modum suffragii*, quæ satis est, ut eadem anima, si Deo placitum sic fuerit, e Purgatorii cruciatibus eripiatur, uti Gregorius XIII. explicat, cum privilegiatum Altare Metropolitanæ nostræ S. Petri largitus est: *eam a pœnis Purgatorii, quantum Divinæ Bonitati placuerit, per modum suffragii liberare possit &c.* „.

CAPUT XXI.

De Jubilæo.

Quid sit Jubilæum, & quomodo accipiatur?

DUBIUM I.

Jubilæum ex propria significatione denotat Annum remissionis, qui apud Hebræos erat Quinquagesimus, in quo agrorum cura cessabat, servi donabantur libertate, relaxabantur delicta, & omnes possessiones venditæ ad antiquos possessores revertebantur absque ulla solutione, & exules in Patriam, & pristinam libertatem redibant, ut habetur Levit. 25. & 27. Hinc translatum est hoc Nomen ad significandam remissionem, & Indulgentiarum largitionem, quæ omnibus Christifidelibus Romæ visitantibus limina Apostolorum Petri, & Pauli, & alias Ecclesias designatas, conceditur, Anno Sancto, ut facile possint a servitute peccatorum, & Dæmonis captivitate se liberare, & alia privilegia consequi, quæ tali tempore conceduntur.

2. Usum Jubilæi esse antiquissimum, & fere ab Apostolorum tempore deductum, ex Henriq. *l. de Indulg. c. 15. n. 6.* & Navar. *notab. 6. n. 1.* colligit Palaus *punct. 12. n. 2.* olim erat Annus centesimus, ut habetur in extrav. *Antiquorum* Bonifacii VIII. *de pœnit. & remiss.* quem Annum ad quinquagesimum reduxit Clemens VI. in Extrav. *Unigenitus, eod. tit.* & Paulus II. illum reduxit ad annum vigesimum quintum, quem secutus est Sixtus IV. in Extr. *Quemadmodum, de pœnit. & remiss.* & sic reliqui Pontifices confirmarunt, & quolibet vigesimo quinto anno illum concesserunt; incipit autem dictus Annus Jubilæi in Vigilia Nativitatis Domini in primis Vesperis, usque ad Vigiliam sequentis anni, & in eisdem Vesperis Festi, cum hoc tamen discrimine, quod Vesperæ in principio dicti anni dicuntur post apertionem portæ, in qua incipit dictus annus, & in fine anni Vesperæ dicuntur antequam porta claudatur, & sic durat usque ad finem Vesperarum, & inde differendo Communionem, Confessionem usque ad sequentem diem Nativitatis Domini non lucratur amplius Jubilæum.

3. Suspenduntur Anno Sancto omnes Indulgentiæ, & indulta absolvendi a casibus reservatis, ut fideles ex hac occasione non retrahantur a peregrinatione ad Urbem facienda, ut declarat Innocentius XII. In Constitutione, quam edidit pro Anno Sancto 1700. incipit: *Cum nos nuper*, his verbis: *Cupientes, ut Christianæ Nationes ex omnibus terrarum Orbis locis in Alma Urbe nostra in Fidei, ac Religionis unitate congregatæ, eodem pietatis, ac devotionis spiritu Basilicas prædictas, quo maximo fieri poterit concursu, durante eodem Jubilæo visitent, & frequentent, multorum Romanorum Pontificum Prædecessorum nostrorum exemplo adducti, omnes, & singulas Indulgentias, etiam perpetuas, & peccatorum remissiones, ac facultates, & indulta absolvendi, etiam a casibus Sedi Apostolicæ reservatis, etiam in litteris die Cœnæ Domini legi solitis contentis &c. ---- Suspendimus, & suspensas esse declaramus, easque, & ea, eodem Anno durante, nulli prodesse, aut suffragari debere;* præcipitque, ne interim aliæ Indulgentiæ publicentur, aut in usum demandentur sub pœna excommunicationis ipso facto incurrenda *non obstantibus &c.*

4. Ex quibus verbis aperte colligitur, suspensas esse dicto tempore omnes, & singulas Indulgentias sive plenarias, sive non plenarias, in perpetuum, sive ad tempus quicumque Personæ, Universitatibus, Ecclesiis, Monasteriis, Conventibus &c. sive etiam Coronis, Granis, Imaginibus, & Numismatibus quomodolibet concessas. Non suspenduntur Indulgentiæ plenariæ Ecclesiarum Urbis, quamvis de illis mentionem non faciat Pontifex, nec exceptionem, quia de illis non militat eadem ratio suspensionis, ut cum Filliucio docet Bossius 3. *discep. mor.* nec impediunt peregrinationem ad Urbem. Nec etiam suspenduntur Indulgentiæ Altaris privilegiati, & aliæ pro Defunctis, quia istæ non sunt contra finem suspensionis, & ad tollendum omne dubium, non esse suspensas, ex ordine Sanctissimi declaravit Eminentiss. Card. de Carpineo Sanctitatis suæ Vicarius die

24. Ja-

24. Januarii Anno 1700. qui die 6. Martii declaravit in suo robore, & vigore remanere Indulgentias, quas concedere solent Cardinales Legati, Nuntii Apostolici, & Episcopi in usu Pontificalium, aut dum benedicunt Populo, non obstante generali suspensione Indulgentiarum.

5. *An vero Anno Sancto sint suspensæ Indulgentiæ Ecclesiæ Sanctæ Mariæ Lauretanæ?*

Resp. affirmative, quia in præsenti Bulla non excipiuntur, & sic remanent suspensæ. Secus tamen dicendum de Indulgentia plenaria concessa Ecclesiæ Sanctæ Mariæ Angelorum in Festo Portiunculæ die 2. Augusti, quia illa fuit concessa a Christo, ut declaravit Benedictus XII. in sua Bulla, & refert Rodriquez *t.2. qq. Regul. q.96. art.6.* hic autem suspenduntur Indulgentiæ concessæ per Summos Pontifices tantum; remanet tamen suspensa pro eodem die Indulgentia extensa per Romanos Pontifices ad alias Ecclesias Ordinis Minorum, seu Sancti Francisci, quia non est immediate a Christo, sed a Pontifice.

6. Quæres: *An sint suspensæ Indulgentiæ concessæ pro articulo mortis?*

Resp. Affirmative, quia in hac Bulla suspenduntur omnes, & singulæ Indulgentiæ, & sic remanent suspensæ concessæ pro articulo mortis, maxime quia de illis militat ratio nostræ Bullæ; si enim non essent suspensæ, homines facile retraherentur a peregrinatione Romana, ut patet consideranti, & cum Layman, & Navar. docet Bossius *discept.3. moral dub.3.*

7. Suspenduntur etiam Indulta, & facultates absolvendi a casibus reservatis, etiam in Bulla Cœnæ Domini contentis; non autem est ablata facultas commutandi vota, de quibus non loquitur Bulla; nec omnis facultas absolvendi a reservatis, sed illa tantum facultas absolvendi a reservatis remanet suspensa, quæ fuit concessa ad Indulgentias consequendas, non illa, quæ ex alio privilegio fuit obtenta, ut cum Filliucio, & Layman docet Bossius *sup. dub. 12.* Unde non est suspensum privilegium Regularium absolvendi a casibus Papalibus, exceptis contentis in Bulla Cœnæ, quia non est concessum intuitu Indulgentiæ consequendæ; nec facultas circa occulta Papalia Episcopis a Trident. in cap. *Liceat*: quia non competit Episcopis in ordine ad Indulgentiam, sed ratione jurisdictionis ordinariæ; multo minus remanet sublata facultas competens cuilibet Sacerdoti absolvendi in articulo, vel periculo mortis constitutos ab omnibus peccatis, & censuris tum Episcopalibus, tum Papalibus, ut notat *ibidem* Bossius.

8. Qui præstant opera præscripta pro consecutione Jubilæi, consequuntur Indulgentiam plenariam omnium peccatorum cum potestate sibi eligendi Confessarium ex approbatis, ut absolvatur a reservatis, & commutentur ipsius vota, si quæ habet: quæ privilegia concedi etiam solent in Jubilæo, quod per duas hebdomadas aliquando conceditur a Summis Pontificibus ad excitandam fidelium devotionem, maxime in publicis necessitatibus, ut oratio totius Ecclesiæ unitæ in pœnitentia, & jejunio, facilius impetret a divina Misericordia earum remedium.

DUBIUM II.

De Operibus exequendis pro consecutione Jubilæi.

9. AD consequendum Jubilæum Romanum in Anno Sancto necesse est visitare quatuor Ecclesias, scilicet Ecclesiam S. Joannis in Laterano, S. Petri in Vaticano, S. Pauli in via Hostiensi, & Sanctæ Mariæ Majoris per dies triginta continuos, aut interpollatos, si Romani, vel Incolæ Urbis fuerint; si autem Peregrini, & Externi per quindecim saltem dies. Quinam autem dicatur Incola, Peregrinus, & Externus ad effectum visitandi triginta, vel quindecim diebus Ecclesias, fuse explicat Bossius *sect.4. casu 13.* & visitandæ sunt omnes quatuor singulis diebus, & non duæ uno die, & duæ alio, computando duos dies pro uno; possunt tamen visitari interpollate partim ante prandium, & partim post prandium, nec possunt anticipate visitari, scilicet uno die sex vicibus, & altero die tantum duabus, ut docet Bossius *sect.4. de Jubilæo casu 8.*

10. Secundo requiritur oratio facta in hujusmodi Ecclesiis pro Fidelium, & totius Populi Christiani salute, pro pace Ecclesiæ, ac pro aliis rebus juxta Pontificis intentionem; & sufficit oratio, etiam mentalis, ut dictum est *c. præced. dub.8.* Tertio requiritur, quod lucraturus sit vere pœnitens, & confessus, & sufficit esse in gratia in ultima visitatione, in qua est recipiendus effectus Indulgentiæ, juxta doctrinam traditam *sup. dub.4.* Ingredi per Portas Sanctas, quamvis sit pium, & sanctissimum, non est tamen necessarium ad consecutionem Jubilæi, nec visitatio septem Altarium, sed sufficit tantum orare ante Altare Majus, ut ex Benzonio, & Polacchio docet Bossius *sect.4. casu 1.* Ingredi, & egredi per Portas Sanctas in peccato mortali, nullum est peccatum, secluso contemptu, ut docet Filliuc. ex Navar. *tr.8. c.10. n.260.* Communio non est per se necessaria ad lucrandum Jubilæum Anni Sancti, quia regulariter non præscribitur; vult enim Pontifex, quod omnes illud lucrari possint, etiam qui nondum communicant.

11. Ad lucrandum Jubilæum extraordinarium, quod per duas hebdomadas concedi solet, sex opera sunt necessaria, & communiter injuncta; scilicet Visitatio unius, vel plurium Ecclesiarum, Oratio, Jejunium, Eleemosyna, Confessio, & Communio, ut constat ex Bullis Summorum Pontificum Jubilæum concedentium: interesse Processionibus non est per se necessarium, quia Pontifex regulariter id non præcipit, sed tantum invitat; quod inducit solum consilium, non præceptum: sub mortali vero tenentur Episcopi, & locorum Ordinarii indicere, & celebrare sollemnem Processionem, quæ in Jubilæo extraordinario regulariter præcipitur, aliquando etiam in virtute Sanctæ Obedientiæ, ut constat ex tenore Bullarum.

12. Quomodo Ecclesia sit visitanda, Oratio facienda, Eleemosyna, & Jejunium præstandum, & quatenus necessaria sit Confessio Sacramentalis, dictum est supra *c. præcedenti.* Si quis ob infirmitatem, vel professionem, vel aliam caussam, non possit prædicta præstare, conceditur facultas Confessori omnia, & singula in opus pium, prout sibi visum fuerit, commutandi, vel in aliud tempus transferendi: & eidem Confessori electo ex approbatis ab Ordinario delegatur facultas absolvendi ab omnibus censuris a jure, vel ab homine in foro conscientiæ, & ab omnibus peccatis quantumvis gravibus, etiam contentis in Bulla Cœnæ, nisi aliqua excipiantur, & datur facultas commutandi quælibet vota, excepto voto Castitatis, & Religionis.

13. Operum executio potest incipi statim ac promulgatum est Jubilæum, etiam in ipsa prima Dominica, & sic tres dies Dominici sibi possunt inservire pro Jubilæo, quod durat per duas hebdomadas, seu per quindecim dies; nam Dominica dies intermedia non solum est principium sequentis hebdomadæ, sed finis præcedentis, & sic tres Dominicæ in prædicto spatio continentur, ut cum Henriq. *lib.7. c.10. n.8.* Benzon. *lib.4. c.2.* Layman *tr.7. c.8. n.7. dub.2.* notat Palaus *punct.12. §.3. n.2.* Visitatio Ecclesiæ, Eleemosyna, & Communio fieri potest quacumque die ejusdem hebdomadæ, in qua lucraturus es Jubilæum, nec est necesse Communionem præmittere, sed potest postponi reliquis operibus, aut præmitti, prout magis placuerit; melius tamen esset postponere, ut omnia opera injuncta ad Sacram Communionem disponant, & illa suscepta, securius Indulgentia obtineatur. Jejunium necessario præstari debet Feria quarta, sexta, & Sabbato, prout in Bulla præscribitur, nec potest anticipari, aut tardari. Bossius *casu 8.*

14. Nemo potest pro altero, sive vivo, sive defuncto lucrari Jubilæum, seu Indulgentiam, applicando illi ejus effectum, nisi id a Pontifice in concessione Indulgentiæ, seu Jubilæi exprimatur, ut cum D. Thoma, Navarro, Homobono, & aliis docet Bossius *casu 8. n. 20.* Ex quo infertur, Indulgentiam Jubilæi, tam Anni Sancti, quam extraordinarii, non posse obtineri pro Defunctis, quia regulariter id non exprimitur in Bulla.

15. Quæres: *An omnia opera præstari debeant in eadem hebdomada, & in eodem loco, vel præstari possint partim in prima hebdomada, & partim in secunda?* Affirmant, opera dividi posse, & fieri partim in prima hebdomada, & partim in secunda, Bonacina *punct.5. n.24.* Layman *lib.5. tr.7. c.8. n.9.* Molfesius *in sum. tr.7. c.16. n.49. & 50.* Diana *part.3. tr.4. resol.153. & p.5. tr.12. resol.24.* Palaus *pu. 12. §.3. n.19.* sequitur Bossius *sect.4. casu 5.* Ratio est, quia verba Bullæ satis impleri videntur, si opera partim in prima, & partim in secunda hebdomada præstentur. Est enim verum dicere, in una ex duabus hebdomadis fieri, quamvis non omnia in eadem exequantur, dummodo fiant intra quindecim dies: & hæc interpretatio, cum sit favorabilis, nec minuat Dei cultum, & consecutionem Jubilæi juvare possit, præsumendum est, illam esse conformem menti Pontificis.

16. At probabilius est, omnia opera præstanda esse intra eamdem hebdomadam, nec posse dividi, & præstari partim in prima, & partim in secunda, quia sic colligitur ex verbis ipsius Bullæ, *alterius ex duabus hebdomadis*, ut bene probat Lugus *disp.27. n.105.* & talis est praxis, & communis sensus Fidelium. Ita Zerula, Henriquez, Ugolinus, Lavorius, Graffius, Nugnus, & Reginaldus allati a Bossio *loco cit.* Sequitur Leander *disp.14. q.87.* & hanc tutiorem, securiorem, & consulendam in praxi dicunt etiam Auctores primæ Sententiæ.

17. In duobus casibus poterunt opera dividi: primo, quando Confessio fuit incœpta in prima hebdomada, sed ex caussa rationabili non potuit compleri, prout docent Molfesius supra *n.43.* Henr. *lib.7. de Indulg. c.11. num.7.* & Graffius *c.5. n.21.* secundo, quando ex ignorantia, oblivione, aut rationabili, & necessaria caussa quis non præstitit opera omnia in prima hebdomada, illa perficere poterit in sequenti, & lucrari Jubilæum, & Indulgentiam, idque ex Epicheja, & benigna interpretatione mentis Pontificis, prout ex communi Sententia docet Bossius.

18. Qui autem post publicatum Jubilæum in Patria sua designatas Ecclesias visitavit, si inde discedat, prosequi poterit reliqua opera extra Diœcesim, & lucrari Jubilæum, quia favor Jubilæi est personalis, & ideo, visitatis Ecclesiis, poterit alibi jejunare, facere eleemosynam, confiteri, & communicare, & ubique poterit Confessarium eligere ex privilegio Papæ, ab eoque absolvi a reservatis, dummodo sit

juxta

juxta Bullam approbatus. Ita Palaus *n.21.* Bonacina *pu.5. in fine.* Diana *p.5.tr.12.resol.53.* Lugus *loco cit.n.124.* Bossius *sect.4.casu 4.* qui tamen dicit, quod securius esset omnia peragere in eodem loco.

DUBIUM III.

An, qui lucratus est Jubilæum in prima hebdomada, possit iterum in secunda lucrari, & a casibus reservatis absolvi?

19. Plures affirmant, quia beneficium, & privilegium Principis nemini præjudiciale, latissime est interpretandum in favorem privilegiati, quantum verba patiuntur: at verba, quibus Pontifex concedit Jubilæum, non restringunt privilegium ad unicum actum, nec dicunt, quod semel tantum, & una vice tantum possit consequi Indulgentia, sed concedunt Indulgentiam illis, qui opera præscripta in una ex duabus hebdomadis fecerint, quæ verificantur, repetitis operibus, in secunda hebdomada; nam verum est dicere, te illa facere in una ex duabus hebdomadibus, & inde poteris iterum absolvi a reservatis, si forte nova commisisti post obtentum Jubilæum in prima hebdomada, & votorum commutationem obtinere, si nova fecisti, repetitis tamen operibus. Nec obstat declaratio Sac. Congregationis in contrarium adducta, quia de illa non constat authentice, ut dicit Diana *p.5. tr.12. resol.28.* & ita tenent Navarrus *de Indulgent. not.32.n.46. & not.34.n.7.* Benzonius, Zerula; Henriquez, Vega, Graffius, Pharao, Naldus, Floronus, & alii, quos affert Bossius *sect.1. casu 40. num.8.* eamque probabiliorem dicit *n.13.* attentis rationibus, & Doctorum auctoritatibus, & præscindit a declaratione Sacræ Congregationis, si forte existit.

20. Sed oppositum mihi probabilius est, quia verba Bullæ satis aperte indicant, mentem Pontificis esse, ut semel tantum obtineatur; non enim Pontifex concedendo Indulgentiam dicit, illam posse obtineri in utraque hebdomada ab illis, qui in utraque opera fecerint, sed disjunctive ab illo, qui in una, vel altera ex duabus hebdomadibus illa præstiterit, quo dicendi modo satis indicat, in una tantum hebdomada posse obtineri: duplicem assignat, ut, si non es dispositus in prima, possis te disponere, & Indulgentiam consequi in secunda hebdomada, non vero ut in utraque obtineas, ut etiam demonstrant verba sequentia, *hac vice tantum*; & ita respondisse Clementem VIII. & declarasse Sac. Congregationem Concilii mense Maji an.1620.testatur Filliuc. *tr.8. c.10. de Jubil. q.7.* Ita etiam tenent Suarez *tom.4. in 3. p. disp.57.sect.1.n.7. & tom.2. de Relig.lib.6.c.16.n.17.* Sanchez *in sum. lib.4.c.54.n.30.* Layman *lib.5.tract.7. c.8. n.8.* Bonacina *disp.5. q.7.pu.5.§.2. n.17.* Lugus *disp.27. n.122.* Palaus *pu.12.§3.n.4.* & alios referens Leander *disp.14.q.88.*

21. Palaus, quamvis admittat Indulgentiam semel tantum obtineri posse, adhuc tamen affirmat *n.6.* semel absolutum a reservatis, si nova committat, posse iterum in secunda hebdomada, vi ejusdem Jubilæi, de novo absolvi, quia facultas absolvendi, & commutandi vota durat toto tempore Jubilæi, quamvis occasione Indulgentiæ concedatur. Contra tamen est, quia facultas absolvendi a reservatis, & commutandi vota, ex communi Sententia Doctorum, tenore Bullæ, conceditur solum in ordine ad consequendum Jubilæum; quare vel concedendum est, bis posse obtineri Jubilæum, repetitis operibus injunctis; vel semel absolutum, non posse iterum absolvi a reservatis, si post semel obtentum Jubilæum nova committat.

22. Quæres: *An qui lucratus est Jubilæum in uno loco, possit iterum lucrari in alio loco? An qui lucratus est Jubilæum Bononiæ, si pergat Venetias, ubi Jubilæum celebratur, possit denuo illud lucrari, a peccatis reservatis absolvi, & commutationem votorum obtinere?* Retenta probabiliori Sententia dicente, Jubilæum non posse bis obtineri, dicendum est: pergentem Venetias post obtentum Bononiæ Jubilæum, non posse iterum illud consequi Venetiis, quia est idem Jubilæum, quod non potest bis lucrari, prout respondit Clemens VIII. qui de hoc casu interrogatus dixit: semel tantum posse sumi Jubilæum, tam in Anno Sancto, quam in aliis, quæ extra Urbem Romæ conceduntur, teste Filliucius *to.1. tr.8. c.10. n.278.* secus dicendum, si Bononiæ noluisset illud lucrari, nam optime posset tunc Venetiis illud consequi.

23. In alia Sententia admittente, Jubilæum posse bis obtineri in prima, & secunda hebdomada, repetitis operibus injunctis, facilius concedi potest, illud posse obtineri in duplici loco, & ita respondissent Doctores pro tali Sententia citati, si de hoc casu fuissent interrogati, & expresse tenent Alphonsus de Leone *p.2.q.17.n.197.* & Julius Lavorius *de Jubil.p.1.c.21.n.66.* quibus adhæret Bossius *sect.1. casu 41.* quando Bononiæ consecutus Jubilæum perrexit Venetias negotiorum caussa, vel alio legitimo, & rationabili titulo; secus si perrexit ex condicto, & dolo, nulla interveniente legitima caussa, nisi ut absolvatur a reservatis, & votorum commutationem obtineat.

24. Hic notare libet, valorem Indulgentiæ non pendere ab opinione probabili Doctorum, sed a veritate, qua non existente, non obtinetur Indulgentia. Cum autem in hac materia dantur opiniones contrariæ, aliis negantibus, & aliis affirmantibus, in tali, vel tali casu, tali, vel tali modo acquiri Jubilæum, si quis affirmativam sententiam probabilem, vel etiam probabiliorem sequi vellet, quæ a parte rei non esset vera, non lucraretur Indulgentiam, quia non præstaret opus præscriptum a Pontifice; nec error communis supplet defectum, cum non agatur de bono publico, ratione cujus debeat rationabiliter præsumi, Pontificem consentire, & supplere defectum, sicut supplet jurisdictionem, quando intervenit error communis cum titulo colorato, aut probabilis opinio, ut cum Graffio, Sanchez, Suarez, Lessio, & aliis docet Bonacina *pu.5. n.27.* sequitur Bossius *sect.4.casu 8.n.5.* remaneret tamen absolutus a casibus reservatis, & censuris, eo quod probabilis opinio, licet non conferat Indulgentiam, confert tamen jurisdictionem, & etiam valide commutarentur vota ob jurisdictionem, quam in tali casu supplet Papa, & Ecclesia.

25. His non obstantibus, sequentem opinionem probabilem, non solum manere absolutum a reservatis, sed etiam Indulgentiam lucrari, docet Leander *disp.14. q.164.* quia cum circa materiam, & opera Jubilæi adsint hinc inde variæ, & permultæ Doctorum opiniones, quas sequuntur lucrantes, vix essent, qui Indulgentiam obtinerent. Secundo, quia si opinio probabilis est sufficiens ad hoc, ut censeatur, Papam tribuere jurisdictionem Sacerdoti, ut a reservatis absolvat pœnitentem, cur eadem opinio probabilis non erit etiam sufficiens ad hoc, ut credatur, Pontificem de facto Indulgentiam Jubilæi concedere illi, qui secundum dictam opinionem opera Jubilæi exequitur? hoc enim de benignitate Sedis Apostolicæ certo credendum videtur. Ita Leander, asserens ita sentire quosdam Doctores Modernos de hac re a se consultos, sequitur Diana *p.10. tr.11. resol.34.* retractans opinionem, quam docuerat *p.5.tr.12.resol.32.* & affert pro se Patrem Martinum de S. Joseph, & Paulum Mariam Quarti.

DUBIUM IV.

An, qui fuit absolutus a reservatis, & obtinuit commutationem Votorum intuitu Jubilæi, peccet si postea opera non exequatur, & reincidat?

26. Certum est, absolutionem a peccatis, & censuris reservatis, & commutationem votorum concedi posse, antequam opera in Bulla præscripta præstentur, aut inchoentur, dummodo intentionem habeas illa præstandi, & lucrandi Jubilæum, ut cum Suarez, Sanchez, & Sanctarello docet Bossius *sect.1.casu 31.n.6.* quia in Bulla Jubilæi nullus præscribitur ordo, ut absolutio reservatorum, & commutatio votorum reservetur in fine, vel postquam fuerint opera inchoata; & Bulla, cum sit favorabilis, debet late interpretari, & non restringi post inchoata opera. Requiritur tamen, quod ab initio intentionem habeas opera præstandi, quia absolutio, & commutatio conceduntur intuitu Jubilæi consequendi, tamquam dispositiones, & præparationes ad illum, quæ proinde cessare debent, quando nulla adest intentio consequendi Jubilæum.

27. Difficultas est: *An ille, qui habens intentionem lucrandi Jubilæum, illius intuitu fuit absolutus a casibus, & censuris reservatis, & obtinuit commutationem, reincidat in easdem censuras, & reservationem, & reviviscant vota commutata, vel saltem peccet mortaliter, si postea opera non exequatur, nec Jubilæum consequatur?* Affirmant nonnulli, quia talis absolutio tacitam quamdam habet conditionem: *si postea Jubilæum obtineatur*, qua non adimpleta conditione, redit reservatio, & reviviscunt vota; vel quia absolutio, si fuit absoluta independens a futuro eventu, videtur data ad reincidentiam, & sic reincidit in pristinam excommunicationem; vel quia pœnitens voluntarie, & culpabiliter omittens necessaria ad Jubilæum consequendum, merito videtur dignus, qui privetur privilegio concesso ad finem Jubilæi. Sic Angles, Ugolin. & Akerius relati a Bossio *sect.1. casu 31.n.2.*

28. Alii plures, negantes redire reservationem, affirmant, ipsum peccare lethaliter, si opera non adimpleat, nec lucrari Jubilæum, quia videtur defraudare intentionem concedentis illam facultatem absolvendi a reservatis, & commutandi vota, cum sit concessa in ordine ad illum finem obtinendi Jubilæum, & quia facit contra virtuale pactum perficiendi reliqua opera, inclusum in ipsa facultate concessa, & in ipsa actione absolvendi a reservatis, & commutandi vota. Sic Suarez *lib.6. de voto cap.16. n.11. & de pœnit. disp.31.sect.4.n.52.* Vasquez *de pœnit. q.31. art.3. dub.6. n.7. ad finem*, Filliucius *tom.2. tr.26. c.10. nu.301.* Rodriquez *in sum. tom.2. voti dispensatio n.52.*

29. Verum dicendum est, pœnitentem voluntarie omittentem opera necessaria pro consecutione Jubilæi, remanere absolutum, & non reincidere in pristinas censuras reservatas, nec redire reservationem semel ablatam; & quidem quod non redeant peccata semel remissa, mihi certum est, quia absolutio a peccatis non datur, nec dari potest conditionate cum dependentia a futuro eventu, sed absolute, ut proinde peccata semel remissa non amplius redeant; censuræ autem, quamvis possint redire, quando absolutio datur ad reincidentiam; de facto tamen in Jubilæo absolutio a cen-

censuris non datur ad reincidentiam, nec dari potest, nisi in casibus expressis in c. *Eos qui, de sent. excommunicat. in 6.* vel quando a Superiore conceditur facultas sub tali conditione, qualiter non est concessa in Jubilæo; adeoque absolutio semel legitime data, & commutatio semel legitime facta, semper remanet valida, nec ullo modo redit reservatio, seu censura. Sic Corduba *in sum. qu.* 21. Sanchez *de Matrim. lib.8. disp.* 15.*n.*22. *& in sum. lib.*4. *c.* 54.*n.*54. Bonac. *disp.*5. *de Sacram. q.*7. *pu.*5. §.5.*n.*26. Castro Palaus *pu.*12. §.3. *n.*11. Leander *disp.* 14. *q.* 165. Graffius, Zerula, Suarez, Sanctarellus, Filliucius, & alii, quos affert, & sequitur Bossius *sect.*1. *casu* 31. *num.* 4.

30. Nec dicas, si tempore absolutionis pœnitens non habuisset intentionem lucrandi Jubilæum, non fuisset valide absolutus; ergo si postea, mutata voluntate, opera non exequatur, debet redire excommunicatio per reincidentiam. Contra enim, dato antecedente, negatur consequentia; nam, deficiente ab initio intentione lucrandi Jubilæum, deficit aliquid essentialiter requisitum ad valorem absolutionis, & sic nihil mirum, si absolutio non fuit valida: at in casu nostro nihil deficit, & proinde absolutio suum sortitur effectum, cum non dependeat a futuro eventu, ut supra dictum est. Addit Bossius, quod licet in Bulla dicatur, quod excommunicatus ob non solutionem decimarum, vel ob aliud debitum, si non potest commode solvere, absolvatur cum reincidentia, non reincidit, nisi quoad forum exterius, durante impotentia.

31. Dico ulterius, non peccare lethaliter illum, qui fuit absolutus a peccatis, & censuris reservatis, & obtinuit commutationem votorum, ob intentionem, quam habebat, lucrandi Jubilæum, si postea negligat opera præstare, & illud non lucratur. Ratio est, quia obligatio gravis præstandi opera Jubilæi non oritur ex aliqua promissione pœnitentis, qui nihil promisit, nec ex præcepto Confessarii, qui talem obligationem non imposuit, nec ex natura Jubilæi, quod talem obligationem non petit, nec ex mente Pontificis, de qua non constat; ergo nullum est fundamentum afferendi talem obligationem, quæ inducat peccatum lethale. Nec ex natura rei videtur includi pactum, sed sufficit propositum bona fide illud lucrandi, quamvis postea non lucretur, sicut sufficit propositum abstinendi a peccatis pro absolutione obtinenda, etiam a reservatis. Conf. quia in dubio obligationis melior est conditio possidentis suam libertatem, ut constat de voto, & juramento. Sic tenent Henriquez *lib.6. de pœnitent. c.*16. *n.* 6. Sanchez *lib.* 1. *de matrim. disp.* 43. *n.*9. *& lib.*8. *disp.* 15. *n.*24. *& in sum. lib.*4. *c.*54. *n.*54. Bonac. *punct.*5. §.5. *nu.*17. Leander *q.* 166. Bossius *sect.* 1. *casu* 33. qui tamen *n.* 5. bene ait, esse culpam venialem, & in suo genere gravem, quia adest aliqua inordinatio, dum quis usus est privilegio, & postea non vult perficere opera, ad quæ privilegium fuit concessum.

DUBIUM V.

An, transacto tempore Jubilæi, possit adhuc quis absolvi a Reservatis?

32. DUbitatur primo de illo, qui confessus est tempore Jubilæi, & inculpabiliter est oblitus alicujus peccati reservati: *an remaneat liber a reservatione, & possit postea per quemcumque Confessarium absolvi?* & responsio communis est affirmativa, quia Confessarius electus, vigore Jubilæi, habet facultatem a Papa super omnes casus reservatos, a quibus omnibus expresse, aut virtualiter intendit absolvere quantum potest; cum autem tollere possit reservationem peccatorum oblitorum, quæ indirecte absolvuntur, illam tollit, & sublata remanet, ut cum Bossio *sect.*1. *casu* 29. tenent Doctores communiter, Sylvester, Angles, Graffius, Suarez, Sanchez, Coriolanus, Bonac. Floronus, & alii.

33. Dices: hoc esse verum, quando Confessio fuit facta Superiori habenti facultatem ordinariam absolvendi a casibus reservatis, non vero quando fuit facta Confessario habenti facultatem solum delegatam, cujusmodi est illa, quæ conceditur in Jubilæo, quia ille, non iste potest tollere reservationem extra Confessionem, & facultatem tribuere pœnitenti, ut ab altero absolvatur. Sed contra dico, reservationem tolli non solum quando Confessio facta est Ordinario, sed etiam quando facta est Delegato, quia Delegatus accipit facultatem a Superiore absolvendi, sicut exigit dispositio, & intentio pœnitentis, & quantum potest ipse Superior, cum vices suas illi committat; ac proinde sicut Ordinarius potest tollere reservationem, ita etiam potest hoc idem Delegatus; ablato autem impedimento reservationis, peccatum remanet sub communi jurisdictione, & potest a quolibet Confessario absolvi, ut docet Bossius supra *nu.* 5. Nota tamen, censuras differre a peccatis, quod censuræ oblitæ tollantur directe; unde non sunt amplius necessario confitendæ, quando veniunt in memoriam; peccata vero oblita tollantur indirecte, & sic debet illa pœnitens confiteri, quando illorum recordatur, ut absolvatur directe.

34. Hoc idem dicendum est de illo, qui Confessionem fecit animo lucrandi Jubilæum, si postea, mutata voluntate, Jubilæum non acquirat, nec præstat opera necessaria; remanere scilicet liberum non solum a peccatis, & censuris in illa Confessione expositis, ut dictum est dubio præcedenti, sed etiam remanere liberum a reservatione peccatorum, si quæ forte fuerunt invincibiliter oblita, propter eamdem rationem superius allatam, quia Confessarius, vigore Jubilæi electus, intendit absolvere quantum potest, & quantum pœnitens indiget; cum ergo a peccatis oblitis possit tollere reservationem, dicendum est, illam tollere, ut docent Henriq. *lib.*7. *c.*11. *n.*3. *&* 4. Sanch. *in sum. lib.*4. *c.*54. *&* 45. Coriolan. *de casib. reserv. p.*1. *sect.* 3. *cap.* 17. & alii communiter.

35. Dubitatur 2. de illo, qui habebat animum lucrandi Jubilæum, sed fecit Confessionem voluntarie nullam, ex defectu integritatis, vel doloris: *an remaneat absolutus a censuris, & casibus reservatis, etiamsi postea non lucretur Jubilæum?* Plures affirmant, quia Confessarius electus habet amplam facultatem absolvendi, tollendi reservationem, quæ est independens a validitate absolutionis, & commutandi vota; sed non placet, quia non habens voluntatem acquirendi Jubilæum, non potest absolvi a reservatis, nec obtinere commutationem votorum, ut omnes facile concedunt: at qui facit Confessionem voluntarie nullam, non potest habere veram, & seriam voluntatem recipiendi Jubilæum, quod necessario requirit Confessionem Sacramentalem; ergo non potest esse liber a reservatis, nec obtinere favores concessos obtinentibus Jubilæum, ut docent Suarez *de pœnit. disp.* 31. *n.*22. *&* 24. Filliuc. *tr.* 8. *c.*6. *nu.* 149. Layman *lib.*5. *tr.*7. *c.*8. *n.*9. Lavorius *de Jubil.* 1. *part. c.* 14. *n.*93. *& part.* 2. *c.*28. *n.*68. & alii relati a Bossio *sect.*1. *casu* 34.

36. Quod si defectus nullitatis non proveniat ex parte pœnitentis, sed ex parte Confessarii, qui non habuit intentionem requisitam, vel caruit approbatione Episcopi, juxta tenorem Jubilæi, & pœnitens bona fide accessit invincibiliter ignorans defectum Confessarii, & intra tempus Jubilæi præstitit opera requisita in statu gratiæ; tunc valde probabile est, ipsum acquisivisse Indulgentiam, & Jubilæum; nam ex dictis c. præcedenti *dub.*6. *n.*59. quando alicui est physice, vel moraliter impossibilis actualis Confessio, illi sufficit Contritio, seu Confessio in voto; in nostro casu pœnitenti fuit impossibilis Confessio Sacramentalis; ergo si habuit Contritionem, potuit acquirere Indulgentiam Jubilæi, & inde acquisivit jus, ut possit, detecto errore, absolvi a quocumque Confessore exposito, & obtinere commutationem votorum; nam Jubilæum semel obtentum debito tempore, præstitis operibus requisitis, dat jus omni tempore eligendi Confessarium pro reservatis, ut tradit Bossius *casu* 35.

37. Quod si supponas, hunc pœnitentem non habuisse in Confessione facta actum veræ Contritionis, nec fuisse consecutum Jubilæum, adhuc poterit, detecto errore, illud consequi, præstando opera necessaria, & absolvi a reservatis, eo modo, quo possunt facere illi, qui tempore duarum hebdomadarum fuerunt navigatione, itinere, ægritudine, seu aliter legitime impediti, aut illi, qui nullam unquam Jubilæi notitiam habuerunt, nisi transacto tempore Jubilæi, & duarum hebdomadarum.

38. Dubitatur 3. de illo, qui tempore Jubilæi, præstitis aliis operibus necessariis, non fuit confessus, quia putabat nullum habere peccatum mortale: *an si post Jubilæum recordetur alicujus peccati mortalis, possit absolvi a quocumque Confessario approbato?*

Resp. affirmative, quia licet ille, qui nullam præmisit Confessionem, nec directe, nec indirecte fuerit absolutus a reservatis, tamen cum sit consecutus Jubilæum, acquisivit jus, ut possit absolvi a quibuscumque peccatis commissis ante consecutionem Jubilæi, & in illo oblitis, & ut possint illi commutari vota emissa ante Jubilæum, non vero ab illis, quæ emisit post Jubilæum, nec absolvi a peccatis post Jubilæum commissis, bene tamen ab illis commissis, & oblitis ante Jubilæum, ut cum aliis docet Bossius *casu* 30. licet enim alia opera in Bulla præscripta sint alligata tempori, non tamen absolutio a reservatis, ut patet ex contextu Bullæ. Leander *disp.* 14. *q.* 98. & apud ipsum Sanchez, Henriq. Sayrus, Lessius, Diana, & alii.

39. Dubitatur 4. de illo, qui ultimo die, puta Sabbato secundæ hebdomadæ, quando non est amplius tempus præstandi opera injuncta: *an possit absolvi a reservatis, & acquirere Jubilæum?*

Resp. affirmative, quia tunc poterit Confessarius Jejunia commutare in Eleemosynam, & visitationem Ecclesiarum in aliud opus, quod statim fieri possit, quando non adest tempus visitandi Ecclesiam; nam facultas commutandi opera Jubilæi se extendit ad opera omissa non solum titulo ægritudinis, impotentiæ, aut alterius legitimæ caussæ, ut concedunt Doctores communiter, sed etiam ad opera commissa ex malitia, ut cum Filliucio *to.*1. *tr.*8. *n.* 268. *&* 272. Polacho, Sanctarello, & Diana, docet Leander *disp.*14. *q.*94. addens *q.*95. posse etiam quandoque commutari a Confessario Confessionem, & Communionem in alia opera pia.

40. Sed verius est, Confessionem non posse commutari, quia nulla adest legitima causa illam commutandi, ut docet Bossius *sect.* 4. *casu* 7. inde si pœnitens non sit dispositus pro recipienda tunc absolutione, quia forte est in occasione proxima peccandi, vel quia ob temporis angustiam, & casus intricatos, quos habet, non potest illum integre audire, poterit ipsi differri absolutio, & consecutio Jubilæi; Bulla enim Jubilæi regulariter concedit facultatem Confessario

latio prorogandi consecutionem Jubilæi in tempus proximum, non solum carceratis, & infirmis, sed etiam aliis quocumque impedimento detentis, ut cum Filliucio, & aliis docet Bossius *sect. 1. casu 38. & 39.*

DUBIUM VI.

An absolutio a Censuris reservatis, & permutatio Votorum fieri possit a Confessario extra Sacramentum Pœnitentiæ?

41. QUando in Bulla concessionis conceditur absoluta facultas absolvendi a casibus, & censuris reservatis, & commutandi vota sine aliqua restrictione, sine additione, & sine clausola: *audita prius illius Sacramentali Confessione*, seu *in foro pœnitentiæ*, omnes facile concedunt, & absolutionem a censuris in utroque foro dari posse, & commutationem votorum fieri extra Sacramentum Pœnitentiæ, quia absolutio a censuris, & commutatio votorum non pendet ab absolutione peccatorum, & bene possunt absolvi, ac tolli censuræ independentes a peccatis; & cum privilegium Principis sit latissime interpretandum, sequitur, tempore Jubilæi absolutionem a censuris, & commutationem votorum fieri posse extra Sacramentum Pœnitentiæ. At quia in Bulla concessionis, seu privilegii regulariter ponitur una ex illis clausulis, *saltem æquivalenter*, ut quando Pontifex concedit facultatem *eligendi Confessarium ex approbatis ab Ordinario, qui eum absolvat ab omnibus censuris, & peccatis, &c.* tunc difficultas est: *an absolutio a censuris, & commutatio votorum fieri possit extra Sacramentum Pœnitentiæ?*

42. Negant plures, quia ex clausulis appositis clare constat, absolutionem, & commutationem faciendam esse in actu Sacramentalis Confessionis; traditur enim in Bulla, seu alio privilegio, facultas absolvendi a reservatis, & commutandi vota non absoluta, sed cum hac limitatione, scilicet, *auditis Confessionibus*; ablativus autem absolutus conditionem importat, *l. a Testatore ff. de condit. & demonstrat.* Conditiones autem observari debent in specifica forma: & quia clausula absoluta, & conditionalis posita in aliqua dispositione, sive ponatur in principio, sive in medio, sive in fine, refertur ad omnia contenta in illa dispositione, ut observant Doctores in c. *Secundo requiris, de appellat.* & ita clausula illa, *audita Confessione*, posita in Jubilæo, seu alio privilegio, censenda est referri ad omnia in illo contenta, id est tam ad absolutionem a censuris, & commutationem votorum, quam ad absolutionem a peccatis.

43. Conf. quia cum in Bulla, seu privilegio concedatur facultas absolvendi, seu commutandi soli Confessario approbato ab Ordinario, videtur concessa duntaxat in Sacramentali Confessione, & in foro pœnitentiæ, in quo solu est Judex, & Confessor is, qui commutat, seu absolvit a censuris reservatis; & ita tenent Navar. *in man. c. 25. num. 31.* Covar. in c. *Alma Mater 1. p. §. 11. n. 16.* Corduba *in sum. q. 19. & q. 152.* Suarez *de Censuris disp. 8. sect. 5. n. 36.* & *t. 2. de relig. l. 6. c. 16. n. 4.* Beja *part. 2. suorum Resp. casu 9.* Duardus *in Bullam Cœnæ l. 3. §. 2. q. 1. n. 40.* Vega *in sum. part. 1. c. 19. casu 49. circa finem*, & alii plures, qui absolute dicunt, quotiescumque datur facultas per Jubilæa, Bullam Cruciatæ, seu alia privilegia absolvendi a censuris reservatis, absolutionem hanc esse impendendam in Sacramento Confessionis.

44. Verum probabilius existimo, absolutionem a censuris reservatis, & commutationem operum, & votorum, fieri posse extra Sacramentum Pœnitentiæ, non obstante illa clausula, *audita ipsius Confessione*, quæ solum debet referri ad absolutionem a peccatis, ad quam certo requiritur, quod fuerit præmissa Confessio, non vero refertur ad absolutionem a censuris, & commutationem votorum, ad quam non est per se, & necessario requisita Confessio, nec censendus est Pontifex, per illum ablativum absolutum, seu illam clausulam in principio, seu in fine positam, velle limitare totum privilegium, sed singula singulis sunt referenda, ac proinde illa clausula referenda est ad absolutionem a peccatis, quæ vel immediate sequitur, vel immediate antecedit clausulam, non vero ad alia. Clausula posita in aliqua dispositione refertur ad omnia contenta in tali dispositione, si in omnibus sit eadem ratio; secus vero, si ratio sit diversa, ut, multis citatis, tradit Menochius *de præsumpt. l. 4. præsumpt. 181. n. 2.* nam tunc afficit solum dispositionem sibi immediate: in nostro casu non est eadem ratio, quia absolutio a censuris non est necessario Sacramentalis, qualis necessario est absolutio a peccatis, ad quam referri debet illa clausula.

45. Per hoc, quod Pontifex concedat facultatem absolvendi, & commutandi soli Confessario approbato ab Ordinario, non sequitur, utramque absolutionem, peccatorum scilicet, & censurarum, debere necessario tradi simul in Confessione, sed solum, quod ille, qui debet absolvere vigore Jubilæi, Bullæ Cruciatæ, seu alterius privilegii, debeat esse necessario Confessarius approbatus ab Ordinario, non ut absolvat ab illis in actu exercito Confessionis, sed ut habeat illam qualitatem, ne eligatur Sacerdos ignarus, & indoctus, qui nequeat discernere, an hic, & nunc pœnitens sit absolvendus; an debeat satisfacere parti; quænam satisfactio sit præstanda, & similia, ut tradit Leander *tract. de excom. disp. 17. q. 100. & de pœnit. disp. 14. q. 97.* Sanch. *in sum. l. 4. c. 54. n. 16.* dicens, Confessorem, virtute Jubilæi, posse commutare vota extra Confessionem, & *l. 8. de matrim. disp. 34. n. 30.* hoc idem asserit, loquens de clausulis dispensationum, quæ in foro conscientiæ circa matrimonii impedimenta expediuntur in Sacra Pœnitentiaria Romana. Henriquez *l. 7. c. 13. n. 2.* affirmans de praxi, Castro Palaus *de Jubilæo pu. 12. §. 3. n. 14.* Avila *de Censur. p. 2. c. 7. disp. 3. dub. 13.* Vega *in sum. t. 1. c. 6. nu. 3.* Hurtadus *disp. 15. de excom. diff. 5. n. 18.* Præpositus *in 3. p. q. 3. de censur. in com. dub. 14. n. 105.* ubi ait, hanc Sententiam esse veram, etiamsi in Bulla, seu privilegiis dicatur absolutionem esse dandam in foro conscientiæ, vel in foro pœnitentiæ, aut dicatur, eorum Confessionibus diligenter auditis; & hanc sententiam sæpius se consuluisse, & practicasse asserit Diana *p. 1. tr. 11. resol. 25.* idemque tenet *p. 3. tr. 2. resol. 20. part. 4. tr. 4. resol. 8. & p. 5. tr. 9. resol. 13.* Bossius *sect. 1. casu 23. & sect. 2. casu 38.* ubi dicit primam sententiam tutiorem, & hanc secundam valde probabilem, & ita plures Confessarios doctos, & timoratæ conscientiæ servare in praxi.

46. Hinc sequitur, commutationem operum, scilicet Jejunii, Visitationis Ecclesiæ, Eleemosynæ, vel Communionis, quæ nequeunt a pœnitente adimpleri, posse fieri extra Confessionem; & ita tamquam certum, & de praxi testatur Bossius *sect. 2. casu 38. n. 5.* Addit Leander *disp. 14. de Indulgent. q. 96.* hanc votorum, & operum commutationem tempore Jubilæi, non esse necessario faciendam a Confessario electo pro Confessione, sed posse fieri a quolibet alio Confessario, ac proinde lucraturum Jubilæum, optime posse petere commutationem votorum, & dictorum operum ab uno Confessario, & postea confiteri cum alio; cum enim hæc commutatio non sit necessario facienda in actu Sacramentalis Confessionis, nihil obstat, quominus fieri possit a quocumque Confessario approbato. Ita etiam Sanchez *l. 4. sum. c. 54. n. 17.* Lavorius *de Jubilæo p. 1. c. 25. n. 37.* Diana *p. 5. tr. 12. resol. 50.* Henriq. Lugus, & alii relati a Leandro.

DUBIUM VII.

An possit absolvi, qui spe futuri Jubilæi commisit peccata reservata?

47. NEgant aliqui, posse absolvi peccantem sub spe futuri Jubilæi, quia ad illa peccata non extenditur facultas concessa a Papa; siquidem præsumi non debet, Pontificem velle malitiam, & peccatum fovere, foveret autem, si talem concederet facultatem; & quia privilegium meretur amittere, qui spe privilegii, & immunitatis peccat, ut generaliter probat Covar. 2. *Variar. c. 20. n. 11.* & pro hac sententia plures refert Henriq. *l. 7. de Indulg. c. 9. in comment. lit. N.*

48. Verum censeo, virtute Jubilæi, seu alterius facultatis concessæ sine limitatione, posse absolvi sic delinquentem. Ratio est, quia facultas concessa in Jubilæo est generalis, indeterminata, & indistincta, se extendens ad quodlibet peccatum, & sic non debet restringi solum ad illa, quæ non sunt facta ob confidentiam Jubilæi, seu talis licentiæ: nec sequitur, Pontificem concedentem facultatem fovere malitiam, & peccatum, sicut illam non fovet Christus Dominus, qui Sacramentum Pœnitentiæ instituendo, dedit amplam facultatem absolvendi ab omnibus peccatis. Abusus facultatis tribuendus est malitiæ peccantis, non Principi facultatem concedenti. Meretur privilegium amittere, qui sub spe illius peccat, non tamen eo ipso illud amittit, nisi hoc in tali privilegio exprimatur; & ita tenent Sylvester, Navar. Grassius, Rodriq. Henriq. Homobonus, Suarez, Sanchez, & alii communiter, quos affert, & sequitur Bossius *sect. 1. casu 13.* & *sect. 2. casu 35.* cum aliis, asserens, tempore Jubilæi posse commutari vota facta intuitu obtinendæ commutationis virtute Jubilæi: sequitur Leander *disp. 11. de pœnit. q. 48.* & *disp. 14. q. 150.* & Castro Palaus *p. 12. §. 3. n. 16.*

49. Quæres: *An, durante tempore Jubilæi, possit quis pluries absolvi a reservatis?* Certum mihi est, posse absolvi pluries ante consecutionem Jubilæi, seu ante executionem omnium operum, quia conceditur facultas indefinita, quæ durat quousque sis consecutus Jubilæum; unde si intra hebdomadam fuisti absolutus a reservatis, & iterum nova committas ante finem hebdomadæ, poteris iterum absolvi, quia nondum consecutus es Jubilæum: at post obtentum Jubilæum, qui iterum incidit in reservata, si non repetat opera, non potest vi illius Jubilæi iterum absolvi, quamvis tota prima hebdomada, aut secunda non sit elapsa; ut si ex facultate Confessarii una die explevisset opera præscripta, quia finis concessionis est in ordine ad Jubilæum consequendum, quo semel obtento, cessat concessio, ut docet Lugus *disp. 20. n. 140.* quem sequitur Leander *disp. 12. q. 53.* & cum Sanchez, & aliis tenet Bossius *sect. 1. casu 15.*

50. Qui consecutus est Jubilæum in prima hebdomada, & fuit a casibus reservatis absolutus, & obtinuit commutationem votorum, si incidat iterum in reservata, poterit, repetitis operibus in secunda hebdomada, iterum acquirere Jubilæum, & iterum absolvi a reservatis, juxta probabi-

babilem multorum sententiam, quam attulimus *supra dub.* 3. licet probabilius sit, iterum non posse absolvi, nec iterum consequi Jubilæum jam semel obtentum in prima hebdomada, ut ibidem diximus.

DUBIUM VIII.

An valida sit absolutio ab Excommunicatione, aliisque Censuris data, non satisfacta Parte?

51. SÆpe solet in Privilegio, & Bulla Jubilæi concedi facultas absolvendi ab excommunicatione, & aliis censuris cum illa clausula, *satisfacta parte*, & tunc nomine *partis* non venit Ecclesia, nec Superior Prælatus, qui censuram, & excommunicationem tulit, prout docent Soto *in 4. dist. 22. q. 2. ar. 3.* Henriq. *l. 3. sum. c. 28. §. 2.* Suarez *disp. 7. sect. 5. n. 47.* Bonacina *de censur. disp. 1. q. 3. punct. 9.* sed persona distincta, quæ fuit læsa per delictum, propter quod fuit lata censura; nam offensio Prælati, seu Ecclesiæ generalis est in omni censura, sicut etiam cautio parendi Ecclesiæ generaliter requiritur in omni censura; per illam autem clausulam *satisfacta parte*, aliquod speciale proponitur observandum, ut bene notat Bossius *de Jubilæo sect. 1. casu 21. n. 1.* deinde, quia injuria facta Ecclesiæ per inobedientiam, & contumaciam compensatur per pœnitentiam, & obedientiam Rei, vel per promissionem, aut juramentum de parendo mandato Superioris. Nec etiam nomine partis venit Judex, cui ipso jure applicatur pœna pecuniaria, sed tertia persona distincta, ac proinde poterit absolvi pœnitens antequam solvat jura Judici, vel Tabellioni, ad quæ solvenda compelli potest in foro exteriori, ut cum Soto, Gutierez. & Alterio docet Bossius *loc. cit. n. 6.*

52. Nomine satisfactionis in præsenti intelligitur restitutio honoris, famæ, aut aliorum bonorum, juxta ea, quæ habet Concil. Trident. *sess. 25. c. 12. de reform.* ubi loquens de illis, qui decimas dare nolunt, aut dantes impediunt, ait, excommunicandos esse, neque ab hoc crimine, nisi plena restitutione, esse absolvendos. Inde si nulla pars sit læsa, nulla satisfactione erit opus, quia dicta clausula additur in Bulla solum, ut satisfactio præmittatur, quando est necessaria.

53. Quod si absolvendus sit impotens ad satisfaciendum, vel id facere non possit, nisi cum gravi, & notabili damno; tunc pro foro externo danda erit cautio sufficiens, scilicet pignoratoria, vel fidejussoria, quam si nec dare possit, sufficit juramentum de satisfaciendo ad primam opportunitatem, & in his casibus compellitur Judex, etiam invita parte, Reum absolvere, quod multo magis procedit in articulo mortis, ut ex communi Doctorum sententia tradit Bossius *n. 40.*

54. Pro foro conscientiæ, licet excommunicatus ad instantiam partis, & denuntiatus, non sit regulariter absolvendus, nec licite absolvi possit, excepto mortis articulo, invita parte, non præmissa satisfactione; si tamen constet, pœnitentem non posse realiter satisfacere, satis erit efficax propositum satisfaciendi, non solum quando excommunicatio est occulta, qualis esse potest excommunicatio generaliter lata pro aliquo furto, sed etiam quando fuit excommunicatus propter offensam publicam, & notoriam, quia in hoc foro creditur pœnitenti, nec jurisordo perturbatur, cum adhuc liberum sit Judici procedere in foro externo contra hunc sic absolutum; ut cum Navar. Laym. & aliis docet Bossius *n. 44.*

55. Difficultas igitur est, quando satisfactio est possibilis: *an tunc valida sit absolutio data, non præmissa reali satisfactione?* Certum est, illam non esse licitam, sed graviter peccare sic absolventem, quia fit injuria parti læsæ, & si absolvens est delegatus, excedit modum, & limitationem facultatis sibi concessæ cum clausula, *satisfacta parte*; quod verum putat Sayrus *lib. 2. Thesaur. cap. 20. n. 33.* etiamsi in Bulla, seu Privilegio nulla esset mentio satisfactionis faciendæ, quia subintelligitur, quando Reus potens est satisfacere. Adduat Henriquez, Avila, & Coninch relati a Bonacina *disp. 1. de censur. q. 3. p. 9.* sic absolventem teneri ex proprio satisfacere parti læsæ, si pœnitens ipse non satisfacit. *An vero valida sit absolutio taliter data?*

56. Prima sententia docet, nullam, & irritam esse absolutionem a censuris datam in Jubilæo, *non satisfacta parte*; ratio est, quia ille ablativus absolutus, *satisfacta prius parte*, habet vim conditionis, & formæ essentialis, ut proinde, illa non servata, seu satisfactione non præmissa, quando est possibilis, & commode exhiberi potest, irrita sit absolutio. Conf. ex Glossa *in Clem. 1. Verb. Inhibemus, de Jure patron.* quæ dicit, non valere actum ab eo, cui data est potestas faciendi illud, adjecta forma, si non servet illam, nec habeat aliunde potestatem, qua illum faciat, & sic Delegatus in Jubilæo ad absolvendum a censura, *satisfacta prius parte*, invalide absolvit, si, cum possit præmittere satisfactionem, illam pœnitens non præmittit. Ita tenent Soto, Navar. Suarez, Grat. Sayrus *l. 2. c. 2. n. 33.* & plures alii relati a Sanchez *l. 3. de matrim. disp. 33. num. 1.*

57. Secunda Sententia quæ est probabilior, asserit, validam esse etiam absolutionem, quamvis non præcesserit satisfactio, Ratio est, quia illa clausula, *satisfacta prius parte*, non apponitur tamquam conditio necessaria limitans jurisdictionem, sed tamquam admonitio quædam, ut scilicet inexpertus. Confessarius sciat quid agere debeat juxta præceptum, seu formam juris; nam in commissione, quando exprimitur forma juris communis eo modo, quo inest, non inducit novam formam, seu conditionem, sine qua non, sed est pura quædam admonitio facta Delegato, ut servet, quod in Jure præcipitur: qua prætermissa, actus non irritatur, si alias esset validus, quando in commissione illa forma non fuisset expressa, quia expressio ejus, quod tacite inest, nihil omnino operatur; cum ergo de Jure ordinario hæc forma sit servanda, ut ante absolutionem præmittatur satisfactio, sequitur, ut hujus formæ expressio nihil operetur, nec facultatem magis restringat, quam si non fuisset apposita; quod confirmat id, quod habet Innocent. in cap. *Prudentiam, de Offic. Deleg. n. 9.* ubi ait, commissione facta Judici, ut Titium condemnet, si Petrus probaverit debitum, seu si constiterit, illum Petro esse obligatum, validam esse sententiam Judicis condemnantis, etiam Petro non probante, eo quod hæc conditio ipso Jure insit. Similiter Innocent. in cap. fin. *de præsumpt. in principio* ait, si in delegatione dicatur: confero beneficium Petro, si fuerit idoneus, validam esse collationem, etiam non probata idoneitate, quia non exprimitur nova forma, quæ Jure communi non insit. Ita Sanchez *de Matrim. disp. 33. n. 3.* Joan. Valerus verb. *Absolutio differentia 5. num. 6.* Paulus Layman *lib. 1. tr. 5. part. 2. cap. 6. n. 7. vers. Quod si vero.* Avila *de Censur. part. 2. cap. 7. disp. 3. dub. 9. concl. 2.* Bonacina *de cens. disp. 1. q. 3. punct. 9. num. 3.* & probabilem dicit Bossius n. 78. quamvis primam dicat magis communem, tutiorem, & probabiliorem.

58. Quod quidem verum est, quando in delegatione, Bulla Jubilæi, vel alio Privilegio conceditur facultas absolvendi sine expressa limitatione; secus si ponatur expressa limitatio, irritans actum aliter factum; ut si adderetur, *absolutio sit nulla*, vel *non valeat*, aut *non possit absolvere, nisi satisfacta Parte*; nam tunc invalida est absolutio data ante realem satisfactionem, quando potest absque notabili incommodo satisfacere; nam jurisdictio delegata cum limitatione, & particula irritante, non extenditur ultra limites præscriptos, ut docent communiter Doctores.

59. Hinc facile respondetur ad rationem primæ Sententiæ: Ablativum absolutum importare conditionem, & formam faciendi aliquid licite, aut valide; in præsenti autem casu importaret tantum conditionem absolvendi licite, non vero absolvendi valide, nisi addatur particula irritans concepta per verba negativa, *non possit*, *non valeat*, ac proinde valida erit absolutio data, non satisfacta Parte, licet peccet pœnitentem absolvens, non præmissa reali satisfactione, quando illa commode fieri potest. Ad conf. sumptam ex Glossa dicendum est, facta per Delegatum contra formam esse irrita, & nulla, si delegatio fuit facta cum particula irritante, seu animo inducendi novam formam; secus si solum sit præscripta forma juris absque irritatione, & animo inducendi novam formam, ut diximus in probatione secundæ Sententiæ.

60. Absolutio ab excommunicatione data in articulo mortis semper valet, licet Confessarius ex negligentia, aut alia culpa, realem satisfactionem, aut cautionem omittat, ut cum Henriquez *lib. 7. cap. 13. §. 2. littera G*, & aliis, notat Bossius *sect. 1. casu 22. num. 81.*

61. Quæres 1. *An impotens satisfacere possit absolvi virtute Jubilæi, non obstante illa clausula*, satisfacta Parte, *cum clausula irritante, tam valide, tum licite?*

Resp. affirmative. Ratio est, quia verba Bullæ, & Privilegii sunt benigne interpretanda, ut nimirum non sit valida absolutio data ante realem satisfactionem, quando illa est possibilis; non enim credibile est, Summum Pontificem velle pœnitentem obligare ad impossibile, cum ad impossibile nullus teneatur. *L. impossibilium ff. de regul. juris.* Ita Suarez *de censur. disp. 7. sect. 5. n. 41.* Bonacina *de censur. disp. 1. quæst. 3. punct. 9. n. 4.* Sanchez *in sum. lib. 2. cap. 20. n. 19.* & alii satis communiter.

62. Conf. a pari; nam licet in motu proprio Clementis VIII. de largitione munerum Religiosis interdicta præcipiatur, ne recipientes munera ab ipsis absolvi possint, neque in foro conscientiæ, nisi prius restitutio realiter facta fuerit; & tamen Soria in illius expositione *num. 96.* asserit, reservationem hanc esse intelligendam, quoties moraliter possint restituere. Similiter in motu proprio Gregorii XIII. de datis, & acceptis pro justitia, & gratia a Sede Apostolica obtinenda, habetur, nullum esse admittendum ad gratiam absolutionis, nisi prius erogatum fuerit pauperibus, quantum illa dederit, vel acceperit; hoc tamen non obstante posse absolvi, qui per impotentiam excusatur a restitutione, docet Navarrus *in comment. illius n. 38.* ita etiam Trident. *sess. 25. c. 12. de reform.* statuit, detrahentes decimas esse excommunicandos, nec esse absolvendos, nisi plena restitutione secuta; & hoc esse intelligendum, quando restitutio est moraliter possibilis docent Navarrus *in sum. c. 17. n. 59.* Molina *de Justit. disp. 756. in fine.* Henriquez *lib. 13. de excomm. c. 18. n. 1.* & universaliter, quando Pontifex prohibet absolutionem dandam, si non fuit facta restitutio, hoc esse intelligendum de restitutione mo-

raliter

raliter possibili, docent communiter Doctores; ergo etiam dicendum est in casu nostro, valide, & licite absolvi posse, qui est impotens satisfacere, non obstante limitatione, & clausula irritante, cum non sit verosimile, Summum Pontificem voluisse apponere conditionem impossibilem; sic etiam docent Machado, Ægidius, Vasquez, Villalobos, Barbosa, Filliucius, Reginaldus, Lopez, Suarez, Diana, & alii, quos sequitur Leander *tract. 2. de excom. disp. 17. quæst. 92.*

63. Quæres 2. *An absolutus ob impotentiam cum sola promissione, seu proposito, reincidat in excommunicationem, si postea culpabiliter negligat satisfacere, quam cum potest?* Affirmant Homobonus 1. *part. exam. tract. 5. quæst. 38. versic. Illud insuper*, Gavantus *in Man. Episc.* verb. *Absolutio, num. 35.* Joan. Valerus verb. *absolutio, diff. 2, nu. 3. versic. Et licet.* Ob quosdam declarationes S. Pii V. & Gregorii XIII. propter quas Navarrus *Consil. 75. de Regular. dub. 12. num. 39.* existimat, absolutionem a censuris vi Jubilæi, absque prævia reali satisfactione, datam impotenti, valere solum pro momento, quo lucratur Indulgentiam, itaut statim idem absolutus reincidat quoad utrumque forum, & hoc ad evitandum præjudicium tertii, ne debitores fiant negligentiores, videntes se in foro conscientiæ absolutos.

64. Probabilius tamen est, absolutum ab excommunicatione virtute Jubilæi, aut alterius Bullæ, cum sola promissione ob impotentiam, non reincidere, si data possibilitate non restituat. Ratio est, quia censura ad reincidentiam non incurritur, nisi sit in jure, aut delegatione expressa. Declarationes S. Pii V. & Gregorii XIII. solum decernunt, dictam absolutionem non prodesse in foro externo, & contentioso, in quo sic absolutus est habendus tamquam excommunicatus. Non præjudicatur tertio, qui semper in dicto foro potest convenire debitorem, nec iste redditur nequior, cum non evitetur culpa mortalis, licet evitetur censura. Sic cum aliis tenet Bossius *casu 25. §. 7. n. 85.*

TRACTATUS OCTAVUS
DE SACRAMENTO
EXTREMÆ UNCTIONIS.

POST Pœnitentiam sequitur Extrema Unctio, quæ est quasi perfectio, & consummatio Pœnitentiæ; nam si Sacramentum Pœnitentiæ est institutum ad delenda peccata post Baptismum commissa: Extrema Unctio est instituta ad delendas reliquias peccatorum; & ideo, post considerationem Pœnitentiæ, congruum est explicare omnia, quæ spectant ad naturam, & institutionem hujus Sacramenti, quod præstant non solum Theologi communiter, sed etiam Tridentina Synodus, quæ explicationem hujus Sacramenti *sess. 14.* sic incipit: *Visum est Sanctæ Synodo præcedenti doctrinæ de Pœnitentia adjungere ea, quæ sequuntur de Sacramento Extremæ Unctionis, quod non modo Pœnitentiæ, sed & totius Christianæ vitæ, quæ perpetua pœnitentia esse debet, consummativum existimatum est a Patribus.*

CAPUT UNICUM.

De natura, caussis, & effectibus hujus Sacramenti.

DUBIUM I.

De Natura, & Institutione hujus Sacramenti.

SAcramentum Extremæ Unctionis sic dicitur, quia illius materia proxima, est Unctio facta Oleo benedicto; & dicitur *Extrema*, sive quia confertur post alia Sacramenta in extremo vitæ constitutis, vel quia est ultima omnium unctionum, quibus homo viator ungitur in Ecclesia; siquidem primo ungitur in Baptismo, deinde in Confirmatione, tertio in Ordine Sacerdotali, quarto, & ultimo in hoc Sacramento Extremæ Unctionis, ut cum Magistro, & Soto notat Bonacina *in principio primæ quæstionis*. Illud autem esse verum, & proprium Sacramentum, negant Hæretici, vocante potius figmentum, ut videri potest apud Bellarminum *lib. de Extrema Unctione c. 1.*

2. Resp. Extremam Unctionem esse verum, & proprie dictum Sacramentum, a Christo Domino institutum, & ab Apostolis promulgatum. Sic tenent Catholici omnes contra Hæreticos, & est veritas definita in Concilio Florent. *sess. ultima*, & in Trident. *sess. 14. tit. de Extr. Unct. c. 1.* ubi habetur: *Instituta est Sacra hæc Unctio Infirmorum, tamquam verum, & proprium Sacramentum Novi Testamenti a Christo Domino*; & can. 1. *Si quis dixerit, Extremam Unctionem non esse vere, & proprie Sacramentum a Christo Domino institutum, & a B. Jacobo Apostolo promulgatum, sed ritum tantum acceptum a Patribus, aut figmentum humanum; anathema sit.* Idem tradunt communiter Patres, quos dabit Aversa *quæst. unic.* de hoc Sacramento *sect. 1.* Ratio est, quia Sacramentum est signum sensibile invisibilis gratiæ, seu signum sensibile conferens ex Divina institutione gratiam remissivam peccati; sed Extrema Unctio est hujusmodi, nam remittit peccata, si quæ sunt, ut aperte habetur ex Epist. D. Jacobi cap. 5. *Infirmatur quis in vobis? inducat Presbyteros Ecclesiæ, & orent super eum, ungentes eum oleo in nomine Domini, & oratio fidei salvabit infirmum, & alleviabit eum Dominus, & si in peccatis sit, remittentur ei*; in quibus verbis, ut notat Trident. *cap. 1.* clare exprimitur materia remota, quæ est oleum, proxima, quæ est unctio; item Forma, Subjectum, Minister, & Effectus Sacramenti: unctio etiam externa aprissime Spiritus Sancti gratiam, qua invisibiliter anima ægrotantis inungitur, repræsentat.

,, *Hoc etiam fusius apud Benedictum XIV. in sua Synod.*
,, *Diœces. lib 7. c. 16.* Extremam Unctionem verum esse No-
,, væ Legis Sacramentum, a Christo Domino institutum,
apud Marcum quidem insinuatum, sed per Apostolum ,,
Jacobum Fidelibus commendatum, & promulgatum, de- ,,
finivit Trid. *sess. 14. c. 1.* inquiens: *Instituta est autem Sa- ,,*
cra hæc Unctio infirmorum, tamquam vere, & proprie ,,
Sacramentum Novi Testamenti, a Christo Domino nostro ,,
apud Marcum quidem insinuatum, per Jacobum autem A- ,,
postolum, ac Domini Fratrem Fidelibus commendatum, ac ,,
promulgatum. Infirmatur (inquit epist. c. 5.) *quis in vobis? ,,*
inducat Presbyteros Ecclesiæ, & orent super eum, ungen- ,,
tes eum oleo in nomine Domini; & oratio fidei salvabit in- ,,
firmum, & alleviabit eum Dominus; & si in peccatis sit, ,,
dimittentur ei. Consulto autem dixere Tridentini Patres, ,,
ejusmodi Sacramentum fuisse apud Marcum insinuatum; ,,
quamvis enim Marci *c. 6.* de Apostolis a Christo ad præ- ,,
dicandum missis dicatur: *Et exeuntes prædicabant, ut ,,*
pœnitentiam agerent, & Dæmonia multa ejiciebant, & ,,
ungebant oleo multos ægros, & sanabant; secum tamen ,,
contendunt Theologi, num talis unctio esset illa Sacra- ,,
mentalis, de qua est sermo, an potius tantum adhibita ,,
ad restituendam corporum sanitatem; quod posterius, non ,,
sine gravi fundamento, post Hugonem a S. Victore, A- ,,
lensem, S. Bonaventuram, aliosque antiquiores, opinan- ,,
tur Dominicus Soto *in 4. dist. 23. q. 1. art. 1.* & Bellarminus ,,
de Sacram. Extrem. Unct. lib. unic. c. 2. tunc quippe Aposto- ,,
li nondum erant Sacerdotes, omnesque ægrotos promi- ,,
miscue inungebant, qui ceteroquin, cum nondum Baptis- ,,
mum suscepissent, non erant aliorum Sacramentorum ca- ,,
paces: quia vero Tridentini Patres, tanta semper circum- ,,
spectione, sua concinnarunt Decreta, ut nullam vulne- ,,
rarent Catholicorum opinionem, ideo adhibuerunt ver- ,,
bum illud *insinuatum*, quod sane referri potest tam ad ,,
institutionem, quam ad figuram, typum, & symbolum ,,
Sacramenti Extremæ Unctionis, quod Christus Dominus in ,,
ea unctione, de qua Marcus loquitur, voluerit præmon- ,,
strare, quemadmodum ex iis constat, quæ Pallavicinus ,,
narrat *Hist. Concil. Trid. lib. 12. c. 12.* ac recte expendunt ,,
Bellarminus *loco cit.* Suarez *tom. 4. in 3. part. disput. 39. ,,*
sect. 2. n. 4. & 5. Estius *in loca difficiliora Sacræ Script. ,,*
ad c. 6. S. Marci, & in 4. sent. dist. 23. §. 2. Tournely *de ,,*
Sacram. Extr. Unct. q. 1. art. 2. ,,

3. Ex Tridentino etiam constat, hoc Sacramentum vere fuisse a Christo Domino immediate institutum, & per Jacobum Apostolum Fidelibus commendatum, ac promulgatum. De tempore institutionis non satis constat; alii enim volunt, fuisse institutum a Christo *Marci 6.* quando misit Discipulos suos ad prædicandum, & ad sanandos infirmos, *ungentes illos oleo*; alii, fuisse institutum in nocte Cœnæ, quoad designationem materiæ, & formæ; quoad potestatem vero illud administrandi *Joan. 20.* quando dedit Apostolis potestatem absolvendi; sed probabilius est, fuisse quidem adumbratum *Marci 6.* sed institutum post Resurrectionem *Jo. 20.* quando Apostoli acceperunt potestatem supra

Cor-

Corpus Christi Mysticum ad delenda peccata, ad quam potestatem spectat etiam ministerium hujus Sacramenti, quod est consummativum Pœnitentiæ. Sic docent Aversa sect.1. Ant. a Spir. S. *disp. unic. de Extr. Unct. sect.1.n.2.* Palaus, & alii, quos sequitur Leander *disp.1. q.4.*

4. Resp.2. hoc Sacramentum, sicut etiam alia, posse dupliciter considerari, & definiri primo physice per materiam, & formam; secundo metaphysice per genus, & differentiam. Primo modo recte definitur: *Est unctio Olei benedicti facta a Presbytero in aliquibus partibus corporis periculose ægrotantis, sub præscripta verborum forma.* Secundo modo definitur: *Sacramentum Novæ Legis a Christo Domino institutum ad conferendam salutem animæ, vel etiam corporis ægroto periclitanti per unctionem olei benedicti, & orationem Sacerdotis.* Ubi Sacramentum est genus; aliæ vero particulæ habent rationem differentiæ, cum per illas hoc *Sacramentum* differat a reliquis.

5. Quæres; *An hoc Sacramentum sit de necessitate salutis?* Certum est apud omnes, illud non esse necessarium necessitate medii, cum sine illo possint homines salvari; & de facto salvantur decedentes ante usum rationis cum solo Baptismo, & quia Ecclesia prohibet illud confetri tempore Interdicti, cap. *Quod in te. De pœnit. & remiss.* quamvis illo tempore permittat ministrari Sacramentum Pœnitentiæ, & Viaticum; quod utrque non faceret, si illud Sacramentum esset necessarium necessitate medii. *An vero sit necessarium necessitate præcepti*, affirmant Magister *in 4. dist.23. c.3.* Petrus Soto *lect.2. de hoc Sacramento*, & inclinat Turrianus *in sum. part.2. c.136. dub.1. concl.1.* & probatur ex natura rei, supposita institutione hujus Sacramenti; nam homo tenetur in articulo mortis sibi consulere omni conatu, & medio opportuno; sed hoc Sacramentum est medium opportunissimum, quo se præparet, ac disponat ad mortem, quo se armet, ac muniat adversus gravissimas tentationes tunc urgentes, quo se roboret, & confortet ad perseverandum, & decedendum in gratia; ergo tenetur illud assumere: tum etiam ex præcepto positivo Apostolico, vel Divino insinuatum ab Apostolo Jacobo illis verbis: *Infirmatur quis in vobis? inducat Presbyteros Ecclesiæ.* Constat etiam ex usu, & consuetudine Ecclesiæ, quæ sollicita est infirmis ministrare hoc Sacramentum; ergo quia illud est necessarium necessitate præcepti.

6. Resp. Nullum adesse præceptum obligans Fideles sub mortali ad recipiendum hoc Sacramentum, quia nullibi extat hoc præceptum sive divinum, sive humanum; verba enim illa Divi Jacobi non continent præceptum, sed docent, & admonent quid sit faciendum. Non oritur obligatio ex natura rei, supposita institutione Sacramenti, quia non fuit institutum tamquam medium necessarium, sed solum tamquam valde utile ad bene moriendum, & decedendum in gratia: at proinde per se non obligat ex natura, & institutione sub mortali, maxime, quia per alia media, scilicet orationibus, & Sacramentis potest infirmus insidias, & tentationes superare. Nec obligat consuetudo Fidelium, quæ fuit introducta ex devotione, & pia voluntate, non ex animo inducendi obligationem; unde non peccaret mortaliter, qui etiam voluntarie hoc Sacramentum omitteret. Ita ex communi sensu DD. tenent Palaus *disp. unic. pun.8. n.1.* Aversa *sect.9.* Ant. a Sp. S. *n.1.* Diana *p.3. tr.4. resol.170. & p.8. tr.1. resol.58.* Bonac. *punct.5. nu.10.* Filliuc. *tr.3. nu.112.*

7. Per accidens potest omissio talis Sacramenti esse peccaminosa lethaliter. Primo, ratione contemptus, quando illud nihili faceret, aut putaret esse quid puerile, aut parum decens, & proinde Trid. *in fine c.3.* dixerit: *Nec vero tanti Sacramenti contemptus absque ingenti scelere, & ipsius Spiritus Sancti injuria esse posset.* Secundo, ratione scandali, quando ratione circumstantiarum alios induceret ad suspicionem hæresis, vel contemptus in ipso omittente, qui censeretur parvipendere, aut male sentire de tali Sacramento. Tertio, si existens in peccato mortali non posset alia Sacramenta recipere, & præcipue Sacramentum Pœnitentiæ, quia forte nullus esset, qui sciret, aut vellet alia Sacramenta ministrare; tunc enim infirmus teneretur recipere hoc Sacramentum, si adesset Sacerdos, qui vellet illud ministrare, & omittendo peccaret contra caritatem, cum omitteret medium securius ad salutem, cum alias posset decipi, putans habere Contritionem, quam non habet. Ita Palaus *n.3.* Anton. *n.5.* Aversa *sect.9.*

8. *An vero sit saltem peccatum veniale, non recipere Extremam Unctionem, data opportunitate, ex sola negligentia?* Alii negant, quia nullum datur præceptum; sed melius alii affirmant, quando nulla adest justa caussa omittendi, quia nolle illud recipere ex sola negligentia, est se privare ingenti bono spirituali, quod sine prodigalitate, quæ est peccatum veniale, fieri non potest, ut docent Palaus *num.2.* Nugnus, Coninch, Bonacina, & alii, quos affert, & sequitur Leander *disp.1. quæst.6.*

DUBIUM II.

De Materia remota hujus Sacramenti.

9. RESP. materiam remotam hujus Sacramenti esse Oleum Olivarum ab Episcopo benedictum, Sic habetur ex Concil. Trident. c.1. *Intellexit enim Ecclesia, materiam esse Oleum ab Episcopo benedictum; nam unctio aptissime Spiritus Sancti gratiam, qua invisibiliter anima ægrotantis inungitur, repræsentat.* Idque colligit ex verbis Apost. *ungentes eum oleo*; idemque semper fuit sensus totius Ecclesiæ, & quidem convenientissime pro materia hujus Sacramenti assignatur oleum, tum propter rationem dictam, tum quia corporalis unctio solet adhiberi ad sanandos morbos, & sedandos dolores, curanda vulnera, & confovanda membra; unde aptissime significat effectus, quos præstat in anima tale Sacramentum, quod sanat morbos, & vulnera peccatorum, & lætificat conscientiam, ut postea videbimus, cum sermo erit de effectu talis Sacramenti.

10. Oleum debet esse olivarum, quia oleum absolute prolatum, tum in Scriptura, tum in usu loquendi, sumitur pro oleo olivarum; unde excluduntur alii liquores ex aliis rebus expressi, ut est liquor nucum, amigdalarum, & similes, qui non sunt materia sufficiens, nec apta pro tali Sacramento, ut habetur ex Concil. Florent. in Decreto Fidei, ubi pro materia hujus Sacramenti expresse ponitur oleum olivarum, & docet Catechil. Rom. *c.6. §.5.* idque etiam tenet usus, & sensus totius Ecclesiæ. Debet esse oleum simplex sine admixtione Balsami, aut alterius liquoris, siquidem oleum ita se habet in hoc Sacramento, sicut aqua in Baptismo, quæ debet esse pura sine admixtione balsami, aut alterius liquoris, & colligitur ex modo loquendi Conciliii, tum Florent. tum Trident. & constat ex usu, & praxi Ecclesiæ adhibentis oleum sine mixtione Balsami. Validum tamen esset Sacramentum, si admisceretur alius liquor in parva solum quantitate non excedente quantitatem olei, dummodo illud mixtum remaneat simpliciter oleum non corruptum per liquorem adjunctum, ea ratione, qua aqua remanet materia Baptismi, si admisceatur illi modica quantitas alterius liquoris, ut cum D. Thoma, Soto, Navarr. Naldo, Henriq. & aliis docet Bonac. ex quo colligit Leand. *q.7. pu.2. n.7.* oleum rosaceum esse materiam sufficientem hujus Sacramenti, si alias non sit multum corruptum, quia per talem mixtionem oleum non extrahitur a proprio esse, nec amittit naturam olei; hoc tamen sine peccato ex genere suo gravi fieri non potest, ut notat Aversa *sect.2.*

Circa necessariam Materiæ qualitatem vide adhuc plura in Synod. Diœcesana loco supra laudato §.3. Pergunt deinde Tridentini Patres, atque ex allegatis S. Jacobi verbis colligunt, nobisque pandunt hujus Sacramenti Materiam, Formam, Ministrum, & Effectus, ajentes: *Quibus verbis, ut ex Apostolica traditione per manus accepta, Ecclesia didicit, docet Materiam, Formam, proprium Ministrum, & Effectum hujus salutaris Sacramenti; intellexit enim Ecclesia, Materiam esse Oleum ab Episcopo benedictum; nam unctio aptissime Spiritus Sancti gratiam, qua invisibiliter anima ægrotantis inungitur, repræsentat, Formam deinde esse illa verba: Per istam unctionem &c.* Quibus Tridentini vestigiis inhærentes, singula dilertius explicabimus. Itaque Sacramenti Extremæ Unctionis materia remota, est oleum, liquor videlicet ex baccis olivarum expressus, qui solum in communi modo loquendi, absolute, & sine addito, *Oleum* nuncupatur, quemadmodum cum communi ponderat Suarez *t.4. in 3. p. disp. 40. sect.1. n.1.* Debet autem ejusmodi oleum, saltem ex Ecclesiæ præcepto, esse simplex, hoc est, absque ulla alterius liquoris admixtione. Diximus *saltem ex Ecclesiæ præcepto*, quoniam Suarez *cit. loc. n.10.* defendit, non solum non esse contra Christi Domini institutione, aliam liquorem huic oleo admiscere, sed insuper opinatur, aliquando fuisse illi balsamum admixtum; siquidem Innocentius I. *epist. ad Decentium* allegata, exponens Apostoli Jacobi verba, Infirmorum Oleo Chrismatis nomen attribuit, inquiens: *Quod non est dubium de Fidelibus ægrotantibus accipi, vel intelligi debere, qui Sancto Oleo Chrismatis perungi possunt*, ac sub eadem Chrismatis nomenclatura, idem infirmorum oleum a pluribus designatur Conciliis, Vvormatiensi præsertim, atque Aquisgranensi, ex quibus conjicit Suarez, aliquid balsami tunc consuevisse illi admisceri. At melius alii, quos sequuntur Juenin *de Sacram. dissert. 7. q. 3. c. 1.* & Tournely *cit. qu. 2. art. 1.* hanc admixtionem, ex Chrismatis nomenclatura nequaquam colligi arbitrantur: Chrisma quippe frequenter appellatum advertunt omne unguentum, seu liquorem, quo corpus inungitur; omnes tamen Suaresio concedunt, nihil detractum iri Sacramenti validitati, si, contra communem exteroquia, & perpetuam Ecclesiæ praxim, infirmorum oleo admisceatur aliquid balsami, modo admixtio tanta non sit, ut destruat exteriorem olei speciem, ita ut non amplius oleum, sed potius unguentum, aut alterius generis mixtum artificiale censeatur.

11. Non solum de necessitate præcepti, sed etiam de necessitate Sacramenti, oleum debet esse ab Episcopo benedictum, adeo ut non sit validum Sacramentum, si adhibeatur oleum non consecratum: colligitur ex Concil. Flor. & Trid. statuentibus pro materia hujus Sacramenti oleum ab Episcopo benedictum, quo loquendi modo satis indicant, benedictionem Episcopalem esse essentialiter requisitam. Congruentiam affert D. Thom. *q. 72. art. 3.* quia congruum

est,

est, ut corporea, & sensibilis materia, antequam ad animæ sanctificationem adhibeatur, à vulgari, & profano usu per benedictionem aliquam secernatur, ut in simili dicebamus supra de materia Confirmationis. *An vero possit hoc oleum consecrari, & benedici a simplici Sacerdote ex dispensatione, & commissione Summi Pontificis?* affirmant cum Cajet. Henriq. & aliis Bonacina *punct.2. n.3.* sed verius est non posse benedici, quia materia Sacramentorum non potest a Pontifice variari, & materia hujus Sacramenti est oleum ab Episcopo benedictum, ut constat ex perpetua traditione Ecclesiæ derivata ab ipso Christo, qui sic instituit, & Apostolos instruxit, & habetur ex Conciliis allatis: sic etiam tenent cum D. Thoma Suarez *disp. 49. sect. 1. n.3.* Hurtad. *diff.4.* Coninch. *disp.19. n.6.* Ant. a Spiritu S. *n.8.* Diana *p.10. tr.16. resol.* 81, & aliis pluribus citatis, Leander *q.4.*

„ *De Subjecto requisito pro Sacri Chrismatis consecratione plura dicta sunt, cum de Confirmationis Sacramento: hoc tamen loco nonnulla superaddenda videntur, quæ tam in Notific. 14. Tom. 4. quam in Synodo Diœcesana hac de re perapta leguntur; ex quibus etiam majorem semper in modum colligere quilibet Sacerdos poterit, quanta hujus Sacramenti sit dignitas. In Notific. scil. laudata sic ait:* Benedictio, & Consecratio Sacri Olei pro Catechumenis, ac pro Infirmis, & Sacri Chrismatis, quæ ab Apostolis primum instituta in Ecclesiam dimanavit, uti Pouget *in suis Institut. Catholicis lib. 2. cap. 8. §.5.* asserit his verbis: *Ritus ille* (de Sacri Olei Benedictione sermo est) *traditione Apostolica ad nostra usque tempora perseverat;* quæ pariter Episcopis ita convenit, ut Sacerdotes, qui Benedictionem ejusmodi sibi depoposcerant, in secundo Carthaginensi Concilio graviter objurgati fuerint: *Ab universis Episcopis dictum est: Chrismatis confectio, & Puellarum consecratio a Presbyteris non fiant;* hæc, inquam, Benedictio Feria V. *in Cœna Domini* a S. Fabiano Pontifice Sæculo III. *in Canone Litteris vestris, de Consecrat. dist. 3.* decreta fuit. Quod si huic documento fides præstanda non videatur, ad Sæculum VII. ex veteri, universaque Ecclesiæ disciplina hujus Benedictionis initium referendum est. Nam de ipsa Olei Consecratione *in Cœna Domini* mentio est in Sacramentario S. Gregorii, atque in veteri Ordine Romano. Ipsam quoque commemorant Scriptores, qui circiter ea tempora *de Divinis Officiis* aliquid in lucem tradiderunt. *Videtur autem* (inquit Vanespenius *in Jure Eccl. univ. part.2. tit.2. n.13.*) *Sæculo septimo præsens disciplina de conficiendo Chrismate in Cœna Domini invaluisse.*

„ Insuper non solum dies pro eadem Benedictione peragenda, sed locus etiam, nempe Cathedralis Ecclesia designata fuit. (*In Decret. Te referente, de celebrat. Missar.*) Peculiaris etiam Ritus præscriptus fuit, nempe, ut tot Sacerdotes, Diaconi, Subdiaconi, & Acolythi interessent, quemadmodum in Romano Pontificali *tit. de Offic. in Feria V. Cœnæ Domini* decernitur. Is tamen Ritus vetustissimus est; nam Martene, rerum Sacrarum eruditione clarissimus, putat, hac de caussa excitatos fuisse simplices Sacerdotes, ut Sacri Olei Benedictionem sibi expostularent, quod non solum a Concilio Carthaginensi, uti dictum est, sed a Sacris Canonibus denegatum fuit: *Can. Si jubet 1. Can. Presbyter n.26. q.6. de antiqua Eccles. disciplina in Divinis celebrandis Offic. to. 4. pag. 240. n.3. Et quidem* (inquit Martene) *huic præsumptioni occasionem præbere potuit antiquissimus Ecclesiæ usus Presbyteros una cum Episcopo adhibendi ad Chrismatis Consecrationem, si non ut cooperatores, saltem ut tanti Mysterii testes.*

„ *Et in Synod. Diœcesana §.4.* Debet præterea Oleum, in Extrema Unctione adhibendum, esse Episcopi benedictione antea sacratum, quod ab antiquissima Patrum traditione accepimus. Etenim Innocentius I. *in cit. epist. ad Decentium, ægros inungendos*, dixit, *Oleo Chrismatis ab Episcopo confecto*. Beda quoque *in comment. ad c.6. Marci* affirmat, ab Apostolis hunc sanctæ Ecclesiæ morem traditum, *ut ægroti ungantur Oleo, Pontificali benedictione consecrato;* & Concilium Cabilonense anni 813. *cap. 48.* ait: *Secundum Beati Apostoli Jacobi documentum, cui etiam documenta Patrum consonant, Infirmi Oleo, quod ab Episcopis benedicitur, a Presbyteris ungi debent* (*collect. Harduin. t. 4. col. 1040.*); ac denique, ut cetera prætermittamus antiquorum Patrum testimonia, ita nos docuerunt Eugenius IV. *in decreto, pro instructione Armenorum*, & Tridentinum *cit. loc.* Sed quæstio est: num Episcopi benedictio sit necessaria, ex Christi Domini institutione, an solum ex Ecclesiæ præcepto. Diversæ sunt hac in re Theologorum sententiæ. Victoria *in Summ. de Sacram. n. 216.* Emmanuel Sà V. *Extrema Unctio*, Sambovius *tr. de Extrem. Unct.* Juenin. *de Sacram. dissert.7. c.1. conclus.3.* putant, benedictionem fuisse oleo superadditam ab Ecclesia, non vero institutam a Christo Domino, ac proinde illicitum quidem, sed validum pronuntiant Sacramentum, oleo non consecrato administratum; quinimmo urgente necessitate, etiam absque culpa, ita administrari posse tradit cit. Victoria. Istis e diametro opponuntur Suarez *cit. disp. 40. sect.1. num. 3. & 4.* Estius *in 4. dist. 23. §.9.* docentes olei consecrationem non tantum præcepti, sed etiam Sacramenti necessitate requiri; eamque præterea consecrationem ita a Christo Domino Ordini Episcopali annexam ajunt, ut simul asseverent, ne a summo Pontifice quidem, eam posse secundi ordinis Presbyteris delegari. Inter hasce duas extremas sententias, medii quodammodo incedentes Cajetanus *3. part. q.72. art.3.* Sotus *in 4. dist. 23. q. 1. art. 3. §. De oleo ergo*, aliique, quos citant, & sequuntur Gregorius de Valentia *t.4. disp.8. q.1. punct.2.* & Tannerus *t.4. disp.7. q.1. dub.1. n.10.* tria statuunt: nimirum primo, aliquam consecrationem, ex Christi institutione, requiri, ut oleum fiat apta materia Sacramenti Extremæ Unctionis: secundo, numquam in Ecclesia Latina fuisse ægrotantes oleo inunctos ab Episcopo antea non consecrato: tertio denique, ad Sacramenti validitatem satis esse affirmant, oleum a simplici Sacerdote benedictum. Et profecto posse, saltem ex commissione, sive expressa, sive tacita, Romani Pontificis, a simplici Sacerdote præparari materiam aptam ad conficiendum Sacramentum Extremæ Unctionis, res videtur exploratissima, quam nemini liceat in quæstionem adducere: siquidem in Ecclesia Orientali mos viget, & mille & amplius annis in ea receptus, ut ipsimet Presbyteri, cum se accingunt ad infirmum inungendum, oleum, in ea Sacramentali unctione adhibendum, benedicant; uti testantur Joannes Natanail *in epist. ad Episcopum Anagninum*, (*apud Arcudium*) Arcudius *l. 5. c.2.* Allatius *de consensu utriusque Ecclesiæ c.16.* & legitur in Græcorum Euchologio a Goario notis illustrato, *pag. 436.*; eumdemque morem ab Armenis retineri asserit Joannes XXII. *sive* XX. epistola ad Officium Armenorum Regem, scribens in hæc verba: *Ipsi etiam Sacerdotes oleum, quod Infirmorum dicitur, consecrant, cum tamen apud nos ad Episcopos solos spectet.* Hanc autem Orientalium consuetudinem Ecclesia Latina, non solum non improbavit, sed ratam habuit: refert quippe cit. Goarius, a Sacra Congregatione de Propaganda Fide approbatam, ejusque impensis Romæ editam *Synopsim vernaculam* Neophiti Rodini, in qua hæc habentur: *Materia Sacramenti Extremæ Unctionis est Oleum oliva expressum, a Pontifice, vel a Sacerdotibus, qui præsentes fuerint, juxta Ecclesiæ morem, benedictum:* consulto ait: *a Pontifice, vel a Sacerdotibus*, quia, uti narrat Arcudius, etiam Episcopi Græci, perinde ac Latini, Feria V. Majoris Hebdomadæ, sollemni pompa, & apparatu, Oleum Infirmorum consecrant, quamvis postea suis Sacerdotibus non distribuant, sed iisdem curam relinquant illud consecrandi, quo mox in Sacramenti administratione utantur; de qua re jure miratur laudatus Auctor *Theolog. moral. ad usum Sem. Petrocoriens.* sed quod adhuc clarius ostendit, ab Ecclesia Latina validum haberi Sacramentum Extremæ Unctionis a Sacerdotibus Græcis, oleo tunc a semetipsis benedicto, administratum, est decretum editum a Clemente VIII. in quo permittuntur Italo Græci in prædicto ritu perseverare: *Circa Oleum Sanctum Infirmorum* (sunt verba decreti) *non sunt cogendi Presbyteri Græci, Olea Sancta, præter Chrisma, ab Episcopis Latinis diœcesanis accipere, cum ejusmodi olea ab eis, in ipsa oleorum, & Sacramentorum exhibitione, ex veteri ritu conficiantur, & benedicantur;* quod Clementis decretum fuit a Nobis, totidem fere verbis renovatum, & confirmatum *in nostra Constit. 57. §.4. nostri Bullar. t.1. pag. 172.* neutiquam autem id tolerandum fuisset, si oleum, simplicis Sacerdotis benedictione sacratum, ne per Potestatem quidem a Romano Pontifice, sive expresse, sive tacite eidem Sacerdoti factam, esset materia idonea ad conficiendum Sacramentum Extremæ Unctionis. Quare Episcopi Latini partem populi Græci ritus sibi subjectam habentes, etsi teneantur Feria V. Sacratioris Hebdomadæ, una cum ceteris sacris oleis, etiam illud Infirmorum, Latino ritu consecrare, Latinisque Parochis distribuere, ceteraque implere, quæ Nos ediximus *in nostra Notific.* 81. (al. 14. l.4.) ubi de Infirmorum oleo, ejusque benedictione ex professo egimus, quod Sacerdotes græci ritus nihil innovent, sed ea exequantur, quæ a Clemente VIII. iterumque a Nobis decreta sunt. Legi etiam potest dissertatio Benedicti de Gaetanis *de suprema Unctione* post hæc jam scripta, & a Nobis visa, *c.7.* „

12. Quæres: *An de necessitate Sacramenti Oleum debeat esse benedictum ab Episcopo benedictione consueta Ecclesiæ?*

Resp. negative, quia Christus Dominus nullam præscripsit formam servandam in hac benedictione, sed solum voluit materiam Extremæ Unctionis esse Oleum benedictum a legitimo Ministro, quomodolibet benedictio fiat cum invocatione Divini Nominis. Nec dici potest, Christum reliquisse formam benedictionis determinandam ab Ecclesia, qua semel determinata, non possit amplius immutari, quia hoc non constat, nec ex traditione, nec ex Conciliis, nec ex Patribus: peccaret tamen graviter Episcopus, si notabiliter mutaret formam descriptam in Pontificali, quæ

proinde est de necessitate præcepti, non de necessitate Sacramenti, prout docet Bonacina *punct.* 4. Hurtado *diff.* 4. Aversa *sect.* 2. Palaus a.4. & alios referens Leander *q.* 3.

13. Quæres 2. *An validum sit Sacramentum, si per errorem, aut in necessitate Sacerdos adhiberet Chrisma, aut aliud Oleum benedictum ab Episcopo diversum, & distinctum ab Oleo Infirmorum?* Negant plures, quia licet non sit præscripta forma benedictionis pro oleo Infirmorum, requiritur tamen, quod oleum ea intentione Episcopi benedicentis sit ordinatum ad hunc effectum; nam per benedictionem deputatur hæc materia ad usum Sacramenti; at Chrisma Confirmationis, Oleum Cathecumenorum, seu aliud ab Episcopo benedictum, non est ordinatum, nec benedictum per ordinem ad Extremam Unctionem; ergo est materia insufficiens, & Inepta. Ita Palaus *p.* 2. *n.* 5. Bonacina *n.* 5. Barbosa *de potest. Episc. allegat.* 31. *n.* 16. Aversa *sect.* 2. Valent. *t.* 4. *disp.* 8. *punct.* 2.

14. Resp. Validum fore Sacramentum administratum Chrismate Confirmationis, oleo Cathecumenorum, seu alio ab Episcopo benedicto. Ratio est, quia Chrisma vere est oleum ab Episcopo benedictum, & quamvis habeat admixtionem Balsami, non obstat, cum sit in levissima quantitate, quæ non superat materiam olei, & olim Ecclesiam usam fuisse Chrismate pro oleo ad ungendos Infirmos notat Leander *qu.* 6. ex cap. *illud superfluum dist.* 75. Idem habet Filliuc. *c.* 4. *n.* 73. cum enim formula benedictionis non sit a Christo determinata, sufficiens erit quæcumque benedictio, ut proinde validum sit Sacramentum, Oleo quacumque benedictione benedicto, administratum. Sic Sotus *dist.* 23. *art.* 3. Henriq. *l.* 3. *c.* 8. *n.* 2. Suarez *t.* 4. *disp.* 49. *sect.* 1. Diana *p.* 10. *tr.* 11. *resol.* 15. ubi citat Amicum *in Cursu Theolog. t.* 8. *disp.* 19. *sect.* 3. *n.* 35. Ant. a Spir. S. *sect.* 3. *n.* 21. Dicastil. *disp.* 1. *n.* 37. ubi existimat, quod casu, quo non esset aliud oleum, quam Chrisma Confirmationis, non esset peccatum de facto illo inungere ægrotum: & nihil esse repetendum, si Sacerdos per errorem contulit hoc Sacramentum cum sacro Chrismate, cum Amico, & Dicastillo docet Diana, idemque tenet Ant. quia validum foret Sacramentum.

15 Quæres 3. *An requiratur, quod oleum sit illo anno benedictum?* Certum est apud omnes, hoc non esse de necessitate Sacramenti, quia hoc nullo jure constat, ut bene notat Leander *q.* 10. *An vero sit de necessitate præcepti?* Affirmant Bonacina *n.* 6. & Zambranus, quem citat, & sequitur Diana *p.* 3. *tr.* 4. *resol.* 176. & patet ex ipso usu, & praxi Ecclesiæ, secundum quam, veteri combusto, singulis annis renovatur: de hac obligatione valde dubitant Henriquez *l.* 3. *de Sacram. c.* 8. & Ledesmo *in Summa c.* 2. *de hoc Sacram.* eo, quod præceptum non sit in jure expressum de oleo Infirmorum, sicut de Chrismate, & Ant. a Spir. S. *n.* 14. absolute affirmat, non peccare mortaliter Sacerdotem, qui veteri oleo ungit infirmum, quia de hoc nullum datur præceptum obligans ad mortale. Idem docent Diana *p.* 10. *tr.* 16. *resol.* 81. Palaus *p.* 2. *n.* 12. Leander *q.* 11. Homobonus *tr.* 13. *de Exam. c.* 7. *q.* 21. Non peccare Sacerdotem, qui ungeret Infirmum oleo veteri, quando non habet novum benedictum eo anno, declaravit Sacra Congreg. Episcop. die 20. Martii 1590. teste Gavanto *in Enchir. Episc. ver. Extrem. Unctio nu.* 10. immo teneri, eo uti, ne sinat infirmum e vita migrare absque subsidio hujus Sacramenti, notat Aversa *loc. cit.*

„ *Confirmationem hujus paragraphi post* 17. *invenies.*

16. Quæres 4. *An oleo benedicto licite possit admisceri aliud non benedictum?*

Resp. posse in necessitate admisceri, quando oleum benedictum non sufficeret omnibus, ut docet Rituale Romanum his verbis: *Oleum benedictum, si forte infra annum aliquo modo ita deficiat, ut sufficere non posse videatur, neque aliud benedictum haberi queat, modico oleo non benedicto in minori quantitate superfuso, reparari potest.* Potest igitur oleo benedicto admisceri aliud non benedictum, sed in minori quantitate; nam major quantitas in se minorem convertit, & extrema olei non consecrati ita permiscentur cum extremis olei consecrati, ut simul utrumque censeatur consecratum; & in hoc conveniunt omnes.

17. *An vero addi possit major quantitas olei non benedicti, non quidem tota simul, sed successive pluribus vicibus?* affirmat Diana *p.* 9. *tr.* 6 *resol.* 44. ubi citat Lessium, Baunyum, Candidum, & alios, & dicit, esse communem usum, & praxim omnium fere Ecclesiarum, & concludit, quod si a principio Episcopus benedixit quantitatem olei v. g. quatuor librarum, postea paullatim, & per varias vices potest addi quantitas decem librarum, si necessaria esset pro administratione Sacramenti, & copia infirmorum. Magis placet contraria Sententia dicens, quantitatem additam, seu addendam sive simul, sive successive, sive pluribus vicibus, non debere excedere quantitatem olei ab initio benedicti: & ratio est, quia ideo totum oleum remanet benedictum, quando admiscetur minor pars olei non benedicti, quia in commixtionibus major quantitas debet in se minorem convertere, vel ad sui identitatem trahere; quod fieri non potest, quando pars addita, sive simul, sive successive est major, & excedens; secus posset pluribus vicibus fieri additio non solum decem, sed etiam centum, & mille librarum: ex quo etiam sequitur, quod, facta semel benedictione aquæ, numquam esset necesse novam benedicere, quia prius benedicta posset fieri successive per plures annos continua additio, quod non videtur dicendum; & ita tenent Leander *disp.* 2. *q.* 9. Quintanadvenas *t.* 1. *tr.* 5. *de Sacram. singul.* 1. *n.* 4. Bonacina *punct.* 2. *n.* 8. Tambur. *l.* 6. *de Extr. Unct. c.* 1. §. 1. *n.* 2. idemque tenet Diana *p.* 11. *tr.* 3. *resol.* 15.

„ *Duplex cum hic agitetur quæstio; & utrum possit in Extrema Unctione veteris anni adhiberi oleum; & utrum benedictum aliud possit non benedicto misceri: utramque nobilioribus adhuc eruditionibus illustratum videre poteris hoc loco a toties laudato nostro Pontifice in sua Notif.* 24. *tomi* 4. *in qua hæc leguntur:* Nos profecto Sanctum Oleum pro Infirmis, pro Catechumenis, Sanctumque Chrisma quotannis Feria V. *in Cœna Domini*, postquam in hanc Sedem, Dei beneficio, & Sedis Apostolicæ gratia pervenimus, consecrare, ac benedicere numquam omisimus, omnemque sollemnitatem in hac Metropolitana tunc indiximus. Nec sane deprehendimus aliquem ex nostris Diœcesanis, qui Sanctum Oleum extra Diœcesim petierit. Illud tamen animum nostrum magnopere commovit, quod aliquis non semel Sanctum Oleum a Nobis consecratum exposcere prætermiserit, & veteri usus fuerit, cum necessitas impulit, ut supremam Unctionem ægrotantibus conferret. Etenim pro certo habebat, nequaquam designari illorum nomina, quibus idem Oleum conceditur, neque eorum, qui aliquem suo loco ad Urbem mittunt, ut sacrum Oleum decenter accipiant: quod necessarium revera est, ut ii potissimum cognoscantur, qui Oleum a Nobis singulis annis consecratum habere neglexerint. His proculdubio prospicere debemus, ne apud Deum gravis incuriæ rei constituamur. Sed prius paterna benevolentia monendos illos volumus, quos Christianæ caritatis gratia haud nominamus, ut sibi consulant, quod sacrum Oleum pro Infirmis expostulare per se ipsos, aut per alium contempserint; illudque Oleum pro Sacramento Extremæ Unctionis adhibuerint, quod superioribus annis consecratum fuit.

Nequicquam investigavimus rationem aliquam, ob quam ipsi a gravis criminis nota vindicentur. Illud fortasse pro caussa excusationis adducent, veteris Olei copiam sibi superfuisse. Sed quis ignorat vetus Oleum comburendum, cum novum consecratum fuerit? *Vetus autem Chrisma*, (sic legitur in Pontificali Romano) *& Oleum Cathecumenorum, & Infirmorum, si quod remanserit in ampullis, ponitur in Lampadibus Ecclesiæ ante Sacramentum, ut comburatur. Reliquum autem, quod est in Pyxidibus, sive Capsulis cum bombice, igni comburitur; & novum deinde cum novo bombice in Pyxidibus, sive Capsulis imponitur.* Idem statuit S. Carolus Borrom. IV. *in Concilio Provinc. Mediolan. part.* 2. *to.* 1. *de Actis Eccles. Mediolan. edition. Lugdun. pag.* 107. *Parochus ubi primum Olea Sacra nova acceperit, vetera statim comburat in Lampade, quæ ante SS. Sacramentum collucet, bombice in Sacrario plane excusso.* Postremo cognitum satis est omnibus, quod tradit Clericatus *de Extr. Unct. decis.* 105. *nu.* 16. *Sexta tandem difficultas est, an possit administrari Sacramentum Extremæ Unctionis Oleo benedicto veteri, idest annis præteritis consecrato? Et respondent Doctores, valide posse, non autem licite; quia singulis annis vetus Oleum Sacrum est comburendum. & novum consecrandum Feria V. Cœnæ Domini.* Id pariter ex Can. 122. *de consecrat dist.* 4 clare desumitur, quemadmodum verba superius relata demonstrant. Dicet fortasse aliquis traditum a Theologis legisse, Oleo jam consecrato superaddi posse haud consecratum Oleum, eoque supremam Unctionem ægrotantibus administrari, eamque sententiam, ut normam secutos se fuisse affirmabunt. Illam certe Nos minime improbamus, si Oleum, quod superinfunditur, Olei consecrati copiam non exsuperet, quod monetur in Rituali Romano *de Sacram. Extrem. Unct. n.* 14. in IV. Mediolanensi Concilio, quod modo nominavimus, & a Sacra Congregat. S. Officii, quæ die 23. Septemb. anno 1682. idem constituit, illudque Sacræ Congregationis Decretum integre Clericatus commemorat. Gavantus *in Man. verb. Extr. Unct. n.* 10. Diana *in Edit. Coordin. to.* 2. *tr.* 4. *resol.* 1.) At vero hujusmodi opinio tunc solum locum habet, cum, accepto Oleo præscriptis temporibus, illud deesse incipiat, priusquam recens Oleum ab Episcopo consecretur; non autem cum Parochus Oleum petere neglexit, ac, ne ipsum desit, non consecratum Oleum cum sacrato permiscet. Illud quoque in medium proferent rite conferri Sacramentum Extremæ Unctionis, quamvis Oleum vetus adhibeatur; verum in eo controversia posita non est, utrum possit hoc pacto Sacramentum administrari, sed an liceat. Tandem reponent, id procul dubio licitum esse, si necessitas urgeat conferendi Sacramenti, nec aliud Oleum suppetat, nisi pristinis annis consecratum. Id nequaquam Nos inficiamur, cum præsertim probatum fuerit a Sac. Congregatione pro caussis Episcoporum designata, & a pluribus Scriptoribus, quos Diana sequitur, ac fusa recenset. At vero is tantum culpa vacuus, & immunis erit, qui Oleo veteri ægrotantem unxerit ob eam

„ rationem, quod recens Oleum accipere legitima caussa „ impeditus non potuerit. Aliter tamen de illo judicandum est, qui novum Oleum exposcere negligenter omiserit, & consulto in eam necessitatem redigitur, ut Oleo veteri utatur.

28. Quæres 5. *Quantam quantitas olei requiratur, & sufficiat ad valorem hujus Sacramenti?* Non sufficere unam guttam olei pro una unctione, sed plures requiri tenent Filliuc. n.78. Suarez *disp.*40.*sect.*2.*n.*4. Marchinus *de peste p.*3.*c.*6.*n.*14. idque probant exemplo Baptismi, ad cujus validitatem non sufficit una gutta aquæ.

Resp. sufficere unam guttam pro una unctione, quia per illam vere quis dicitur ungi, & una stilla dicitur ungere, prout tenent Reginaldus, Tannerus, Dicastillus, & alii, quos sequitur Ant. *n.*15. Leander *q.*12. Diana *part.*5.*tr.*3. *resol.*88. & Aversa *sect.*2. ubi ait, sufficere, ut Sacerdos intingens extremum digiti in oleo liniat partem ungendam, quia sic vere ungit.

DUBIUM III.

De Materia proxima hujus Sacramenti.

19. RESP. Materiam proximam hujus Sacramenti esse unctionem factam in quibusdam partibus corporis: ita tenent Doctores communiter, quia Sacramentum, quod consistit in usu, habet pro materia proxima usum materiæ remotæ, qui in præsenti est ipsa unctio, & habetur ex illo D. Jacobi: *ungentes eum oleo;* & ex Trident. *sess.*14.*c.*1. constat etiam a pari de Baptismo, cujus materia proxima est ablutio, seu actio ipsa lavandi.

20. Hæc unctio fieri debet in formam Crucis, quia omnia Sacramenta sub hac forma peraguntur, ut habetur ex cap. *Numquid, de consecrat. dist.* 5. & ibi Glossa verb. *Nisi in Cruce*. Hoc tamen non est de necessitate Sacramenti, quia nullo Textu, aut sufficienti ratione hoc probari potest; nam Concilia Florent. & Trid. accurate materias, & formas Sacramentorum exprimentia, nullam mentionem faciunt de formatione Crucis in hoc Sacramento, sicut illam requirunt in Sacramento Confirmationis: & ratio disparitatis est, quia non adhibito signo Crucis, non verificaretur forma Confirmationis, in qua dicitur, *signo te Signo Crucis*, quæ verba non ponuntur in forma Extremæ Unctionis, & quia in illa quis inungitur, & constituitur miles ad defendendam Crucem, & fidem Christi coram Tyranno, non sic in Extrema Unctione. *An vero hoc sit de necessitate præcepti?* nonnulli affirmant apud Leandrum *q.* 15. sed melius alii negant, quia nullibi tale præceptum invenitur: unde si extra casum necessitatis, secluso scandalo, & contemptu, Sacerdos formam Crucis in hoc Sacramento non adhiberet, non peccaret mortaliter, quia nullum datur præceptum, & quia materia levis est, ut docent Suarez *disp.*40.*sect.*2. Coninch *disp.*19.*dub.*7. Palaus *pu.*3.*n.*2. Ant.*sect.* 4.*n.*17. Diana *part.*3.*tr.*4.*resol.*178. Beccanus, Layman, Reginald. & alii, quos affert, & sequitur Leander *dicta q.* 15. Si ea justa caussa omittatur, ut citius ministretur Sacramentum, instante morte; nullum erit peccatum, nec etiam veniale, ut cum Mossesio, Dicastillo, Trullench. & Baunio docent Ant. a Spiritu S. & Leander, qui nullum peccatum agnoscunt, etiamsi extra necessitatem omittatur signum Crucis, cum sufficiat, unctionem Sacram quocumque modo fieri.

21. Nec est de necessitate Sacramenti, sed solum de necessitate præcepti, quod hæc unctio fiat manu immediata Sacerdotis, ut habetur in Rituali, & Ceremoniali Romano. At tempore pestis, ad vitandum contagium, licitum est hoc Sacramentum ministrare virgula oblonga, ut docent Marchinus de peste *p.*3.*c.*5.*n.*1. Barbosa *de Offic. Parochi c.* 22.*n.*16. Diana *p.*3.*tr.*4.*resol.*167. ubi affert Sylvium, & Capeavillam *part.* 5. *tr.*3. *resol.*79. Aversa *sect.* 4. Ant. *num.*18. Leander *q.* 17. ubi docet, in Hispania vigere consuetudinem, ut omni tempore, non immediata manu Sacerdotis, sed virgula aurea, vel argentea, ad hunc usum deputata, Sacramentum hoc ministretur, quam consuetudinem esse observandam, ubi viget, docet etiam Ant. a Spiritu S.

22. Quæres: *Quotuplex unctio sit de necessitate facienda, & quænam partes corporis sint necessario ungendæ?* Concilium Florent. in instructione Armenorum recenset septem unctiones faciendas in corpore infirmi hoc modo: *Infirmus inungendus est in oculis propter visum, in auribus propter auditum, in naribus propter odoratum, in ore propter gustum, & locutionem; in manibus propter tactum, in pedibus propter gressum, & in renibus propter delectationem ibidem vigentem.* Verum has omnes unctiones non esse de necessitate Sacramenti facile patet, quia non omnes in omnibus adhibentur; nam unctio in renibus fere ubique omittitur, & in feminis semper omittendam esse propter honestatem, & decentiam, cum Toleto, Valentia, Suarez, Zambrano, Bellarm. & aliis docet Palaus *pu.*3.*n.*3. & cum eo alii communiter ex præscripto Ecclesiæ; & inde non est nec etiam de necessitate præcepti. Unctio in pedibus non est in usu apud omnes Ecclesias, & quamvis in Ecclesia Romana, & aliis, ut plurimum adhibeatur, non est tamen de necessitate Sacramenti, estque adhibenda, vel omittenda juxta consuetudinem cujuslibet Ecclesiæ. Nec obstat Concilium Florent. assignans septem unctiones, quia non assignavit illas, ut necessarias, & essentiales, sed explicavit ritum illo tempore usitatum in Ecclesia.

23. Restat difficultas de quinque sensibus; *an nimirum quinque sensuum unctio ita sit de essentia hujus Sacramenti, ut, uno prætermisso, irritum sit Sacramentum, nec gratiam conferat?* Communis Sententia affirmat, idque probat ex institutione Christi sic instituentis hoc Sacramentum, ut quinque sensuum unctiones essent de essentia ipsius; quod colligitur ex perpetua praxi, & consuetudine Ecclesiæ ab Apostolis derivata, & ex communi sensu Doctorum. Ratio etiam est, quia omnes istæ unctiones ordinantur ad integram sanitatem Animæ significandam, & operandam; ergo non habent perfectam significationem, nec integram rationem Sacramenti, nisi omnes compleantur. Ita tenent P. Philibertus Marchinus *de peste part.* 3. *c.*6. *num.* 16. ubi ait; etiam grassante peste omnes quinque unctiones esse adhibendas, vel potius hoc Sacramentum omittendum, cum illud non sit de necessitate salutis. Ita etiam tenent Bonacina *punct.*5. *n.*16. Coninch *disp.*19.*dub.*3. *n.*11. Sotus, Henriq. Suarez, Bellarminus, Valentia, Layman, quos affert, & sequitur Palaus *punct.* 3.*n.*6. Aversa *sect.*4. Filliuc. *n.*110.

24. Secunda Sententia, quæ valde probabilis est, negat esse de necessitate Sacramenti, ut omnes quinque sensus ungantur, sed asserit sufficere, si unus sensus ungatur cum sua consueta forma. Ratio est, quia necessitas quinque unctionum in quinque sensibus non satis colligitur ex verbis Apostoli solum requirentis unctionem infirmi: *Ungentes eum oleo;* hæc autem haberi potest per unicam unctionem, per quam homo dicitur sufficienter unctus, sicut per unicam ablutionem dicitur ablutus, & habetur Baptismus. Non ex Concil. Florent. nam ibi assignantur septem unctiones, quæ tamen omnes non sunt de essentia Sacramenti; et non est major ratio, ut excludantur duæ, & non plures. Trident. *sess.*14.*c.*1. nullum certum numerum assignat, solumque dicit hujus Sacramenti materiam esse oleum ab Episcopo benedictum; *nam unctio aptissime Spiritus Sancti gratiam, qua invisibiliter anima ægrotantis inungitur, repræsentat.* Si autem omnes quinque sensuum unctiones essent de essentia Sacramenti, id non prætermisisset Concilium, exactissime assignans materiam, & formam Sacramentorum. Non denique habetur ex usu, & consuetudine Ecclesiæ; nam hæc ostendit ritum, & praxim observandam de necessitate præcepti, non de necessitate Sacramenti.

25. Ratio satis efficax est, quia in unctione unius sensus salvatur tota, & integra ratio hujus Sacramenti: nam ibi datur materia, & forma cum intentione Ministri; quælibet unctio cum sua forma significat, & caussat remissionem peccatorum, quæ a peculiari sensu sunt admissa independenter ab aliis formis, & sic quælibet unctio in quolibet sensu sufficit ad Sacramentum essentialiter constituendum, sicut sufficit ad significandum. Reliquæ unctiones pertinent ad integritatem, & perfectionem Sacramenti, sicut plures Ordines constituunt unum Sacramentum Ordinis, & in quolibet Ordine habente diversas materias, & formas partiales, confertur diversa gratia, & Caracter, qui simul integrant, ac perficiunt eumdem Ordinem: puta Sacerdotium est unum Sacramentum, & tamen habet duas partes, quasi partiales cum sua materia, forma, & effectu distincto, in quarum altera traditur Ordinato potestas in Corpus Christi verum, & in altera potestas in Corpus Christi mysticum; ita in hoc Sacramento datur integra sanitas Animæ per integrum Sacramentum constitutum ex unctionibus quinque sensuum, & partialis sanitas per partiales unctiones cujuslibet sensus. Hanc Sententiam tenent Sylvius 3.*part.q.*32.*art.*7. Becanus *de Sacram. c.*27.3. & 7. Ochagavia *q.*3.*n.*7. Granadus *in* 3.*p. contr.*8. *de extr. unct. disp.*7.*n.*12. Chapeavilla, Rodriquez, Barthol. de Ledesma, Seranus, Estius, Caspensis, Amicus, quos afferunt, ac sequuntur Leander *disp.*3.*q.*20. Diana *part.*8.*tr.* 1. *resol.* 21. & Ant. a Spiritu S. *sect.*4. *n.*20. Baunius *de extr. unct. q.*12. *assert.*2. Dicastillus *tr.*7.*disp.*1.*n.*49. & omnes illi, qui docent, in qualibet unctione conferri statim gratiam, quos affert Diana *p.*3.*tr.*4.*resol.* 179.

26. Nec dicas, unum peccatum non potest remitti sine alio; ergo non potest remitti peccatum per quamlibet unctionem, sed dumtaxat in ultima, in qua perficitur Sacramentum. Sed contra est, quod hoc Sacramentum non est per se institutum ad delenda peccata mortalia, de quibus verificatur, quod unum non possit tolli sine alio, sed ad postulandam gratiam Spiritus Sancti, & conferenda auxilia roborantia infirmum adversus insidias diaboli, quæ possunt in qualibet unctione concedi.

27. Extra casum necessitatis numquam licitum est ministrare hoc Sacramentum sine unctione quinque sensuum, prout tradit communis Theologorum Sententia, & universalis Ecclesiæ ritus juxta Rituale Romanum; & inde peccaret lethaliter Sacerdos aliquam unctionem voluntarie omittens, quia sine caussa faceret contra usum Ecclesiæ in re gravi, justa interveniente caussa. Plures etiam ex Auctoribus primæ Sententiæ concedunt, licite posse hoc Sacramentum conferri in uno tantum sensu sub conditione

saltem

saltem mente retenta: justæ caussæ sunt, si urgeat periculum ex parte Infirmi, qui moritur ante quinque unctiones, vel ex parte ministri, qui timet contagium, si peste infectum ungat quinque unctionibus, vel dum timet, si unum quinque unctionibus ungat, alios ægrotos in majori mortis periculo constitutos absque ulla unctione decessuros. Ita Marchinus *supra n.26.* quem sequitur Diana *part.5. tract.3. resol.80. & in sum.* verb. *Extrema Unctio nu.9.* & cum alia Ant. a Spiritu S. *n.22.* Satis igitur erit in eo casu ungere unicum sensum magis expositum, & obvium, vel etiam caput, in quo omnes sensus magis vigent cum integra forma: *Per istam Sanctam unctionem, & suam piissimam misericordiam indulgeat tibi Deus, quidquid deliquisti per visum, auditum, odoratum, gustum, & tactum*, quam praxim observandam proponunt in morbis contagiosis, & peste grassante Pastorale Mechliniense *de Sacramento Unctionis can.9.* & Passaviense *can.11.* prout refert Diana *part.8. tr.1. resol.21.* tutius tamen, & securius est in dicto casu citissime ungere etiam sine forma Crucis unum oculum, unam aurem, unam manum, narem, & os cum præcitata forma, quæ virtualiter continet omnes: *Indulgeat tibi Deus, &c. quidquid deliquisti per visum, auditum, odoratum, gustum, & tactum*, ungendo successive sensum, quem nominat, quam praxim approbant in morbis contagiosis Diana supra referens Amicum, Aversa *sect.4.* qui bene notat, in periculo mortis præponendum esse ly *deliquisti*, ante per visum, auditum, &c. quia secus, si *deliquisti* servetur in fine, & interim decedat ægrotus nullatenus recipiet Sacramentum, quia non perficitur significatio. Ita etiam docent Coninch, Layman, & alii, quos sequitur Leander *q.21.*

28. Non est de necessitate Sacramenti, quod unctio fiat in binis organis singulorum sensuum, puta in utroque oculo, in utraque manu, & utraque aure, sed sufficit in altero fieri, quia per hoc satis veritas formæ, & significatio Sacramenti salvatur. Nec est de essentia, quod inter prædictas unctiones aliquis ordo servetur, ut prius oculi ungantur, quam manus, sed quocumque ordine fiant, validum est Sacramentum: non est tamen recedendum ab ordine præscripto in Rituali Romano, quem sine caussa invertere, esset peccatum mortale, juxta Palaum *pu.3. n.11. & pu.8. n.15.* aut veniale, ut cum Granado, & Dicastillo docet Ant. *n.25.* esset autem peccatum mortale sine caussa utriusque sensus unctionem omittere, puta ungere tantum unum oculum, & aurem, quia in re gravi faceret contra Ecclesiæ consuetudinem, ut cum Zambrano, Layman, & aliis docet Palaus *punct.8. n.15.* secus si hoc fieret ex necessitate, puta si infirmus non posset converti in aliud latus, vel timeatur periculum infectionis.

29. Si Ægrotus aliquo sensu careat, ut sunt cæci a nativitate, nec non mutilati, ungi debent in organo oculorum, aut in partibus propinquioribus partibus abscissis, quia licet careat sensu, potest tamen peccare secundum affectum, & appetitum videndi, loquendi, &c. ergo licet hujusmodi sensibus careat, capax tamen est hujus Sacramenti, & vere Sacerdos dicere potest: *Indulgeat tibi Deus quidquid per visum, auditum &c. deliquisti*, ut cum D. Thoma, Soto, Bonacina, & aliis docet Leander *q.24.* & tenet communis usus Ecclesiæ. Hic autem adverte, Sacerdotes non debere ungi in palmis manuum, in quibus jam fuerunt uncti in receptione Sacerdotii, sed in superiori versa parte manus ungi debent. Ita Ant. *n.24.* Bonac. *pu.5. nu.19.* Palaus *pu.8. n.15.* & docet Rituale Romanum.

30. *An vero possit hoc Sacramentum ministrari in qualibet parte corporis*, affirmant nonnulli a paritate Baptismi, qui valide ministratur in qualibet parte corporis, nec contrarium colligitur ex Scriptura, aut ex universali Ecclesiæ traditione, ut docet Becanus *q.7. n.6.* Verius tamen est, non posse valide ministrari, nisi in aliquo sensu, vel in capite, in quo maxime vigent sensus, quia secus non verificaretur forma hujus Sacramenti. Nec obstat paritas de Baptismo, quia ut docet D. Thom. *3.p. q.32. art.3.* Baptismus confertur per modum ablutionis, ablutio autem ad abstergendas sordes convenit toti corpori, & sic potest ministrari, aut in toto corpore per immersionem, aut in alia parte per infusionem, seu aspersionem; at Extrema Unctio adhibetur per modum medicinæ, & curationis, curatio autem debet applicari illis partibus, ubi est radix morbi: cum autem radix peccatorum proveniat a sensibus, in illis debet conferri Sacramentum Extremæ Unctionis, ut docent Leander *q.22.* Ant. *n.23.* & alii communiter.

! „ *De iis omnibus præclare Benedict. XIV. in sua Synodo Diœcesana c.18. lib.7. ita quippe loquitur*: Sed quoniam in Decreto Eugenii, pro instructione Armenorum, in hujusce Sacramenti administratione septem unctiones fieri jubentur, videlicet: *In oculis propter visum, in auribus propter auditum, in naribus propter odoratum, in ore propter gustum, vel locutionem, in manibus propter tactum, in pedibus propter egressum, in renibus propter delectationem ibidem vigentem*; earumque singulis respondere debeat forma, tunc a Ministro pronuntianda, hoc est: *Per istam sanctam unctionem, & suam piissimam misericordiam, indulgeat tibi Dominus quidquid per visum deliquisti*, cum inunguntur oculi; *quidquid per auditum deliquisti*, cum inunguntur aures, & sic deinceps, quemadmodum fuse exponitur in Rituali Romano: hinc alia gravis suboritur controversia; utrum omnes prædictæ unctiones, & formæ prolationes sint de Sacramenti substantia, de qua controversia multa habentur in erudita dissertatione *de suprema Unctione* Benedicti de Gaeta nis *cap.8.*

Ultro Doctores omnes fatentur cum Suarez *to.4. in 3. part. disp.40. sect.2. n.6.* duas postremas unctiones, pedum scilicet, & renum, necessarias non esse ad validam Sacramenti confectionem; tum quia non sunt in usu apud omnes Ecclesias; tum quia illa renum, honestatis, & pudoris caussa, semper omittitur in feminis, & interdum etiam in viris, qui propter labefactatas corporis vires, morbique languores, dimoveri nequeunt sine gravi incommodo, quod adnotatur *a* Rituali Romano, atque a Cardinali Sanctorio *in suo Rituali pag.* 325. Haud difficulter quoque iidem admittunt, ceteras quinque sensuum unctiones necessarias esse necessitate præcepti, sed dissentiunt, & disputant, num etiam necessariæ sint necessitate Sacramenti. Antiquiores Scholastici existimarunt, omnes pertinere ad substantiam, & integritatem Sacramenti, quod ea singulis, tamquam ex suis partibus essentialibus constitui, atque integrari, sunt opinati. Ita *in 4. dist.23.* docuerunt S. Bonaventura, Richardus, Paludanus, Sotus, quibus subscripsere Bellarm. *in Extr. Unct. lib. unic. c.10.* Gregor. de Valentia *to.4. disp.4. q.2. punct.2. §. Secundo asserimus*, Gonetus *to.5. pag.4*[illegible]*6.* aliique plurimi, præcipue ex Theologis moralibus. Citatur etiam pro hac sententia S. Thomas, sed Auctor Supplem. *3.p. q.32. art.6.* exponens Angelici Præceptoris mentem, dubitanter loquitur, inquiens: *Illa unctio ab omnibus observatur, quæ fit ad quinque sensus, quasi de necessitate Sacramenti*; & dubitanter quoque loquitur Suarez *cit. disp.40. sect.3. n.16.* quamvis sequenti *disp.41. sect.2. in fin.* videatur in sententiam propendere, tunc temporis fere communiter a Scholasticis receptam.

Alii ex adverso validum censent Extremæ Unctionis Sacramentum, si vel una tantum inungatur corporis pars, unica prolata, mox referenda, forma universali, omnes sensus complectente. Ita Sylvius *in Supplem. q.32. art.6. q.2.* Nicolaus Serarius *tr. de Extr. Unct. cap.7.* Becanus *in Summ. Theolog. de Sacram. in specie cap.27. q.7.* Estius *in 4. dist.23. §.15.* Natalis Alexander *Theolog. dogmat. & mor. to.5. lib.3. cap.5. regul.6.* Juenin *cit. dissert.7. q.3. c.2.* Tournely *cit. qu.2. art.1. in fin.* Vanroy *in sua Theolog. moral. part.4. to.2. de Sacram. tr. de Extr. Unct. q.3.* Pietate *q. Theolog. part.6. q.3. vers. Dico septimo*, aliique recentiores passim. Huic opinioni validissimum fundamentum præbet, diversa in unctionum numero disciplina, quam in diversis Ecclesiis sua ætate viguisse affirmat Albertus Magnus *in 4. dist.23. art.16.* inquiens: *Diversarum Ecclesiarum, & Ordinum, diversus est usus, quia in quibusdam Ecclesiis unguntur loca plura, in quibusdam pauciora.* Atque, exordiendo ab Ecclesia Orientali, licet Græci, teste Arcudio *concord. lib.5. cap.7.* nunc inungant frontem, mentum, ambas genas, pectus, manus, & pedes; attamen ineunte Sæculo IX tres tantum unctiones ab iisdem fieri consuevisse, asserit Theodulphus Aurelianensis Episcopus *Capitular. 2. apud Baluzium tom.7. miscell.* In Ecclesia vero Occidentali, invenimus quidem in S. Gregorii Sacramentario, edito *a* Menardo, præscriptas unctiones quinque sensuum; at in Codice Abbatis Rataldi illis additas legimus, unctionem colli, pectoris, & scapularum; in veteri Pontificali Prudentii Episcopi Tricassini imperatam insuper reperimus, *unctionem umbilici, seu loci, ubi plus dolor imminet*; antiquus Codex Turonensis, unctionem fieri mandat *in genibus quoque, & in cruribus, suris, pedibus, ac plantis, & pene in omnibus membris, seu in loco, ubi plus dolor imminet*; quæ omnia videri possunt apud Morinum *in append. ad tract. de Pœnit.* & Martene *de antiq. Eccles. ritib. tom.1. lib.1. cap.7. art.8. n.8.* Tanta autem in unctionum numero difformitas, non fuisset singularum Ecclesiarum arbitrio permissa, si certum earumdem numerum Sacramenti validitas exposceret.

Majus adhuc argumentum huic eidem opinioni suppeditant recentiora peculiarium Ecclesiarum Ritualia, unicam unctionem fieri permittentia, si omnes perfici nequeant. Siquidem Pastorale Mechliniense, cujus non levis est auctoritas, tum quia ab Academia Lovaniensi an. 1588. approbatum, tum quia ab Octavio Frangipani Episcopo Tricariensi, per Germaniam, ac Belgium Nuntio Apostolico, ad Diœcesis quoque Coloniensis usum protractum, hæc de Extrema Unctione statuit: *In morbis contagiosis, & peste grassante, ut periculum evitetur, sufficit inungi sensus organum magis ad unctionem expositum, ac detectum, dicenda: Per istam sanctam unctionem, & piissimam suam misericordiam, indulgeat tibi Deus quidquid deliquisti per visum, auditum, odoratum, gustum, & tactum.* In antiquo Codice Remigii Remensi a Sambovio laudato, legitur ritus *abbreviatus* conferendi hujus Sacramenti, ubi unius partis unctionis fit mentio. In Rituali Parisiensi, prolato „ a Tour-

„ a Tournely *cit. art.* 1. dicitur: *Si non possit super Infirmum fieri, nisi unica unctio, ungatur oculus, vel aliud sensuum organum, & ceteris precibus prætermissis, dicatur: Per istam Sacri Olei unctionem, & suam piissimam misericordiam, indulgeat tibi Deus quidquid peccasti per sensus;* eamdemque praxim approbant Cameracensis, Atrebatensis, aliarumque Ecclesiarum Manualia, apud citatum Natalem Alexandrum.

„ Sed quoniam neque de hac quæstione, quæ sane gravissima est, ulla hactenus ab Apostolica Sede prodiit sententia, non debet Episcopus in sua Synodo aliquid de illa decernere, sed dumtaxat Parochos monebit, ut cum prudenter timent, ægrotum decessurum priusquam omnes absolvantur quinque sensuum unctiones, unicum sensum inungant, formam universalem pronuntiando, quam ab allegatis Ritualibus audivimus. Quinimmo in prædicto eventu consultius esse, ut caput, e quo omnium sensuum nervi descendunt, sub eadem forma universali inungatur, non immerito advertit Coninch *de Sacram. disp.* 19. *dub.* 3. *n.* 2. Ne vero Parochi hac libertate abutantur, expedit, ut Episcopus simul serio eosdem admoneat, a gravis culpæ reatu non excusari, qui extra casum veræ necessitatis, vel unam ex quinque sensuum unctionibus prætermittit.

DUBIUM V.

De forma hujus Sacramenti.

31. Forma hujus Sacramenti sunt illa verba prolata a Sacerdote: *Per istam sanctam unctionem, & suam piissimam misericordiam indulgeat tibi Deus quidquid per visum deliquisti. Amen;* & sic in aliis partibus, expresso nomine singulorum sensuum, quando unguntur, scilicet *per auditum, per odoratum &c.* ut præscribitur in Rituali Romano, quæ forma desumpta est ex Concil. Florentino, & Tridentino supra relatis, & ex perpetua Romanæ Ecclesiæ traditione derivata ab Apostolo promulgatore hujus Sacramenti, estque per se sufficiens, absque eo quod addatur: *in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*, ut voluerunt Angelus, Armilla, Cenedo, & Lublinus relati a Leandro *disp.* 2. *q.* 18. quia nulla est specialis necessitas invocandi Sanctissimam Trinitatem, cum hoc Sacramentum non sit professio Fidei, sicut est Baptismus, neque ad illam armat, ut Confirmatio; nec etiam est de necessitate præcepti talis invocatio Trinitatis, quia neque in Conciliis, neque in Rituali Rom. cavetur, Trinitatem esse invocandam, ut cum Palao *p.* 4. *n.* 5. docet Leander *loco cit.* cum Filliuc. *c.* 4. *n.* 86. notat Diana *p.* 3. *tr.* 4. *resol.* 175.

32. Quæres: *An omnia præcitata verba sint de essentia formæ, & de necessitate Sacramenti?* Hic recolenda sunt ea, quæ diximus supra *tr.* 1. *de Sacramentis in genere c.* 1. *dub.* 5. ubi diximus, formas Sacramentales habere verba determinata, quarum mutatio substantialis invalidat Sacramentum, non sic mutatio accidentalis; & illam dici mutationem substantialem, in qua variatur sensus, & significatio verborum: discurrendo igitur per singulas partes assignatæ formæ pro Extrema Unctione, certum est, unctionem esse necessario exprimendam, sicut in Baptismo debet exprimi ablutio, non tamen est de necessitate Sacramenti, quod addatur ly *Sanctam*, cum non ponatur in Trid. ubi simpliciter dicitur, *per istam unctionem*; si autem esset de essentia formæ, non fuisset a Trid. prætermissa; sicut non est de necessitate, quod addatur *piissimam*, quia, illis verbis omissis, adhuc remanet integer sensus, ut cum Coninch, & Reginaldo docet Bonac. *pu.* 3. *n.* 4. Nec esset invalidum Sacramentum, si omitteretur, *& suam piissimam misericordiam*, quia adhuc remanet integer sensus; nam ex sua piissima misericordia Deus nostra peccata dimittit, & illa verba sufficienter continentur in ly *Indulgeat*. Quapropter de necessitate Sacramenti sufficiunt ista verba: *Per istam unctionem indulgeat tibi Deus quidquid per visum deliquisti*, & sic de aliis; non possunt tamen hæc verba omitti sine peccato. Ita tenent Suarez, Layman, Reginald. Filliuc. Coninch. quos affert, & sequitur Diana *p.* 3. *tr.* 4. *resol.* 175. & 180. Ant. a Spir. S. *n.* 29. & aliis adductis, Leander *q.* 19.

33. Quæres 2. *An sit de necessitate Sacramenti, quod forma proferatur modo deprecativo?* Negant nonnulli, dicentes sufficere, si proferatur modo indicativo, *Ungo te*, sicut observatur in aliis Sacramentis, quorum formæ proferuntur modo indicativo, *Ungo te: Confirmo te: Absolvo te.* Ita tenent Becanus, Ricardus, Albertus, Durandus, Aureolus, quos affert Ant. a Spiritu S. *sect.* 5. *n.* 28. & probabile putant idem Ant. Ochagavia, & Dicastillus: refert etiam D. Bonavent. *in* 4. *dist.* 23. *art.* 1. *q.* 4. D. Ambrosium usum fuisse hac forma: *Ungo te oleo Sanctificato in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, ut more militis uncti, præparatus ad certamen aereas superare possis potestates.*

34. Resp. Ad validitatem hujus Sacramenti non sufficere formam indicativam, sed necessario requiri formam deprecativam, quia sic habetur ex Concil. Florent. & Trid. & aperte indicatur ab Apostolo, dum ait: *Orent super eum, & oratio Fidei salvabit infirmum;* & ita tenent Doctores communiter, D. Thomas, Sotus, Henriq. Nugnus, Bonac. Hurtad. Diana, & alii, quos congerit, & sequitur Leander *disp.* 2. *q.* 23. Ita etiam Averfa *sect.* 3. qui ad auctoritates D. Ambrosii, & aliarum Ecclesiarum respondet, illa verba per modum indicativum fuisse prævia, & dispositiva ad formam, sed adhibitam quoque fuisse veram formam per modum deprecativum.

35. Facilius admittenda videtur illa forma: *Ungo te Oleo Sancto, ut per suam misericordiam indulgeat tibi Deus quidquid per visum &c. deliquisti*, quia non est pure indicativa, sed verbo indicativo adjungitur sufficiens deprecatio. Sic Suarez *disp.* 40. *sect.* 3. Layman *l.* 5. *tr.* 8. *c.* 3. Reginaldus *l.* 28. *c.* 9. *n.* 55. Diana *p.* 3. *tr.* 4. *resol.* 175. Ant. *n.* 28. Leander *q.* 4. Negat tamen, illam sufficere Bonac. *punct.* 3. *n.* 3. quia illa forma non videtur continere deprecationem erga Deum, prout requiritur in forma Extremæ Unctionis. Certum est, illam esse formam dubiam, nec posse adhiberi sine gravi peccato mortali, ut etiam fatentur Doctores, qui validam esse asserunt.

36. Cur autem forma hujus Sacramenti debeat esse deprecativa, non potest alia caussa assignari, quam voluntas Christi sic instituentis, quæ quidem satis constat ex perpetua traditione Ecclesiæ, & ex verbis D. Jacobi. Congruentias aliquas affert D. Thomas *in* 4. *dist.* 23. *q.* 1. *art.* 4. *qu.* 2. quia infirmus viribus propriis destitutus eget deprecatione aliorum, & quia transit ex foro Ecclesiæ ad forum Divinæ Majestatis, cui per hoc Sacramentum commendatur.

„ *Si quid præterea cupis, studiose Lector, circa hujus Sacramenti formam, & difficultates, quæ ad illam potissimum referuntur, vide in Synod. Diœces. c.* 17 *lib.* 17. *ubi eadem certe, sed clariori, & eruditiori modo exponuntur, ac plurimorum Patrum auctoritate magis adhuc confirmantur. Sic autem legitur:* In Dissertatione Benedicti de Gaetanis plura erudite collecta legi possunt de Forma hujus Sacramenti, desumpta ex variis Ecclesiarum Ritualibus tum Latinis, tum Græcis. Lectorem ad eum allegamus, & nunc tantum animus est ea subdere, quæ Episcopi in suas Synodos inserere possunt, si in eis de Forma Sacramenti loqui velint.

„ Formam Sacramenti Extremæ Unctionis non esse a Christo Domino institutam *in specie infima*, ut ajunt, hoc est certis verbis præscripiam, Theologi omnes admittunt; atque ex mox referendis diversis formulis, etiam in Ecclesia Latina, in illius administratione usurpatis, evidenter demonstratur. Quæ nunc in Ecclesia Latina sit adhibenda, jam a Tridentino accepimus, & clarius in Rituali Romano explicatur; neque est, qui non intelligat, eam esse deprecativam; quemadmodum deprecativam pariter esse, quæ adhibetur a Græcis, liquet ex eorumdem Euchologio *in Officio Olei Sancti*, testanturque Gabriel Philadelphiæ Metropolita *in suo de Sacramentis opere*, Arcudius *lib.* 5. *cap.* 5. & Neophytus Rhodinus *in cit. Synopsi vernacula.* Sed quæstio est: *an necessario debeat esse deprecativa, itaut indicativo modo pronuntiata, irritum reddat Sacramentum?* Deprecationem pertinere ad Sacramenti essentiam, docent S. Thom. *in* 4. *dist.* 23. *q.* 1. *art.* 4. *quæstiunc.* 2. *& in supplem. q.* 29. *art.* 8. S. Bonav. *ead. dist. art.* 1. *q.* 4. Suarez *cit. disp.* 40. *sect.* 3. Valentia *cit. disp.* 8. *q.* 1. *pu.* 2. Henriq. *de Sacram. lib.* 3. *cap.* 8. aliique plurimi, præsertim ex antiquioribus, id manifeste confici existimantes ex allegatis S. Jacobi verbis: *Infirmatur quis in vobis? Inducat Præsbyteros Ecclesiæ, & orent super eum.... & oratio fidei salvabit infirmum &c.* quibus certe tota Sacramenti efficacia Sacerdotis orationi tribuitur. Nihilominus Albertus Magnus *ead. dist.* 23. *art.* 4. atque ibidem Richardus, Durandus, Paludanus, quibus ex recentioribus adhærent Tannerus *cit disp.* 7. *dub.* 1. *n.* 22. Estius *in* 4. *dist.* 23. §. 10. Menardus *in notis ad lib. Sacramentor. S. Gregorii*, Juenin *cit. dissert.* 7. *q.* 4. Tournely *de Sacram. Extr. Unct. q.* 2. *art.* 2. Martene *de antiq. Eccles. rit. lib.* 1. *c.* 7. *art.* 3. §. 9. nihil Sacramenti substantiæ detrahi arbitrantur per formam, modo absoluto, non deprecativo prolatam, dummodo per eam significetur, unctionem fieri in nomine Domini. Ad hanc autem sententiam comprobandam innumeras exhibent formas absolutas, & non deprecativas in variis Ecclesiis Latinis olim usurpatas, quin Majores nostri eas, tamquam insufficientes, respuerint. Non ignoramus quid ad hoc, efficax certe argumentum, reposuerit Cardinalis Sanctorius *in suo Rituali pag.* 324. ubi ad illud refellendum, hæc scripsit: *Sciat autem Sacerdos, formam hujus Sacramenti esse verba illa deprecatoria, quæ in unctionibus proferuntur, veluti, secundum usum Romanæ Ecclesiæ: Per istam sacram unctionem, & suam piissimam misericordiam, indulgeat tibi Dominus quidquid per visum deliquisti. Tum etiam noverit, formam non servari, & nihil agi per verba indicativa tantum, puta: Ungo oculos tuos, vel manus tuas, & similia, sine verbis deprecativis, cujusmodi hactenus ego non reperi. Et quamvis ea occasione aliqui Theologi referant, quod multæ Ecclesiæ habent pro forma verba indicativa, ut, Ungo oculos tuos &c. & ideo quæsierint, an valeat, & de ea re plura extra rem dixerint, cum nusquam reperiatur talis forma per verba indicativa tantum, seu per orationem indicativam*

„ tan-

„ *tantum, sine verbis deprecativis hoc Sacramentum conferri. Sed & libri, & ritus Ecclesiarum, qui pro ea parte citantur, quod habeant verba indicativa, paullo post habent etiam verba deprecativa &c. quare quæstio inanis, & frustranea est. Quoniam autem hujusmodi forma variis verbis traditur in diversis Ecclesiis, etiam præmittendo verba indicativa, & subjungendo deprecativa; unaquæque Ecclesia suam potest retinere formam, modo semper adhibeantur verba deprecativa &c. Ceterum apud Sanctam Romanam Ecclesiam unam tantum in hoc Sacramento deprecandi formulam traditam, & passim in Italia, & toto Orbe receptam esse, compertissimum, & exploratissimum est.* Verum, etsi Sanctorio concedamus, aliquam deprecationem posse deprehendi, cum in antiquissima illa forma Ambrosiana, quam refert S. Bonaventura *cit. loc. q.4. Ungo te Oleo sanctificato, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, ut more militis uncti præparatus ad certamen, aereas possis superare potestates;* tum in alia desumpta ex libro Sacramentali Venetorum, a Leone X. ut fertur, approbato: *Ungo te Oleo Sancto, ut hac unctione protectus, fortiter stare valeas adversus aereas catervas, in nomine Patris &c.*; tum demum in ea, quæ ex vetustissimo libro Sacramentorum Ecclesiæ Catalaunensis profertur a Martene *citato loco: In nomine Patris &c. sit tibi hæc porrectio Olei sanctificati ad purificationem mentis, & corporis.* Etenim verba illa *ut*, & *sit* optativa cum sint, non incongrue referre possunt proferentis votum, orationem, & preces. At nescimus, quo pacto possit deprecatio inveniri in aliis formis, ex pluribus antiquis Ritualibus, a Menardo, & Martene productis, in quibus solum adhibetur verbum *Ungo*, absque alio additamento, e quo deprecatio colligi, aut fingi queat; nec facile erit ad deprecativum sensum hanc detorquere, quæ extat in antiquo Pontificali Narbonensi: *In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti regnantis in sæcula sæculorum, accipe sanitatem corporis, & remissionem peccatorum tuorum.* Sed utcumque hæc res se habeat, cum nihil de ea ab Ecclesia definitum habeamus, non decet in Synodo, seu Synodali instructione, ejusmodi quæstionem commemorare; sed dumtaxat injungendum est Parochis, ut formam adhibeant in Rituali præscriptam, quæ certe sine gravi flagitio non potest privata auctoritate immutari.

DUBIUM V.

De Ministro hujus Sacramenti.

37. MInister hujus Sacramenti est solus Sacerdos rite ordinatus, ut habetur ex verbis Apost. *Inducat Presbyteros Ecclesiæ*, quorum nomine intelliguntur soli Sacerdotes rite ordinati, ut declaravit Trident. *sess. 14. c. 3. Quo nomine, eo loco, non ætate seniores, aut primores in populo intelligendi veniunt, sed aut Episcopi, aut Sacerdotes ab ipsis rite ordinati*, Et *can. 4.* anathemate damnat oppositum sentientes, ex quo inferunt Doctores neque etiam ex commissione Summi Pontificis posse hoc Sacramentum ministrari a Diacono, etiam in extrema necessitate, sicut non potest ministrari Sacramentum Pœnitentiæ, cujus Extrema Unctio est consummatio. Cum autem in Sacerdote duplex sit potestas, alia in Corpus Christi verum, qua nimirum potest consecrare Eucharistiam, & alia in Corpus Christi mysticum, qua potest peccata remittere, in hac secunda parte continetur, & radicatur potestas ministrandi Sacramentum Extremæ Unctionis, ut proinde possit a solo Sacerdote ministrari.

„ *Hic agitur quæstio circa legitimum hujus Sacramenti Ministrum, & hanc, omnibus solutis difficultatibus, allatam, in confirmationem potissimum hujus paragraphi, videre poteris in c. 19. Synod. Diœcesan. Omnia quippe adducuntur Adversariorum argumenta, & omnia simul Patrum, & Conciliorum testimonia adnectuntur, quibus eorumdem difficultates, atque objectiones elegantissime diluuntur.* Sacramenti Extremæ Unctionis Ministros solos esse Sacerdotes, contra Novatores definivit Trid. *sess. 14. can. 4. Si quis dixerit, Presbyteros Ecclesiæ, quos B. Jacobus adducendos esse ad Infirmum inungendum hortatur, non esse Sacerdotes ab Episcopo ordinatos, sed ætate seniores in quavis Communitate, ob idque proprium Extremæ Unctionis Ministrum non esse solum Sacerdotem; anathema sit.* Neque ullam difficultatem facit, quod de hujus Sacramenti administrandi ritu legitur apud Guidonem in disciplina Farfensi, nempe: *Tunc sint quatuor Conversi, quorum unus accipiat Aquam Sanctam, alius Crucem, tertius Thuribulum, quartus Oleum sacrum.* Hic quippe *Conversus* Oleum deferebat, quo Infirmum non a se, sed a Sacerdote inungeretur; sicuti ibidem postea adnotatur, & scite animadvertit Monachus Benedictinus Congregationis S. Blasii in Sylva Nigra *c. 127.* Præfationis ad Opus inscriptum: *Vetus disciplina Monastica*, quod anno 1726. evulgavit. Aliquid tamen negotii facessit Innocentius I. in sæpius laudata Epistola ad Decentium, in qua videtur omnibus Christianis facultatem asserere, se ipsos, aliosque infirmos inungendi; loquens quippe de Sacro Oleo ait: *Quod ab Episcopo confectum, non solum Sacerdotibus, sed & omnibus uti Christianis licet in sua, aut in suorum necessitate, ungendum*; seu, ut melius alii legunt, *ungendo*, aut *ad ungendum*. Verum ab Innocentii mente perquam longe aberrare, qui eum hoc loco omnes Christianos Sacramenti Extremæ Unctionis Ministros facere arbitrantur, optime advertit Petrus Coustant *in notis ad eamd. Epist. to. 1. col. 863.* Siquidem ibidem ad aliam statim progrediens quæstionem, de qua fuerat a Decentio interrogatus: *an scilicet ita Presbyterorum proprium sit Sacramentum Extremæ Unctionis administrare, ut illud conferre Episcopis non liceat?* hanc opinionem, quæ plurimorum mentes invaserat, confutat Pontifex, respondens: *Ceterum illud superfluum esse videmus adjectum, ut de Episcopo ambigatur, quod Presbyteris licere non est dubium. Nam idcirco Presbyteris dictum est, quia Episcopi occupationibus aliis impediti, ad omnes languidos ire non possunt.* Cuinam autem in mentem veniat, potuisse Innocentium omnibus Christianis potestatem tribuere, quam plerique, per eam ætatem, ex verbis Apostoli Jacobi inferebant, adeo propriam esse Presbyterorum, ut eam etiam Episcopis abjudicarent?

„ Quocirca allegatum Innocentii textum, quem totidem verbis repertum legimus a Beda *in cit. epist. Jacobi*, atque ab Anonymo Scriptore, qui Canonicorum regulam e Grodogango, atque ex Capitularibus Aquisgranensibus anni 816. consarcinavit (*collect. Harduini to. 4. col. 1207.*) plerique intelligendum censent de Unctione non Sacramentali, sed quæ unice fieret ad medendos corporis languores; ideoque non de unctione Jacobi, sed de alia, cum illa magis comparanda, de qua *Marci 6.* Etenim cum viderent Fideles, Extremæ Unctionis beneficio, plures infirmos in pristinam restitui sanitatem, cœperunt eodem Sacro Oleo uti ad sui, aliorumque curandas infirmitates, cujus rei fidem faciunt Rufinus *lib. 11. hist. Eccles. cap. 4.* Palladius *hist. Lausiacæ cap. 20.* Sulpitius Severus *in vita S. Martini cap. 21.* Gregorius Turonensis *in vitis Patrum cap. 4.* & clarius constat ex vita S. Gothardi Episcopi, *apud Surium die 4. Maji to. 7.* qui Presbytero jussit, ut cujusdam mulieris oculorum morbo laborantis, *Sacro Oleo, quod Infirmorum dicitur, ejus ungeret oculos, quæ quidem unctio, & sancti viri preces, ab illo dolore, usque ad finem vitæ, eam immunem conservarunt.* Hunc autem morem, sua ætate maxime vigentem, voluisse Innocentium *cit. loco* approbare, interpretantur Alphonsus de Castro *lib. de hæres. V. Extrema Unctio*, Sotus *in 4. dist. 23. q. 2. art. 1.* Gregorius de Valentia *cit. tom. 4. disp. 8. q. 2. punct. 1.* quorum explicationem probabilem putant Estius *in 4. dist. 23. §. 12.* & Tournely *cit. q. 2. art. 4.*

„ At melius fortasse Jansenius Gandavensis *in c. 6. Marci*, Maldonatus *ibidem*, Bellarminus *cit. lib. 1. cap. 9.* Baronius *ad ann. 63. n. 14.* Suarez *cit. tom. 4. disp. 43. sect. 1. n. 6. in fine*, Estius *cit. §. 12. versic. Potest & aliter*, quos sequitur laudatus Coustant, Innocentium loquutum arbitrantur de unctione *non activa*, sed *passiva*, hoc est non de collatione, sed de receptione Sacramenti. Cum enim aliquibus persuasum forte fuerit, Oleo Sancto solos inungi posse Sacerdotes, a quibus conficitur, eo pacto, quo in veteri, atque etiam in nova Lege, quædam aliæ sacræ Unctiones sunt Regum, & Sacerdotum propriæ, ad hanc refellendum errorem, docet ibidem Innocentius, Oleum sanctum confici quidem ab Episcopo, aliis adjuvantibus inferioris ordinis Sacerdotibus, non tamen ut subinde ipsi soli, verum etiam, ut omnes Christiani, positi in vitæ discrimine, ungantur. „

38. Habet potestatem valide administrandi hoc Sacramentum omnis, & quicumque Sacerdos, quamvis degradatus, & excommunicatus existat, quia in verbi D. Jacobi nulla fit exceptio, sed absolute dicitur, *inducat Presbyteros*. Ratio etiam est, quia hoc Sacramentum non administratur per modum judicii, ut Sacramentum Pœnitentiæ, quod proinde requirit in Ministro jurisdictionem ad legitime proferendum sententiam judicialem, sed per modum medicinæ, ad quam non requiritur potestas jurisdictionis, sed sufficit potestas Ordinis, quæ cum reperiatur in Sacerdote degradato, & excommunicato, potest valide ministrare hoc Sacramentum, sicut potest valide consecrare Eucharistiam, ut docet Palaus *punct. 7. n. 3.* Bonac. *punct. 4. n. 3.* & alii communiter.

39. Licite autem non potest hoc Sacramentum ministrare, nisi solus Parochus, aut alius Sacerdos de illius licentia; unde graviter peccat quicumque sine tali facultate hoc Sacramentum administrat, quia alienam jurisdictionem sibi usurpat, ut ex communi Sententia tradunt Sylvester, Armilla, Tabiena, Coninch, & alii, quos sequitur Bonacina *punct. 4. n. 5.* Palaus *punct. 7. n. 3.* & colligitur ex *Clement. 1. de privileg.* & ex Clement. *dudum de sepultur.* quia hoc pertinet ad munus pascendi, in quo sine licentia ordinarii Pastoris nemo se ingerere debet; & quidem Religiosis exemptis in *Clement. 1. de privileg.* expresse prohibetur talis administratio sine licentia Parochi sub excommunicatione Pontifici reservata; quam excommunicationem

licet Sotus *in 4. dist. 23. q. 2. art. 1.* & Valentia *hic q. 2. pu. 1.* extendant ad omnes Sacerdotes etiam Sæculares, vere tamen Textus non loquitur, nisi de solis Regularibus exemptis, ac proinde non debet Excommunicatio extendi ad alios Sacerdotes Sæculares, qui tamen administrando graviter peccarent, & puniri possent arbitrio Episcopi.

40. Ut Religiosi excommunicationem non incurrant, & alii quicumque Sacerdotes non peccent in hac administratione, sufficit licentia tacita, & rationabiliter præsumpta, quæ adesse censetur, quando, existente infirmo in articulo mortis, Parochus abest, vel, si præsens est, non potest, vel malitiose non vult ministrare, quia tunc præsumitur adesse consensus, & licentia Episcopi, vel Summi Pontificis; cum non sit credibile, Ecclesiam velle privare infirmum tanto Sacramento, quo potest ex attrito fieri contritus, & consequenter salvari. Ita Sotus, Cajet. Suarez, Filliuc. Vivaldus, Villalob. Granado, Henriq. & alii, quos affert, & sequitur Leander *disp. 4. q. 3.* Layman *l. 5. tr. 8. c. 6. n. 2.* Diana *p. 3. tr. 4. resol. 170.* & *p. 5. tr. 3. resol. 72.* & iterum *p. 8. tr. 1. resol. 56.* aliique communiter, quorum plures addunt, quemlibet Sacerdotem etiam Regularem ad id teneri ex lege caritatis, si infirmus absque alio Sacramento moreretur; secus si aliud Sacramentum jam recepisset; tunc enim licite posset, sed non teneretur sub mortali Extremam Unctionem ministrare. Palaus *punct. 8. nu. 6.* Leander *disp. 1. q. 9.* Ant. a Spiritu S. *sect. 7. n. 45.* Diana *supra*. Layman *c. 7. n. 3.*

41. Quæres I. *An, & quatenus possint plures Sacerdotes hoc Sacramentum ministrare?* Certum est, regulariter loquendo, esse ministrandum ab uno tantum Ministro, nec posse extra casum necessitatis absque culpa a pluribus ministrari, quasi per partes; nimirum, ut unus unum sensum ungat, & alter alterum, ut patet ex praxi, & consuetudine Ecclesiæ, a qua, citra peccatum in re tam gravi, non est licitum recedere. Nec obstant verba D. Jacobi dicentis in plurali: *Inducat Presbyteros Ecclesiæ, & orent super eum, ungentes eum oleo*; nam ibi sumitur plurale pro singulari, adeo ut sensus sit: *Inducat aliquem ex Presbyteris Ecclesiæ*, prout in Ecclesia Latina semper usitatum est. Requiritur etiam ad valorem hujus Sacramenti, ut unus, & idem Sacerdos ungat, & verba proferat, quod est materiam, & formam simul administrare, prout in Baptismo idem Minister debet abluere, & verba proferre; quod etiam patet ex verbis ejusdem formæ: *Per istam sanctam unctionem &c.*

„ *Bene apponit Giribaldus noster cum de pluralitate Sacerdotum hoc Sacramentum administrantium*: prout in Ecclesia Latina semper usitatum est; *de Ecclesia enim Græca non idem dicendum, ut videre est in Synodo Diœces. loc. cit. §. 8. ubi hæc habentur*. Quæ autem diximus de Extrema Unctione per unicum Sacerdotem administranda, locum tantum habent in Ecclesia Latina, non vero in Græca, in qua antiqua retinetur consuetudo, septem adhibendi Sacerdotes in hujusce Sacramenti collatione, uti legitur in eorumdem Euchologio, testanturque Simeon Thessalonicensis apud Saintebeuve *cit. tr. de Sacram. Extr. Unct.* & Arcudius *concord. l. 5. c. 3.* qui insuper ejus numeri rationes, & caussas adducunt. Quod, si septem Sacerdotes præsto non sint, tres saltem ad Sacramentum conficiendum ab ipsis adhiberi, iidem Arcudius, & Thessalonicensis enarrant, neque Ecclesia Latina hanc Græcorum disciplinam, quam & ipsa pluribus sæculis religiose servavit, umquam improbavit, modo Græci nobiscum credant, & fateantur, valide posse idem Sacramentum ab unico Sacerdote administrari; quemadmodum adnotarunt Goarius *in comment. ad Græcorum Euchologium*, Leo Allatius *de consens. Eccles. Occid. & Orient. lib. 3. c. 16.* Arcudius *cit. c. 3.* & Auctor *Theol. moral. ad usum Semin. Petrocorensis tom. 4. lib. 2. tr. 2. c. 2.* Quamobrem, si Episcopus Latinus Diœcesi præpositus, quam Catholici Græci ritus inhabitant, velit aliquid de hac re in sua Synodo deliberare, vestigia sectetur superius citatæ Synodi Provincialis Ruthenorum, habitæ Zamosciæ anno 1720. atque a Benedicto XIII. anno 1724. confirmatæ, in qua hæc habentur: *Quamquam in Græca Ecclesia receptum fuerit, prout aliquando etiam in Latina, ut septem Sacerdotes, hisque deficientibus, tres saltem advocarentur ad ministrandum hoc Sacramentum, hique omnes & materiam sub ministrarent, & formam proferrent; sciant autem Pastores, plures ea de caussa adhiberi solitos Sacerdotes, tum ob reverentiam ejusdem, ac gratiæ copiam, quam confert, tum ut plurium Sacerdotum preces effectum Sacramenti coadjuvent: qua de caussa Sancta Synodus statuendum censet, ut, si septem, aut tres Sacerdotes haberi commode non possint, unus, qui totius Ecclesiæ personam gerit, & cujus virtute hoc Sacramentum perficit, illud conferat, ac infirmo ministret.* Poterit etiam Synodo inferere §. 5. *citat. nostræ Constitutionis* 57. ubi hæc ad rem ediximus: *Nec refert, utrum eadem Extrema Unctio per unum, vel plures Presbyteros fiat, ubi ejusmodi viget consuetudo, dummodo credant, & asserant, illud Sacramentum, servata debita materia, & forma, ab uno Presbytero valide, & licite confici. Idem Sacerdos materiam adhibere, formamque pronuntiare respective debet, ac præterea qui ungit, idem dicat formam respondentem, nec alius ungat, & alius formam pronuntiet.*

42. *An vero possit aliquando valide, & licite a pluribus Ministris ministrari?*

Resp. Sacramentum Extremæ Unctionis valide posse ministrari a pluribus Sacerdotibus, & aliquando etiam licite. Si enim unus Sacerdos ungat unum sensum, puta oculos cum sua forma, & alius aures cum sua forma, validum est Sacramentum; nam quælibet unctio cum sua particulari forma habet integram, & perfectam significationem in suo gradu, & ita potest a pluribus ministrari; & in casu necessitatis, quando periculum est, ne infirmus decedat antequam finiantur omnes unctiones ab uno, & eodem Ministro, licite fieri possunt a pluribus, quorum unus ungat quædam organa cum suis formis, & alter alia cum suis formis. Quod si post unam, aut alteram unctionem Sacerdos ministrans moriatur, potest alius Sacerdos continuare reliquas unctiones, absque necessitate repetendi jam factas. Bonac. *punct. 4. n. 7. 8. & 9.* Suarez *disp. 43. sect. 2.* Filliuc. *n. 94.* Averia *sect. 10.* Diana *p. 5. tr. 3. resol. 88.*

„ *Non inficiatur Sapientissimus noster Pontifex, quod a Giribaldo hic asseritur circa validitatem hujus Sacramenti a pluribus simul Sacerdotibus administrari; verum multa præterea superaddit, quibus Latinæ Ecclesiæ praxim confirmat; scilicet nonnisi ab uno Sacerdote esse administrandum, quamvis quandoque, & in quibusdam casibus, etiam a pluribus administrari liceat. Vide itaque in supra laudato c. 19. §. 4. quæ hic sequuntur.* Posito jam, hujus Sacramenti administrationem solis esse commissam Sacerdotibus; dubitare quis posset: *num ad illud valide conficiendum unus sufficiat, vel plures requirantur Presbyteri?* Rationem dubitandi præbent sæpius allegata verba Apostoli Jacobi, ajentis: *Infirmatur quis in vobis? Inducat Presbyteros Ecclesiæ, & orent super eum, ungentes eum oleo in nomine Domini.* At nihilominus firmiter tenendum est, per unum tantum Sacerdotem valide Sacramentum confici, quod & definivit Alexander III. in cap. *Quæsivit, de verbor. significat. Nos itaque tibi duximus respondendum, quod Sacerdos, uno præsente Clerico, & etiam solus, potest infirmum ungere*, hodieque vigens in Ecclesia Latina usus confirmat. Neque refragantur verba S. Jacobi, qui, cum dixit, *Presbyteros Ecclesiæ*, significavit aliquem ex Presbyteris Ecclesiæ. Novum quippe non est, in sacris Litteris numerum pluralem poni pro singulari, quemadmodum advertit Augustinus *lib. 3. de consens. Evangelist. c. 16.* cujus auctoritate fretus S. Thomas *lib. 4. contra Gentes c. 73.* scripsit: *Jacobus dicit: Inducat Presbyteros Ecclesiæ, & oratio fidei sanabit infirmum. Si tamen unus solus Presbyter adsit, intelligitur hoc Sacramentum perficere in virtute totius Ecclesiæ, cujus Minister existit, & cujus personam gerit.*

Sed quamquam unus certe sufficiat, plures nihilominus Sacerdotes fuisse olim in Ecclesia Latina adhibitos, ex pluribus antiquis Ritualibus colligit Menardus *nota 909. ad Sacramentarium S. Gregorii*, quibus alia ejusdem generis, præcipue Cadurcense, Rutenense, & Tutelense, addidit Martene *de antiq. Eccles. ritib. l. 1. c. 7. art. 3. §. 3.* eumdemque morem nobis exhibent Constitutiones Angliæ, collectæ a Guillelmo Lindevvode, in quibus *ad tit. de Extrema Unctione pag. 27.* legimus: *Cum magna reverentia deferatur Oleum Infirmorum ad infirmos, & ipsos inungant Sacerdotes cum magna devotione, & orationum celebritate, quæ ad hoc sunt ordinatæ*; ubi adnotavit Glossator *verb. Orationum*, a singulis Sacerdotibus pronuntiatam fuisse formam deprecativam, cuilibet unctioni accommodatam; cumque eamdem Constitutionem totidem verbis repetitam inveniamus inter Constitutiones Odonis Episcopi Parisiensis (*collect. Harduin. tom. 6. p. 2. col. 194.*) inde conjicimus, eam disciplinam in Galliis adhuc perdurasse Sæculo XII. quo illæ sunt editæ. Recte tamen observat laudatus Martene *ibid. §. 5.* hanc ipsam Ecclesiæ Latinæ consuetudinem non fuisse firmam, constantem, atque universalem, cum ex aliis æque antiquis monumentis, ab eodem productis, constet, sæpius infirmos ab unico Sacerdote inunctos. Nam Attenum febre correptum, ab unico *S. Nepotiano visitatum, atque oleo perunctum*, narrat S. Gregorius Turonensis *lib. 1. hist. cap. 41.* & S. Eugendum *ab uno de Fratribus* pariter inunctum legimus in ejus Vita *apud Bolland. 1. Januarii*. Hic vero ritus sacræ Unctionis ab unico recipiendæ Sacerdote, a paucis tunc, nec fortasse extra casum necessitatis, usurpatus, adeo postea in Ecclesia Latina invaluit, ut Theologi Scholastici cum Suarez *cit. disp. 43. sect. 2. in fine*, & Cardinali de Lauræa *in 4. sent. tom. 3. disp. 11. art. 9. n. 114.* illicitum nunc reputent, seclusa necessitate, ejusmodi Sacramentum a pluribus administrari, quoniam nemini integrum est, in Sacramentis administrandis, a norma recedere in Rituali præscripta; si autem plures simul Sacerdotes reipsa Sacramentum hoc conficiant, nemo ambigit, illud esse ratum, modo singuli diversos inungant infirmi sensus, & quilibet congruentem inuncto sensui formam pronuntiet, quemadmodum iidem Auctores scite animadvertunt. Præterea etiam spectata hodierna Ecclesiæ disciplina, nedum licitum,

„ sed

„ sed valde laudabile est, ut uni Sacramentum administranti, alii plures assistant Sacerdotes, ob rationem, quam adducit S. Thomas *cit. c. 73. lib. 4. contra Gentes*, ubi ait: *Quia hoc Sacramentum perfectæ curationis effectum habet, & in eo requiritur copia gratiæ, competit huic Sacramento, ut multi Sacerdotes intersint, & ut oratio totius Ecclesiæ ad effectum hujus Sacramenti coadjuvet*. Et, si plures Sacerdotes interesse nequeant, alios arcessendos probos viros, qui commode haberi valeant, ob eamdem rationem, adnotavit Cardin. Sanctorius *in sæpe cit. Rituali Sacramentorum pag. 324.* inquiens: *Sacerdos, ubi commode fieri potest, ut in Ecclesiis Collegiatis, plures secum adhibeat Presbyteros, cum ungit infirmum; in aliis vero Ecclesiis, saltem uno Clerico præsente, aut alii pluribus Scholaribus, vel Confratribus Ecclesiæ*.

„ Si porro caussam investigamus, cur Ecclesia Latina, quamvis etiamnum plures adesse cupiat, per unicum tamen Sacerdotem velit Sacramentum administrari, quantum ex conjecturis assequi licet, non aliam, nisi hanc fuisse suspicamur. Cum plures simul Sacerdotes ad infirmum inungendum advocabantur, quilibet pro sua opera haud exiguam exposcebat mercedem; cui solvendæ, cum pauperum vires non sufficerent, ii sine Extrema Unctione decedebant. Quamobrem Hæretici Valdenses, seu Pauperes de Lugduno, uti narrat Reinerus Ordin. Prædicatorum in Opere contra eosdem circa annum 1254. exarato, inter cæteras fallas rationes, propter quas Sacramentum Extremæ Unctionis reprobabant, hanc etiam adducebant, *quia tantum divitibus datur*. Caverant sane Ecclesiarum Præsules prædictam Sacerdotum avaritiam reprimere, severisque Sanctionibus interdixerant, pro Sacramentali Unctione quidquam exigere; quod potissimum statutum reperimus ab Odone Episcopo Parisiensi *in cit. c. 8. suarum Constitutionum*, atque in Synodis Andegavensi anni 1283. Remensi, & Trecensi, habitis initio Sæculi XV. Verum cum hæc repagula haud sufficientia comperta sint ad compescendam Sacerdotum petulantiam, visum est deliberandum, ut deinceps Extrema Unctio, nulla petita mercede, a solo conferretur ægrotantis Parocho.

43. Quæres 2. *Quam obligationem habet Parochus administrandi hoc Sacramentum?*

Resp. Parochum, & Prælatum Religionis teneri sub peccato mortali hoc Sacramentum per se, vel per alium ex suis subditis administrare, quia ex officio, & ex justitia tenetur suorum subditorum saluti consulere, eisque salutis remedia valde utilia, cujusmodi est hoc Sacramentum, existenti in periculo mortis providere; & quamvis infirmus non teneatur sub gravi culpa hoc Sacramentum petere, & recipere, Parochus tamen ex justitia tenetur ministrare petenti, & infirmum admonere, si non petat. Bonacina *punct. 5. n. 12.* Ant. *sect. 7. n. 48.* Suarez, Filliucius, Coninch, & aliis relatis Leander *disp. 1. q. 7.*

44. *An vero teneatur Parochus hoc Sacramentum ministrare tempore pestis?* Certum est ad id teneri, si hoc facere possit sine periculo vitæ, & infectionis, adhibendo remedia, antidota, & præcautiones, quia tunc nulla est caussa excusans. Si vero hoc præstare non possit sine periculo vitæ, & infectionis.

Resp. ad id non teneri, eo quod non sit Sacramentum necessitatis, prout docent Suarez *disp. 44. sect. 3. n. 30.* Palaus *pu. 8. n. 5.* Diana *part. 3. tr. 4. resol. 164. & part. 5. tr. 3. resol. 83. & 93.* Leander *disp. 1. q. 8.* ubi excipit casum, quo infirmus absque ullo Sacramento moreretur, & timeretur ejus æterna damnatio, quia jam tunc esset hoc Sacramentum illi necessarium; alii autem Sacerdotes ad id tenentur ex lege caritatis, juxta superius dicta.

„ *De Parochorum jure circa hoc Sacramentum Fidelibus administrandum legenda sunt, quæ hic sequuntur ex §. 7. laudati c. Synod. Diœces. decerpta*. Enimvero, etsi quilibet Sacerdos possit illam valide conferre, solus tamen Parochus est ordinarius ejusdem Minister; nec ulli fas est, extra necessitatis eventum, sine ejusdem Parochi licentia, sacro Oleo ægrotantes inungere, uti diserte statuitur in Catechismo Romano *part. 2. de Sacram. Extrem. Unct. §. 21.* Quinimmo Religiosi, qui nulla petita a Parocho venia, Sacramentum Extremæ Unctionis administrare præsumunt, præter gravis culpæ reatum, in excommunicationem incidunt, Sedi Apostolicæ reservatam, uti habetur *in Clementina 1. de privileg.* Quam quidem Clementinam cum tanta severitate, post Archidiaconum, accipit Navarrus *manual. c. 27. n. 102.* ut asserat, eadem censura irretiri Regulares, Extremam Unctionem ministrantes ægroto, etiam constituto in mortis articulo, cumque Parochus abest; sed jure, ac merito Navarri opinionem refellunt Sotus *in 4. dist. 23. q. 2. art. 1.* Sainte-beuve *de Sacram. Extr. Unct. disp. 6. art. 2.* Natalis Alexander *eod. tr. lib. 2. c. 5. reg. 10.* Tournely *cit. q. 2. art. 4.* Juenin *cit. dissert. 7. q. 6. c. 2.* aliique passim: Etenim cum Ecclesia, urgente mortis periculo, cuilibet Sacerdoti potestatem fecerit absolvendi a quibuslibet censuris, & peccatis; verosimile certe non est, quod cuipiam Sacerdoti interdixerit, ne in eodem statu, ac vitæ discrimine constituto, cum Parochus abest, administret Extremam Unctionem, quæ est perfectio, & complementum Pœnitentiæ, neque ad sui validitatem requirit in Ministro potestatem jurisdictionis, sicuti Sacramentum Pœnitentiæ. Quare S. Carolus Borromæus, etsi Parochorum jura studiose semper tutatus fuerit, nihilominus in Concil. Mediolanensi V. *part. 1.* (*Act. Eccl. Mediol. part. 1. pag. 283.*) deficiente Parocho, cuilibet Sacerdoti integrum esse voluit, sacro Oleo inungere infirmum in mortis periculo constitutum, inquiens: *Ne alius Sacerdos, nisi Parochus, hoc Sacramentum ministret: si porro is impeditus, aut alias in mora est, mortisque periculum instat; tunc Sacerdos alius ministret licere*.

45. Ad validam administrationem hujus Sacramenti non requiritur in Ministro nisi intentio, & voluntas illud administrandi; ut autem non peccet, administrando extra casum necessitatis, debet esse in gratia per Contritionem, aut per Confessionem, ut universaliter de administratione Sacramentorum dictum est supra *tr. 1. c. 5.* debet esse liber ab excommunicatione, & suspensione; potest tamen Parochus excommunicatus licentiam concedere alteri Sacerdoti Sacramentum hoc administrandi, cum talis concessio non sit actus jurisdictionis, ut cum Sylvestro, Armilla, Henriq. Filliuc. & aliis docet Leander *disp. 4. sect. 5.* & in casu necessitatis, quando infirmus non potest aliud Sacramentum recipere, potest ipse illud administrare, si non sit alius Sacerdos, tum quia potest in eo casu a peccatis absolvere, tum quia non est credibile de benignitate Ecclesiæ, velle tunc censuram obligare, sed pro tali casu eam suspendere, prout docet Leander *q. 6.* Palaus *punct. 8. n. 8.* Diana *par. 5. tr. 3. resol. 89.*

DUBIUM VI.

De Subjecto suscipiente hoc Sacramentum.

46. Subjectum capax hujus Sacramenti est solus homo baptizatus, qui post adeptum usum rationis positus est in proximo periculo moriendi ex infirmitate. Ita ex Concil. Florent. *in instruct. Armenorum* docent omnes Doctores, S. Thomas *dist. 23. q. 2. art. 2.* Suarez *disp. 42. sect. 1.* Filliuc. *c. 5. n. 101.* Bonac. *punct. 5. n. 1.* Debet igitur esse homo baptizatus, quia Baptismus est janua Sacramentorum, quæ Christus pro utilitate, ac salute suæ Ecclesiæ instituit, ut omnes communiter admittunt. Debet habere, vel aliquando habuisse usum rationis; unde infantes, & perpetuo amentes sunt incapaces Extremæ Unctionis, quia de illis non potest verificari forma hujus Sacramenti; nempe: *Indulgeat tibi Deus quidquid deliquisti*; constat enim infantes, & perpetuo amentes non deliquisse, cum numquam habuerint usum rationis; patet etiam ex ipsa praxi Ecclesiæ, quæ numquam concedit hoc Sacramentum pueris morituris, essetque peccatum grave hoc illis administrare, quia Sacramentum esset invalidum. Secus dicendum de amentibus, qui aliquando habuerunt usum rationis; isti enim, sicuti peccare potuerunt, ita sunt capaces Extremæ Unctionis institutæ ad tollendas reliquias peccatorum: estque illis hoc Sacramentum ministrandum, quamvis ante amentiam illud expresse non petierint, si Christiane vixerunt, atque salutis suæ memores fuerunt; quod quidem præsumendum est, nisi contrarium appareat, quamvis postea tempore amentiæ videantur contradicere; & non sit periculum irreverentiæ, & dummodo probabiliter præsumantur dispositi; quod præsumendum est, quando ante phrenesim, & amentiam non erant in peccato notorio. Sic Bonacina *pu. 5. n. 1.* Diana *p. 5. tr. 3. resol. 84.* Suarez *disp. 42. sect. 1. n. 6.* Leander *disp. 3. qu. 8.*

„ *Confirmatam hanc invenies sententiam circa Unctionem Extremam præstandam perpetuo amentibus, non vero furiosis, atque phreneticis, apud Benedictum XIV. in sua Synod. Diœces. c. 21. §. 3. ubi hæc leguntur*: Ob eamdem rationem, propter quam ab ejusmodi Sacramento arcentur pueri, quibus nondum rationis lumen effulsit, illud pariter denegatur perpetuo amentibus, & furiosis, qui nullum ab ortu lucidum intervallum obtinuerunt, quod expresse cautum est a S. Carolo Borromæo *in Actis Eccles. Mediolanens. part. 2. pag. 270.* atque in Concilio Cameracensi anni 1586. *tit. 12. n. 3.* (*tom. 9. collect. Hard. col. 2164.*) & communiter tradunt Doctores apud Henriquez *de Sacram. lib. 3. c. 11. n. 9.* quia nec isti potuerunt ulla gravi, aut levi culpa se contaminare, ad cujus abstergendas reliquias institutum est hoc Sacramentum; quamvis enim Suarez *cit. disp. 43. sect. 2. n. 8.* opinetur, Extremam Unctionem etiam illi posse conferri, qui nullum umquam actuale peccatum admisit; atque idcirco ea non caruisse censeat Beatissimam Virginem: id tamen de iis dumtaxat intelligendum, ait Tannerus *tom. 4. disp. 7. q. 1. dub. 3.* qui quantum est ex parte sui status, & adepti usus rationis, peccare potuerunt, etsi per accidens, atque ex speciali Dei privilegio, numquam reipsa peccarint; secus nulla esset ratio, cur eodem Sacramento fraudentur infantes, quibus certe, contra S. Thomæ do-

„ ctrinam, & communem Ecclesiæ praxim, illud ministrari non permittet Suarez. Quod vero speciatim attinet ad Beatissimam Virginem, res valde dubia, & controversa est, an ea, utpote omnis peccati expers, fuerit capax, & particeps Sacramenti Extremæ Unctionis? Affirmant S. Antoninus *3.p. tit.14.c.8.&* 13. Canisius *lib. 1. de Beata Virgine c.9.* Henriquez *de Sacram. lib.3.c.11.n.* 7. & modo laudatus Suarez, quia habebat potentiam, quam vocant *antecedentem*, ad peccandum, etsi ob singularem Dei erga ipsam providentiam, illa potentia nec prodierit, nec proxime posset prodire in actum, eo plane modo, quo dicimus impossibile fore, ut prædestinatus ex hac vita decedat cum lethalis culpæ reatu. Contra Victoria *in summ. n.*222. Vasquez *in 3.p. disp.*11. *c.* 8. & cit. Tannerus, Beatissimam Virginem Extremæ Unctionis incapacem pronuntiant. Licet enim, inquit Tannerus, absolute loquendo, potuerit peccare, attamen ex privilegio, non utcumque eidem concesso, sed veluti consentaneo, & quasi debito excellentiæ, & dignitati, qua præstabat, Divinæ maternitatis, fuit ab omni peccato preservanda, ac proinde non potuit ullo pacto eidem aptari Extremæ Unctionis forma: *Indulgeat tibi Deus quidquid deliquisti &c.* Sed quidquid sit de hac quæstione, quam Scholasticis relinquimus,

„ Indubitatum sit, Extremam Unctiooem exhiberi non posse perpetuo amentibus, & furiosis. Aliud vero est de adultis, qui aliquando usum rationis habuerunt; & postea in phrenesim, aut amentiam inciderunt, his quippe Unctionem tribuendam, juxta illud Concilii Arausicani *can.*13. (*tom.*1. *collect. Hard. col.* 1785.). *Amentibus, quæcumque sunt pietatis, conferantur*, declaravit Theodulphus Episcopus Aurelianensis *in secundo Capitulari, apud Baluzium miscell. to.*7. docetque S. Thomas *in 4. dist.*23. *q.*2. *art.*2. *quæstiunc.* 3. cui, teste Suarez *cit. disp.* 42. *sect.* 1. *n.*6. omnes Theologi consentiunt. Necesse tamen est, ut cetera adsint, quæ requirit Navarrus *in man. c.*22. *n.* 13. inquiens: *Cuilibet tamen ejusmodi infirmo est ministrandum, etiamsi jam sit amens, & phreneticus, si absque irreverentia Sacramenti id fieri possit, & potuerit ante peccare, & antequam insaniret expresse, aut tacite petierit illud, aut si meminisset petiturus fuisset, nec in peccato mortali notoria insanierit.*

„ Porro de quolibet Fideli, de quo contrarium non constat, præsumendum est, fuisse hoc Sacramentum petiturum, si potuisset: passim siquidem videmus, Extrema Unctione muniri, qui subita vi morbi oppressi sensibus destituuntur, nec ullum Sacramenti desiderium significare valent; eorum quippe perspecta pietas, ac fides non obscurum præbet argumentum desiderii, quod, si possent, demonstrarent: hanc vero praxim approbat S. Thomas *loc. cit.* inquens: *Infirmis, qui, sana mente dum erant, illud petierunt, aut verosimile est, quod petiissent, etiamsi postea in amentiam inciderint, vel ratione, sermoneve uti desierint, ministrabitur item*; cui Concilium Parisiense anni 1557. & S. Carolus Borromæus *in suis Instructionibus, apud Natalem Alexandr. Theol. dogmat. & moral. to.*5. *lib.*2. *regul.*12. ac Ritualia omnia suffragantur; quinimmo observat Suarez *cit. disp.* 42. *sect.* 1. *n.*6. maxime oportere, ut prædicto ægroto, sensibus destituto, qui aliorum Sacramentorum est incapax, subveniatur remedio Extremæ Unctionis: *Quia* (ait) *inter fines præcipuos hujus Sacramenti, est supplere vices Sacramenti Pœnitentiæ, quando vel illud applicari non potest, vel de facto non satis utiliter applicatum est.* Quamobrem plerique Theologi, inter quos Chapeaville *de Ministr. Sacram. tempore pestis c.* 1. *q.* 12. Layman *Theolog. moral. lib.* 5. *tr.* 5. *cap.*7. Thomas Tamburinus *in meth. celebrandæ Miss. lib.*2. *c.*7. §.7. permittunt Sacerdotem Missam interrumpere, ut Extremam Unctionem administret infirmo morti propinquo, cui nullum aliud Sacramentum potuit conferri; quoniam in hoc eventu ab unica Extrema Unctione potest ille, si sit sufficienter attritus, obtinere primam gratiam justificantem, qua forte indigeat, atque in prædictis circumstantiis, sive primario, & per se, sive secundario, & per accidens, ab Extrema Unctione caussari, docent Theologi.

47. *An vero debeat hoc Sacramentum ministrari pueris, qui post usum rationis sunt in periculo mortis?* Negant Sotus *in 4. dist.*23. *q.*2. *art.*2. Vivaldus, & alii, volentes, non esse dandam Extremam Unctionem pueris, nisi in ea ætate, & dispositione sint, ut etiam Sacrum Viaticum accipere possint; at probabilius est, dandum esse hoc Sacramentum pueris postquam pervenerunt ad usum rationis, id est regulariter post septennium, quamvis nondum recipiant, nec sint capaces Eucharistiam recipiendi, quia in ea ætate peccare possunt, & sunt capaces Sacramentalis absolutionis; ergo etiam Extremæ Unctionis, ad quam sufficit, hominem esse præditum rationis usu, & propria libertate peccasse, quamvis ad Sacramentum Eucharistiæ major intelligentia, & veneratio requiratur. Ita Navar. Angles, Bellarm. Major, Grassius, Molfesius, Layman, & alii, quos affert, & sequitur Leander *q.* 4. Quod si dubium sit: *an puer aliquis moribundus assecutus sit usum rationis*, potest hoc Sacramentum ministrari sub conditione, *si capax es*, quia sic nulla irrogatur injuria Sacramento, & potest multum prodesse puero, si habeat usum rationis. Diana *p.*3. *tr.* 4. *resol.* 169. *& p.*5. *tr.*3. *resol.* 80. Leander *q.* 3. Averta *sect.* 8.

*Plura adhuc apud Pontificem nostrum hac de re, & hæc plurimis eruditionibus conserta legere poteris in Synodo prælaudata c.*21. *ubi sic ait*: „ Quod autem diximus, hoc Sacramentum esse pro infirmis institutum, non est ita accipiendum, quasi omnes omnino Fideles, graviter decumbentes, sint illius recipiendi capaces. Illud siquidem alio nomine denegatur pueris ante usum rationis, etiamsi in gravi versentur vitæ discrimine, quia nimirum, cum nondum potuerint ulla, vel levi culpa fœdari, illis non congruit Sacramenti forma: *Indulgeat tibi Deus quidquid deliquisti &c.* quod bene perpendit D. Thomas *in 4. dist.*23. *q.*2. *ar.*2. inquiens: *Nulli dari debet Sacramentum, cui non competit forma Sacramenti: sed forma hujus Sacramenti non competit pueris, qui non peccaverunt per visum, & auditum, ut in forma exprimitur; ergo eis non debet dari Sacramentum.* Recte propterea S. Carolus Borromæus in suis Instructionibus, communem secutus Theologorum doctrinam, statuit: (*p.*4. *Actor. Eccl. Mediolan. p.* 543.) *Ministratur hoc Sacramentum* (Extremæ Unctionis) *adultis periculose ægrotantibus..... at non infantibus, puerisque, qui nullum adhuc rationis usum habent, neque peccata admittunt.* Neque aliam umquam fuisse Ecclesiæ doctrinam, & praxim, ostendit Martene *cit. lib.* 1. *de antiq. Eccles. ritib. c.*7. *art.*1. §.2. Quamvis enim Nicolaus Cusanus *epist.* 3. *ad Bohemos*, & Maldonatus *de Sacram. tom.*2. *pag.* 215. asserant, olim consuevisse etiam infantes Infirmorum Oleo inungi; eos tamen sine fundamento locutos, affirmat Cornelius a Lapide *in comment. ad Epist. S. Jacobi c.*5. *v.* 14. atque ex iis liquet vetustis monumentis, quæ cit. Martene adducit, nisi forte Cusanus, & Maldonatus sint intelligendi de unctione, absque forma Sacramentali, quam olim fuisse in usu præmonuimus.

„ At quæ ætas erit in pueris expectanda, ut censeantur hujus Sacramenti capaces? Certe non est expectanda ætas quatuordecim annorum, quam videntur exigere plures Synodales Constitutiones, relatæ ab eodem Martene, ac Provinciale Anglicanum, editum a Lindevvode *lib.*1. *de sacra Unctione*, quamquam revera, si rite expendantur, tantam ætatem non absolute requirant, sed eos *maxime* inungendos statuant, qui ad eam pertigerunt. In hunc quippe modum loquuntur Constitutiones Odonis Episcopi Parisiensis *c.*8. Synodalia statuta Ecclesiæ Meldensis *c.*28. Nannetensis *cap.*50. & citatum Provinciale Anglicanum §. *Cum magna*. Multoque minus expectanda est ætas octodecim annorum, quam expresse exposcunt, cum antiquus codex manuscriptus S. Martini Turonensis, a Martene pariter prolatus, tum Fredericus Nausea Episcopus Viennensis *in suo Catechismo lib.* 3. *cap.* 107. sed statim ac pueri rationis compotes judicantur doli, & culpæ capaces, si in gravem incidant morbum, poterunt Infirmorum Oleo liniri; quod rectius sancitum legimus inter Synodalia statuta Ecclesiarum, Caducensis, Ruthenensis, & Tutelensis *c.* 17. *tom.*4. *anecdotor.* Martene, & Durand. *col.* 714. & nuper a Cardinali de Rohan in Rituali Argentinensi *tit. de Extr. Unct.* §. 2. *pag.* 174. ubi edicitur: *Non denegetur etiam pueris, si septimum attigerint annum, nec iis, in quibus malitia supplet ætatem, etiamsi septenarii non sint.* Quamobrem minime approbandam censemus Synodalem Constitutionem a Germano Valeote Guellio Episcopo Aurelianensi anno 1587. promulgatam, in qua decernitur: *Non detur hoc Sacramentum pueris, qui nondum communicaverunt.* Etenim, quando cumque censentur capaces Sacramenti Pœnitentiæ, sunt pariter idonei reputandi ad Extremam Unctionem, quæ est illius complementum, quamvis nondum tanta polleant judicii maturitate, ut videantur apti ad rite participandam Eucharistiam, de cujus ineffabili excellentia, & sanctitate non ita facile edoceri queunt. Quare scite, & apposite Pastorale Mechliniense, apud Van-Espen *part.*1. *tit.*8. *c.*2. *n.*9. postquam retulit hæc Ritualis Romani verba: *Non ministretur pueris usum rationis non habentibus*, addit: *Secus de pueris periculose ægrotantibus, qui peccati mortalis, ac Confessionis capaces sunt, licet sint solum octo, aut novem annorum, & quamvis numquam communicaverint.*

48. Quæres: *An possit ministrari homini adulto, & rationis capaci, qui numquam actualiter peccavit?* Casus non solet ita facile evenire, quia, regulariter loquendo, quilibet adultus solet aliqua saltem venialia committere, ratione quorum est capax hujus Sacramenti, sicut est capax Sacramentalis absolutionis; eo tamen admisso, plures affirmant, quia forma Extremæ Unctionis vere potest illi applicari, quamvis numquam peccaverit; nam illa verba: *Indulgeat tibi Deus quidquid peccasti*, sensum habent conditionalem, ac si diceretur: concedat tibi Deus gratiam remissivam peccati, si illud commisisti, quod videtur innuere D. Jacobus dicens: *si in peccatis sit dimittentur ei.* Ex quo inferunt, Beatissimam Virginem, quæ nullum umquam habuit peccatum, nec actuale, nec originale, vere rece-

recepisse Sacramentum Extremæ Unctionis; & Adultum recenter baptizatum, si statim sit moriturus, posse recipere hoc Sacramentum, quamvis post Baptismum non amplius peccaverit. Ita tenent Suarez *disp.*40. *sect.*2. Coninch. *disp.* 19. *dub.*7. *n.*23. Bonac. *punct.* 5. *n.* 13. Henriq. *l.*3. *c.* 11. *n.*3. Diana *p.*3. *tr.*4. *n.*172. & 181. Villalob. *t.*1. *tr.* 10. *diffic.*4. *n.*7. Filliuc. *n.* 108. Reginaldus *l.*28. *n.*69.

49. Resp. Adultum, qui numquam actualiter peccavit, non esse capacem hujus Sacramenti. Ratio est, quia non potest illi applicari forma: *Indulgeat tibi Deus quidquid peccasti*; quæ supponit, peccatum aliquod extitisse: secus posset hoc Sacramentum applicari etiam infanti, qui nondum habuit usum rationis. Deinde, quia hoc Sacramentum cum sit consummativum pœnitentiæ, abstergit reliquias peccatorum post illam remanentes in Anima; sed qui numquam actualiter peccavit, non est capax Sacramenti Pœnitentiæ; ergo neque Sacramenti Extremæ Unctionis. Ex quo infertur, Beatissimam Virginem, quæ nullum umquam habuit peccatum, nec actuale, nec originale, non fuisse capacem Extremæ Unctionis. Ita tenent Palud. *dist.*23. *q.*3. *art.*2. Victoria *q.*224. Ochagavia *q.*7. *n.*8. Granadus *disp.*6. *n.*7. Vasquez. *t.*2. *disp.*119. *c.*8. *n.* 74. Ant. a Spiritu S. *sect.* 6. *num.* 34. Aversa *sect.* 8. & cum aliis pluribus Leander *disp.* 3. *quæst.* 5. & 7.

„ *Vide supra in additione ad* §. 46. *ubi nonnulla in confirmationem hujus sententiæ, & præsertim circa Beatissimam Virginem, utrum nempe & ipsa Extremæ Unctionis fuerit capax. &c.*

50. Puto tamen, hoc Sacramentum posse concedi, saltem sub conditione, adulto recenter baptizato, si sit in periculo mortis, tum quia potuit saltem venialiter peccare illa brevi mora, quæ inter Baptismum, & Extremam Unctionem intercedit; tum quia, dato quod nullum post Baptismum peccatum commiserit, remanent in illo reliquiæ peccatorum ante Baptismum commissorum, ex quibus potest oriri molestia, & perturbatio in articulo mortis, & potest extare debilitas ex illis contracta, & sic satis verificatur forma, & concurrunt alia, quæ sunt de ratione hujus Sacramenti, quod proinde potest illi ministrari. Nec dicas: illi soli, qui post Baptismum actualiter peccaverunt, sunt capaces Sacramentalis absolutionis; ergo etiam illi soli sunt capaces Extremæ Unctionis, quæ est consummatio pœnitentiæ. Contra enim, dato antecedente, negatur consequentia, quia Extrema Unctio non solum abstergit reliquias peccatorum contractorum post Baptismum, sed etiam contractorum ante Baptismum, cum ex istis, & ex illis possit oriri perturbatio tempore mortis; & quamvis peccata ante Baptismum commissa non sint materia absolutionis, & Sacramenti Pœnitentiæ, sunt tamen materia Pœnitentiæ Virtutis, cum debeat detestari, quod sufficit; nam Tridentinum non dixit, hoc Sacramentum esse consummativum Sacramenti Penitentiæ, sed simpliciter pœnitentiæ, & subdit: *Totius Christianæ vitæ, quæ perpetua pœnitentia esse debet, consummativum existimatum est a Patribus*. Hac ratione potest hoc Sacramentum ministrari absque ulla conditione; & in praxi ita fuisse practicatum Matriti in quodam casu, testatur Sancius relatus a Diana *p.*3. *tr.*4. *resol.* 172. ubi pro eadem Sententia refert Zambranum, Ledesmam, Vegam, Naldum, Possevinum, Henriquez, & Filliucium; idem habet *p.*5. *tr.*3. *resol.*88. Layman *l.*5. *tr.*8. *c.* 3. *n.*3. Mercerus *disp.*9. *sect.*3. *n.*2. Sylvester verbo *Extrema Unctio n.* 5. Molf. *tr.*4. *c.*3. *n.*42. & alii satis communiter.

51. Capax hujus Sacramenti tantum est homo existens in periculo mortis ex infirmitate; inde nec licite, nec valide conferri potest homini sano, ut patet ex Apostolo requirente infirmitatem: *Infirmatur quis in vobis?* &c. & tenet communis sensus Ecclesiæ. Nec item conferri potest navigantibus, quamvis sint in periculo naufragii, nec pugnantibus in bello, vel decapitandis, & extremo supplicio puniendis, quia non laborant infirmitate corporali, nec mulieribus in partu laborantibus, si sola ordinaria partus molestia laborent; secus si ex contracto morbo, vel ex infirmitate ex difficili partu proveniente, sint in periculo mortis, ut cum aliis docent Diana *p.* 10. *tr.* 12 *resol.* 9. & Leander *disp.* 3. *q.* 12. sicut dari debet illis, qui ex vulnere, aut veneno, seu alio nocumento violenter illato, contraxerunt morbum, seu periculum, & Senibus, qui senio confecti moriuntur; nam senectus ipsa est morbus, ut cum Suarez, Naldo, Possevino, & alii docet Bonacina *n.*6.

52. Infirmitas debet esse talis, ut hominem constituat in periculo mortis; nec dari potest cuicumque infirmo, ut habetur ex Concil. Florentino dicente: *Hoc Sacramentum nisi infirmo, de cujus morte timetur, dari non debet*: quia cum sit institutum in remedium morientium, tamquam ultimum spirituale remedium proxime disponens ad gloriam, solum in morali periculo mortis existentibus tribuendum est, quod expressit Trident. *sess.* 14. in proœmio, dicens: *Redemptor noster Extremæ Unctionis Sacramento finem vitæ, tamquam firmissimo quodam præsidio, munivit*: & quamvis Coninch *disp.*19. *n.*25. afferat, validum fore Sacramentum, sed illicitum collatum infirmo non existenti in periculo; verius tamen est, fore illicitum, & invalidum propter rationes allatas: & ita tenent Bonacina *punct.*5 *n.*5. Palaus *punct.* 8. *nu.* 15. Diana *p* 9. *tr.*6. *resol.* 45. Reginal. *l.*28. *n.*67. Nugnus *q.* 32. *art.*2. *diff.* 1.

Adeundum hoc loco, & hac in re c. 20. *lib.*7. *Synodi Diœcesi. ut plura, & hac miris eruditionibus plena, Sanctorumque Patrum auctoritatibus comprobata, degustare quis valeat. Ita quippe se habet*. A Sacramenti Ministro ad Subjectum progredientibus, statuendum primo loco occurrit, quibusnam personis illud conferri valeat. Ecclesiæ Latinæ perpetua, & constans traditio fuit, Extremam Unctionem solis infirmis esse exhibendam, & quidam tali morbo laborantibus, unde peritorum judicio mors secutura prudenter timeatur; eamque traditionem, ex sæpius allegatis Apostoli Jacobi verbis deductam, omniumque Theologorum consensione firmatam, cum D. Thoma *in* 4. *dist.*23. *q* 2. *art.*2. *quæstiunc.*2. explicarunt, & inculcarunt Eugenius IV. in Decreto (*to.* 9. *collect. Hard. col.* 440.) inquiens: *Hoc Sacramentum, nisi infirmo de cujus morte timetur, dari non debet*, Concil. Trid. *sess.*14. *c.*3. *Declaratur etiam, esse hanc unctionem infirmis adhibendam, illis vero præsertim, qui tam periculose decumbunt, ut in exitu vitæ constituti videantur; unde & Sacramentum Exeuntium nuncupatur*; ac demum Catechism. ejusdem Concilii §. 18. *de Extrema Unctione*. Hinc vero fit, ut Extrema Unctio illis denegetur, qui cum sani sint corpore, probabile, aut etiam certum adeunt vitæ periculum, puta, quia mare transgressuri, prælium commissuri, aut ultimo supplicio plectendi sunt, sicuti statuunt Concilium Mediolanense IV. anni 1576. sub S. Carolo *p.* 2. *tit.*6. & Cameracense anni 1586. *tit.*12. *c.*3. & docerat S. Thomas *lib.*4. *contra Gentes c.*73. inquiens: *Hoc Sacramentum non debet dari propinquis ad mortem absque infirmitate, puta damnatis ad mortem*; quibus tamen postremis, etiam alio nomine, denegari perpendunt Suarez *cit. to.*4. *in* 3. *part. disp.* 39. *sect.* 1. *nu.*1. & Martene *de antiq. Eccles. ritib. to.*1. *lib.*1. *c.*7. *art.* 1. *n.* 1. quia nimirum damnati ad ultimum supplicium recensentur quodammodo inter publicos peccatores, quos ante reconciliationem, sicuti a ceteris Sacramentis, ita & ab hoc arceri, respondit Innocent. I. *in epist. ad Decentium*: *Pœnitentibus istud infundi non potest; nam quibus cetera Sacramenta negantur, quomodo unum genus putatur posse concedi?* Hinc etiam Extrema Unctione muniri nequeunt feminæ partui propinquæ, nisi alia insuper iisdem accesserit extraordinaria, & lethalis corporis ægritudo, quod bene ponderant Doctores apud Clericatum *de Extr. Unct. decis.* 79. *n.*22.

Neque huic Ecclesiæ Latinæ doctrinæ, & praxi adversantur exempla, ex probatis Historicis prolata, a Martene *cit. loc.* videlicet Odiliæ, filiæ Comitis Herimanni, & Mathildis, quæ a Ricardo Abbate Monasterii S. Vitoni de futura sequenti die ejus morte præmonita, licet corpora sana, *nullam gravedinem pateretur*, attamen *liquore sancti Olei inuncta .... inter verba orationis læta spiritum efflavit*, sicuti narrat Hugo Flaviniacensis in Chronico Virdunensi; & cujusdam Monachi, apud Mabillonium *Sæculi VI. Benedict. par.*2. qui post Nocturnos Festi S. Martini, divinitus admonitus de proxima sua ex hoc sæculo migratione, revelationem Abbati manifestavit, cujus venia *Sacro Oleo unctus, & Dominicis munitus Mysteriis, sanus, & incolumis cum ceteris in Conventu versatus, sequenti die obiit*; nec non cujusdam Cinguriani Fratris Laici, qui similiter corpore sanus *Oleo Sancto*, uti rogaverat, *unctus*, mox decessit, quod habetur in Vita S. Gildasii *Sæc.* 1. *Benedict. pag.* 151.; neque demum adversatur exemplum, quod allatis a Martene adjicimus, videlicet S. Heduvigis, quæ, referente ejus vitæ Scriptore *cap.*8. priusquam ægrotare cæpisset, voluit Extremæ Unctionis Sacramento muniri. Hæc, inquam, & si qua sunt alia hujus generis exempla, communi Latinæ Ecclesiæ doctrinæ, & praxi non adversantur; nam præterquam quod extraordinaria sunt, & derivata e speciali afflatu Spiritus Sancti, qui interdum homines solvit ab ordinariæ providentiæ legibus, quod opportune adnotavit laudatus Auctor vitæ S. Heduvigis, scribens: *Hoc tamen, quod hic duximus, admirandum potius est, quam imitandum, cui Spiritus Domini per revelationem tribuit efficaciam, & in quo, ut pie creditur, sancta devotio dispensavit*; atque ad rem prosequitur Thiers *to.* 2. *de superst. circa Sacram. Extr. Unct. pag.* 377. & *seqq.* possumus prudenter existimari, in prædictis rerum circumstantiis eos, qui sunt divinitus admoniti de sibi instante vitæ interitu, jam tum cœpisse lethali morbo interius laborare, quo cito perducerentur ad mortem, quamquam exterius viderentur sani, & incolumes, quamobrem fuit illis administranda Extrema Unctio ob eamdem rationem, propter quam a cit. Concilio Mediolanensi IV. *part.*2. & Aquensi anni 1585. *tit. Quæ pertinent ad Sacramentum Extremæ Unctionis* (*tom.* 10. *collect. Hard. col.* 1535.) atque a Theologis cum Suarez *cit. disp.*43. *sect.*2. *n.* 11. *in fin.* conceditur senibus, qui præ decrepita ætate, licet nulla alia speciali afficiantur ægritudine, in dies morituri creduntur; ipsa enim gravis, & annosa senectus infirmitas est, quæ interiora vitæ organa labefactat, & mox ducit ad interitum.

Verum ab exposita Latinæ Ecclesiæ traditione devia- „ tunt

„ runt Græci: hi siquidem etiam sanos, & bene valentes solent sacro Oleo inungere in remissionem peccatorum, quod liquet ex eorumdem Euchologio, afferuntque Hieremias Patriarcha Constantinopolitanus *in sua censura adversus Augustanam Lutheranorum confessionem lib.1. c.7.* Leo Allatius *de consensu Eccles. Occid. & Orient. l.9. c.16.* & Arcudius *concord. lib. 5. cap. 4. & cap. ult.* Quinimmo ipsemet Episcopus, postquam Feria V. Majoris Hebdomadæ Infirmorum Oleum sollemni ritu consecravit, non jubet illud asservari, ad ægrotos suo tempore deferendum, sed totum statim insumit, omnes inungendo adstantes, quod accepimus a Goario *in suis ad Euchologium notis*: ac denique Joannes Nathanael Presbyter, ac magnus OEconomus Cretensis, *apud cit. Arcudium lib. 5. c. 4.* respondens ad quæsita sibi facta a Viviano Episcopo Anagnino circa mores Græcorum, inter cetera narrat: Græcos Sacerdotes, loco satisfactionis, in Sacramentali Confessione pœnitentibus imponendæ, solere interdum, haud exigua tamen accepta mercede, eosdem sancto Oleo inungere, ut tali pacto a peccatorum reliquiis, pœnisque pro iis subeundis, absolvantur; quem abusum ipse Nathanael, & cum eo Arcudius cit. *c.4.* acriter reprehendunt, & damnant.

„ Hæc certissima, & exploratissima sunt, sed non æque certum, an ejusmodi unctio sanis adhibita, habeatur a Græcis pro vero Sacramento. Goarius *in cit. comment. pag.432.* illam fieri contendit, tamquam meram ceremoniam sacram, seu sacramentalem quamdam benedictionem, per quam Sacerdotes unice intendum inunctos sublevare ab aliqua levi corporis infirmitate, aut etiam a graviori morbo præservare, quod etiam in Ecclesia Latina olim factitatum alibi prænotavimus. Arcudius contra affirmat, sanos, ac vegetos corpore a Græcis Sacerdotibus, perinde, ac infirmos, sancto Oleo perungi, animo verum conficiendi Sacramentum; in cujus rei confirmationem plures affert Græcorum Auctores, docentes, etiam sanos esse capaces Sacramenti Extremæ Unctionis: Quodque magis mirandum est, hæc doctrina, quam Arcudius exagitat, nec defendere ausus est, Goarius negavit, umquam Græcorum menti insediffe, suos invenit inter nostros Latinos defensores, nempe Juenin *cit. dissert.7. quæst.7. cap. 3.* & Saintebeuve *de Sacram. Extr. Unct. disp. 7. art. 1.* qui triplici argumento illam defendere conantur. Etenim, ajunt, de prædicta consuetudine, quam antiquissimam esse nemo ambigit, nulla lis fuit Græcis intentata in Concilio Florentino, in quo ceteroquin jussi sunt de omnibus rationem reddere, in quibus a Latinis differrent; secundo, etsi ex Apostolo Jacobo habeamus, Extremæ Unctionis Sacramentum esse infirmis succurrendum: non tamen inde legitime infertur, solos infirmos esse illius capaces: quocirca Eugen. IV. *in cit. Decreto* non dixit: *Hoc Sacramentum, nisi infirmo dari non potest*: sed *dari non debet*, quod sane verbum merum præceptum denotat, cui contraria consuetudine potest derogari, non absolutam importat necessitatem. Similiter Concil. Tridenr. decrevit, Extremam Unctionem *esse infirmis exhibendam*, de quo nullus dubitat, sed non dixit *solis infirmis*, de quo est quæstio: tertio demum pergunt iidem Doctores, cum a Græcis Sacerdotibus sancto Oleo inunguntur homines perfecta fruentes valetudine, nihil prorsus desideratur ad veram Sacramenti confectionem: siquidem a legitimo Ministro idonea, & apta adhibetur materia, debita simul pronuntiatur Sacramenti forma, nec illi deest necessaria intentio, cum eam unctionem facere intendat ad detergendas animæ sordes, quemadmodum testatur Hieremias Patriarcha Constantinopolitanus *in cit. censura lib. 1. cap. 7.* scribens: *Illis vero, qui post Baptisma peccaverunt, Pœnitentia, consecratique Olei unctio conducant: quæ Sacramenta aut remissionem præteritorum peccatorum largiuntur, aut sordes animæ inhærentes expurgant.*

„ At ejusmodi argumenta frivola sunt, nulloque labore evertuntur. Ad hoc quippe postremum, ut singula inverso ordine expendamus, respondetur: ad validam Sacramenti confectionem, satis non esse a legitimo Ministro debitas adhiberi materiam, & formam, cum intentione illud administrandi, si desit Subjectum illius recipiendi capax, quod inter Sacramenti caussas merito adnumeratur a Suarez *cit. tom.4. disp. 42. in principio*; id autem in re nostra evenire perspicuum est, nisi illud ipsum tamquam certum assumatur, quod esset probandum, nimirum hoc Sacramentum etiam pro sanis fuisse institutum; sicuti assumere videntur citati Juenin, & Saintebeuve, qui cetera recensentes ad Sacramentum perficiendum requisita, Subjecti capacitatem silentio prætereunt. Quod autem soli infirmi sint Extremæ Unctionis capaces, licet clare, & expresse non sit a Conciliis definitum, ex eorumdem tamen definitionibus legitime infertur: quoniam Eugenius IV. definiens, eam *nisi infirmis, de quorum morte timetur, dari non debere*, sanos protecto exclusit: quamvis enim verbum, *non debet*, possit de se merum præceptum inducere, plerumque tamen absolutam denotat necessitatem, uti observant Doctores allegati a Barbosa *tract. de usu frequent. Dict. dict.77. n.1.* atque in Decretis dogmaticis, in quibus Sacramentorum doctrina ab Ecclesia explicatur, ut plurimum denotare necessitatem, non tantum præcepti, sed etiam Sacramenti, observat Suarez *cit. disp.43. sect.2.* Idem vero, quod Eugenius, sibi voluit Tridentinum, cum dixit, *esse hanc unctionem infirmis adhibendam*, integram quippe hujusce Sacramenti *credendam, & tenendam* doctrinam nequaquam nobis tradidisset, quod ceteroquin in fine ejusdem capitis se fecisse protestatur, si etiam non infirmis posset illa adhiberi. Accedit consensus omnium Theologorum, qui verba S. Jacobi ita sunt interpretati, ut inde plane confici existimaverint, solum infirmum esse subjectum capax Extremæ Unctionis: unanimem quippe Theologorum consensum efficax esse argumentum ad Catholicum dogma stabiliendum, docet Melchior Canus *de locis Theologicis lib. 8. c.2. & seqq.* A silentio denique Concilii Florentini rectius deducimus, sapientissimis illis Patribus fuisse persuasum, Sanctam Unctionem a Græcis Sacerdotibus non adhiberi hominibus bene valentibus tamquam Sacramentum, sed veluti meram cæremoniam, & Sacramentalem quamdam benedictionem. Græci enim, qui de singulis suis ritibus coacti sunt rationem reddere, gravem utique reprehensionem non evasissent, si comperti fuissent hac in re a communi, & constanti Ecclesiæ Latinæ traditione, & praxi aberrare.

„ Jure itaque Græcorum morem ita explicatum, uti voluit Arcudius, gravis erroris insimulant, & damnant Theophilus Raynaudus *in heteroclitis sect. 1. punct. 12. oper. tom. 16. pag.164.* Gonzalez *in cap. Quæsivit, de verb. signific. n. 2.* Tournely *de Sacram. Extrem. Unct. cit. quæst. 3.* Benedictus de Gaetanis *in sæpe citata dissert. cap 13. §. Ex adverso*, aliique, quibus, post quæstionem sedulo examinatam, tamdem adhæret Herminier *de Sacram. tom. 3. c. 5.* Quocirca Episcopi Latini, in quorum potissimum commodum hanc materiam prolixius tractavimus Diœcesibus præsidentes, quas Fideles incolunt Græci ritus, diligenter invigilent, ne iidem in eo versentur errore, ut credant per unctionem, de qua loquimur, Sacramentum conferri; & severe interdicant, ne ea unctio, loco satisfactionis per Confessarios imponendæ, pœnitentibus injungatur; id illis vetitum est a Nobis *in cit. nostra Constit. 57. §. 5.* ubi decrevimus: *Nulli per Sacerdotes, vel Confessarios, pro satisfactione pœnitentiæ unctio aliqua solummodo injungatur; infirmis vero, juxta verbum Jacobi Apostoli, Unctio exhibeatur Extrema.*

53. Non expedit tamen expectare, ut infirmus sit in ipsissimo mortis articulo, & agat animam, & sensu prorsus careat, aut quo omnino desperata sit ejus salus, sed potius conferri debet, si fieri potest, quando infirmus adhuc gaudet usu rationis, ut se magis ad fructum Sacramenti recipiendum disponat; & cum habeat pro effectu secundario conferre quoque sanitatem corporis, si expediat, conferri debet, quando adhuc extat aliqua spes vitæ. Ita docet Catechis. Roman. *p. 2. c. 6. n. 9.* ubi postquam dixit, hoc Sacramentum solum periculose ægrotantibus conferendum esse, subdit: *In quo gravissime peccant, qui illud tempus ægroti ungendi observare solent, cum jam omnino salutis spe amissa, vita, & sensibus carere incipiat; constat enim ad uberiorem Sacramenti gratiam percipiendam plurimum valere, si ægrotus, cum in eo adhuc integra mens, & ratio viget, fidemque, & Religiosam animi voluntatem afferre potest, Sacro Oleo liniatur*; peccare lethaliter Parochos, qui consulto nolunt Extremam Unctionem ministrare; nisi postquam infirmus sensu, & usu rationis caret, docent Henriquez, Coninch, Filliuc. Quintanadvenas, & alii, quos affert, & sequitur Ant. *sect. 6. n. 39.* &, aliis adductis, Leander *disp. 4. q. 11.*

„ *Hac de re multa jam dicta sunt in c. 5. cum de Confessione Sacramentali, & in additione ad dub. 3. §. 10. ubi integram fere Notificationem apposui, quæ extat sub num. 1. lib. 2. in qua jubentur potissimum Medici, antequam id eveniat, vitæ discrimen, in quo de sensuum destitutione timeatur, opportuno tempore ægrotos ipsos admonere, ut per Confessionis, & Extremæ Unctionis Sacramenta saluti animæ potissimum consulant: quo loco negligenda nullo modo videntur, quæ sub §. 4. leguntur in his verbis*; De Sacramento Extremæ Unctionis, ut Græcorum morem prætereamus, qui illud etiam sanis hominibus administrant, (*Ita Arcud. Jac. Goar. & Leo Allatius*) S. Jacobus Apostolus scriptum reliquit *cap. 5. Epist. suæ v. 14. Infirmatur quis in vobis? Inducat Presbyteros Ecclesiæ, & orent super eum, ungentes eum oleo in nomine Domini.* Hinc ab Innocentio III. *cap. unic. de Sac. Unct.* postrema Unctio *Oleum Infirmorum* nuncupatur; & Eugenius IV. in suo Decreto *hoc Sacramentum nonnisi infirmo, de cujus morte timetur, dari debere*, constituit. Præterea Tridentina Synodus *sess. 14. cap. 3. de Extrema Unct.* declarat; *esse hanc Unctionem infirmis adhibendam, illis vero præsertim, qui tam periculose decumbunt, ut in exitu vitæ constituti videantur, unde & Sacramentum Exeuntium nuncupatur*. Si quis autem de hac re Theologorum more disputare velit, facile id persuadebit. Sicut enim potestas inest Ecclesiæ, ut Sacra-

„ men-

menta illis neget, qui ad ea suscipienda prorsus indigni judicentur: ita nulla facultate permittitur, ut iisdem Sacramentis illi carere debeant, qui paratum ad ipsa percipienda animum patefaciant, & ea, quæ fas est, demissione, supplices eadem Sacramenta deposcant.„(*vid. dissert. P. Ors. Ord. Prædic. c.*3.)

„ *At præterea multo adhuc plura tibi, studiose Lector, subjiciuntur, quæ extant sub cap.*22. *l.*7. *Synodi Diœcesanæ, in quibus magis, magisque hæc omnia Patrum, & Conciliorum auctoritatibus confirmantur, atque de ardentissimo zelo nos admonent, quo prælaudatus Sapientissimus Pontifex in animarum salutem semper incubuit. Hæc autem habentur:* Quamquam demonstratum jam sit, Extremam Unctionem solis infirmis esse conferendam, qui decessuri prudenter timentur, attamen dubitare quis potest, quonam infirmitatis tempore sit administranda; statim ne detecto gravi, in quo versantur vitæ discrimine, an potius cum iisdem mox imminet interitus? Abusus olim in plerasque irrepserat regiones, ut sancto Oleo, tunc tantum linirentur infirmi, cum prorsus desperata salute, jamjam essent extremum spiritum exhalaturi. Huic abusui ansam præbuit falsa opinio, quæ Sæculo XIII. plurimos invaserat animos, nempe post semel receptam Extremam Unctionem, non amplius licere Conjugatis, si convalescerent, ad conjugale opus reverti, nullique fas esse carnes deinceps comedere, nudisque pedibus incedere, quod narrat Martene *lib.* 1. *cap.*7. *art.*2. §. 2. & Thiers *in suo Tract. de superst. to.*2. *cap.*7. Quocirca plures Synodi, eodem Sæculo XIII. celebratæ, populum de hoc errore, quo a Sacramento percipiendo deterrebatur, solerter dedoceri curarunt, inter quas Synodus Wigorniensis anni 1240. *c.* 19. (*to.*7. *collect. Harduin. col.* 337.) ubi statuit: *Sunt quidam, ut audivimus, qui post perceptionem hujus Sacramenti, sanitati pristinæ restituti, nefas reputant, vel uxores suas cognoscere, vel carnes comedere, vel aliqua ratione nudis pedibus ambulare. Horum autem errorem, utpote doctrinæ sanæ contrarium, execramur, & eos excommunicationibus, & monitionibus duximus corrigendos.* Et Synodus Exoniensis anni 1287. *c.* 6. (*tom.* 7. *eiusd. collect. col.* 1081.) inquiens: *Quoniam quidam Laici imperiti de hoc Sacramento nequiter sentientes, illud abhorrent in tantum, quod vix velint illud suscipere, etiam in extremis, fatue existimantes, post ipsius susceptionem, carnis esum, nudis pedibus incessum, copulam carnalem, etiam cum uxore legitima, sibi fore penitus interdicta, præcipimus Parochialibus Presbyteris, ut ubi noverint tantam hæresim pullulare, contrarium prædicent;* quibus præiverat Richardus Episcopus Sarum in Anglia, qui in suis Constitutionibus anni 1217. *capit.* 68. relato in citato Provinciali Anglicano, cap. *Cum magna de sacra Unctione*, infirmum secreto moneri jusserat, *quod post Sacramentum susceptum, licite posset reverti ad opus conjungale*. Prædicto errore eliminato, alia, insequenti ætate, alicubi invaluit opinio, qua Fideles pariter removebantur ab Extrema Unctione recipienda, nisi jam essent in ultimo agone constituti; putabant quippe, per sacram Unctionem sibi adimi testamentorum factionem, hoc est potestatem condendi testamenti; hunc vero errorem, præcedentis Sæculi initio in Belgio perseverantem, proscripsit Concilium Mechliniense anni 1607. *tit.* 8. *cap.*2. (*tom.* 10. *collect. Harduin. col.* 1946.) inquiens: *Falluntur, qui existimant, suscepto hoc Sacramento, vel testamentum condi non posse, vel spem convalescendi ob id imminui. Ideoque Pastores contrarium subinde populum doceant. Et si forte alicubi usu introductum sit, ut testamentum a susceptione huius Sacramenti conditum non subsistat, declarat hæc Synodus, ejusmodi consuetudinem pro corruptela habendam esse.*

„ Hac nostra ætate liberi profecto sunt Fideles ab enarratis præjudiciis, & nihilominus humani generis hostis hanc plerisque rudibus, & ignaris mentem injecit, ut credant, actum esse de vita illius, qui sancto Oleo est inunctus, & solum ei superesse sepulcrum; ex quo fit, ut a sacra Unctione perinde, ac ab ipsa morte abhorreant. Opportunum idcirco, & perutile erit, ut Episcopus in sua Synodo, aut Synodali instructione, hunc detestandum errorem e rudium hominum mente evellere, satagat, quod Nos pro nostro Pastorali munere præstare curavimus *in nostra Notific.* 22. Quo vero facilius propositum sibi finem assequatur, suæ Synodali instructioni rationes inserat, propter quas non decet ejusmodi Sacramentum ad tempus differri, quo *jamjam anima in primoribus labris laborat*, sicuti nobis exprobrabat impius Calvinus *l.* 4. *inst. c.* 19. occasionem inde arripiens nobis illudendi, quia *non infirmos*, ut ipse calumniabatur, *sed semimortua cadavera pinguedine inficimus*. Prima autem ratio illa est, quam ad rem, de qua agimus, Fidelibus insinuari voluit Synodus Burdigalensis anni 1583. *tit.* 13. (*collect. Harduin. tom.* 10. *col.* 1347.) Parochis præcipiens: *Curet etiam crebris monitionibus imperitum vulgus ab illa inani, & impia opinione abducere, qua plerique sinistre de huius Sacramenti virtute sentiunt, perinde ac si mortem ægris acceleret; cum certum sit ex Apostoli doctrina, Deum non animæ tantum, verum etiam corpori, si expedierit, virtute hujus Sacramenti salutem conferre;* & nuper Card. de Rohan *in suo Rituali Argentinensi* §. 2. inquiens: *Solantur Sacramenta, non occidunt; hoc sæpe sæpius Pastor mentibus Fidelium inculcet.* Enimvero cum inter ceteros, quos Extrema Unctio producit effectus, caussat etiam corporis valetudinem, si hæc conferat ad animæ salutem, quod non solum eruitur ex sæpius allegatis verbis Apostoli Jacobi, sed liquido constat ex Sacramentario S. Gregorii Magni, ubi ad Olei Infirmorum consecrationem hæc præscribitur Oratio: *Ut tua benedictione fit omni hoc unguentum tangenti tutamentum mentis, & corporis, ad evacuandos omnes dolores, omnesque infirmitates, omnemque ægritudinem corporis;* ac diserte declararunt tam Eugenius IV. *in cit. Decreto*, inquiens: *Effectus est mentis sanatio, in quantum autem expedit, etiam corporis*, quam Tridentinum *cit. sess.* 14. *cap.* 2. ubi de effectibus hujus Sacramenti disserens, ait: *Sanitatem corporis interdum, ubi saluti animæ expedierit* (*infirmus*) *consequitur*. Idcirco ad inungendum infirmum expectanda non est ultima ejus vitæ periodus, qua extremum agat spiritum: hunc enim effectum non operatur Sacramentum per modum miraculi, quod in illis circumstantiis esset necessarium, sed virtute quadam supernaturali quidem, sed quodammodo ordinaria, quæ caussas naturales adjuvat, sicut ratiocinatur Suarez *cit. tom.* 4. *disp.* 41. *sect.* 3. *num* 5.

Altera ratio, qua efficacius alliciendi sunt Fideles ad Extremam Unctionem celeriter petendam, & recipiendam, priusquam sensibus, & mente destituantur, desumenda est ex aliis nobilioribus affectibus, quos eadem in decumbentium anima operatur, quorum haud faciliter particeps esse potest ægrotus, jam sensibus, & rationis usu carens. Concilium Tridentinum *loco mod. cit.* Extremæ Unctionis Sacramento, non solam attribuit virtutem caussandi corporis sanitatem, sed ceteros ejusdem effectus singulatim enumerans, hæc habet: *Res porro, & effectus hujus Sacramenti illis verbis explicatur: Et oratio fidei salvabit infirmum, & alleviabit eum Dominus; &, si in peccatis sit, dimittentur ei. Res etenim hæc gratia est Spiritus Sancti, cujus unctio delicta, si qua sint adhuc expianda, ac peccati reliquias abstergit, & ægroti animam alleviat, & confirmat, magnam in eo Divinæ misericordiæ fiduciam excitando, qua infirmus sublevatus, & morbi incommoda, ac labores levius fert, & tentationibus Dæmonis, calcaneo insidiantis, facilius resistit, & sanitatem corporis interdum, ubi saluti animæ expedierit, consequitur*. Porro inter hos Extremæ Unctionis effectus, a Tridentino enumeratos, curiose magis, quam utiliter, investigant Scholastici quinam sit dicendus hujus Sacramenti proprius, & primarius, & in diversas scinduntur opiniones, quas supervacaneum esset hic recensere; sed legi possunt apud Suarez *cit. tit.* 4. *disp.* 41. Gregorium de Valentia *cit. disp.* 8. *q.* 1. *punct.* 3. Estium *in* 4. *dist.* 23. §. 4. Juenin *cit. dissert.* 7. *quæst.* 8. & Tournely *cit. tr. q. ultim. art.* 1. apud omnes tamen indubitatum esse, per ejusmodi Sacramentum deleri peccata venialia, testantur Navarrus *man. c.* 22. *n.* 13. & Suarez *cit. loc. sect.* 1. *nu.* 1. & 3. fere etiam communiter admittunt, ejusdem virtute, interdum remitti peccata lethalia; cum scilicet peccator, sufficienter ceteroquin attritus, alia Sacramenta recipere nequit, aut post illa suscepta, peccato irretitur, quod invicibiliter ignorat; quidquid sit, an in hujusmodi eventu illa remittat directe, & per se, sicuti opinantur Bellarminus *de Extrem. Unct. lib. unic. cap.* 8. §. *Dicet aliquis*, Maldonatus *de Sacram. Extrem. Unct. quæst.* 2. & Saintebeuve *de Extrem. Unct. disp.* 5. *art.* 1. sive indirecte, & per accidens, uti arbitrantur Suarez *cit. loc. n.* 16. Cardinalis de Lugo *de Sacrament. disp.* 9. *sect.* 1. *n.* 7. & Coninch. *disp.* 19. *de Extrem. Unct. dub.* 5. *num.* 19. & 20. Utramque virtutem Extremæ Unctioni attribuit S. Thomas *cit. l.* 4. *contra Gentes c.* 73. ubi ait: *Contingit, quod homo omnium peccatorum, quæ commisit, notitiam, vel memoriam non habet, ut possit per Pœnitentiam singula expurgare, a quibus oportet hominem, per hoc Sacramentum emundari*. Et clarius *in supplem.* 3. *part. q.* 30. *art.* 1. *Si invenit peccatum aliquod vel mortale, vel veniale, quoad culpam tollit ipsum, dummodo non ponatur obex ex parte recipientis:* cui S. Thomæ doctrinæ adhæsit S. Carolus Borromæus *in Actis Eccles. Mediolanen. part.* 4. *p.* 541. ubi, loquens de Extrema Unctione, ait: *Prima igitur utilitas, & effectus hujus Sacramenti est, quod peccati reliquias tollit, tamquam complementum Pœnitentiæ, quæ reliquiæ peccata esse intelliguntur, sive mortalia, sive venialia, quæ post alia Sacramenta remanent: potest enim fieri, ut, ignorante eo, qui commisit, vel non valente confiteri, peccatum mortale remaneat, in quo delendo ita hoc Sacramento juvatur, ut fieri posset, eum per hoc Sacramentum salvari, qui alioquin fuisset damnatus*. Jam vero neutrum effectum potest Extrema Unctio operari, sine pio aliquo ipsius suscipientis actu: nec enim peccata venialia remittit absque aliqua eorumdem displicentia, nec lethalia delere

„ delere valet sine eorumdem detestatione, eaque saltem imperfecta Contritione, quæ est necessaria ad veniam, & justificationem assequendam in Sacramento Pœnitentiæ, quod cum communi advertit idem Suarez *num.* 22. Ejusmodi autem actus, cum certe elicere nequeat, qui est sensibus, & mente jam destitutus, nisi forte eos jam antea elicuerit, utroque sane Sacramenti effectus fraudatur. Quocirca Cathecismus Concilii Tridentini §. 18. *de Extrem. Unct.* graviter objurgat animarum Pastores, qui se fallæ Vulgi persuasioni accommodantes, tunc primum infirmum Sacro Oleo linire curant, cum vita, & sensibus carere incipit: *In quo tamen* (sunt verba Catechismi) *gravissime peccant, qui illud tempus ægroti ungendi observare solent, cum jam omni salutis spe amissa, vita, & sensibus carere incipiat. Constat enim ad uberiorem Sacramenti gratiam percipiendam plurimum valere, si ægrotus, cum in eo adhuc integra mens, & ratio viget, fidemque, & religiosam animi voluntatem afferre potest, Sacro Oleo liniatur.* Idemque decernunt Concilium Mediolanense I. anni 1565. Burdigalense, & Remense ejusdem anni 1583. Bituricense anni 1584. & S. Carolus Borromæus in suis instructionibus, apud citatum Natalem Alexandrum *sæc.* XIV.

„ Hæc exempla imitetur Episcopus, & in sua Synodo omnem operam conferat, ut sui Diœcesani, omni, si qua sint imbuti, errore abjecto, Sacram Unctionem exposcant, statim ac ex morbi violentia, se ad interitum vergere sentiunt, tempusque præoccupent, quo, emota jam mente, nec Sacramenti efficaciam agnoscere, nec illud eo devotionis affectu percipere valent, quem ad uberem ejusdem gratiam participandam requirit S. Thomas *cit. dist.* 23. *q.* 2. *art.* 2. *quæstiunc.* 3. & 4. *in supplem.* 3. *p. q.* 32. *art.* 4. Cum tamen celerem commendat hujus Sacramenti administrationem, abstineat a verbis, quæ videantur significare ejusdem recipiendi absolutam necessitatem, ne secus videatur ipse quæstionem dirimere, hactenus indecisam; adhuc quippe litigant Theologi, num Fideles periculoso morbo laborantes, quique jam Pœnitentiæ Sacramento sua peccata expiarunt, & Eucharistico pane sunt refecti, teneantur insuper aut Divino, aut saltem Ecclesiastico præcepto, Extremam Unctionem suscipere? Negant quamplurimi magni nominis Theologi, quos citant, & sequuntur Suarez *disp.* 44. *sect.* 1. Henriquez *de Sacram. lib.* 3. *c.* 10. *n.* 3. Estius *in* 4. *dist.* 23. §. 17. Cabassutius *in theor. & prax. juris Canonici l.* 3. *cap.* 15. *n.* 8. & Sambovius *cit. tr. pag.* 352. qui tamen hanc addit limitationem, nisi ægrotus gravibus prematur tentationibus, ad quas superandas, novo indigeat hujus Sacramenti munimine. Contra, quemlibet in eo statu, jure tam Divino, quam Ecclesiastico, obstringi ad sacram recipiendam Unctionem, sentire videntur Magister Sentent. & S. Bonaventura *in* 4. *dist.* 23. *circa textum*, Petrus Sotus *lect.* 2. *de Extrem. Unct.* & expresse defendunt Juenin. *cit. dissert.* 7. *q.* 9. *cap.* 2. ac Tournely *cit. q. ult. art.* 2. quibus non obscure favet Concilium Coloniense anni 1536. *par.* 7. *c.* 50. (*tom.* 9. *collect. Harduin. col.* 2011.) ubi cum dixerit: *Est autem Unctio imp[r]iendenda, cum expositione Unctionis, & mandati Apostolici, quod sic habet: Infirmatur quis in vobis? Inducat Presbyteros Ecclesiæ &c.* indicavit profecto, se in hisce Apostoli verbis verum præceptum agnoscere. Verum, etsi expediat, ut Episcopus hanc controversiam declinet, indubitanter tamen asserere poterit, non posse, sine gravi culpa, ejusmodi Sacramentum, aut contemni, aut cum aliorum offensione, & scandalo negligi, & prætermitti; id siquidem a nemine negari fatetur Suarez *cit. loc. n.* 5. & 6. nec præterea incongruum esset addere, facile Sacramenti contemptum præsumi in infirmo, qui cum vita periclitetur, Extremam Unctionem, sciens, & volens, petere negligit, multoque magis, si eam sibi a Parocho exhibitam recipere renuat; propterea Synodus Coloniensis anni 1549. *cap.* 38. (*t.* 9. *collect. Harduin. col* 2110.) idem esse ratu, Sacramentum respuere, ac contemnere: *Relatum nobis in Concilio est, impios quosdam homines, infirmitatis suæ tempore Sacrum Unctionem respuisse, ac contempsisse*: hujuscemodi homines Ecclesiastica sepultura privandos decrevit, quod recte ponderant Natalis Alexand. *cit. loc. sæc.* XX. ac modo laudati Juenin, & Tournely.

54. Quod si inter ungendum Sacerdos advertat, infirmum expirasse, debet ab unctionibus desistere; nam Sacramenta conferuntur Viatoribus, non vero jam existentibus in termino, ut constat ex dictis de Sacramentis in genere; unde peccaret graviter, voluntarie unctiones prosequendo. Si vero dubium aliquod sit, num adhuc vivat, perficere poterit unctiones sub conditione, vel verbis expressa, vel saltem mente concepta, si infirmus adhuc vivat, ne Sacramentum conferatur subjecto incapaci. Nec peccat Sacerdos in tali casu Sacramentum administrando, quia per conditionem servatur reverentia debita Sacramento, & potest multum prodesse infirmo. Sic Suarez *disp.* 42. *sect.* 1. Henriquez, Possevinus, & Acta Mediolanensis Ecclesiæ, ut refert Babac. *punct.* 5. *n.* 9.

55. Quæres: *An possit hoc Sacramentum iterari, & pluries conferri?* Certum est, posse pluries conferri, si diversæ succedant infirmitates, & periculum mortis, ut habetur ex Trident. *sess.* 14. *c.* 3. Certum est etiam, non esse repetendum, durante eodem periculo; secus si novum succedat periculum, si nimirum infirmus post susceptam Sacram Unctionem, per paucas hebdomadas, aut per mensem convalescat, & postea in eamdem, vel aliam infirmitatem incidat, & hoc fieri potest toties, quoties id acciderit, ut habetur ex Trident. *loc. cit. Quod si infirmi post susceptam hanc unctionem convaluerint, iterum hujus Sacramenti subsidio juvari poterunt, cum in aliud simile vitæ discrimen inciderint.* Idem habet Catechis. Rom. *n.* 11. *Quod si post susceptam hanc unctionem æger convaluerit, quoties postea in id vitæ discrimen inciderit, toties ejusdem Sacramenti subsidium ei poterit adhiberi*; & etiam tenent omnes Doctores.

„ *Consulendus & hac in re Sapientissimus idem Pontifex in prælaud. Synodo Diœcesana cap.* 23. *ejusd. libri* 7. §. 3. *ubi in confirmationem hujus sententiæ hæc leguntur.* Dicendum nunc restat de hujus Sacramenti iteratione. Labente Sæculo XI. & ineunte XII. hac nonnulli imbuti erant opinione, ut illicitum reputarent, Fidelem Sancto Oleo semel inunctum, umquam deinceps eodem linire; & si vera narrarent Ciacconius, & Ughellius, eadem opinio, saltem apud aliquos, etiam Sæculo XV. perseverasset; ambo enim referunt, ille *tom.* 2. *in Vita Pii II. pag.* 1005. hic vero *Italiæ Sacræ tom.* 2. *pag.* 553. disputatum fuisse: an Summo Pontifici Pio II. graviter ægrotanti administrari posset Extrema Unctio, eo quod pluribus antea annis eam recepisset Basileæ, cum peste laboraret, quæ in ea urbe grassabatur. Verum cum hujus memorandi certe facti nulla mentio occurrat; neque in Vita ejusdem Pii II. a Joanne Antonio Campano Episcopo Aprutino accurate descripta, neque in Commentariis Cardinalis Papiensis, qui ceteroquin quam minutissime scribit, quæ in Pii II. morte contigerunt, illud propterea aut fabulosis, aut saltem suspectis narrationibus accensemus. Opinabantur alii, Extremam Unctionem posse iterum eidem conferri, modo tamen a die, qua semel inunctus fuerat, tres integri anni effluxissent: hanc falsam persuasionem sibi induxisse Monachos Hirsaugienses, refert supra memoratus Auctor veteris disciplinæ Monasticæ *in Præf. cap.* 128. ubi postquam antiquum exhibuit eorumdem Monachorum usum, ponendi infirmum Extrema Unctione jam munitum, & cui mortis momentum instaret, *super sagum cilicinum cinere aspersum*, hæc ex Guidone Farfensi addit: *Ceterum Hirsaugienses existimabant, Unctionis Sacramentum ab eodem iterari non posse, nisi effluxo triennio: hinc statuerant, eumdem Fratrem, si mortem evaserit, post tres annos iterum perungi posse.* Censuerunt denique alii apud Petrum Cantorem *in Summ. cap.* 132. & Durandum *lib.* 1. *rational. Divin. Offic. cap.* 8. *num.* 25. non licere Extremam Unctionem intra ejusdem anni spatium repetere, etiamsi contingeret, quempiam in periculosum morbum iterato incidere. In hac sententia fuit ille idem Anonymus Auctor codicis Turonensis, cujus supra meminimus; ait quippe: *Nisi anni mense semel tantum communicet æger: Hic idem solo, non bis, ungatur in anno*; neque eam Sæculo XVI. ab omnium mente deletam, colligimus ex Synodo Iprensi, eodem Sæculo labente, habita ab Episcopo Rithovio, in qua *tit.* 17. *c.* 3. postquam declaratum fuit, posse Extremam Unctionem, quandocumque opus fuerit, eidem denuo administrari, additum legimus. *Proinde consuetudinem, secundum quam non consuevit hoc Sacramentum intra annum secunda suscipi, etiamsi altera gravis obveniat infirmitas, tamquam noxiam abrogamus.* Equidem jamdiu antea prævaluerat, & communi usu recepta, atque approbata fuerat sententia hujus Sacramenti iterationem permittens, quotiescumque Fidelis in novum incidit morbum, & in diversum adducitur vitæ discrimen, ideo enim, uti ratiocinatur S. Thomas *in supplem.* 3. *part. q.* 33. *art.* 1. Sacramenta Baptismi, Confirmationis, & Ordinis nequeunt sine Sacrilegio iterari, quia imprimunt characterem, & producunt effectum perpetuum: *Sacramentum autem, quod non habet effectum perpetuum, potest iterari sine injuria, ut effectus deperditus iterato recuperetur; & quia sanitas corporis, & mentis, quæ sunt effectus hujusmodi Sacramenti, possunt amitti, postquam fuerit per Sacramentum effecta; ideo hoc Sacramentum sine sui injuria potest reiterari.* Idem, quod S. Thomas, docuere Magister Sententiarum *in* 4. *dist.* 23. Guillelmus Altissiodorensis *lib.* 4. *summ. tr.* 7. *c.* 2. S. Bonaventura *in* 4. *dist.* 23. *art.* 2. *q.* 4. ceterique Scholastici, quorum sententiam sua tandem infallibili auctoritate firmarunt Tridentini Patres *sess.* 14. *cap.* 3. definientes: *Quod si infirmi post susceptam hanc Unctionem convaluerint, iterum hujus Sacramenti subsidio juvari poterunt, cum in aliud simile vitæ discrimen inciderint.*

Verum adeo diversa sunt hominum ingenia! illud idem Sacramentum, quod plerique numquam iterari posse affirmarunt, alii, etiam in eadem infirmitate, sæpius repeti voluere. Etenim in antiquo codice manuscripto

S. Re-

S. Remigii, circa annum millesimum exarato, & prolato ab Hugone Menardo *in notis ad Sacramentar. S. Greg.* statuitur, infirmos vita periclitantes, per septem continuos dies & Christi Corporis Viatico recreandos, & Sancto Oleo esse perungendos; eumdemque ritum clarius adhuc, & magis aperte præscribunt Theodulsus Aurelianensis in suo secundo Capitulari apud Baluzium *tom. 7. miscellan.* aliique multi antiqui libri Rituales apud Martene *cit. lib. 1. c. 7. art. 2. n. 5.* Sed usus postea ab universa Ecclesia receptus, a Theologis communi calculo approbatus, & Synodorum, ac Ritualium auctoritate roboratus, obtinuit, ut semel dumtaxat in eadem infirmitate Extrema Unctio adhibeatur; una siquidem necessarias suppeditat vires ad illa incommoda evitanda, quæ morbus affert, quo actu æger laborat. Atqui Theologos prætermittamus, qui innumeri sunt: ita servandum decernunt statuta Synodalia Danielis Nannetensis, Stephani Parisiensis Episcopi, Synodus Gameracensis anni 1586. *tit. 12. c. 4.* Pastorale Mechliniense, Viennense, Lemoviceuse, aliaque quamplurima congesta a Launojo *tom. 1. pag. 552.* & Van-Espen *cit. part. 2. tit. 8. cap. 3. n. 32. & seqq.* Durante autem eadem infirmitate, si post susceptam Extremam Unctionem morbus ita remittat, ut ægrotus morti periculum evasisse videatur, sed antequam convalescat iterum in vitæ discrimen relabatur, etiam juxta præsentem disciplinam, poterit absque scrupulo denuo Sacra Unctione muniri, quemadmodum diserte tradit D. Thomas *in 4. dist. 23. art. 4. q. 2. §. Ad secundam quæstionem*, inquiens: *Hoc Sacramentum non respicit tantum infirmitatem, sed etiam infirmitatis statum, quia non debet dari, nisi infirmis, qui secundum humanam æstimationem videntur morti appropinquare. Quædam ergo infirmitates non sunt diuturnæ, unde si in eis datur hoc Sacramentum, tunc cum homo ad illum statum perveniat, ut sit in periculo mortis, non recedit a statu illo, nisi infirmitate curata; & ita iterum non debet inungi, sed si recidivum patiatur, erit alia infirmitas, & poterit fieri alia inunctio. Quædam vero sunt ægritudines diuturnæ, ut hectica, & hydropisis, & hujusmodi: & in talibus non debet fieri inunctio, nisi quando videntur perducere ad periculum mortis: & si homo illum articulum evadat, eadem infirmitate durante, & iterum ad similem statum per illam infirmitatem reducatur, iterum potest inungi, quia jam est quasi alius infirmitatis status, quamvis non sit alia infirmitas simpliciter.* Idem quod a Divo Thoma audivimus, decernunt Synodus Lingonensis anni 1404. Senonensis anni 1524. Carnotensis 1526. apud Natalem Alexandrum *l. 2. cap. 5. regul. XIX.* quibus consentiunt Rituale Romanum *tit. de Extrema Unctione*, Rituale Cardinalis Sanctorii *pag. 324.* ubi legitur: *In eadem infirmitate hoc Sacramentum iterari non debet, nisi diuturna sit, & infirmus, cum visus esset melius se habere, iterum in periculum mortis incidit.* Rituale Argentinense *tit. de Extr. Unctione* § 4. ac omnia Pastoralia modo commemorata, uti videre est apud citatum Van Espen, qui non inopportune Parochos monet, ne nimium scrupulose in hoc se gerant; sed si dubitent, an revera morbi status sit mutatus, seu num idem, vel diversum sit vitæ periculum, in quo ægrotus versatur, expedire ait, ut ad Sacramenti iterationem propendeant, eo quod hæc iteratio conformior sit veteri Ecclesiæ consuetudini, & per eam novum spirituale subsidium, & levamen infirmo obveniat.

56. Quæres 2. *An Sacerdos fiat irregularis, si infirmus moriatur, dum ipsum revolvit, ut ungat?*

Resp. Negative, quia hæc irregularitas non est in jure expressa, & quia in illa actione nullum intervenit delictum; quod verum putat Homobonus *tr. 13. c. 6. resol. 2.* etiamsi aliqua levis culpa intercedat, nam ista non est digna tanta pœna.

DUBIUM VII.

De Effectibus hujus Sacramenti.

57. Sacramentum Extremæ Unctionis plures habet effectus conferre: primo enim confert gratiam sanctificantem, ut expresse definitum est in Concil. Trident. sess. 14. can. 2. *Si quis dixerit, Sacram infirmorum Unctionem non conferre gratiam, &c. anathema sit*, & hunc effectum communem habet cum aliis Sacramentis. Deinde confert propriam, & specialem gratiam Sacramentalem consistentem in quibusdam auxiliis actualibus, in ordine ad superandas tentationes, & Dæmonis aggressiones, quæ in articulo mortis solent esse frequentiores, & vehementiores; ad spem, & confidentiam facilius, & firmius in Deum erigendam, & ad morbi, ac mortis molestias cum majori patientia tolerandas; quod expressit Trident. cap. 2. illis verbis: *Ægroti animam alleviat, & confirmat, magnam in eo divinæ misericordiæ fiduciam excitando, qua infirmus sublevatus, & morbi incommoda, ac labores levius fert, & tentationibus Dæmonis, calcaneo insidiantis, facilius resistit, & sanitatem corporis interdum, ubi saluti animæ expedierit, consequitur*, quos omnes effectus colligit ex verbis Apostoli: & *oratio fidei salvabit infirmum, & alleviabit eum Dominus; & si in peccatis sit, dimittentur ei.*

58. Tertio confert remissionem peccatorum mortalium, si quæ forte habet infirmus inculpabiliter oblita, & quorum non habet memoriam; quamvis enim hoc Sacramentum sit per se institutum ad augendam gratiam sanctificantem, & supponat hominem a peccato mortali per Sacramentum Pœnitentiæ, aut perfectam contritionem, jam purgatum; attamen potest etiam producere primam gratiam, & peccata mortalia delere, si forte Confessio Sacramentalis fuit nulla, aut informis, vel alia sint inculpabiliter ignorata, dummodo per supernaturalem attritionem infirmus sit dispositus, & non peccet recipiendo hanc unctionem, & hoc non solum per accidens, ut faciunt alia Sacramenta vivorum, sed ex sua natura, & institutione, ut constat ex verbis formæ: *Indulgeat tibi Dominus quidquid peccasti*: tum ex Apost. *& si in peccatis sit; remittentur ei*; tum ex Trident. cap. 2. *delicta, si quæ sint adhuc expianda, abstergit*: quæ quidem verba cum sint indefinita, & sine ulla restrictione, de quibuscumque peccatis, etiam mortalibus, intelligi debent. A fortiori habet etiam remittere peccata venialia, ut expresse docet Catechismus Rom. num. 14. dicens: *Docebunt igitur Pastores, hoc Sacramento gratiam tribui, quæ peccata, & in primis quidem leviora, & ut communi nomine appellantur venialia remittit*, &c., pluribus adductis, docet Leander *q. 14.*

59. Quarto abstergit reliquias peccatorum, ut expresse docet Trident. *c. 2.* quorum nomine aliqui intelligunt peccata, sive mortalia, sive venialia, quæ nondum fuerunt remissa; alii intelligunt reatum pœnæ temporalis, qui relinquitur post culpam dimissam, ut notat Leander *disp. 4. q. 15.* sed alii melius cum S. Thoma *in 4. dist. 23. q. 1. art. 2. quæstiunc. 1.* intelligi animi languorem, torporem, mœrorem, tristitiam, fastidium, anxietatem, & alias similes pravas affectiones, quæ ut plurimum ex peccatis præteritis, eorumque recordatione caussantur, & varia incommoda spiritualia afferunt infirmo, vel etiam in extremam desperationem propellunt, ut bene notat Aversa *sect. 6.* & cum Henriquez, Bellarm. Coninch, & aliis docet Bonacina *pu. 6. n. 1.* Habet etiam Extrema Unctio sublevare infirmum a corporali ægritudine, & conferre illi sanitatem corporalem, quando saluti Animæ expedit, ut cum communi Sententia tradit Leander *q. 16.* & Palaus *p. 5. n. 10.* & colligitur ex verbis Apostol. *Oratio fidei salvabit infirmum, & alleviabit eum Dominus*, quæ non de solo levamine spirituali, sed etiam de corporali intelligit Trident. *cap. 2.* sub illa tamen conditione, *ubi saluti Animæ expedierit*, quo sensu citata Apostoli verba etiam alii Doctores intelligunt.

60. Quæres: *Quinam ex illis sit primarius effectus Extremæ Unctionis?*

Resp. hoc Sacramentum ultra gratiam sanctificantem, quæ est communis omnibus Sacramentis, primario & principaliter esse institutum ad conferenda infirmo auxilia actualia, quibus resistat Dæmonis tentationibus, & perseveret in bono usque in finem, ac omnes superare possit occurrentes in tali vitæ discrimine difficultates, quibus a procuranda, & consequenda salute æterna retardari potest, quod expressit Trid. sess. 14. in prooemio, dicens: *Quemadmodum Redemptor noster auxilia maxima in Sacramentis aliis præparavit, quibus Christiani conservare se integros, dum viverent, ab omni graviori spiritus incommodo possent; ita Extremæ Unctionis Sacramento finem vitæ tamquam firmissimo præsidio communivit.*

61. Quæres 2. *Quandonam hoc Sacramentum habeat tribuere, & caussare suos effectus?* Qui tenent, hoc Sacramentum essentialiter requirere quinque unctiones quinque sensuum cum suis formis, adeo ut illius essentia non compleatur, nisi post quintam unctionem, consequenter dicunt, non tribuere suos effectus, nec gratiam producere, nisi in ultima unctione in illo instanti, in quo est verum dicere, Sacramentum esse perfectum, quia effectus Sacramenti concedi non potest quousque Sacramentum non sit perfectum: in hac Sententia, si infirmus ante quintam unctionem cum sua forma moreretur, neque reciperet gratiam, nec aliquem alium effectum Sacramenti, quia antecedenter Sacramentum nondum est perfectum, & omnes unctiones ordinantur ad unam integram totius hominis sanitatem significandam, & caussandam. Ita Henriquez *l. 3. c. 12. n. 3. & 4.* Suarez *disp. 41. sect. 2. n. 13.* Filliuc. *n. 126.* Bonacina *punct. 6. n. 2.* Coninch *disp. 19. dub. 6. n. 21.* Diana *punct. 3. tract. 4. res. 179.* Palaus *punct. 5. n. 13.*

62. Alii e contra volunt producere suos effectus in prima unctione, quia in hac reperitur propria materia, & forma hujus Sacramenti, quod proinde erit perfectum, accedente intentione Ministri, & per consequens caussare poterit suos effectus. Sic Becanus, Molfesius, Capeavilla, & Sylvius, quos affert, & sequitur Leander *disp. 4. quæst. 17.* Ant. a Spiritu S. *sect. 8. num. 56.* & consentiunt omnes illi, qui docent, in necessitate sufficere ungere unum infirmi sensum.

63. At probabilior est illorum Sententia, qui volunt, in qualibet unctione sub sua unctione, sub sua forma Sacramentum hoc essentialiter perfici, licet partialiter, & per consequens in qualibet partiali unctione conferri partialem gra-

gratiam, ceterosque partiales effectus, quia quælibet unctio cum sua forma significat, & caussat remissionem peccatorum, quæ a peculiari sensu sunt commissa independenter ab aliis formis, ut notavimus supra *dub.* 3. *num.* 25. ergo quælibet caussat gratiam, sicut illam significat. Ita Palud. Adrian. Cano, & probabile putant Filliuc. *n.* 124. Suarez, Granado, Diana Henriq. & alii relati a Leandro *quæst.* 17. & certe credibile est, Christum Dominum sic instituisse Sacramentum Extremæ Unctionis, ut cuilibet unctioni suus effectus gratiæ correspondeat, quia sic melius hominibus animam agentibus esset provisum, cum aliqui ante finiam ultimam unctionem soleant decedere, qui privarentur effectu Sacramenti, si quælibet unctio non produceret suum effectum partialem, & gratiam partialem sibi correspondentem.

64. Quæres 3. *An hoc Sacramentum sit unum tantum, vel plura, juxta pluralitatem unctionum?*

Resp. esse unum in specie infima totali, & adæquata, sicut Eucharistia dicitur unum Sacramentum in specie infima totali, & adæquata. Ratio est, quia licet hoc Sacramentum componatur ex pluribus materiis, & formis partialibus; istæ tamen ordinantur ad unum finem, idest ad unam integram unctionem, & ad unam integram sanitatem homini conferendam, quæ solum partialiter, & inadæquate confertur per singulas unctiones.

65. Quæres 4. *Quænam dispositio requiratur ex parte recipientis hoc Sacramentum?*

Resp. plura requiri; primo enim requiritur intentio, sive actualis, sive virtualis, sive interpretativa illud recipiendi, qualem habere censetur, qui christiane vixit. Deinde requiritur status gratiæ per Confessionem, aut per contritionem acquisitus; &, si infirmus sit sui compos, debet prius recipere Sacramenta pœnitentiæ, & Eucharistiæ, quia ex præcepto divino tenetur infirmus recipere in illo articulo mortis illa Sacramenta, quæ, si fieri potest, semper præmittenda sunt Extremæ Unctioni, ut moris est in Ecclesia, ut docet Bonacina *punct.* 5. *num.* 15. potest tamen Extrema Unctio ministrari, quamvis non sit præmissa Confessio Sacramentalis, nec Communio, quando propter vomitum infirmus non est illius capax, aut quando repentino morbo corripitur, ut non possit Communionem recipere, nec etiam Confessionem præmittere; sufficit etiam tunc, quod præmittat actum contritionis saltem putatæ.

„ *Vide quid eruditissime hic dicatur circa ordinem, quo tribuenda est, juxta Ecclesiæ Latinæ praxim, Extrema Unctio, utrum scilicet ante, vel post Sanctissimi Christi Corporis Viaticum, quod potissimum ad Parochos spectat. In capite siquidem* 23. *l.* 7. *Synodi Diœcesanæ hæc leguntur.* Sed & illud quoque edoceri cupiunt Parochi, quonam ordine debeant Extremam Unctionem infirmis administrare ante ne, an post Sanctissimi Christi Corporis Viaticum? Nemo, qui Ecclesiasticæ historiæ non sit omnino imperitus, inficiabitur, usum quondam fuisse, ut Sacro Oleo linirentur infirmi post peractam quidem Sacramentalem Confessionem, sed priusquam Christi Corporis reficerentur Viatico, quod multis exemplis probat Suarez *disp.* 44. *sect.* 1. *n.* 8. atque ex pluribus Ritualibus, ac Synodorum statutis demonstrant Launojus *observ.* 8. *to.* 1. *oper. pag.* 628. Hugo Menardus *nota* 985. *in Sacram. S. Gregorii*, Van-Espen *jur. Eccles. univ. part.* 2. *tit.* 8. *c.* 2. *n.* 22. *& seqq.* Martene *de antiq. Eccl. rit. l.* 1. *c.* 7. *art.* 2. *n.* 3. Saintebeuve *cit. tract. disp.* 8. *art.* 3. & fuse Pouget *Instit. Catholicarum tom.* 2. *part.* 3. *sect.* 1. *c.* 6. §. 4. Neque ad hanc inducendam consuetudinem legitimam defuisse caussam ait citatus Suarez. Cum enim Extrema Unctio sit *perfectio, & consummatio pœnitentiæ*, uti communiter appellatur a Patribus, quæ peccatorum reliquias abstergit, uti a Tridentino edocemur, non sine rationabili caussa Pœnitentiæ conjungebatur, ut per utrumque Sacramentum homo perfecte expiatus, sine alla animæ sorde cælestem panem degustaret. At nihilominus prædicta consuetudo, ne priscis quidem temporibus fuit ubique, atque apud omnes inviolate servata: alia quippe præsto sunt, æque vetusta, Ecclesiarum statuta, sacram Unctionem post Viaticum exhiberi præcipientia; nec desiderantur exempla Sanctorum virorum, qui Viaticum Extremæ Unctioni præmiserunt, quæ pari diligentia congesta, atque ingenue producta sunt a cit. Martene *eod. art.* 2. *n.* 4. Hæc vero posterior praxis adeo postea prævaluit, ut Catechismus Concilii Tridentini S. Carolus Borromæus in suis instructionibus, ac innumera Ritualia, Extremam Unctionem post Viaticum præberi decreverint; quemadmodum animadvertit Cardinalis Sanctorius *in sua Rituali pag.* 323. *Quamvis apud Veteres aliquando consuetudo fuerit, ut post pœnitentiam, & reconciliationem infirmorum, Extrema prius eis Unctio, & deinde Sacra Communio exhiberetur, ut ex diversis Sacris Canonibus, ac vetustis Codicibus, Pontificalibus, & Ordinibus administrandorum Sacramentorum manifeste liquet; postea tamen ex generali consuetudine, quæ & hodie universaliter in Latina, & Occidentali Ecclesia viget, factum est, ut prius Sacra Communio, postmodum vero Extremæ Unctionis Sacramentum infirmis exhibeatur. Atque ideo & hunc ordinem hic servare oportet.* Hujus porro disciplinæ mutationis aliam, æque rationabilem caussam affert idem Suarez, quia scilicet (sunt ejus verba) *Eucharistia, ut cibus ad confortandum in via præbetur, & ideo, ut detur, non est expectandum ultimum vitæ periculum: hoc vero Sacramentum exeuntium est, quasi in ultimum subsidium institutum.*

Sed licet res ita se habeat, aliqua nihilominus Ritualia collecta a Pouget *cit. Catholic. Instit. loc. cit.* Extremam Unctionem ante Viaticum conferri permittunt, si ægrotus ex pio desiderio se melius ad Eucharistiam præparandi, ita secum fieri expostulet. Idem indulget etiam Cardinalis de Rohan *in suo cit. Rituali Argentinensi* §. 2. ubi hæc habet: *Si eodem tempore ægroto detur Eucharistia, & Extrema Unctio, hæc ante illam dari poterit, si ita fieri postulet ægrotus, & pia illa ægrotorum postulatio hisce fulciatur momentis, quod nempe, quia effectus Unctionis Extremæ abstersio est reliquiarum peccati, ipsa Unctio Extrema spectari potest, quasi amplior ad Eucharistiam præparatio, & quod aliunde eam ante Viaticum conferendi usus antiquus est, & probatus, licet non ubique admissus. Faciat autem super ea re Parochus, quod magis expedire videbitur pro adstantium ædificatione, maxime autem pro temporis opportunitate; si enim vis morbi urgeret, Viaticum prius detur, & postea Extrema Unctio ministretur.* Verum Nos, quamquam hanc permissionem nequaquam improbemus, siquidem a laudato Suarez discimus, contrariam consuetudinem Ecclesiæ Romanæ, a Concilii Tridentini Catechismo pariter approbatam, non esse sub gravi saltem obligatione ab omnibus Christiani Orbis regionibus receptam; ac præterea a Natali Alexandro *cit. loc. reg.* 21. accipimus, apud Cistercienses etiam hodie perseverare antiquum morem, sacram Unctionem præmittendi Viatico: nihilominus in locis, in quibus hic mos obsolevit, vigetque disciplina a Concilii Tridentini Catechismo præscripta, non facile permitteremus ab hac recedi, solum ad indulgendum privatæ, & peculiari infirmi devotioni; sed potius Parochis injungeremus, ut Extremam Unctionem petentibus ante Viaticum suaderent, tutius, & melius fore Ecclesiæ Romanæ ritui, ac usui, a majori parte Ecclesiæ Catholicæ jam recepto, se accommodare.

66. Ritus, & Cæremoniæ adhibendæ in administratione hujus Sacramenti distincte præscribuntur in Rituali Romano, quas Sacerdos, quantum fieri potest, observare debet, nec sine gravi necessitate illas omittere: illud administrare sine superpelliceo, & Stola, & non præmissis precibus consuetis, peccatum esset mortale; & potius esse omittendum, quam sine sacris vestibus ministrare, etiam in casu necessitatis, docet Suarez *disp.* 44. *sect.* 2. Reginald. *l.* 28. *in fine*, Palaus *pu.* 8. *n.* 51. Bonac. *pu.* 6. *n.* 9. quia cum non sit Sacramentum necessitatis, præferenda est reverentia illi debita; alii tamen satis communiter admittunt, urgente necessitate, non esse peccatum illud administrare sine Sacris vestibus, aut non præmissis precibus, quia licet non sit Sacramentum necessitatis, est tamen valde utile, & aliquando necessarium, ut ægrotum faciat de attrito contritum, & inde momentis utilitas est præferenda, ut cum Possevino, Leandro, & Amico docet Ant. *sect.* 7. *n.* 50. Qui absque caussa illud administraret sine lumine, solum peccaret venialiter. Sic Leander *q.* 23. & Diana *part.* 9. *tr.* 6. *resol.* 46. Recitare Psalmos Pœnitentiales, ac Litanias, solum est de consilio, & in Rituali Rom. non a Sacerdote, sed ab astantibus recitari præscribuntur. Ita cum Possevino, Bonacina, & aliis Leander *q.* 22. & *q.* 20. notat, nullum esse peccatum, si illud administraret solus sine Socio, aut Clerico respondente, quia potest sibimet respondere. Possevinus *q.* 15. *n.* 13. Bonac. *pu.* 6. *n.* 6. & cum Toleto, Layman, & aliis, Palaus *n.* 22.

SERIES

SERIES BULLARUM
SANCTISSIMI DOMINI NOSTRI
BENEDICTI XIV.

Quibus confirmantur pleraque ex iis, quæ in hoc Volumine continentur.

DE PŒNITENTIA.

BULLA PRIMA.

Adversus Confessarios, qui Pœnitentes ad turpia sollicitant.

Extat hæc Bulla in Tomo I. num. XX. Data vero fuit die 1. Jun. 1741. & Pontificatus anno I.

SAcramentum Pœnitentiæ, quam secundam, post naufragium, deperditæ gratiæ tabulam Sancti Patres apte nuncuparunt, Nos, licet immerentes, ad universi Dominici Gregis curam superna dispositione vocati, omne studium, & Pastoralem sollicitudinem adhibere tenemur, ne, quod post amissam Baptismi innocentiam datum est Divina benignitate perfugium, per dæmonum fraudem, & hominum Dei beneficiis perverse utentium malitiam, naufragis, ac miseris peccatoribus luctuosum evadat exitium; & quod in salutem, & curationem Animarum, a Deo, qui dives est in misericordia, institutum est, execrabili scelestorum quorumdam Sacerdotum improbitate, in earum perniciem, atque interitum vertatur.

§. 1. Dudum quidem a fel. record. Gregor. Papa XV. Prædecessore Nostro per suas litteras in forma Brevium sub datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem die xxx. Augusti MDCXXII. Pontificatus sui anno secundo, sapienter provisum fuit contra quoscumque Sacerdotes audiendis Confessionibus deputatos, ad turpia, & inhonesta sollicitantes; & deinceps successivis temporibus, ad earum litterarum interpretationem, ac declarationem, plura subinde a Congregatione Venerabilium Fratrum Nostrorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium adversus hæreticam pravitatem Generalium Inquisitorum sub die 11. mensis Februarii anno Domini MDCLXI. prodierunt Decreta, & a rec. mem. Alexandro PP. VII. pariter Prædecessore Nostro in Congregatione Generali Sanctæ Romanæ Universalis Inquisitionis die xxiv. Septembris MDCLXV. coram eo habita, inter alias ab Evangelica veritate, & Sanctorum Patrum doctrina alienas, & dissonas propositiones, sexta videlicet, & septima, huc revocandæ, damnatæ, & prohibitæ fuerunt; Nos itaque mature perpendentes quanti momenti sit ad æternam animarum salutem ea omnique exacte observari, & quanti ad infirmas oves curandas, & decorem Sanctæ Ecclesiæ Dei retinendum, intersit, ne aliqui Sacerdotes Pœnitentiæ Sacramento nefarie abutentes, Pœnitentibus pro curatione vulnus, pro pane lapidem, pro pisce serpentem, pro medicina venenum porrigant, sed animo secum recolentes, se a Christo Domino Præsides, & Judices animarum constitutos, ea sanctitate, quæ sublimitati, ac dignitati muneris convenit, tam venerandum Sacramentum administrent: Motu proprio, & ex certa scientia, ac matura deliberatione Nostra, præfatas litteras hujusmodi, ac omnia, & singula decreta prædicta ad illarum interpretationem, & declarationem emanata, Apostolica Auctoritate tenore præsentium approbamus, & confirmamus, illisque omnibus, & singulis inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus; atque etiam, quatenus opus sit, denuo committimus, & mandamus omnibus hæreticæ pravitatis Inquisitoribus, & Locorum Ordinariis omnium Regnorum, Provinciarum, Civitatum, Dominiorum, & Locorum universi Orbis Christiani, in suis respective Diœcesibus, ut diligenter, omnique humano respectu postposito, inquirant, & procedant contra omnes, & singulos Sacerdotes tam Seculares, quam Regulares quomodolibet exemptos, ac Sedi Apostolicæ immediate subjectos, quorumcumque Ordinum, Institutorum, Societatum, & Congregationum, & cujuscumque Dignitatis, & Præeminentiæ, aut quovis Privilegio, & Indulto munitos, qui aliquem Pœnitentem, quæcumque persona illa sit, vel in actu Sacramentalis Confessionis, vel ante, vel immediate post Confessionem, vel occasione, aut prætextu Confessionis, vel etiam extra occasionem Confessionis in Confessionali, sive in alio loco ad Confessiones audiendas destinato, aut electo, cum simulatione audiendi ibidem Confessionem, ad inhonesta, & turpia sollicitare, vel provocare, sive verbis, sive signis, sive nutibus, sive tactu, sive per scripturam, aut tunc, aut post legendam, tentaverint, aut cum eis illicitos, & inhonestos sermones, vel tractatus temerario ausu habuerint. Et quos in aliquo ex hujusmodi nefariis excessibus culpabiles repererint, in eos pro criminum qualitate, & circumstantiis, severe animadvertant, per condignas pœnas, juxta memoratam Gregorii Prædecessoris Nostri Constitutionem, quam hic de verbo ad verbum pro inserta haberi volumus: dantes etiam, si opus sit, & rursus concedentes facultatem, ne delictum tam enorme, & Ecclesiæ Dei injuriosum remaneat, ob probationum defectum, impunitum, jam alias in præfata Constitutione tributam, procedendi cum Testibus etiam singularibus, dummodo præsumptiones, indicia, & alia adminicula concurrant.

§. 2. Meminerint præterea omnes, & singuli Sacerdotes ad Confessiones audiendas constituti, teneri se, ac obligari, suos Pœnitentes, quos noverint fuisse, ab aliis ut supra, sollicitatos, sedulo monere, juxta occurrentium casuum circumstantias, de obligatione denuntiandi Inquisitoribus, sive Locorum Ordinariis prædictis, Personam, quæ sollicitationem commiserit, etiamsi Sacerdos sit, qui jurisdictione ad absolutionem valide impertiendam careat, aut sollicitatio inter Confessarium, & Pœnitentem mutua fuerit, sive sollicitationi Pœnitens consenserit, sive consensum minime præstiterit, vel longum tempus post ipsam sollicitationem jam effluxerit, aut sollicitatio a Confessario, non pro se ipso, sed pro alia persona peracta fuerit. Caveant insuper diligenter Confessarii, ne Pœnitentibus, quos noverint jam ab alio sollicitatos, sacramentalem absolutionem impertiant, nisi prius denuntiationem prædictam ad effectum perducentes, delinquentem indicaverint competenti Judici, vel saltem se, cum primum poterunt, delaturos spondeant, ac promittant.

§. 3. Et quoniam improbi quidam homines reperiuntur, qui vel odio, vel ira, vel alia indigna caussa commoti, vel aliorum impiis suasionibus, aut promissis, aut blanditiis, aut minis, aut alio quovis modo incitati, tremendo Dei judicio posthabito, & Ecclesiæ auctoritate contempta, innoxios Sacerdotes apud Ecclesiasticos Judices falso sollicitationis insimulant: ut igitur tam nefaria audacia, & tam detestabile facinus metu magnitudinis pœnæ coerceatur, quæcumque persona, quæ execrabili hujusmodi flagitio se inquinaverit, vel per se ipsam innocentes Confessarios impie calumniando, vel scelerate procurando, ut id ab aliis fiat, a quocumque Sacerdote quovis privilegio, auctoritate, & dignitate munito, præterquam a Nobis, Nostrisque Successoribus, nisi in fine vitæ, & excepto mortis articulo, spe absolutionis obtinendæ, quam Nobis, & Successoribus prædictis reservamus, perpetuo careat.

§. 4. Demum magnopere cupientes a Sacerdotalis Judicii, & Sacri Tribunalis sanctitate omnem turpitudinis occasionem, & Sacramentorum contemptum, & Ecclesiæ injuriam longe submovere, & tam exitiosa hujusmodi mala prorsus eliminare, & quantum in Domino possumus, animarum periculis occurrere, quas sacrilegi quidam, Dæmonis potius, quam Dei Ministri, loco eas per Sacramentum Creatori suo, ac nostro reconciliandi, majori peccatorum mole onerantes, in profundum iniquitatis barathrum nefarie submergunt; nonnullorum Venerabilium Fratrum Nostrorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium, & aliquorum in Theologia Magistrorum consilio desuper adhibito, accedentibus quoque iteratis plurium Episcoporum supplicationibus, hac Nostra in perpetuum valitura sanctione, quemadmodum a pluribus Episcopis per Synodales suas Constitutiones jam factum esse novimus, omnibus, & singulis Sacerdotibus, tam Secularibus, quam Regularibus cujuscumque Ordinis, ac Dignitatis; tametsi alioquin ad Confessiones excipiendas approbatis, & quovis Privilegio, & Indulto, etiam speciali expressione, & specialissima nota, & mentione digno suffultis, Auctoritate Apostolica, & Nostræ Potestatis plenitudine interdicimus, & prohibemus, ne aliquis eorum, extra casum extremæ necessi-

cessitatis, nimirum in ipsius mortis articulo, & deficiente tunc quocumque alio Sacerdote, qui Confessarii munus obire possit, Confessionem Sacramentalem personæ complicis in peccato turpi, atque inhonesto, contra sextum Decalogi Præceptum commisso, excipere audeat, sublata propterea illi in ipso jure quacumque auctoritate, & jurisdictione ad qualemcumque personam ab hujusmodi culpa absolvendam; adeo quidem, ut absolutio, si quam impertierit, nulla, atque irrita omnino sit, tamquam impertita a Sacerdote, qui jurisdictione, ac facultate ad valide absolvendum necessaria privatus existit, quam ei per præsentes has Nostras adimere intendimus. Et nihilominus, si quis Confessarius secus facere ausus fuerit, majoris quoque excommunicationis pœnam, a qua absolvendi potestatem Nobis solis, Nostrisque Successoribus dumtaxat reservamus, ipso facto incurrat.

§. 4. Declarantes etiam, & decernentes, quod nec etiam in vim cujuscumque Jubilæi, aut etiam Bullæ, quæ appellatur Cruciatæ Sanctæ, aut alterius cujuslibet Indulti, Confessionem dicti Complicis hujusmodi quisquam valeat excipere, eique sacramentalem absolutionem elargiri; cum ad hunc effectum, & in hoc casu, nullus Confessarius, utpote qui in hujusmodi peccati, & Pœnitentis genere, jurisdictione, ut præfertur, careat, & absolvendi facultate a Nobis privatus existat, habendus sit pro Confessario legitimo, & approbato. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, præsertim, quæ nuncupantur Cruciatæ Sanctæ, vel Jubilæi Universalis, & plenarii, necnon quibusvis Ecclesiarum, & Monasteriorum, & Ordinum quorumlibet, quorum ipsi Sacerdotes fuerint, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, Statutis, & Consuetudinibus, Privilegiis quoque, Indultis, & Litteris Apostolicis sub quibuscumque tenoribus, & formis, ac cum quibusvis clausulis, & decretis, etiam motu proprio, aut alias quomodolibet concessis, etiam iteratis vicibus approbatis, & innovatis; Quibus omnibus, eorum tenores præsentibus pro expressis habentes, hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

§. 6. Volumus demum, ac præcipimus, ut omnes Locorum Ordinarii, tam præsentes, quam futuri pro tempore existentes, in approbatione Confessariorum, tam prædictam Constitutionem Gregorii Prædecessoris, quam præsentem hanc Nostram ab omnibus Sacerdotibus approbandis attente legi, & accurate observari curent, moneantque eos in Domino, atque hortentur, ut Sacrum Ministerium ipsorum fidei commissum summa animi innocentia, morum puritate, judicii integritate peragant; exhibeantque semetipsos, ut Ministros Christi, & Dispensatores Mysteriorum Dei. Memores præterea sint, se locum tenere, ac vices obire Summi, atque æterni Sacerdotis, qui Sanctus, innocens, impollutus, per spiritum Sanctum semetipsum obtulit immaculatum Deo, ut emundaret conscientiam nostram ab operibus mortuis, ad serviendum Deo viventi. Sedulo igitur studeant, diligenterque caveant, ne quærentibus, & pulsantibus eorum culpa Cælum claudatur; ne deperditæ Oves ad Ovile Dominicum redire properantes, eorum manibus ferarum dentibus dilaniandæ tradantur; ne Prodigi Filii egentes, & saucii, ad cælestem Patrem revertentes, nefaria eorum improbitate, gravioribus peccatorum vulneribus, dum adhuc in via sunt, confodiantur.

§. 7. Ut autem præsentes Litteræ ad omnium notitiam facilius deveniant, & nemo illarum ignorantiam allegare valeat, volumus illas, seu earum exempla ad valvas Ecclesiæ Lateranensis, & Basilicæ Principis Apostolorum, necnon Cancellariæ Apostolicæ, Curiæque Generalis in Monte Citatorio, ac in Acie Campi Floræ de Urbe, ut moris est, affigi, & publicari, sicque publicatas, & affixas, omnes, & singulos, quos illæ concernunt, perinde arctare, & afficere, ac si unicuique eorum nominatim, & personaliter intimatæ fuissent: utque ipsarum præsentium Litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo alicujus Personæ in Ecclesiastica Dignitate constitutæ muniis, eadem prorsus fides, tam in judicio, quam extra illud, ubique adhibeatur, quæ ipsis præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ &c.

BULLA SECUNDA.

Facultates Majoris Pœnitentiarii, & Officii Pœnitentiariæ.

Extat in Tom. I. num. 95. data sub die 13. Aprilis ann. 1744. Pontificatus vero anno IV.

PAstor bonus Christus Dominus ad quærendam Ovem, quæ petierat, a Patre missus, cum ea reperta, atque humeris suis imposita, in Cælum reversus fuerit, Vicarios Operis sui, quibus universi Gregis pretio magno sibi coempti regimen credidit, exemplis, præceptisque suis instructos reliquit, ut & commissas Oves intra moderatæ disciplinæ septa coercere, & continere omni studio satagerent: & si quas forte, amore pravæ libertatis abreptas procul a via salutis licentius aberrare contingeret, eas ad bonam frugem, & ad debita justitiæ officia revocare, ostensa potissimum, ac proposita venia, misericorditer niterentur. Hæc autem Summi Pastorum Principis documenta præ oculis habentes Prædecessores Nostri Romani Pontifices, quemadmodum atrociora quædam, & graviora crimina severe notanda, ac districte vindicanda duxerunt, latis contra eorum auctores Censuris, aliisque Ecclesiasticis pœnis, quarum absolutionem, seu relaxationem pro suprema potestate in universa Ecclesia sibi concessa, suo peculiari judicio reservarunt, ne scilicet impunitas peccandi delinquentium excitaret audaciam, ita, ne contra nimia obtinendæ veniæ difficultas pœnitentes ad desperationem propelleret, opportuna reversis ad eos offerre, atque admovere remedia, memores Christi caritatis, & misericordiæ, nullo umquam tempore prætermiserunt.

Ideo, præter alia plura pro variis caussarum generibus constituta Romanæ Curiæ Tribunalia, voluerunt in primis, jam inde a vetustissimis usque temporibus extare in ea, & numquam defecturum perpetuo conservari, instar fontis patentis Domui David, in ablutionem peccatoris, Apostolicæ Pœnitentiariæ Officium, ad quod Universi Fideles, ex omni Christiani Orbis regione pro suis quisque spiritualibus morbis quamlibet occultis, sive per se, sive per arcanas litteras, propriis etiam suppressis nominibus, tuto confugere possent, & convenientem vulneribus medicinam, secreta, & gratuita curatione (qualis ab omnibus optanda foret) protinus consequerentur. Cujus tam præclari, tamque salutaris instituti ratio Romanis pro tempore Pontificibus magnopere cordi fuit; tantamque ex hujus officii Ministerio in Ecclesiæ administratione utilitatem experti sunt, ut olim eidem officio, non modo caussas ad interius Pœnitentiæ forum, sed alias etiam complures ad gratiam, & justitiam externi fori pertinentes, expediendas committere non dubitaverint.

Sed sancto ac salubri consilio Vener. Mem. Prædecessor Noster S. Pius Papa V. animadvertens hujusmodi negotiorum, atque curarum cumulum, aliorum Tribunalium instituto magis convenientium Pœnitentiariæ Officium dumtaxat onerare, ac sedulum illud, atque assiduum studium aliis negotiis ad animarum salutem pertinentibus præcipue tribuendum, imminuere posse; quod jam fel. record. Pius pariter Papa IV. ex parte facere aggressus fuerat, id ulterius promovere, ac perficere magna cum laude decrevit, anno Pontificatus sui IV. Incarnat. Dominicæ 1569. Quarto Kal. Maji, edita constitutione, quæ incipit *In omnibus* veterem Pœnitentiariæ formam suppressit, atque abolevit, novamque de integro excitavit, multisque provide, ac sapienter constitutis circa Majoris Pœnitentiarii, ejusque Officialium electionem, qualitates, certum numerum, functiones, stipendium, & secreti custodiam; eas dumtaxat facultates Officio Pœnitentiariæ concessit, ac deinceps competere voluit, quas novo ejusdem statui magis congruere judicavit.

Has vero facultates cum a sequentibus Romanis Pontificibus ferme singulis ampliari, aut immutari, aut explicari, qua litteris Apostolicis, qua vivæ vocis oraculis, sæpe contigerit; cumque hujusmodi litterarum, atque oraculorum multiplicitas, & varietas pluribus in rebus non minimas dubitationis caussas afferrent; placuit Innocentio XII. pariter Prædecessori Nostro unum ex ipsis delectum, unamque summam, & compilationem efformare, quam publicavit per suam Constitutionem, quæ incipit: *Romanus Pontifex*, datam anno Incarnationis Dominicæ 1592. tertio Nonas Aprilis.

In qua tamen Constitutione, cum idem Innocentius Pontifex Maximus aliqua facultatum capita in aliud tempus ordinanda distulerit, circa quæ nulla in hunc usque diem emanavit provisio; & cum nonnulla de cetero in eadem Constitutione disposita, majori quadam luce indigere, & usu, & experientia compertum fuerit; & non pauca præterea accesserint circa Apostolicæ Pœnitentiariæ facultates sequentium Pontificum decreta; & præsertim Constitutio fel. record. Clemens. XII. immediati Prædecessoris Nostri, quæ incipit *Apostolatus Officium*, anno 1732. 4. Non. Octobris edita: idcirco, quod olim Nos ipsi sæpe optavimus, dum in Minoribus existentes munus Doctoris Decretorum in eadem Pœnitentiaria exerceremus, ut huic scilicet operi denuo manus admoveretur, id ipsum a pluribus aliis sæpius optatum fuisse cognovimus. Postquam ergo Divinæ Providentiæ, cujus inscrutabilia sunt consilia, ita placitum fuit, ut immerentes Nos, & plane inopinantes ad summum Pontificatum proveheret, statim intelleximus, præfatis justis desideriis a Nobis potissimum esse satisfaciendum.

Quocirca, re diu, & mature discussa, multisque desuper consultationibus habitis, & omnes Prædecessorum Nostrorum Constitutiones, seu Litteras quaslibet, atque omnia vivæ vocis oracula ipsius Pœnitentiariæ Officium quomodocumque concernentes, seu concernentia, præ oculis habentes; salva semper Majoris Pœnitentiarii facultate Romanum Pontificem consulendi a quibusvis particularibus casibus, etiam per præsentes Nostras Litteras non concessis, immo prohibitis, seu reservatis, & exceptis, ita ut ipsi

ipsi Majori Pœnitentiario de Romani Pontificis speciali mandato, vivæ vocis oraculo sibi facto, procedere asserenti, indubia fides debeat adhiberi; Motu proprio, ex certa scientia, ac matura deliberatione Nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine, infrascriptas facultates eidem Pœnitentiariæ, & Majori Pœnitentiario de cetero competere, ac in illa, & ab illo in hunc, qui sequitur, modum exerceri posse hac Nostra perpetuo valitura Constitutione statuimus, atque decernimus.

Concedimus itaque Nostro, & pro tempore existenti Majori Pœnitentiario, ut omnes, & singulos cujuscumque qualitatis, dignitatis, & gradus, Ecclesiasticos Sæculares, & cujusvis Ordinis, Congregationis, Societatis, & Instituti Regulares, necnon Laicos quoscumque utriusque sexus, tam præsentes, quam absentes, ab omnibus, & quibuscumque culpis, criminibus, & excessibus, quantumcumque gravibus, & atrocibus, tam publicis, quam occultis, quandocumque & quomodocumque commissis, & perpetratis, necnon ab omnibus Excommunicationis, Suspensionis, & Interdicti, aliisque Censuris, & pœnis Ecclesiasticis, præmissorum criminum occasione latis, & per illos incursis, etiam in casibus, nedum Ordinariis, & Regularibus Superioribus, sed etiam Nobis, & Sanctæ Sedi specialiter, ac etiam per Litteras, quæ die Cœnæ Domini quotannis promulgantur, reservatis; injuncta semper iisdem pro modo culpæ pœnitentia salutari, & aliis, quæ de jure injungenda fuerint, absolvere, & absolvi mandare possit, & valeat: Regulares nimirum a culpis, & Censuris præmissis in utroque Foro; Ecclesiasticos vero Sæculares, necnon Laicos, a prædictis culpis, & Censuris in Foro conscientiæ tantum; eosdem vero Ecclesiasticos Sæculares, necnon Laicos, tunc in utroque foro absolvere, & absolvi mandare possit, quando agitur de Censuris publicis latis a jure, præsertim Sedi Apostolicæ reservatis, etiam nominatim declaratis, vel si agatur de latis nominatim ab homine, tunc quando Delegati, vel alterius Judicis, a quo latæ fuerunt, Jurisdictio expiraverit, seu quando absolutio per eosdem Judices, aut alios, ad Romanum Pontificem, & ad dictam S. Sedem remissa fuerit; seu quando sic Censura ligati legitime impediuntur, quominus præsentiam Judicum, vel illorum, qui eos sic ligarunt, aut alium, seu alios, quos de jure deberent, adire possint.

Ita tamen, ut ab ejusmodi censuris ab homine latis, vel declaratis in utroque Foro, ut præfertur, absoluti, vel qui absolvendi remittentur Judici, coram quo Censurarum caussa pendet, in suis congruis casibus respective judicato paruerint, & parti satisfecerint, vel quamprimum potuerint, pareant, & satisfaciant, alioquin in easdem Censuras reincidant. Renuente vero altera Parte satisfactionem Reo oblatam, & in sententiis, seu decretis minime expressam, accipere; possit Major Pœnitentiarius pro sua prudentia convenientem satisfactionem arbitrari, & respective supradicti Judicis conscientiæ remittere, ut ejusmodi pariter arbitretur: illaque per Reum oblata, nec per aliam partem irrationabiliter recusata, valeat, adhuc firma remanente hujusmodi oblatione, ad absolutionem procedere, & ab alio procedi mandare.

Romam quoque advenientes, ibique Sacra loca visitaturos, ab omnibus per quemcumque Judicem, vel alias quomodocumque, non tamen in Romana Curia nominatim promulgatis, vel, si alibi promulgatæ fuerint, in eadem Curia notoriis Censuris, ad effectum dumtaxat, ut Indulgentias sacra eadem Urbis loca pie, ac religiose invisentibus concessas, libere, & licite consequi valeant, absolvere, & absolvi mandare possit; ita ut, elapso congruo tempore ab ipsa Pœnitentiaria ad effectum prædictæ visitationis præfiniendo, iisdem, quibus antea, Censuris teneantur. Eos vero, qui Censuris ab homine nominatim ligati pro absolutione Romam advenerint, sed pro illa obtinenda fuerint ad proprios Judices remissi, & probabile mortis periculum in itinere pertimescant, poterit Major Pœnitentiarius, ad congruum tempus, ab ipso pro hujusmodi itineris confectione arbitrandum, in Foro conscientiæ tantum absolvere, & absolvi mandare; cum reincidentia, statim ac itineris terminum attigerint.

Hæreticos occultos, qui nemini, & cum nemine suas hæreses communicaverint, possit idem Major Pœnitentiarius in Foro conscientiæ tantum, absque alia abjuratione coram Ordinario, vel Inquisitore facienda, absolvere, vel absolvi mandare, quod pariter ipsi liceat, quando prædicti hæretici occulti aliquos actus extrinsecos fecerint, ex quibus dignosci potuissent pro hæreticis; dummodo eosdem actus, quamvis de sua natura noscibiles, seu ad notitiam deducibiles, nullus, quem ipsi sciant, aut credant, notaverit, vel adverterit.

Publicos vero Hæreticos, seu Apostatas a Fide Catholica, in Foro conscientiæ tantum absolvere, seu absolvi mandare possit, in iis dumtaxat casibus, in quibus necesse non est complices denuntiare: quando nimirum hujusmodi complices aut mortui sunt, aut in regionibus palam infectis existunt, & in illis degunt; non tamen quando complices in illis regionibus viverent, in quibus Inquisitionis Sancti Officii auctoritas viget.

Principes porro, & alios jus Imperii, etiam Vicario nomine, habentes, ac Dominia, & Respublicas, seu Personas illorum, & illarum administrationem habentes, vel habere solitas, necnon Episcopos, & alios Superiores, Prælatos, in casibus publicis, qui in præfatis litteris die Cœnæ Domini legi consuetis continentur, etiamsi Romanus Pontifex propter infirmitatem, vel aliam caussam ita fuisset impeditus, ut celeriter consuli non posset, absolvere, & absolvi mandare nullatenus valeat.

Minimeque possit, etiam in occultis, etiam in Foro conscientiæ tantum, absolvere, vel absolvi mandare S. R. E. Cardinales, aut alios cujuscumque qualitatis, status, gradus, conditionis, dignitatis, & præeminentiæ fuerint, qui, vivente Romano Pontifice, de alio quopiam in ejus locum post ipsius mortem eligendo, vel excludendo tractaverint, suffragia inierint, ambitusve, aut pactiones fecerint; vel, a Sede Apostolica vacante, in Censuras, seu pœnas in Litteris fel. rec. Gregorii Papæ XV., & Urbani VIII. Prædecessorum Nostrorum super electione Romani Pontificis pro tempore facienda, 17. Kal. Septemb. Anno Incarn. Domin. 1625. & 5. Kal. Febr. anno ejusdem Incarnat. 1635. respective emanatis, contentas, quomodolibet inciderint; præterquam si absolvi peterent, Sede Apostolica adhuc vacante; tunc enim absolvi poterunt modo inferius præscribendo pro tempore Vacante ejusdem Sedis.

Nec pariter possit, etiam in occultis, etiam in Foro conscientiæ tantum, eos, cujuscumque qualitatis, status, dignitatis, præeminentiæ, & conditionis fuerint absolvere, & absolvi mandare, qui Astrologia judiciaria, vel per se, vel per alios, de statu Reipublicæ Christianæ, sive de Vita, aut Morte Romani Pontificis pro tempore existentis inquirentes, ejusdem Urbani VIII. Pont. Max. Litteris, pridie Kal. Aprilis anno ejusd. Incarnat. 1631. contra prædicta perpetrantes editis, contravenerint.

Nec similiter valeat in casibus publicis, etiam in judicium non deductis, violatæ Immunitatis, seu Libertatis Ecclesiasticæ, ullatenus absolvere, seu absolvi mandare.

Super quacumque Irregularitate, & Inhabilitate ex quocumque delicto, etiam homicidio voluntario, & ex quocumque defectu proveniente, possit idem Major Penitentiarius, in casibus tamen occultis, & in Foro conscientiæ tantum, & prævia in gravioribus casibus matura discussione in Signatura Penitentiariæ agenda, dispensare vel dispensari mandare, tam cum Laicis, quam cum Ecclesiasticis Sæcularibus, & Regularibus; cum quibus expediens videbitur, ad hoc, ut Ordinibus initiari, vel respective in susceptis, etiam in Sacris, & Presbyteratus Ordinibus ministrare, & ad Superiores ascendere, ac Dignitates, etiam Cathedrales, & Metropolitanas, & quæcumque Beneficia Ecclesiastica, quandocumque ante dispensationem alioquin canonice obtentas, vel obtenta, retinere; necnon ut hujusmodi Beneficia, & Dignitates (exceptis quando agitur de homicidio voluntario, vel alio gravissimo excessu) Ecclesiis Cathedralibus, & Metropolitanis, etiam post delictum assequi valeant.

Item cum Hæreticis, & Apostatis a Fide Catholica; quando hæresis, & apostasia hujusmodi, si de Sæcularibus agitur, nullatenus est propalata, & quando casus gravitas non suadet, Penitentes ad Sac. Inquisitionem remittendos esse, super quacumque Irregularitate, Inhabilitate, & Infamia exinde contracta, tam ad Ordines sive susceptos, sive suscipiendos, quam ad Beneficia, dispensare, & dispensari mandare possit, & valeat.

Cum Homicidis, Bannitis, aliisque criminosis, ut in Religionem recipi, & in ea Professionem emittere licite possint, atque ut etiam, qui homicidia voluntaria commiserint, aliquam ex approbatis Religionibus, tamquam Clerici, ingredi, in eaque profiteri valeant, in utroque Foro dispensare, seu dispensari mandare possit, ea tamen lege, quando sic oportere videbitur, ut Fiscum, & Partem prius concordaverint; & insuper cavendo, ne tempore Novitiatus Sacros Ordines suscipiant, aut ad Superiores ascendant; sed id eis minime liceat, nisi post Professionem emissam. Ut autem in iis Ordinibus, quos antea suscepissent, etiam tempore Novitiatus ministrare possint, quoties aliqua rationabilis caussa id postulaverit dispensare, & dispensari mandare possit; adjecta tunc clausola: *ut si forte in Religione non perseveraverint, seu ad Sæculum redierint, ipso facto suspensi, etiam ab hujusmodi Ordinum antea susceptorum exercitio remaneant.*

Cum male promotis quibuscumque ad Ordines, in casibus tamen occultis dispensare, vel dispensari mandare valeat, & signanter, accedente legitima caussa, dispenset, vel dispensari mandet cum Promotis per saltum in casibus similiter occultis, ad effectum scilicet, ut omissos Ordines secrete recipiant a quolibet Catholico Antistite Gratiam, & Communionem cum Sede Apostolica habente, extra tempora, & non servatis Interstitiis, & absque dimissoriis; non tamen ut plures Ordines Sacros eadem die recipiant.

Cum Promotis ad Sacros Ordines, qui Simoniam cum Episcopis promoventibus commiserint, dispensare, & dispensari mandare possit, in occultis dumtaxat, & in Foro conscientiæ tantum, cum clausula *monitis monendis*, & injuncta gravi penitentia, ac re præsertim in Signatura discussa.

Titulos Beneficiorum cum occulta inhabilitate, vel alio occulto vitio, etiam in concursu, male obtentorum, convalidare, vel convalidari mandare valeat,

Verum a convalidatione Titulorum, & condonatione fructuum abstineat, quoad illos, qui de Ecclesiis Cathedralibus provisi, munus Consecrationis infra præfinitum tempus non susceperint.

Cum vero agitur de Simonia reali scienter contracta, & de Beneficiis, super quibus eadem contracta fuit, abstineat a dispensationibus, seu convalidationibus Titulorum, etiam in foro conscientiæ tantum, etiam in casibus occultis, nisi forte prædicta Simonia contracta fuerit ignoranter ignorantia facti, vel juris, & Orator de illa certior factus, quam primum commode potuerit, dispensationem petierit. Idemque intelligatur de Pensionibus, super quibus Simonia realis scienter contracta, & commissa fuerit.

Abstineat a condonatione pretii simoniaci, quando in Ecclesiam læsam, vel pauperes erogari debet; præter quam si delinquentium paupertas, & qualitas suadeant aliquam ejus partem ipsis remitti, aut condonari posse; residuo semper in Ecclesiam, vel alios pauperes erogando.

A compositione pariter, & condonatione fructuum Beneficialium, & Episcopalium, Ecclesiarum, ac etiam distributionum quarumcumque, quovis modo male perceptorum, in casibus non occultis, abstineat. In occultis vero, possit cum Gallis, Belgis, Germanis, Polonis, & ulterioribus, componere, vel etiam condonare; injuncta eisdem Pœnitentibus erogatione eleemosynæ, ipsius Majoris Pœnitentiarii, vel Confessarii ab ipso deputandi arbitrio limitandæ. Cum reliquis autem, videlicet Italis, Hispanis, Lusitanis, & adjacentium Insularum personis, discrete compositionem concedere, & ea mediante fructus condonare valeat; pecuniis exinde redactis arbitrio Nostro, & Successorum Nostrorum pro tempore erogandis. Pauperibus autem, quorum inopia compositionem non admittit, possit condonare, injuncta pro eorum viribus eleemosyna modo supradicto. Porro, quæ hic ordinantur sine præjudicio illorum, quibus distributiones accrescere, vel non decrescere debent, sint, & censeantur ordinata.

Quoad male ablata, vel retenta, quando domini incerti sunt, & casus occulti, partem aliquam delinquentibus pauperibus, si, eorum qualitate, & necessitate pensatis, ita videbitur, remittere, seu condonare, vel remitti, seu condonari, mandare possit; residuum vero pauperibus distribui, vel in pia opera erogari, & quidem, si fieri potest, in locis, ubi illa ablata, extorta, vel usurpata sunt, mandare debet.

Accipientes munera a Regularibus, exceptis rerum medicinalium, seu devotionis muneribus, ultra valorem decem scutorum monetæ, contra præscriptum a Prædecessoribus Nostris Clemente VIII. & Urbano pariter VIII. in suis Constitutionibus 13. Kal. Julii anni 1594. & 14. Kal. Novembr. an. 1640. respective editis, non absolvat, nisi facta restitutione; vel, si eam de præsenti nequeat adimplere cum obligatione eamdem, quamprimum poterunt, faciendi. Qui vero infra prædictum valorem ejusmodi munera acceperint, eos, injuncta ipsius Majoris Pœnitentiarii arbitrio, seu Confessarii per eum eligendi, eleemosyna, quæ in beneficium Religionis, seu Conventus, cui de jure facienda esset restitutio, si caute fieri possit, erogetur, absolvere, seu absolvi mandare possit.

Cum Puellis, quæ Virgines non sunt, & subsidia dotalia petunt, seu jam obtinuerunt a Confraternitatibus, aut aliis Locis, vel Dispensatoribus piis, quibus injunctum est, ut illas Virginibus tantum dent, seu distribuant; in occultis, & in Foro conscientiæ tantum, quatenus illæ in posterum honeste vivant, facultatem habeat dispensandi. Necnon dispensare possit, in occultis pariter, & in Foro conscientiæ tantum cum Virginibus, quæ petunt, vel obtinuerunt ingredi, vel jam ingressæ sunt in Conventus, seu Monasteria destinata pro Mulieribus ad bonam frugem traductis, ad effectum ea licite ingrediendi, seu in eis remanendi, ac profitendi, & Officia quæcumque suscipiendi, & exercendi.

Juramenta quæcumque, in quibus exploratum sit nullum cujuscumquam agi præjudicium, facultatem habeat in Foro conscientiæ dumtaxat relaxandi.

Vota simplicia quæcumque quomodolibet commissa, tametsi privato juramento confirmata, etiam Religionis, Castitatis, Visitationis Sepulcri Dominici, aut Sacrorum Liminum Beatorum Apostolorum Petri, & Pauli de Urbe, aut Sepulcri Sancti Jacobi de Compostella, possit idem Major Pœnitentiarius in alia pietatis opera dispensando commutare, etiam ad effectum contrahendi Matrimonium, cum agitur de voto Castitatis, aliisque ex se Matrimonium illicitum reddentibus: item Votorum implementum differre, & ab illorum transgressionibus absolvere: respective dispensando commutari, differri, & absolvi mandare; consideratis caussis talium commutationum, dilationum, aut absolutionum, & adjectis clausulis, quas apponere, iisque injunctis, quæ injungere hactenus in hujusmodi casibus Pœnitentiaria laudabiliter consuevit.

Super recitatione Divini Officii, seu Horarum Canonicarum, propter aliquam impossibilitatem, seu moralem difficultatem, dispensandi, cum commutatione in alias preces, vel Orationes, vel alia pia opera, earumque, seu eorum injunctione, habeat facultatem.

Cum Regularibus autem super Irregularitate tam ex defectu, quam ex quocumque delicto quandocumque perpetrato, quomodolibet contracta, ut eadem Irregularitate, aut quavis inhabilitate, aliisque defectibus quibuscumque non obstantibus, susceptis Ordinibus, & eorum Privilegiis uti, ac in illis, etiam in Altaris ministerio ministrare, & Ordines non susceptos suscipere, ac in iisdem pariter ministrare, necnon quæcumque, quotcumque, & qualiacumque suorum Ordinum, & Congregationum, alioquin canonice obtenta Officia, Beneficia regularia, Munia, Præeminentias; Dignitates, & Prælaturas, etiam majores, & principales retinere, & exercere, necnon eadem, seu easdem, ad quæ, seu quas in futurum canonice, & juxta eorumdem Ordinum, & Congregationum regularia Instituta, eligentur, vel aliter assumentur, recipere, & assequi, gerere, ac libere, & licite exercere valeant, dispensare, eosque in pristinum, & ad eum, in quo ante præmissa quomodolibet erant, statum, & ad vocem activam, & passivam restituere, reponere, & plenarie redintegrare, & pœnas illis graviose remittere, & condonare; (non tamen habilitare ad Generalatum, quando agitur de publico natalium defectu) necnon pro majori absolutionum, & dispensationum prædictarum firmitate, quibusvis Constitutionibus, Ordinationibus, Statutis, & Privilegiis, quomodolibet obstantibus, sufficienter derogare, præfatus Major Pœnitentiarius possit, & valeat.

Volumus tamen, ut in hujusmodi casibus, qui occulti fuerint, in Foro conscientiæ tantum, in publicis vero casibus in utroque Foro, auditis tamen Superioribus, & matura circumspectione semper adhibita, cum iisdem Regularibus, ut præfertur, dispenset, vel dispensari mandet.

Quoad Apostatas, vel fugitivos Regulares, ad Apostolicam Pœnitentiariam recurrentes, servetur laudabilis ejusdem praxis, ut scilicet Major Pœnitentiarius, audito prius, si in Urbe adsit, Ordinis Superiore, seu Procuratore Generali, injungat Apostatæ, seu fugitivo, intra tempus arbitrio ipsius Majoris Pœnitentiarii taxandum, reditum ad proprium Ordinem. Interim vero, si expediat, a Censuris eumdem absolvere, vel absolvi mandare possit, cum reincidentia si intra dictum tempus minime redierit (dilata ramen usque ad actualem reditum dispensatione super Irregularitate, si forte eam insuper contraxisset:) & alias præterea pœnas, sive de jure communi, sive ex statutis Ordinum, propter Apostasiam, seu fugam inflictas, discrete moderari, commutare, vel etiam, juxta peculiares circumstantias, condonare possit. Si vero casus ejusmodi sit, ut, re præsertim in Signatura discussa censeatur expedire, quod absque reditu ad proprium, transitus eidem ad alium Ordinem concedatur: possit Major Pœnitentiarius illud etiam concedere, adhibitis tamen iis cautionibus, quas ad refrænandam vagandi licentiam necessarias, seu opportunas judicaverit: necnon illa præ oculis habendo, quæ infra, circa transitum disponentur. Nemini autem Regulari quacumque de caussa permittere valeat, ut in habitu sæculari, seu Clerici Sæcularis, in perpetuum extra Claustra vivere possit.

Quoad transitum vero de una ad aliam Religionem, non solum valeat illum concedere a laxiori ad arctiorem, juxta cap. *licet*, *de Regular.* verum etiam ad æqualem & ab arctiori ad laxiorem, ob justas tamen, & graves respective caussas ab eodem Majori Pœnitentiario probandas; audito prius Superiore Ordinis, a quo, & cum consensu Superioris Ordinis, ad quem faciendus est transitus. Pro majori autem transitus firmitate in his omnibus casibus possit idem Major Pœnitentiarius statutis, & Privilegiis Apostolicis, quomodolibet obstantibus, opportune derogare.

Verum abstineat ab hujusmodi transitu concedendo ad alias Religiones, seu Ordines, præter quam ad illas, seu illos, in quibus claustralis, & regularis observantia vigere dignoscatur; quod si de tali claustrali, & regulari observantia ullatenus dubitetur, exquirenda erit authentica Ordinarii attestatio. Abstineat pariter a transitu prædicto concedendo ad Ordines Hospitalares, & Militares, quamvis in istis claustralis, & regularis observantia vigeret, nisi forte ad Ordinem S. Joannis de Deo. Neque item eumdem transitum concedat ad Ordinem Sancti Benedicti antiquioris observantiæ, aut ad alias consimiles Congregationes, cujuscumque Ordinis fuerint.

Concedere itidem possit transitum ab uno Monasterio ad aliud, Monialibus tantum ultra Montes existentibus, legitima concurrente caussa, in Signatura discutienda, & approbanda, committendo tamen facultatem hujusmodi transitus admittendi, & exequendi, arbitrio Ordinarii, cum clausulis opportunis pro casuum varietate.

Quo vero ad Censuras, seu pœnas, in quas Moniales incurrere, & peccata reservata, quæ ab eisdem committi contigerit, etiam in casibus violatæ clausuræ, qui tamen casus occulti fuerint, vel ubi agatur de aliquo occulto defectu dispensando: possit idem Major Pœnitentiarius præfatis Monialibus Confessarium cum opportunis facultatibus concedere.

In casibus vero publicis Clausuræ a Monialibus prædictis,

ctis, vel ab aliis quibuscumque personis, ad malum finem violatæ, delinquentes non absolvat, nec absolvi mandet, nisi pro ipsis Episcopi, seu Ordinarii supplicaverint, & casus ad Congregationem S. R. E. Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium propositam deducti non fuerint.

In Matrimoniis contrahendis possit idem Major Pœnitentiarius in Foro Conscientiæ tantum, super impedimentis occultis, quæ Matrimonium non dirimunt dispensare, vel dispensari mandare; itemque super omissione denuntiationum, etiam ad effectum contrahendi secreto; in quo serventur, quando agitur de Matrimoniis *Conscientiæ* nuncupatis, Litteræ a Nobis datæ ad omnes Patriarchas, Primates, Archiepiscopos, & Episcopos, sub die 17. Novembris 1741. per ea verba incipientes: *satis vobis compertum*. At a dispensationibus concedendis super quocumque impedimento ex quovis gradu sive consanguinitatis, sive affinitatis ex copula licita, seu ex cognatione spirituali proveniente, etiam in Foro conscientiæ tantum, tametsi impedimentum sit occultum, & periculum scandalorum immineat, in iisdem Matrimoniis contrahendis, abstineat.

In contractis vero Matrimoniis a dispensatione, seu Matrimonii revalidatione in gradibus primo, & secundo seu secundo tantum consanguinitatis, vel affinitatis ex copula licita, etiam in occultis, pariter abstineat; præterquam si in secundo tantum gradu prædicto impedimentum saltem per decennium duraverit occultum, & Oratores simul publice contraxerint, & convixerint, & uti Conjuges legitimi reputati fuerint. In tertio autem, & quarto gradibus occultis, in contractis possit dispensare; atque etiam in iisdem tertio, & quarto gradibus publicis possit revalidare Matrimonia, ex caussa subreptionis, & obreptionis occultæ Litterarum Apostolicarum nulliter contracta; præterquam si falsitas consistat in narratione præcedentis copulæ, quæ ante revera non intercesserat.

Quod si aliqui Oratores obtinuerint a Nostra Dataria dispensationem super gradu prohibito in primo, & secundo, vel in secundo tantum, ac etiam in tertio, vel quarto, cum reticentia copulæ inter eos secutæ, quam sine honoris detrimento detegere non valeant, & ratione hujusmodi reticentiæ petant dispensationem pro Matrimonio contrahendo, seu revalidationem Matrimonii contracti, possit idem Major Pœnitentiarius, si copula sit adhuc secreta, hujusmodi dispensationem, seu respective revalidationem in Foro conscientiæ tantum concedere; facta, quando agitur de primo, & secundo, vel secundo tantum gradu, compositione quinquaginta ducatorum auri de Camera ad Datariam transmittendorum, ad effectum (ut inconcussi moris est) erogandi in eleemosynas, nisi prior gratia expedita fuisset in forma pauperum: quo casu etiam hæc gratia similiter absque ulla compositione expediatur.

Si qui vero Oratores, obtenta dispensatione a Dataria super impedimento primi, & secundi, sive secundi dumtaxat gradus Consanguinitatis, seu Affinitatis, cum expressione quidem carnalis copulæ, sed tacita occulta, & malitiosa intentione in ipsa copula habita ad facilius obtinendam dispensationem pro revalidatione hujusmodi dispensationis, ad dictam Pœnitentiariam recurrant; possit idem Major Pœnitentiarius desuper absolute dispensare cum miserabilibus personis explicite affirmantibus, se, uti tales, & sub illa expressa qualitate, & forma miserabilium, & dispensationes a Dataria obtinuisse: cum iis vero, qui non tamquam pauperes, sed uti ex honestis familiis, sive uti nobiles, sive uti illustres, ab eadem Dataria similiter dispensati fuerint, non dispenset, nisi soluta prius in Dataria, ad effectum pariter erogandi in Eleemosynas, taxa definienda arbitrio ejusdem Majoris Pœnitentiarii, pensatis circumstantiis cujuscumque casus, & respectu habito ad præjudicium componendæ, & ad vires supplicantium. Si tamen illi pauperes essent, ita ut vere, & realiter integram summam taxatam, vel aliquam ejus partem solvere non possent; præfatus Major Pœnitentiarius opportune in hoc casu provideat, facto verbo, si peculiaris difficultas id postulet, cum Sanctissimo.

Super impedimento occulto affinitatis ex copula illicita, seu ex actu fornicario proveniente, quotiescumque adsit rationabilis caussa, licet periculum revelationis, seu scandalorum non immineret, vel non adesset, in Matrimoniis tam contractis, quam contrahendis, in Foro conscientiæ dispensare, & dispensari mandare possit, & valeat.

Super occulto impedimento criminis adulterii, si fuerit cum fide data dumtaxat, neutro machinante commissum, possit tam in contrahendis, quam in contractis Matrimoniis dispensare. Si vero crimen hujusmodi fuisset, utroque, vel altero machinante, patratum, possit in occultis pariter dispensationem concedere; raro tamen, & quando necessitas postulaverit, ratione alicujus gravis imminentis periculi, quod prudentia Majoris Pœnitentiarii, re præsertim discussa in Congregatione, vel Signatura, arbitrandum erit.

Declaramus præterea, quod facultates præfatæ a Nobis Majori Pœnitententiario, & ejusdem Pœnitentiariæ Officio concessæ circa dispensationes Matrimoniales, locum habeant, etiamsi gradus, & impedimenta hujusmodi multiplicia sint, quacumque, & quantacumque multiplicitate; volentes, in Litteris hujusmodi dispensationum Matrimonialium, posse Prolem, ubi opus erit, sive suscipiendam, non tamen in adulterio conceptam, in foro conscientiæ tantum, legitimam decernere; necnon apponi clausulam: *Nullis &c.* prout in hujusmodi materiis hactenus ipsa Pœnitentiaria servare consuevit.

Ulterius super casibus quibusvis occulti impedimenti ad petendum licite debitum dispensare, aut dispensari mandare possit, & valeat.

Facultates Pœnitentiariis Minoribus ordinariis trium Basilicarum Urbis, aliisque extraordinariis, quorum deputatio pertinet ad prædictum Majorem Pœnitentiarium, possit idem ad libitum concedere, & restringere; Fratres vero Minores Cappuccinos in Confessarios nullatenus deputet in illis Regionibus, in quibus iidem Confessionibus audiendis operam dare non solent.

Dubia omnia in materia peccatorum, seu Forum pœnitentiale alias quomodolibet concernentia, cum consilio Doctorum, & Theologorum suorum, valeat declarare.

Commissiones vero Majoris Pœnitentiarii non expirent, etiamsi committentes, illis nondum præsentatis, & re integra, desinat quomodocumque Pœnitentiarius existere; idemque intelligi volumus de illis commissionibus, quas, Majori Pœnitentiario absente, vel ex aliqua justa caussa impedito, alterius Pro-Pœnitentiarii ad tempus subrogati nomine expeditas, elapso hujusmodi subrogationis termino, præsentari contigerit.

Omnibus denique Christifidelibus, qui ex veteri, & laudabili instituto Pœnitentiarium Majorem, munere suo statutis diebus hebdomadæ Majoris in tribus Basilicis sollemni ritu fungentem, pie, reverenterque adierint, seseque pœnitentiali virga tangendos submiserint, centum dies de injunctis eis, seu alias quomodolibet debitis pœnitentiis in forma Ecclesiæ consueta, relaxandi perpetuam facultatem eidem Majori Pœnitentiario confirmamus, & quatenus opus sit, de novo concedimus.

Sede Apostolica Vacante, quoniam Animarum saluti, quæ omni tempore periclitatur, numquam non est subveniendum, unde merito Prædecessores Nostri Officium Pœnitentiariæ etiam post obitum Pontificis continuare jusserunt: Volumus, & decernimus, ut Major Pœnitentiarius (cujus facultas dicto tempore non expirat, sed tantummodo non habet exercitium extra Conclave) seu ejus Officiales facere, & expedire valeant quæcumque ad Forum conscientiæ pertinent. Ideo absolvere, seu absolvi mandare in dicto conscientiæ Foro valeant ab iis quoque censuris, a quibus alias vivente Pontifice adempta etiam Majori Pœnitentiario, & Pœnitentiariæ Officio absolvendi facultas reperitur; hac tamen lege (quemadmodum fel. recor. Prædecessor Noster Clemens Papa XII. lata Constitutione, quæ incipit: *Apostolatus Officium* ad consulendam simul animarum Fidelium saluti, & disciplinæ Ecclesiasticæ conservationi, provide cavit) quod nempe in hujusmodi censuris, ad tempus dumtaxat, & cum reincidentia in easdem, servatis alias servandis, absolutio concedatur; ita ut qui fuerint absoluti, ad novum Pontificem intra terminum pro Locorum distantia definiendum, recurrere pro eadem caussa teneantur; neque liceat Pœnitentiario Majori, ejusque Officialibus, præfixum terminum post Pontificis electionem ampliare, vel prorogare.

Præterea concedimus, ut si quando aliquod gravius animæ periculum immineat, cui celeriter occurrendum videatur, re in Signatura diligenter examinata, & Majori quoque Pœnitentiario, si in Conclavi degat, pro materiæ gravitate consulto, & approbante, dispensare, aut dispensari mandare pro eodem Foro conscientiæ, valeant; super illis etiam, super quibus alias vivente Pontifice inhibita sit Majori Pœnitentiario, & Pœnitentiariæ dispensandi facultas; ita tamen, ut Oratores, sicut superius dictum est, ad novum Pontificem post ejus electionem similiter debeant recurrere; aliisque appositis clausulis pro casus natura necessariis, & opportunis.

Pro Foro vero externo, eadem Sede Apostolica Vacante, eorum Officium penitus conquiescat; ita ut a quibuscumque Matrimonialibus, & aliis dispensationibus, & absolutionibus ac declarationibus, necnon quibusvis aliis expeditionibus forum fori mixtim, vel separatim quomodolibet respicientibus omnino abstineant.

Attamen concedimus, ut, dicta Sede Vacante, pro Foro externo facere, & expedire valeant, quæ ad Regularium, & præsertim Apostatarum, & Fugitivorum remedium in superioribus facultatibus concessa sunt; necnon ut Monialibus Confessarios extra ordinem valeant deputare, si eos ex aliqua rationabili caussa petierint, pro earum libitu inter approbatos ab Ordinario ad audiendas Monialium Confessiones, eligendos.

Et demum, ut illos, qui in aliquam Censuram Sedi Apostolicæ reservatam, etiam ob violatam Ecclesiasticam Libertatem, vel Immunitatem publice incurrerint, vel incurrisse declarati fuerint, & vere, ac sincere pœnitentes, & novi Pontificis, ad quem post electionem recurrere debebunt, mandatis obtemperare parati beneficium absolutionis sibi ulterius non differri enixe deprecentur, absolve-

re, cum reincidentia, quemadmodum in superioribus dictum est, vel absolvi mandare possint.

Decernentes præsentes Litteras, etiam ex eo, quod Major Pœnitentiarius, ac præfatæ Pœnitentiariæ Regens, & Officiales prædicti, ac alii quicumque in præmissis quomodolibet interesse habentes, seu habere prætendentes, eisdem præmissis non consenserint, aut vocati, seu auditi non fuerint, aliaque quavis de caussa, quamtumvis legitima, & juridica, de ullo subreptionis, vel obreptionis, seu nullitatis vitio, aut intentionis nostræ, vel alio quocumque defectu notari, impugnari, redargui, retractari, in jus, vel in controversiam revocari nullatenus posse, sed semper, & perpetuo validas, firmas, & efficaces existere, & a Majori Pœnitentiario, Regente, ceterisque Pœnitentiariæ Officialibus prædictis, aliisque, ad quos spectat, & pro tempore spectabit, inviolabiliter observari; sicque per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, quavis auctoritate fungentes, etiam Caussarum Palatii Apostolici Auditores, & S. R. E. Cardinales, etiam de Latere Legatos, & Sedis Apostolicæ Nuntios, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, ubique judicari, & definiri debere: irritum quoque, & inane quidquid secus super omnibus, & singulis præmissis, vel circa, ea a quoquam, quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Non obstantibus præmissis, & aliis quibuscumque Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, & dictæ Pœnitentiariæ, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis alia firmitate, roboratis statutis, & consuetudinibus quibuscumque, ac quibusvis vivæ vocis oraculo, privilegiis, Indultis, & Litteris Apostolicis, ejusdem Pœnitentiariæ Officio, illiusque Majori Pœnitentiario, ac Officialibus, & Ministris, & quibusvis aliis, sub quibuscumque tenoribus, & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, & insolitis clausulis, & decretis in genere, vel in specie, etiam Motu proprio, & alias quomodolibet per Prædecessores Nostros Romanos Pontifices, ac etiam per Nos ipsos concessis, innovatis, confirmatis, & approbatis. Quibus omnibus, & singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus, specifica, individua, & expressa, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores hujusmodi, ac si de verbo ad verbum nihil penitus omisso, & forma in illis tradita observata, iisdem præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, & insertis habentes, ad effectum præsentium, illis alias in suo robore permansuris, harum serie derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque &c.

BULLA TERTIA.

Contra non promotos ad Sacrum Presbyteratus Ordinem Missam celebrantes, aut Sacramentales Confessiones excipientes.

Extat hæc Bulla in Tom. I. sub num. 97. die 13. Aprilis 1744. Pontificatus vero anno IV.

Sacerdos in æternum Christus Dominus, dum ipsa nocte, in qua tradebatur, Apostolis a se ipso delectis consecrandi Corporis sui, ejusdemque offerendi, & ministrandi potestatem concessit: mox eisdem post resurrectionem suam, insufflato Spiritu Sancto, amplissimam peccata remittendi, ac retinendi contulit facultatem; hoc simul exemplo, præceptoque suo constituit, & sanxit, ut ea deinceps in universam Ecclesiam potestas, atque facultas per legitimum tantummodo Sacerdotum Ordinem transfundi, & propagari deberet; unde, evacuato veteri Levitarum ministerio, & Sacerdotio Filiorum Aaron, qui exemplari, & umbræ deserviebant Cælestium, omnibus quidem adoptionis suæ filiis ad novum Sacerdotium secundum ordinem Melchisedech aditus pateret; sed non alii reipsa ad sublimem fungendum honorem assumerentur, quam qui a Deo vocati, atque ab Apostolis, seu ab eorum Successoribus rite instituti, atque ordinati fuissent. Quod si, juxta Legem Moysis, accedentes ad Sanctuarium illud manufactum, at Thuribulum aureum, ab hominibus effictum, manu arripientes, præter eos, qui ex designata Tribu, & Familia originem ducerent, sine ulla miseratione morti deputabantur; quanto magis putandum est deteriora supplicia mereri eos, qui, profani cum sint, adeo præstantiori Novæ Legis ministerio se ingerere, atque oblationem, & dispensationem Mysteriorum Dei sibi arrogare præsumpserint: cum præsertim ea nulliter, & irrite celebrantes, puram ipsam Panis, & Vini substantiam publicis adorationis actibus, atque receptis Latriæ protestationibus impie prosequantur, & quantum in ipsis est, in idem idololatriæ crimen fideles populos, licet ignorantes, inducant. Mendaces vero illi, qui absque legitima auctoritate, in Pœnitentiæ Tribunalibus, tamquam Judices animarum sedere audent, eamque sibi falso asserere facultatem emundandi conscientias hominum ab operibus mortuis, quam æterni fœderis Sponsor Dei filius nemini se, nisi per Ecclesiasticam Ordinationem, communicaturum promisit, severioribus profecto pœnis plectendi sunt, cum Sacramentum reconciliationis humanæ conculcent, & sanguinem Testamenti, a quo virtus illius omnis promanat, pollutum ducant; confitentibus vero fideliter peccata sua impiam in re gravissima fraudem faciant.

Et quidem gravissima hujusmodi scelera execrantes Romani Pontifices Prædecessores Nostri Paulus IV. & Sixtus V. decreverunt, ut qui ad Presbyteratus Ordinem non promoti, Missarum celebrationem usurpare, & Sacramentum Pœnitentiæ ministrare præsumpserit, a Judicibus Sanctæ Inquisitionis tradi deberent Curiæ Sæculari debita animadversione puniendi; eorumque vestigiis per omnia inhærens fel. record. Clemens Papa VIII. etiam Prædecessor Noster, ne circa pœnam hujusmodi delinquentibus irrogandam ullus dubitationi locus superesset, in suis Litteris incipientibus: *Et si alias*, datis in forma Brevis apud Sanctum Petrum sub die prima Decembris anni millesimi sexcentesimi primi, distinctius constituit, ut omnes, & singuli, qui ad Sacerdotium, ut supra, non promoti, reperti fuerint Missarum celebrationem usurpasse, vel Sacramentalem Confessionem audisse, a prædictis Judicibus S. Inquisitionis, vel Locorum Ordinariis, tamquam Ecclesiæ misericordia indigni, a Foro Ecclesiastico abjiciantur, & ab Ordinibus Ecclesiasticis, si quos habuerint, rite degradati, statim Curiæ Sæculari tradantur, per Judices Sæculares debitis pœnis plectendi.

Et successive rec. pariter mem. Prædessor Noster Urbanus Papa VIII. per similes Litteras datas die vigesima tertia Martii, anno millesimo, sexcentesimo, vigesimo octavo, quarum initium est: *Apostolatus Officium*, supradictas Decessorum dispositiones ita confirmavit, & ampliavit, ut quicumque se præfatis sceleribus obstrinxerint, mandaverit eos privilegio ætatis minoris annis viginti quinque, nullatenus excusari, dummodo vigesimum annum expleverint, quominus ad normam dictæ Constiturionis Clementinæ, statim Curiæ sæculari condignis pœnis afficiendi, tradantur. Quas quidem omnes, & singulas Constitutiones, atque Ordinationes, Apostolica Nostra Auctoritate approbamus, & confirmamus, & quatenus opus sit, innovamus, atque in posterum ab omnibus, ad quos spectat, inviolabiliter observari præcipimus, earum omnium tenores, ac si præsentibus de verbo ad verbum insertæ forent, pro plene, & sufficienter expressis habentes.

Quia vero propria nonnumquam experientia cognovimus, dum adhuc in Minoribus existentes in Romana, atque Universali Inquisitione Consultoris munere fungebamur, ab hujusmodi criminum Reis, seu eb eorum Defensoribus, complures alias exceptiones proponi, quarum prætextu, pœnarum ut supra juste indictarum condonationem, aut saltem minorationem obtinere contendunt; & signanter contra probationes a Fisco adstructas opponi solere, quod aut Testes cumulaverit in sua quemlibet depositione singulares, dum, exempli gratia, unus ex ipsis Reum viderit Sacris se Sacerdotalibus Vestibus induentem, alter eumdem ad Altare progredientem, alius vero unam, alius aliam Missæ partem recitantem audierit; aut etiam quod ab eodem Fisco non satis exclusa fuerit promotio Rei ad Ordinem Presbyteratus, juxta prætensum onus, quod ipsi Fisco incumbere contendunt. Ad elevandam vero delicti gravitatem, illud aliquando audivimus allegari, quod Reus integram Missam non celebraverit, sed antequam illam expleret, ab Altari discesserit; vel quod, si unam Missam integre celebrasse convictus fuerit, id juxta assertum sensum prædictarum Constitutionum, nequaquam sufficiat ad incurrendas pœnas in eisdem propositas; vel denique, etiamsi plures hujusmodi sacrilegas Missas celebraverit, minime probari possit formam Consecrationis ab eo prolatam fuisse.

Idcirco Nos, frivola hujusmodi Reorum effugia de medio tollere volentes, re mature a Nobis ipsis, & accurate perpensa, atque etiam audito consilio Ven. Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium in tota Republica Christiana adversus hæreticam pravitatem Generalium Inquisitorum a Sancta Sede specialiter deputatorum, Motu proprio, & de Apostolicæ potestatis plenitudine, statuimus primo, & declaramus, quod, licet delictum celebrationis Missæ non satis plene probatum dici possit, ad effectum deveniendi ad realem delinquentis traditionem brachio sæculari, quando Testes inducti in suis quisque depositionibus singulares dignoscuntur: nihilominus indicia per hujusmodi depositiones acquisita satis relevantia judicari debeant, ut Reus tormentis subjiciatur ad eliciendam veritatem.

Ad dignoscendum autem, utrum Reus in Ordine Presbyteratus revera constitutus fuerit, necne; laudabilem quidem commendamus praxim Tribunalis Sac. Inquisitionis, qua consuevit in hujusmodi casibus exquirere per litteras ab Episcopo illius loci, unde Reus originem ducit, vel in quo domicilium habet, an ipse eumdem Reum promoverit, sive ad alium Episcopum Litteras Dimissoriales pro ejusdem Ordinatione direxerit, ut hic deinde requiratur, an ad earum executionem devenerit. Verum ubi, hoc peracto, ex hujusmodi extrajudicialibus Episcoporum litteris constet, minime Reum fuisse promotum; id satis, su-

perque

perque esse volumus, ut Fisci intentio probata dicatur; declarantes, non aliter Fisco incumbere onus probandi non promotionem Rei ad Ordinem Presbyteratus, sed ad ipsum potius Reum pertinere, quatenus contrarium prætendat suam promotionem ad prædictum Ordinem concludenter ostendere.

Sub dispositione vero præsentis Nostræ, necnon præmissarum omnium Constitutionum comprehendi decernimus omnes, & singulos, qui, absque Sacerdotali gradu, & ordine, non modo unam Missam celebrare ausi sint, sed etiam unius Missæ partem celebrasse judicialiter fateantur, seu legitime convicti fuerint, dummodo elevationem Hostiæ, vel Calicis, seu utriusque, in Altari peregerint, quamvis de prolatione formæ consecrationis non constet: cum ea hujusmodi verborum prolatione tremendi quidem Sacrificii contemptus, & delinquentis audacia, & crimen augeatur; sed ex eorum reticentia nequaquam imminuatur peccatum idololatriæ, quod per actus adorationis a Celebrante non promoto erga puram Panis, & Vini substantiam exhibitos, admittitur, & in quod populus etiam fidelis, materialiter saltem, inducitur. Quod, si non peracta Elevatione, Reum ab Altari discessisse probetur; tunc solum concedimus, ut contra ipsum ad mitiorem pœnam deveniatur, arbitrio, & prudentia Judicis Ecclesiastici præfiniendam.

Omnes denique exceptiones supra expressas, quæ ab hujusmodi Reis, eorumque Defensoribus, in ipsorum excusationem prætendi solent, seu singulatim, seu conjunctim considerentur, nullatenus attendi, seu eisdem Reis suffragari debere statuimus, quominus ad realem eorum traditionem brachio sæculari, vel, si de Clericis in aliquo Ecclesiastico Ordine constitutis agatur, ad eorum Degradationem, & traditionem pariter brachio sæculari, etiam pro prima vice, procedatur, ad hoc, ut condignis tantæ impietatis pœnis a jure, seu alias statutis, & comminatis, cum effectu puniantur, & afficiantur.

Easdem declarationes, & Ordinationes a Nobis contra celebrantes non promotos huc usque statutas, ad eos etiam extendimus, & pertinere decernimus, qui cum Sacerdotes non sint, Confessiones Sacramentales audire, & absolutionem pœnitentibus impertiri præsumant; quos pariter eisdem pœnis traditionis brachio sæculari, seu respective degradationis, & traditionis pariter brachio Sæculari, etiam pro prima vice subjici debere præcipimus: non obstantibus præmissis exceptionibus, si quas ab hujusmodi Reis ad proprium casum aptabiles, in sui defensionem, seu excusationem adduci contingat; sed unam dumtaxat exceptionem, ad effectum mitigandæ pœnæ, attendi debere mandamus; ubi nimirum concludenter probetur, absolutionem a Reo minime prolatam fuisse; tunc enim concedimus, ut Judex Ecclesiasticus mitiorem pœnam pro suo arbitrio, & prudentia delinquenti valeat irrogare.

Decernentes præsentes nostras Litteras, & in eis contenta quæcumque, etiam ex eo, quod quilibet in præmissis, seu eorum aliquo, jus, vel interesse habentes, seu habere quomodolibet prætendentes, cujusvis status, gradus, ordinis, præeminentiæ, vel dignitatis existant, sive alias specifica, & individua mentione, & expressione digni, illis non consenserint, nec ad ea vocati, & auditi, neque causæ, propter quas eædem præsentes emanaverint adductæ, verificatæ, vel sufficienter, aut ullo modo justificatæ fuerint, aut ex alia qualibet, etiam quantumvis juridica, & privilegiata caussa; colore, prætexru, & capite, etiam in corpore juris clauso, nullo umquam tempore de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis Nostræ, aut interesse habentium consensus, aliove quolibet, etiam quantumvis magno, ac formali, & substantiali defectu notari, impugnari, infringi, retractari, in controversiam vocari, aut ad terminos juris reduci, seu adversus illas aperitionis oris, restitutionis in integrum, aliudve quocumque juris, facti, vel gratiæ remedium intentari, vel impetrari, aut etiam Motu pari, & de Apostolicæ potestatis plenitudine simili concesso, vel emanato, quempiam in judicio, vel extra illud uti, seu se juvare ullo modo posse; sed ipsas præsentes semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac ab illis, ad quos spectat, & pro tempore quandocumque spectabit inviolabiliter, & inconcusse observari.

Sicque, & non aliter in præmissis censeri, atque ita per quoscumque judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Caussarum Palatii Apostolici Auditores, ac contra hæreticam pravitatem Generales Inquisitores, & alios ejusdem S. R. E. Cardinales, etiam de Latere Legatos, & Apostolicæ Sedis prædictæ Nuncios, aliosve quoslibet quacumque præeminentia, ac potestate fungentes, & functuros, sublata eis, & eorum cuilibet aliter judicandi, & interpretandi facultate, judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Non obstantibus, quatenus opus sit, Nostra, & Cancellariæ Apostolicæ regula *de jure quæsito non tollendo*, aliisque Apostolicis, ac in Universalibus, Provincialibus, & Synodalibus Conciliis editis, generalibus, vel specialibus Constitutionibus, & Ordinationibus, necnon quibusvis, etiam juramento confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, etiam immemorabilibus; privilegiis quoque, exemptionibus, & Indultis, etiam in corpore juris clausis, aut litteris Apostolicis quibusvis Personis, Collegiis, Locis, Ordinibus, etiam Militaribus, Congregationibus, Societatibus, Institutis, etiam Societatis Jesu, & S. Joannis Hierosolimitani, aliisve quibuslibet specifica, & individua mentione dignis, etiam sub quibuscumque verborum tenoribus, & formis, ac cum quibusvis clausulis, & decretis, etiam irritantibus in genere, vel in specie, etiam Motu simili, & de Apostolicæ potestatis plenitudine, seu consistorialiter, ac alias quomodolibet in contrarium præmissorum concessis, ac pluries confirmatis, approbatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus, specialis, specifica, & individua mentio, seu quævis alia expressio ad id servanda foret, illorum tenores, formas, caussas, & occasiones præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, & exactissime servatis, & specificatis respective habentes illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat, ad præmissorum effectum plenissime, & amplissime Motu pari derogamus, & derogatum esse volumus, ceterisque contrariis quibuscumque &c.

B U L L A Q U A R T A.

De Indultis Apostolicis eligendi Confessarium ab Ordinario approbatum pro absolutione a criminibus, aut censuris reservatis.

Extat in Tom. I. sub num. 100. data sub die 5. Augusti 1744. Pontificatus vero anno IV.

Apostolica Indulta, quamvis prudenti Romanorum Pontificum dispensatione concessa, ad Christiani Populi profectum, & promovendam animarum salutem plurimum conferre non dubitemus: si tamen eorum interpretatio ingeniorum liberius opinantium licentiæ permittatur, unde in sensus a mente, & voluntate concedentium alienos detorqueantur; eadem in Ecclesiasticæ Disciplinæ detrimentum, & ipsorum Fidelium periculum atque perniciem, perverso hominum abusu, traduci posse veremur. Quapropter, pro ea, quam Dei nutu suscepimus, sanctissimarum Ecclesiæ Legum custodia, & flagranti, quo tenemur, studio, de universo Christi Grege ad æternæ beatitudinis metam securius dirigendo, non solum recte constitutas a Patribus agendi regulas in dies magis, magisque constabilire satagimus; nullam prætermittentes occasionem intemeratæ disciplinæ observantiam Catholicis omnibus præscribendi, & commendandi, verum etiam Indultorum ab hac eadem Apostolica Sede benigne concessorum certos indicare limites, & tutam ipsorum formam, usumque præfinire, juxta nostram, & Prædecessorum Nostrorum, quorum auctoritate prodierunt, mentem, & voluntatem, opportunum in Domino judicamus.

Sane hanc providentiam, si quod aliud Indultum, illud in primis postulare videtur, quod Sedes Apostolica, vel cunctis Christi-fidelibus, per universalis Jubilæi Litteras, vel nonnullarum Regionum Incolis, per Bullam, ut appellant *Cruciatæ*, vel certis Universitatibus, aut Sodalium, seu Confratrum cœtibus, per specialia privilegia, elargiri quandoque consuevit facultatem eligendi sibi unumquempiam Confessarium ex approbatis ab Ordinario ad Confessiones audiendas, qui eos a culpis, criminibus, & censuris, alioquin reservatis, absolvere valeat: etenim eo periculosius in usu Indultorum hujus generis erratur, quo gravius in iisdem agitur negotium, Sacramenti nimirum Pœnitentiæ, lapsis post Baptismum ad salutem prorsus necessarii, ac legitima administratio, ejusdemque respective susceptio.

Et quidem fel. record. Prædecessor Noster Innocentius Papa XII. ex delatis ad se nonnullorum Episcoporum Regni Portugalliæ tunc temporis existentium, & aliorum timoratæ conscientiæ Virorum, querelis, intelligens opinionem quamdam revixisse, ceteroquin per Apostolicas Pauli V. Urbani VIII. & Clementis X. Romanorum Pontificum Prædecessorum Suorum Constitutiones, necnon per plura Congregationum S. R. E. Cardinalium, tam Concilii Tridentini Interpretum, quam negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præpositorum, Decreta, dudum damnatam, ac reprobatam; qua opinione freti plerique illarum partium Fideles, Privilegia, & Indulta circa prædictam Confessarii electionem a Sancta Sede concessa, & elargita in Litteris Apostolicis pro Cruciata Sancta emanatis, quas Bullam Cruciatæ vocant, ita intelligenda esse existimabant, ut facultas in Bulla hujusmodi Christifidelibus attributa, confitendi peccata sua cuilibet Confessario per quemcumque Ordinarium ad Confessiones audiendas approbato, & recipiendi ab eo absolutionem, ut præfertur, a quibusvis peccatis, atque censuris in prædicta Bulla non exceptis, locum haberet & habere censeretur, etiamsi Ordinarius præfatus non esset Ordinarius illius loci, in quo Confessiones prædictas excipi contingeret; Hujusmodi opinionem in Congregationibus S. R. E. Cardinalium, tam eorum, qui tunc temporis Episcoporum, & Regularium consultatio-

nibus præpositi erant, quam aliorum adversus hæreticam pravitatem Generalium Inquisitorum a Sede Apostolica specialiter deputatorum, de ipsius mandato ex integro examinatam, iterum censuit proscribendam, atque damnandam; sicuti reipsa proscripsit, & damnavit, per Apostolicas in forma Brevis Litteras incipien. *Cum sicut*, die decima nona Aprilis anni millesimi, septingentesimi, Pontificatus sui anno nono editas; decernens, & declarans, prædictam Bullam Cruciatæ, quoad approbationem Confessariorum, nihil novi juris induxisse, nullumque privilegium continere contra formam Concilii Tridentini, & prædictarum Constitutionum Apostolicarum; adeo ut Confessarii tam Sæculares, quam Regulares, quicumque illi sint, in vim dictæ Bullæ Cruciatæ a Pœnitentibus ad audiendas Sacramentales eorum Confessiones electi, nullatenus Confessiones hujusmodi audire valeant sine approbatione Ordinarii, & Episcopi Diœcesani loci, in quo ipsi Pœnitentes degunt, & Confessarios eligunt, vel ad excipiendas Confessiones requirunt; nec ad hoc suffragari approbationem semel, vel pluries ab Ordinariis aliorum Locorum, & Diœcesum obtentam, etiamsi Pœnitentes illorum Ordinariorum, qui Confessarios electos approbassent, subditi forent: sancitque statuit, Confessiones aliter in posterum factas, & respective auditas, nullas, irritas, & invalidas fore; & Sacerdotibus, qui illas audire præsumpserint, suspensionis pœnam ipso facto incurrendam indixit: opinionem autem quamcumque contrariam, tamquam falsam, temerariam, scandalosam, & in praxi perniciosam damnavit, & reprobavit; eamque potissimum, de qua supra diximus, ullo modo doceri, sustineri, aut ad praxim deduci, prohibuit, sub pœna excommunicationis per contrafacientes ipso facto incurrendæ; prout latius in supradictis Litteris continetur.

Has Litteras Innocentii Prædecessoris prædicti post aliquot annos sua quoque auctoritate approbavit, confirmavit, & innovavit recol. pariter mem. Innocentius Papa XIII. die decima tertia Maji anni millesimi, septingentesimi, vigesimi tertii, Pontificatus sui anno secundo, editis similibus in forma Brevis Litteris incipien. *Apostolici Ministerii*, quibus plura complexus est ad Ecclesiasticam disciplinam in Hispaniarum Regnis servandam pertinentia; ac inter alia declaravit, Sacerdotes tam Sæculares quam Regulares, qui ab Episcopis obtinuerint licentiam audiendi Confessiones, limitatam vel quoad tempus, vel quoad genus personarum, non posse Sacramentum Pœnitentiæ administrare extra tempus, vel locum, vel genus personarum ab ipsis Episcopis præscriptum; quocumque privilegio, etiam in vim Bullæ, quæ appellatur Cruciatæ Sanctæ, competente, nullatenus suffragante; necnon Sacerdotibus prædictis tam Sæcularibus, quam Regularibus, ad Confessiones excipiendas, vel ex vi prædictæ Bullæ Cruciatæ, vel ex quocumque alio privilegio electis, minime suffragari, quod approbati alias fuerint ab Episcopo, qui aliquando loci, in quo Confessiones audiendæ sunt, Ordinarius fuerit, sed talis non amplius existat, vel quia ab humanis excesserit, aut Episcopatui renuntiaverit, vel quia ad aliam Ecclesiam Auctoritate Apostolica translatus reperiatur; sed necessariam omnino esse de illis, qui actualiter, & pro tempore Ordinariam Jurisdictionem in ea Diœcesi exerceat, approbationem: hanc tamen sufficere etiam tacitam, eamque tamdiu durare, quamdiu præcedens licentia, sive approbatio expresse revocata non fuerit; in quo casu nova de integro approbatio, tempore præfinito elapso, expiraverit.

Cumque San. mem. Benedictus Papa XIII. Litteras, suis aliis Apostolicis Litteris incipien. *In Supremo Militantis Ecclesiæ Solio*, die vigesima tertia Septembris anni millesimi, septingentesimi, vigesimi quarti, Pontificatus sui anno primo datis, earum tenore de verbo ad verbum inserto, pari Auctoritate Apostolica in omnibus, & per omnia perpetuo approbasset, confirmasset, atque innovasset; ipsius quoque Auctoritate corroborata, innovataque noscuntur, quæ de facultate eligendi Confessarium tam ab Innocentio XII. quam a XIII. Decreta declarataque fuisse commemoravimus.

Quia vero iidem Prædecessores Nostri Innocentius XII. & XIII. in suis respective Litteris, Indultum per Bullam Cruciatæ concessum tantummodo nominatim expresserunt, & ab Innocentio XIII. alterius cujuscumque generis privilegia generatim dumtaxat sunt indicata: Idcirco Nos animo prospicientes, quod, nisi clarius, atque distinctius declaratum fuerit, quænam Privilegia, seu Indulta sub præfatas regulas cadant, & cadere debeant, idem fortasse reprobatarum, ut supra, opinionum offendiculum, ut olim in prædictæ Bullæ Cruciatæ, sic etiam in aliorum ejusdem generis Indultorum, interpretatione, & usu, subesse facile posset; & vigili cura animum in id intendentes, ne inimicus homo hujusmodi zizania in agro Dominico ullatenus valeat superseminare, atque ut Fidelium conscientiæ securius dirigantur; non modo relata superius Prædecessorum nostrorum Decreta Auctoritate quoque Nostra approbamus, confirmamus, & innovamus, verum etiam eadem auctoritate, & simili motu, scientia, & potestatis plenitudine statuimus, & declaramus, quod idem omnino jus, quod vigore Decretorum hujusmodi, circa intelligentiam, & usum Indulti Bullæ Cruciatæ obtinet, etiam quoad reliqua ejusdem generis Indulta pariformiter valere debeat, & obtinere. Volumus etiam reprobationem dictarum opinionum, quatenus respiciunt intelligentiam, & usum Indulti prædicti Bullæ Cruciatæ, a præfatis Prædecessoribus proscriptarum, locum similiter habere, quatenus easdem opiniones, & Sententias in medium proferri contingeret circa similia etiam Indulta, sive universis per Ecclesiam Christifidelibus, sive alicui Regioni, aut Loco, Universitati, aut Cœtui particulari Sodalium, seu Confratrum, quandocumque, & ubicumque concessa, vel concedenda.

Insuper decernimus, & declaramus id, quod generaliter de Indultis præmissis sentiendum esse jam diximus, generaliter quoque intelligendum esse de omnibus, & singulis personis, quæ sub eorumdem Indultorum concessione comprehensæ reperiuntur, vel quas in posterum comprehendi contingat, quæque supradictis Indultis uti voluerint: ita videlicet, ut si in aliquo Indulto tam Sæcularibus, quam Regularibus tribuatur facultas eligendi Confessarium ab Ordinario Loci approbatum; tunc Confessarius vigore talis concessionis sive a Sæculari, sive a Regulari Pœnitente ad audiendas eorum respective Confessiones electus, nullatenus hujusmodi Confessiones audire valeat, nisi ab Episcopo Diœcesano, & Ordinario Loci, ubi Confessio excipienda est, ad Confessiones approbatus, & deputatus existat; quacumque alia approbatione, tam illius generis, quam uterque Innocentius Prædecessores prædicti declararunt non suffragari, quam ea, si de Regularibus agatur, quæ a solo proprio Regulari Prælato obtenta foret, minime suffragante. Æquum est enim, & rationi consentaneum, ut quicumque speciali Indulti beneficio gaudere, eoque uti voluerit, is conditiones in eodem indulto præscriptas omnino servet; neque licitum est cuiquam, conditionem illam approbationis Confessarii per loci Ordinarium faciendæ alio modo intelligere, quam eo, quo ipsam intelligendam esse toties Prædecessores Nostri Romani Pontifices, ut præmissum est, decreverunt. Quorum Nos quoque vestigiis inhærentes, prælatam conditionem in eodem plane sensu, quem illi tradiderunt, ab omnibus, & singulis hujusmodi Indultis sub ea conditione concessis utentibus, accipiendam, & servandam esse statuimus, atque mandamus; quicumque illi fuerint, qui in vim ejusmodi Indulti Confessarium sibi eligent, sive Sæculares, sive Regulares cujuslibet Ordinis, & Instituti, tam Mendicantium, quam non Mendicantium, & Ordinem Militarium, etiam Militiæ Hospitalis Sancti Joannis Hierosolymitani, necnon Societatis Jesu, atque alterius cujusvis Congregationis, vel Societatis, tametsi de illis, aut illorum, vel illarum aliquo, seu aliqua, specialis, & expressa mentio quomodocumque facienda foret. Ideoque Confessiones, & absolutiones in præmissis casibus aliter in posterum factas, & respective auditas, seu impertitas, irritas fore & invalidas declaramus; & contrariam quamcumque opinionem, ejusque praxim deinceps prohibemus, ac reprobamus, tamquam explanatæ toties ab Apostolica Sede verborum intelligentiæ, ac menti nostræ quam ad omnem hac super re ambiguitatem tollendam per præsentes clarius explicamus, penitus adversantem.

Postremo illud monendum existimamus, nihil hic a Nobis statui, aut pronuntiari super eo, an scilicet in uno, aut altero Indulto unum, aut alterum personarum genus comprehendi, & quænam Indulta specialiter Regularibus suffragari censendum sit; hoc enim ex uniuscujusque Indulti tenore, ac verbis colligendum relinquimus; firmis tamen manentibus, & perpetuo mansuris, quod ad Bullam Cruciatæ pertinet, plurium Prædecessorum Nostrorum declarationibus, eamdem scilicet Bullam, quoad ad articulum eligendi Confessarium, seque a casibus reservatis absolvi faciendi, nequaquam Regularibus suffragari; quod Nos etiam perpetuo tenendum, atque sentiendum, eorumdem Prædecessorum Nostrorum exemplo, similiter declaramus, & contrariam quamcumque opinionem, uti falsam, & perniciosam, interdicimus, & reprobamus.

Decernentes præsentes nostras Litteras, & in eis contenta quæcumque, etiam ex eo, quod quilibet in præmissis, seu eorum aliquo jus; vel interesse habentes, seu habere quomodolibet prætendentes, cujusvis status, gradus, ordinis, præeminentiæ, vel dignitatis existant, sive alias specifica, & individua mentione, & expressione digni, illis non consenserint, nec ad ea vocati, & auditi, neque causæ, propter quas eædem præsentes emanaverint, adductæ, verificatæ, vel sufficienter, aut ullo modo justificatæ fuerint, aut ex alia qualibet, etiam quantumvis juridica, & privilegiata caussa, colore, prætextu, & capite, etiam in corpore juris clauso, nullo umquam tempore de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis Nostræ, aut interesse habentium consensu, aliove quolibet, etiam quantumvis magno, ac formali, & substantiali defectu notari, impugnari, infringi, retractari, in controversiam vocari, aut ad terminos juris reduci, seu adversus illas aperitionis oris, restitutionis in integrum, aliudve quodcumque juris facti, vel gratiæ remedium intentari, vel impetrari, aut etiam Motu pari, & de Apostolicæ potestatis plenitudine simili concesso, vel emanato, quempiam in judicio, vel extra illud uti, seu se juvare ullo modo posse; sed ipsas præsentes semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obti-

obtinuere, ac ab aliis, ad quos spectat, & pro tempore quandocumque spectabit, inviolabiliter, & inconcusse observari.

Sicque, & non aliter in præmissis censeri, atque ita per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Caussarum Palatii Apostolici Auditores, ac contra hæreticam pravitatem Generales Inquisitores, & alios ejusdem Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, etiam de Latere Legatos, & Apostolicæ Sedis prædictæ Nuncios, aliosve quoslibet quacumque præeminentia, ac potestate fungentes, & functos, sublata eis, & eorum cuilibet aliter judicandi, & interpretandi facultate, judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quamvis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Non obstantibus, quatenus opus sit, Nostra, & Cancellariæ Apostolicæ Regula *de jure quæsito non tollendo*, aliisque Apostolicis, ac in Universalibus, Provincialibus, & Synodalibus Conciliis editis, generalibus, vel specialibus Constitutionibus, & Ordinationibus, necnon quibusvis, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, etiam immemorabilibus; privilegiis quoque, exemptionibus, & indultis etiam in corpore juris clausis, aut Litteris Apostolicis quibusvis Personis, Collegiis, Locis, Ordinibus, etiam Militaribus, Congregationibus, Societatibus, Institutis, etiam Societatis Jesu, & S. Joannis Hierosolimitani, aliisve quibuslibet specifica, & individua mentione dignis, etiam sub quibuscumque verborum tenoribus, & formis, ac cum quibusvis etiam clausulis, & decretis, etiam irritantibus in genere, vel in specie, etiam motu simili, & de Apostolicæ potestatis plenitudine, seu consistorialiter, ac alias quomodolibet in contrarium præmissorum concessis, ac pluries confirmatis, approbatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus, specialis, specifica, & individua mentio, seu quævis alia expressio ad id servanda foret, illorum tenores, formas, caussas, & occasiones præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, & exactissime servatis, & specificatis respective habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat, ad præmissorum effectum plenissime, & amplissime Motu pari derogamus, & derogatum esse volumus ceterisque contrariis quibuscumque.

Volumus insuper, & eadem auctoritate prædicta mandamus, ut eædem præsentes, & in eis contenta quæcumque ad omnium notitiam facilius deducantur, nec quisquam de eis ignorantiam prætendere valeat, ipsas præsentes, seu earum transumpta, ad valvas Ecclesiæ S. Joannis in Laterano, & Basilicæ Principis Apostolorum de Urbe, necnon Cancellariæ Apostolicæ, Curiæque Generalis Innocentiæ in Monte Citatorio, & in Acie Campi Floræ per aliquem ex Cursoribus Nostris, ut moris est, publicari, & affigi; sicque publicatas, & affixas, omnes, & singulos, quos concernunt, seu concernent in futurum, perinde afficere, & arctare, ac si unicuique illorum personaliter intimatæ, & notificatæ fuissent &c. &c.

B U L L A Q U I N T A.

D E C L A R A T I O

Super Constitutione, quæ incipit: Sacramentum Pœnitentiæ, *adversus Sollicitantes*.

Extat hæc Bulla in Tom. I. sub num. 120. Data die 8. Februarii 1745. Pontificatus vero Anno V.

Apostolici muneris partes in procuranda præcipue rerum Sacratum pura, illibataque penitus administratione versari debere probe intelligentes, non modo & assiduis hortationibus, & justa, ubi res postulat, legum severitate, ut ab Ecclesiasticis quibusvis Ministris Sancta sancte tractentur, quantum cum Domino possumus, providere studemus, verum etiam leges ipsas, ne forte sinistris interpretationibus in alterutram extremam partem, aut immoderati rigoris, aut detestabilis laxitatis, perperam detorqueantur, opportune communire, ac roborare pro earumdem tuendo vigore, cum occasio poposcerit, non prætermittimus.

Sane cum Nos alias per quamdam Nostram Constitutionem, cujus initium est: *Sacramentum Pœnitentiæ*, Anno Incarnationis Dominicæ millesimo, septigentesimo, quadragesimo primo, Kalendis Junii, Pontificatus Nostri Anno primo editam, omnibus, & singulis Sacerdotibus tam Sæcularibus, quam Regularibus interdixerimus, & prohibuerimus, ne aliquis eorum extra casum extremæ necessitatis, nimirum in ipsius mortis articulo, & deficiente tunc quocumque alio Sacerdote, qui Confessarii munus obire possit, Confessionem Sacramentalem personæ complicis in peccato turpi, atque inhonesto, contra sextum Decalogi præceptum commisso, excipere auderet; ita ut absolutio, si quam impertivisset, nulla, atque irrita omnino esset, tamquam impertita a Sacerdote, qui jurisdictione, & facultate ad valide absolvendum necessaria, ipsi per Nos vigore ejusdem Constitutionis adempta, privatus existeret, & alias prout in memorata Constitutione, cujus tenorem præsentibus pro plene, & sufficienter expresso, & inserto haberi volumus, uberius dicitur contineri. Cum Nos subinde super ea dictæ Constitutionis parte, quæ mortis articulum respicit, dubitationes quasdam exortas fuisse acceperimus, quarum resolutionem privato cujusque judicio relinquendam minime existimamus, ne Lex incertis conjecturis, & opinionibus jactata, in sensus a mente Nostra alienos forsitan distrahantur, cujusque vigor paullatim langueat, atque enervetur.

Hinc est, quod Nos omnem dubitandi rationem, quantum cum Domino possumus, de medio auferre cupientes, Motu proprio, ac ex certa scientia, & matura deliberatione nostrum, deque Apostolicæ potestatis plenitudine, memoratam Constitutionem Nostram cum omnibus, & singulis in ea contentis, tenore præsentium, quatenus opus sit, confirmamus, illamque integre, penitus, & omnino, atque ab illis, ad quos spectat, & pro tempore, quandocumque spectabit, inviolabiliter, & inconcusse observari præcipimus, & mandamus. Præterea, habita super his cum Venerabili Fratre Nostro Vincentio Episcopo Prænestino S. R. E. Cardinali Petra nuncupato Pœnitentiario Nostro Majori, ac dilectis Filiis Officii Pœnitentiariæ Apostolicæ Ministris, qui rem jussu Nostro matura perpenderunt, deliberatione, motu, scientia, & potestatis plenitudine paribus, edicimus, ac declaramus, eadem Constitutione singulis, ut supra, Sacerdotibus, quemadmodum interdictum non est in mortis articulo personam in prædicto turpi peccato complicem confitentem audire, atque ab hujusmodi quoque culpa rite contritam absolvere, deficiente tunc quocumque alio Sacerdote, qui Confessarii munus obire possit; ita interdici re ipsa, & prohiberi prædicto modo tunc audire, & absolvere, ut si alius aliquis Sacerdos non defuerit, etiamsi forte iste alius simplex tantummodo Sacerdos fuerit, sive alias ad Confessiones audiendas non approbatus, possit nihilominus ipse Sacerdos simplex Confessionem excipere, ac absolutionem impertiri.

Porro, si casus urgentis qualitas, & concurrentes circumstantiæ, quæ vitari non possint, ejusmodi fuerint, ut alius Sacerdos ad audiendam constitutæ in dicto articulo personæ confessionem vocari, aut accedere, sine gravi aliqua exoritura infamia, vel scandalo, nequeat; tunc alium Sacerdotem perinde haberi, censerique posse, ac si revera abesset, atque deficeret; ac proinde in eo rerum statu, non prohiberi socio criminis Sacerdoti absolutionem Pœnitenti ab eo quoque crimine impertiri. Sciat autem complex ejusmodi Sacerdos, & serio animadvertat, fore se re ipsa coram Deo, qui irrideri non potest, reum gravis adversus prædictam Nostram Constitut. inobedientiæ, latisque in ea pœnis obnoxium, si prædictæ infamiæ, aut scandali pericula sibi ultro ipse confingat, ubi non sunt; immo intelligat, teneri se graviter hujusmodi pericula, quantum in se erit, antevertere, vel removere, opportunis adhibitis mediis, unde fiat, ut alteri cuivis Sacerdoti locus pateat illius confessionis, absque ullius infamia, vel scandalo, audiendæ. Ita enim ipsum teneri vigore memoratæ nostræ Constitutionis declaramus; & nunc quoque ita ipsi faciendum esse districte mandamus, & præcipimus.

Quod si idem Sacerdos, aut quovis modo sese nulla gravi necessitate compulsus ingesserit, aut, ubi infamiæ, vel scandali periculum timetur, si alterius Sacerdotis opera requirenda sit, ipse ad id periculum evertendum congrua media adhibere de industria neglexerit, atque ita personæ in dicto crimine complicis, eoque in articulo, ut præfertur, constitutæ Sacramentalem confessionem excipere, ab eoque crimine absolutionem largiri, nulla, sicut præmittitur, necessaria caussa cogente præsumpserit; quamvis hujusmodi absolutio valida futura sit, dummodo ex parte Pœnitentis dispositiones a Christo Domino ad Sacramenti Pœnitentiæ valorem requisitæ non defuerint; non intendimus enim pro formidando mortis articulo eidem Sacerdoti, quantumvis indigno, necessariam jurisdictionem auferre, ne hac ipsa occasione aliquis pereat: nihilominus Sacerdos ipse violatæ ausu ejusmodi temerario Legis pœnas nequaquam effugiet; ac propterea latam in dicta Constitutione majorem excommunicationem, eodemque plane modo, quo ibidem decernitur, Nobis, & huic Sanctæ Sedi reservatam, incurret, prout illum eo ipso incurrere declaramus, volumus, atque statuimus. Non obstantibus omnibus, & singulis illis, quæ in præfata nostra Constitutione voluimus non obstare, ceterisque contrariis quibuscumque &c. &c.

B U L L A S E X T A.

Decretum ad Constitutionem xx. & xxi.

Extat in Apendice ad Tomum primum sub n. 8. Datum die 21. Augusti 1745. Pontificatus vero Anno IV.

In Generali Congregatione Sanctæ Romanæ, & Universalis Inquisitionis habita in Palatio Apostolico Quirinali coram Sanctissimo Domino Nostro Domino BENEDICTO Divina Providentia Papa XIV. & Eminentiss. ac

Reverendiss. DD. S. R. E. Cardinalibus adversus hæreticam pravitatem Inquisitoribus Generalibus a S. Sede Apostolica specialiter deputatis.

Sanctissimus Dominus Noster sollicite animadvertens, quam grave sit delictum illorum perditorum hominum, qui Sacrosancto Missæ Sacrificio, ac salutaris Pœnitentiæ Sacramento ad Animarum reparationem a Christo Domino institutis in illarum perniciem, & damnationem abutuntur; decrevit, quod in posterum Sacerdotes tam Sæculares, quam Regulares cujuscumque Ordinis, Instituti, Congregationis, & Societatis etiam de necessitate exprimendæ, vel in actu Sacramentalis Confessionis, sive illius occasione, aut prætextu ad turpia sollicitantes, vel Sacrificio Missæ abutentes ad sortilegia, præter pœnas a Jure, & Apostolicis Constitutionibus, ac designanter a San. Mem. Sixti V. & Gregorii XV. contra eosdem inflictas, perpetuam etiam inhabilitationem incurrant ad præfati Sacrificii celebrationem; quodque ejusmodi Decretum significetur singulis cujuscumque Ordinis Superioribus, ac Præpositis, ad hoc, ut de illo, sicuti, & de prædictis, aliisque Summorum Pontificum Constitutionibus, juxta præscriptum in generali Decreto Supremæ Inquisitionis diei 15. Decembris 1633. semel saltem in Anno, Feria sexta post Octavam Assumptionis B. Mariæ Virginis in publica Mensa, vel in Capitulo ad hoc specialiter convocato, ac insuper in quocumque Generali, vel Provinciali Capitulo, vel alio quovis nomine nuncupato Capitulari Congressu, suos Subditos, ac Religiosos commonendos curent, ejusdemque commonitionis coram Suprema Congregatione juratum Testimonium exhibeant.

BULLA SEPTIMA.

De Pœnitentiariæ Apostolicæ Officialibus, eorumque muneribus.

Extat hæc Bulla in Tom. I. Bullarii sub num. xcvi. dat. die 13. Aprilis 1744. Pontificatus vero anno IV.

IN Apostolicæ Pœnitentiariæ Officio, per quod Romanus Pontifex concessam sibi divinitus in B. Petro Apostolorum Principe supremam legandi, atque solvendi potestatem, maximo Ecclesiæ universæ fructu, in promovenda Fidelium salute indesinenter exercet, rectissimam undequaque agendi rationem constabilire, eamdemque, quantum in Domino possumus, perpetuis etiam futuris temporibus inviolabilem commendare cupientes; postquam per alias Nostras Apostolicas Litteras, hac ipsa die datas, quarum initium est: *Pastor bonus*, facultates Nostri Majoris Pœnitentiarii, ejusdemque Officii Pœnitentiariæ constituimus, ampliavimus, commodiusque digessimus; Nostras quoque partes esse judicavimus ad ea similiter recognoscenda, quæ Ministros Nostros in eodem Pœnitentiariæ Officio laborantes respiciunt, ad eorum videlicet numerum, qualitates, electionem, munera, onera, emolumenta, perfectius, stabiliusque ordinanda, mentis Nostræ aciem eo studiis convertere, quo majus intelligimus inesse momentum in optimo delectu, atque ordine Ministrorum, ut rectus ille, atque proficuus concessarum facultatum usus afferatur, ad quem potissimum studia Nostra, cogitationesque feruntur.

Quamquam enim recolendæ memoriæ Prædecessor noster S. Pius Papa V. in ipsa erectione hodiernæ Pœnitentiariæ, quam, vetere suppressa, extinctaque, novam ipse constituit, multa, & sane præcipua de futuris ejusdem Ministris, seu Officialibus, sapienter decrevit per suam Constitutionem, quæ incipit: *In omnibus*, datam XV. Kalendas Junias anno 1569. quam proinde Nos quoque firmam esse volumus, atque decernimus, præterquam in iis, in quibus eamdem præsentibus nostris Litteris constiterit adversari; nonnulla tamen lapsa duorum ferme Sæculorum circa illa immutari debuerunt, variis de caussis per alios Romanos Pontifices pariter Prædecessores nostros cognitis, & approbatis: quarum approbationum ne vel memoriam excidere, vel fidem vacillare contingat, neve, si ignorentur, eveniat, ut hujusmodi immutationes in exemplum trahantur aliarum forsitan privato arbitrio deinceps inducendarum; idcirco necessarium, & opportunum duximus omnia, & singula jam prius a Nobis perpensa, atque recognita, & sicubi opus fuit, correcta, seu in melius commutata, Litteris Nostris explicare, tradere, atque Apostolica auctoritate sancita, ac roborata, in omnium notitiam inviolabiliter in posterum servanda, deducere. Motu itaque proprio, & ex certa scientia, & matura deliberatione Nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine infrascriptas ordinationes circa Ministros, seu Officiales Apostolicæ Nostræ Pœnitentiariæ, necnon circa ejusdem œconomicum statum, & regimen constituimus, & in futurum observari decernimus, & mandamus.

Numerum quidem, & genera hujusmodi Officialium eodem fere loco retinere volumus, ac primitus fuere a memorato S. Pio constituta; uno dumtaxat, & altero, non ad novum genus Officii, sed ad Officialium numerum adjuncto. Itaque hi, & non alii, Officium Pœnitentiariæ constituent: videlicet Major Pœnitentiarius, Regens, Theologus, Datarius, Canonista, Corrector, Sigillator, Procuratores, seu Secretarii tres, & Scriptores ordinarii itidem tres; uno nimirum Procuratore; & Scriptore uno, jam usque a primordiis recentioris Pœnitentiariæ, propter adauctam in dies negotiorum, & supplicantium multitudinem, ultra priorem numerum in prædicta Beati Pii Constitutione præfinitum, inductis.

Major Pœnitentiarius unus sit ex S. R. E. Cardinalibus, Presbyter, idemque Magister Theologiæ, seu Decretorum Doctor; atque a solo Romano Pontifice eligetur per Litteras, ut hactenus moris fuit, in forma Brevis. Suum autem munus per se ipsum exercere debebit. Sed si ea caussa legitima, a Romano Pontifice admissa, absens, seu impeditus fuerit, ipsemet unum alium e S. R. E. Cardinalibus, prædictis qualitatibus insignitum, sibi Pro-Pœnitentiarium subrogabit, qui interim hoc munus pariter per seipsum prosequatur, Litterasque, non Pœnitentiarii subrogantis, sed suo proprio nomine jubeat expediri.

Quod si contingerit, ut Major Pœnitentiarius, tempore vacantis Pontificiæ Sedis e vita discesserit; tunc a majori numero Cardinalium in Conclavi degentium, vel ante Conclavis ingressum in Congregatione generali convenientium, eligendus erit per secreta suffragia alius Cardinalis Pro-Pœnitentiarius ad ejusdem Sedis vacantis tempus; prout evenisse meminimus, Sede vacante per obitum fel. mem. Benedicti Papæ XIII. in personam Venerabilis Fratris Nostri Vincentii Episcopi Prænestini, tunc Tituli S. Honuphrii S. R. E. Presbyteri Cardinalis Petra nuncupati, cum illustri totius Collegii S. R. E. Cardinalium de illius integritate, ac doctrina testimonio, quod deinde judicio suo comprobavit fel. par. record. Clemen. Papa XII. Prædecessor Noster, eamdemque electionis formam pro simili eventu Pontificiæ Sedis vacantis distinctius postea constituit, atque in futurum servari mandavit in sua Constitutione, quæ incipit: *Apostolatus Officium* datam IV. Nonas Octob. anno 1732. in qua plures ordinationes circa res eadem Sede vacante agendas complexus est, cuique subscriptio S. R. E. Cardinalium, ac de eadem servanda juramentum accessit.

Præcipuum vero Majoris Pœnitentiarii munus in recto, ac prudenti exercitio facultatum sibi concessarum, atque aliis supradictis Litteris nostris comprehensarum, positum est. Sed est quoque ejus muneris quatuor diebus Majoris Hebdomadæ, Dominica quidem Palmarum in Basilica S. Joan. in Laterano, Feria vero quarta in Basilica S. Mariæ Majoris, & quinta, & sexta Feriis in Basilica S. Petri Vaticana, Fidelium Confessiones in Sede ad id constituta excipere, necnon capita pie sese submittentium Virga Pœnitentiali tangere, Indulgentias eisdem juxta facultatem in prædictis aliis Nostris Litteris contentam impertiendo; præsentibus interim, & per sua sedilia dispositis Pœnitentiariæ Officialibus. Præterea tribus anni diebus, quibus maxime ad pœnitentiam Fideles excitantur, videlicet Feria quarta Cinerum (qua die ipse cineres Capiti Summi Pontificis, Cardinalium, ceterorumque assistentium inspergit) & mane Feriæ sextæ in Parasceve, & diei Commemorationis Fidelium Defunctorum, sollemni ritu rem Divinam in Pontificia Capella peragere. Ad hæc Romano Pontifici in supremo vitæ agone constituto, ad spiritualem eidem in tali articulo ferendam opem, assistere.

Ad eumdem pertinet Minores Pœnitentiarios Ordinarios a se ipso, & a Congregatione, seu Signatura Pœnitentiariæ prius examinatos & approbatos, alioquin ad Officium minime admittendos, in tribus Urbis Basilicis constituere, & deputare, eisque facultates pro sua prudentia, vel majores, vel minores concedere; qui postquam admissi fuerint, non poterunt sine ejusdem Majoris Pœnitentiarii licentia ab Officio dimitti, seu ab ejusdem exercitio discedere. Idemque intelligi volumus quoad Minores Pœnitentiarios Lauretanos, quorum examen valeat idem in absentia etiam Episcopis in Partibus sibi benevisis committere. Quin etiam poterit certum numerum extraordinariorum Pœnitentiariorum pro Basilica S. Petri eligere, atque in ea constituere, ut consuetis anni cujusque diebus, quibus major esse solet Pœnitentium concursus, eorum audiendis Confessionibus præsto sint. Atque insuper pro recurrentis Anni Sancti tempore suos quoque pro Basilica Sancti Pauli extra muros Pœnitentiarios designare; aliosque etiam, eodem anno durante, similibus facultatibus munitos, sive in nominatis Basilicis, sive in ceteris tam Secularium, quam Regularium Urbis Eccles , prout magis expedire visum fuerit, pro magna Fidelium tunc confluentium copia, extra ordinem multiplicare. Demum per idem tempus Virum providum, ac peritum deputare possit, qui frequens adeat supradictos Pœnitentiarios in quatuor Majoribus Basilicis laborantes, ut libellos supplices pro peculiaribus Pœnitentium necessitatibus forte offerendos ab eis, recipiat, eorumque celerem apud Pœnitentiariam expeditionem sedulo curet, & ad Pœnitentiarios prædictos quamprimum referat, aliaque gerat, quæ Major ipse Pœnitentiarius pro recto rerum ordine gerenda mandaverit.

Ad ejusdem Majoris Pœnitentiarii munus pariter spectabit personas seu Saeculares, seu Regulares, quibus id expedire judicaverit, ad peragenda Exercitia Spiritualia in Domo Missionis, prope Curiam Innocentianam sita, destinare;

pro

pro jure scilicet, quod idem Major Pœnitentiarius habet, nominandi quolibet anno quadraginta quatuor Viros in dicta Domo per congruum ejusmodi Exercitiorum tempus gratis sustentandos; quem ad finem eidem Domui assignata reperiuntur annua scuta centum monetæ Romanæ, partim ex bonis propriis per memoratum Venerabilem Fratrem Nostrum Vincentium Episcopum Prænestinum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalem Petra nuncupatum hodiernum Majorem Pœnitentiarium, laudabili piæ liberalitatis exemplo, in adeo proficuum opus attributis; partim ex superfluis Pœnitentiariæ proventibus, usque ad primam vacationem Officii Sigillatoris; ac post hujusmodi vacationem, ex emolumentis futuri pro tempore Sigillatoris in perpetuum persolvenda; prout statutum fuit per Litteras fel. rec. Clementis Papæ XII. Prædecessoris Nostri Motu proprio exaratas sub die 15. Febr. anni 1732. quas quidem Litteras cum omnibus ordinationibus, conditionibus, & clausulis in eisdem appositis, approbamus, & confirmamus, ac perpetuis futuris temporibus observari jubemus.

Reliqua autem Majoris Pœnitentiarii munera, atque onera iisdem adnexa cum ex alteris Litteris Nostris, in quibus ejusdem, & Pœnitentiariæ Nostræ facultates complexi sumus, tum ea iis, quæ in præsentibus subjicientur, dignosci poterunt.

Emolumenta vero ejusdem, quæ varia pro variis fuere temporibus, cum demum per fel. mem. Innocentium Papam XII. atque iterum per similis record. Clementem Papam XI. Prædecessores Nostros, constituta sint Scuta auri centum pro quolibet mense; Nos etiam eorum assignationem ratam esse volumus, & quatenus opus sit, eadem de novo concedimus, & attribuimus.

Sed præterea per supra memoratum Clementem Papam XII. assignata fuerunt eidem Majori Pœnitentiario a superfluis Pœnitentiariæ emolumentis annua Scuta monetæ ducenta, eroganda in Pauperes ad eamdem Pœnitentiariam, seu Majorem Pœnitentiarium, pro negotii ad Pœnitentiariam spectantibus recurrentes; cum declaratione, quod hujusmodi eleemosynæ inter impensas, & onera Pœnitentiariæ connumerentur; reservata insuper Majori Pœnitentiario facultate adeundi Summum Pontificem in casibus particularibus, in quibus major summa pro hujusmodi eleemosynis requireretur. Quam assignationem, declarationem, ac reservationem, una cum derogatione applicationis prædictorum superfluorum per Innocentium Papam XII. factæ Hospitio Apostolico Pauperum S. Michaelis de Urbe, Motu proprio prædicti Clementis Papæ XII. die 12. Maji anni 1732. roboratas; Nos itidem approbamus, & confirmamus, &, quatenus opus sit, præsentium tenore denuo concedimus, & constituimus.

Officialium autem post Majorem Pœnitentiarium superius enumeratorum hæ potissimum qualitates erunt. Regens, Datarius, Theologus, & Decretorum Doctor eligentur Viri eximia doctrina præstantes, casuumque conscientiæ periti. Corrector sit in Decretis, stilo, ceterisque Pœnitentiariæ rebus diligenter versatus, & instructus. Sigillator probatæ fidei, & uti id munus postulat, omnium Officii expeditionum peritus. Procuratores quoque, & Scriptores, vita, moribusque integris ornati, & ad suum quisque officium exercendum idonei. Ad hæc omnes prædicti Officii Pœnitentiariæ Ministri, etiam Procuratores, & Scriptores, sint Presbyteri, vel certe in aliquo ex Sacris Ordinibus constituti.

In electione prædictorum Officialium hæc ratio, & methodus servanda erit. Regens, Theologus, Datarius, Decretorum Doctor, Corrector, & Sigillator, Majoris Pœnitentiarii cura, & sollicitudine delecti, ac Romano Pontifici ab eodem præsentati, ubi Pontificiam confirmationem obtinere meruerint, Litteris Patentibus ipsius Majoris Pœnitentiarii, electionis, & confirmationis hujusmodi testibus, cum subscriptione alicujus Secretarii expeditis, ad suum quisque officium admittantur. Ad Procuratorum vero, & Scriptorum officia, ab eodem Majori Pœnitentiario non alii eligantur, & recipiantur, quam qui prius, indicto publice Concursu, & mora sex dierum interposita, a Regente, & Correctore super vita, moribus, ætate, scientia, ceterisque requisitis qualitatibus diligenter examinati, & comprobati fuerint; alioquin omnes prædictorum Officiorum concessiones, etiamsi a Romano Pontifice ex aliqua caussa aliter factæ fuerint, pro irritis habeantur. Qui autem rite juxta præscriptam formam electi fuerint, suis pariter patentibus Litteris a Majori Pœnitentiario muniantur, atque ad exercenda propria munera, singulis inferius designanda, admittantur.

Regentis porro munus, quod ex inveterata consuetudine uni ex Pontificiis Capellanis Caussarum Palatii Apostolici Auditoribus committi solet, in eo situm est, ut negotia universa, ea, qua decet puritate, & diligentia, dirigi studeat, & expediri; proindeque petitiones, casusque omnes ad Pœnitentiariæ Officium deductos in primis diligenter examinet; quæque perspicua sint, & secundum communem in eodem Officio cursum absque difficultate expediri consueverunt, eadem expediri jubeat; cum nullius omnino negotii, quantumvis ordinarii, vel clari, expeditionem, sine prævia ipsius Regentis recognitione, & approbatione Procuratoribus liceat incipere. Quæ vero dubia, vel obscura, vel aliqua difficultate involuta conspexerit, ea Regens ipse ad Majorem Pœnitentiarium referat, ut diligentius examinentur, ac demum in ejus Signatura proposita decidantur. Ut vero primi generis, quæ diximus, explicatiora negotia quam celerrime conficiantur, idem Regens singulis hebdomadis Procuratoribus apud se convenire jussis, ac precibus Recurrentium consideratis, suoque ad singulas convenienti rescripto subnotatis, ab iisdem Procuratoribus absque longiori mora expediri mandet.

15. Corrector, ut expeditiones apto, & convenienti stylo conscriptæ, sanæ, & integræ emittantur, earum Schedulas, sive Minutas, seu Supplicationes a Procuratoribus confectas diligenter recognoscat, examinet, & corrigat, etiam, quoad fieri poterit, antequam Litteræ partibus tradendæ scribantur, quo nimirum Litteræ ipsæ integræ, & mundæ, ac lituris, rasurisque prorsus carentes expediantur.

Datarius in calce supplicationum Datam loci, diei, mensis, & anni, tam Æræ Christianæ, quam Pontificatus, adscribat; vel Romano Pontifice demortuo, notam Sedis vacantis apponat.

Theologus Consultor, quod quidem munus uni ex Presbyteris Societatis Jesu diuturna, nec interrupta successione commendari consuevit, super petitionibus, & casibus magis arduis, & implexis, qui ad ipsum a Majori Pœnitentiario, vel Regente, maturius considerandi, & examinandi remittentur, adhibito diligenti studio, judicium suum, etiam in scriptis, si hoc ab ipso requiratur, aperiet.

Canonista item Consultor, seu Decretorum Doctor, similiter a Majori Pœnitentiario, vel Regente requisitus, suum pariter consilium super casibus ad se remissis, post accuratum examen, etiam scripto, ubi id ab eo postuletur, proferre debebit.

Sigillator Litteras eatenus recognoscat, ut manus requisitæ illis appositæ sint, & earum Datæ cum libello supplicationis concordent; deinde ipsas sigillo Pœnitentiariæ obsignet, ac demum obsignatas, & in totum gratis expeditas, Procuratoribus remittat. Insuper memoratus Sanctus Pius Papa V. in sua Constitutione, quæ incipit, *In earum rerum commutatione*, data 14. Kalendas Junias anno 1569. in qua vetera Collegia Scriptorum, & Procuratorum Litterarum Pœnitentiariæ a se ipso suppressa ad Cancellariam Apostolicam, sub nova denominatione Scriptorum, & Procuratorum Litterarum Apostolicarum Minoris Gratiæ, traduxit, ad eumdem Sigillatorem pertinere voluit peculiarem curam omnium expeditionum, quæ per duo prædicta Collegia fierent, atque proventuum Pœnitentiariæ ex hujusmodi expeditionibus percipiendorum exactionem, & administrationem; compilationem quoque, & asservationem Regestorum, tam omnium Supplicationum ad materias Minoris Gratiæ spectantium, quam Litterarum Apostolicarum super eis conficiendarum; quemadmodum etiam in altera supracitata Constitutione super nova erectione Officii Pœnitentiariæ edita, eidem Sigillatori aliorum omnium Documentorum & Scripturarum ad ipsam Pœnitentiariam pertinentium custodiam demandavit, ejusdemque fidei, & periculo commisit. Quæ licet ex magna parte non jam per se ipsum, sed per Pro-Sigillatorem exercere, immutata etiam aliquatenus agendi methodo, jampridem ei concessum fuerit; ipsius tamen Sigillatoris erit invigilare, & dare operam, ut omnia quæque per dictum Pro-Sigillatorem exercenda, quæ cujusmodi sint, inferius statuemus, recte ac fideliter ab eodem administrentur.

Procuratores, seu Secretarii, inter quos materiæ justa partitione dividendæ erunt, commissa sibi quisque negotia sedulo, diligenterque prosequantur. Libellos supplices, litterasque a recurrentibus missas integre percurrant, attenteque perpendant, earumque compendia, cum ita res feret, fideliter conficiant. Cuncta vero ad Majorem Pœnitentiarium, vel Regentem referant, nihilque penitus responsi scribere aggrediantur, absque alterutrius mandato. Quo recepto, antequam ad expeditionem Litterarum partibus tradendarum quoquo modo procedatur, Supplicationes, seu Minutas super materiis, ubi illis opus erit, per extensum exarare debeant, a Correctore recognoscendas. In expeditionibus autem quibuslibet extendendis, exacta uniformitas sensuum, & clausularum, quoad fieri poterit, a singulis observetur. Quamobrem summopere conducet formulas habere præ manibus suo quamque generi petitionum accommodatas, & a Majori Pœnitentiario, cum consilio sex majorum Officialium superius memoratorum, prius comprobatas; a quibus, nisi ex gravi caussa per Majorem Pœnitentiarium, vel Regentem admissa, nullatenus recedere supradictis Procuratoribus liceat.

Scriptores demum, æqua scribendarum rerum divisione inter eos facta, charactere puro, claro, & minime deformi, & in iis, in quibus id moris est, Antiquo, sive, ut ajunt, Bullatico, eodem tamen quam maxime intelligibili, demandatas sibi Litteras accurate, integreque describant, lituraisque quaslibet, aut rasuras perdiligenter caveant. Iidem in libros seu regesta referant, quæ ipsis dabuntur eo referenda; videlicet Oracula, si qua emanarint, Romanorum Pontificum Decreta, & Instructiones Majoris Pœnitentiarii, & Signaturæ, regimen secretæ Pœnitentiariæ concernentia; resolutiones aliquot exemplares casus alicujus rarioris,

sioris, & implexioris; Supplicationes super dispensationibus, præsertim matrimonialibus, a communi cursu recedentibus, seu pro foro etiam externo de speciali Romani Pontificis mandato concessis; & si quid aliud extraordinarium, & singulare, memoriaque dignum, ita conservandum videbitur.

Omnes vero Officiales supradicti officia sua per se ipsos maxima diligentia, & fidelitate exerceant. Soli autem præsentes, & actu exercentes, fructus, & emolumenta percipiant; nisi forte aliquis eorum ex justa caussa absens, seu legitime impeditus existat. Quod si aliquis ex majoribus Officialibus hujusmodi impedimento detentus, vel absens fuerit, alter Officialis propinquior, juxta Sessionis in Signatura ordinem, suppleat impediti, seu absentis vices, ita exempli gratia subscribendo: *Pro D. Regente N. Datarius*. Si autem aliquis ex Procuratoribus, aut Scriptoribus, legitime, ut supra, impeditus, vel absens fuerit, possit Major Pœnitentiarius, durante legitima absentiæ, vel impedimenti caussa, alium aliquem in ejus locum assumere, seu subrogare, præstito solito juramento, & cum iisdem obligationibus, quibus alii Procuratores, & Scriptores titulati obstringuntur.

In Signatura Pœnitentiariæ, quæ alternis fere hebdomadis, die per Majorem Pœnitentiarium designanda, haberi solet, interesse debent, ipso Majori Pœnitentiario præsidente, omnes prædicti Officiales, Scriptoribus exceptis. In ea vero, singulis Procuratoribus demandatas sibi petitiones referentibus, easibusque præsertim dubiis reliquorum sex Officialium consultatione discussis, & examinatis, & cum maturo omnium judicio decisis, congruum Rescriptum a Regente propria manu breviter unicuique petitioni subjicietur, latius deinde a Procuratoribus explanandum.

Secreto potissimum, & gratis, quæ laus est maxime propria hujus officii, negotia quæcumque in eo expedienda esse, omnes, & singuli prædicti Officiales intelligant. Itaque super rigorosa utriusque capitis observantia sancte jurabunt, juxta præscriptam formulam, quæ est: *Ego N. Regens ab hac hora in antea ero fidelis, & obediens Beato Petro, & Domino Nostro Papæ, ejusque Successoribus canonice intrantibus: Officium meum fideliter exercebo, & gratis; ejusque ratione nihil ab aliquibus, etiam sponte oblatum, vel donatum, accipiam, præter quam salarium mihi constitutum: Secreta Sacræ Pœnitentiariæ, & occultos casus, ac personas, de quibus in ea tractabitur, numquam cuiquam extra Officium revelabo, & ita juro ad Sacrosancta Dei Evangelia*. Quod juramentum unusquisque, cum primum ad suum munus exercendum admittetur, in manibus Majoris Penitentiarii præstare debebit; atque insuper omnes, singulis annis, in prima cujusque Signatura iterabunt. Qui autem juratum secretum violaverint, non levius punientur, quam Presbyteri Confessiones peccatorum prodentes. Qui vero, contra alteram juramenti partem, aliquid vel minimum a partibus, aut aliis, sive celerioris expeditionis, sive extraordinarii laboris in procurando, aut scribendo, aut recognoscendo, aut examinando, sive alio quocumque titulo, aut colore, acceperint, officio suo privati ipso facto censeantur, & excommunicationis sententia innodati, cujus nequeant absolutionem ab alio, quam a Romano Pontifice, extra mortis articulum, obtinere. At si hujusmodi crimen admisisse convicti fuerint, præter censuras, & pœnas contra talia admittentes superius, aut alias quomodocumque propositas, non solum officiorum suorum privationem incurrant, sed ad futura etiam inhabiles, & infames reputentur, prout Nos illos ipso facto privatos, inhabiles, & infames harum etiam tenore declaramus.

Caveant præterea, ne officiorum suorum exercitio cum fraude, aut dolo, aut ullius generis captione se gerant, neve ipsi Partibus quicquam dolose, & fraudolenter suggerant, quo facilius optata impetrare possint, sed petitiones dumtaxat justas, rationabiles, & honestas proponant. Quod si dolum, aut fraudem fecisse convicti fuerint, eodem modo, ac de accipientibus munera superius constituimus, ultra pœnas alias talibus indictas, privationem Officiorum, inhabilitatem, & infamiam pariter incurrant.

Officia omnia memorata perpetua sint, durante obtinentium vita; neque, secluso casu legitimæ privationis, cujus occasionem, & caussam perpetuo abesse vehementer optamus, & in Domino confidimus, aliter vacare censeantur, quam per liberam, puramque ipsorum dimissionem, vel per promotionem ad Cardinalatum, aut Episcopatum residendi onus afferentem, vel per translationem ad aliud ejusdem Pœnitentiariæ officium. Omnium vero prædictorum officiorum in ipso Pœnitentiariæ officio constitutorum venditionem, aut quamvis aliam dispositionem ad tacitam, vel expressam ea dimittentium voluntatem, districte prohibemus. Sed illa omnia probis, & peritis Viris, gratis omnino, & sine ulla dimittentium, aut aliorum quorumcumque gratia, & acceptione concedantur. Quod si secus factum fuerit, quæcumque concessiones de illis pro tempore factæ, irritæ sint, ac nullius roboris, vel momenti.

Cum autem æquum non sit, Officiales hosce haud mediocriter laboraturos, congruis honorariis destitui; emolumenta iisdem a Prædecessoribus Nostris Romanis Pontificibus jamdiu constituta omnino salva, ac firma esse volumus, & mandamus. Singulis proinde Officialibus prædictis pendantur in singulos menses auri scuta, Regenti quidem vigintiquinque; Datario vero, & Correctori, ac Sigillatori quindecim, addito eidem Sigillatori proventu e qualibet Bulla per Collegia Minoris Gratiæ expediri solita, inferius explicando; Theologo autem, & Canonistæ decem; Procuratorum cuique duodecim, & unicuique Scriptori sex. Tribuantur præterea omnibus charta, attramentum, cera, capsula, cordulæ, aliaque id genus hactenus subministrari consueta.

Si quando eveniat, ut aliquis e sex Majoribus Officialibus absens a Curia de mandato Romani Pontificis in Sedis Apostolicæ obsequio alibi occupetur, pergat, ut moris fuit, sua emolumenta præcipere. Interim vero Major Pœnitentiarius, facto verbo cum ipso Pontifice, alium aliquem ei substituere poterit, servatis debitis formis, & conditionibus; atque huic ita substituto conveniens aliquod emolumentum e Pœnitentiariæ proventibus assignare. Simili autem Substituto Procuratoris, vel Scriptoris quamvis ex caussa legitime impediti, par emolumentum obveniat, ac titulato ipsi Procuratori, sive Scriptori. Cum vero aliquod vel Procuratoris, vel Scriptoris officium per aliquod tempus vacare contigerit, reliquis, quibus interea labor accrescit, æquum est, ut simul pro rata parte proventus vacantis accrescant.

Extraordinarios porro Scriptores liceat Majori Pœnitentiario, pro excedente nonnumquam expeditionum multiplicitate assumere; dummodo supradictis qualitatibus, quas pro Ordinariis requiri decrevimus, minime careant, ac juramentum ipsis Ordinariis præscriptum præstent. E re tamen Pœnitentiariæ erit, ne hujusmodi nimis multi admittantur, utque convenientia demandatis laboribus subsidia, quæ prudenti ejusdem Majoris Pœnitentiarii arbitrio taxanda relinquimus, eisdem persolvantur.

Post recensitos demum Officiales, ordinationesque circa eorum singulos hucusque statutas, mentio facienda est de Ministro illo, qui Pœnitentiariæ Capellanus nuncupari solitus, in ejusdem ministerium serius adscitus est. Is itidem aut Presbyter, aut in Sacro aliquo Ordine constitutus, a Majori Pœnitentiario eligi, atque Aulæ, in qua Signatura Pœnitentiariæ habetur, Janitorem agere, ideoque & ceteris impositum juramentum præstare debebit. Dies etiam, & horas tam Signaturæ ipsius, quam aliarum omnium Pœnitentiariæ functionum, a Majori Pœnitentiario præfinitas, datis ad singulos Officiales schedulis, indicet, & curam indicendorum concursuum pro electionibus Procuratorum, & Scriptorum exercebit. Quod quidem Nos munus, adnexumque eidem emolumentum scutorum auri trium in singulos menses, auctoritate Nostra comprobamus, & confirmamus & quatenus opus sit, de novo erigimus, concedimus, & constituimus.

Ad œconomicum nunc Pœnitentiariæ statum curam Nostram intendentes, in primis, quod sæpedictus S. Pius Papa V. decrevit in supracitata Constitutione, quæ incipit, *In earum rerum commutatione*, ut scilicet emolumenta ejusdem Officii Pœnitentiariæ, inter Majorem Pœnitentiarium, ejusque Officiales, juxta præscriptam formam distribuenda, ex expeditionibus Collegiorum Minoris Gratiæ perciperentur: id ipsum cum limitatione inferius danda, adprobamus, & confirmamus: supramemoratum Pœnitentiariæ Sigillatorem ab onere administrandi hujusmodi emolumenta, quod ipsi potissimum in eadem Constitutione impositum fuit, minime liberantes; non obstante quacumque in contrarium consuetudine antehac introducta, & per quantumvis longum temporis spatium servata, vel etiam Prædecessorum Nostrorum auctoritate, aut expressa, seu etiam scripta dispositione comprobata. Cui Sigillatori nihilominus permittimus, ut, sicuti deinceps in morem inductum fuit, hujusmodi munus possit per alium, idest per Pro-Sigillatorem, modo tamen, & forma inferius exprimendis, exercere.

Pro-Sigillator igitur a Majori Pœnitentiario eligetur, Vir celebris, & prima saltem, Tonsura insignitus, ætate matura, morum probitate, scientiaque ad suum obeundum munus necessaria præditus, quique bona in Urbe habeat vel idoneam cautionem, seu fidejussionem exhibeat, ut si quod ejus culpa damnum Pœnitentiariæ obvenerit, haud desit unde resarciri queat. Duplex porro erit hujusmodi Pro-Sigillatoris munus, alterum nempe Exactoris, & Administratoris proventuum Pœnitentiariæ, & alterum Registratoris non unius generis rerum, quæ infra exprimentur: eaque munera, sub Sigillatoris directione, & cum ea, qua par est, fide, & diligentia exercebit, sequenti ratione.

In omnibus expeditionibus, quæ per prædicta Collegia Scriptorum, & Procuratorum Minoris Gratiæ fiunt, tam Supplicationes a Procuratoribus confectas, quam Bullas desuper exaratas capiet, illas quidem in Cancellaria, has vero in Bullaria post subjectum plumbum. Deinde, cum utrasque Domi suæ inter sese accurate contulerit, Supplicationes apud se retinebit, Archivio inde inferendas; omnes vero Bullas in particulari libro, *a Taxis* nuncupato, sub sui quamque Procuratoris nomine adnotari, tum easdem in Regesto quamcitissime, ne expeditiones retardentur, describi, atque ita regestratas ad exemplum de more conferri curabit; & proprio nomine singulis Bullis subscripto, eas tradet supradictorum Collegiorum Depositario,

cui

cui ab Expeditoribus emolumenta legitime taxata persolventur. Post hæc idem Pro-Sigillator, cujusque mensis dimidio, rationes, seu computa habebit cum unoquoque Minoris Gratiæ Procuratore, super Bullis ejusdem Procuratoris cura in proximo superiori mense expeditis; ad hoc ut quilibet Procurator prædicto Depositario suum dirigat mandatum solvendi portionem ad Pœnitentiariam spectantem, juxta Taxas a Prædecessoribus Nostris adprobatas.

Depositarius autem hujusmodi solutionem in hunc modum excipiet: Diriget nempe mandatum, seu Ordinem ad Provisores Montis Pietatis (in quo quidem Monte ipsa summa Pœnitentiariæ debita deponenda erit), ut ii eamdem summam Pro-Sigillatori solvant, ad effectum, in ipso semper Ordinis contextu exprimendum, ut hic eam ipsam ibidem relinquat ad creditum Pœnitentiariæ, & ad dispositionem Majoris Pœnitentiarii. Quem quidem Ordinem Pro-Sigillator re ipsa transferet ad dictum creditum, & dispositionem, alioquin de damno tenebitur. Postea Major Pœnitentiarius sua mandata, seu ordines conficiet de summis ex prædicto Deposito solvendis, tam pro honorario Officialium, seu Ministrorum, quam pro aliis quibuscumque ejusdem Pœnitentiariæ oneribus, & expensis. Hunc enim modum exigendi, deponendi, & solvendi præscriptum a fel. rec. Clemente Papa XII. Prædecessore Nostro per suum Chirographum editum die 11. Februarii anni 1736. Nos quoque adprobamus, & confirmamus, atque in posterum inconcusse servari volumus, & mandamus.

Neque hic omittendum ducimus, quod, deductis a prædicta summa ex expeditionibus Collegiorum Minoris Gratiæ redigenda, atque in Monte Pietatis deponenda, emolumentis, atque honorariis prædicto Nostro pro tempore Majori Pœnitentiario, atque Officialibus, ceterisque Ministris Pœnitentiariæ persolvendis, aliisque expensis, & oneribus in eadem Pœnitentiaria occurrentibus, & prudenti Majoris Pœnitentiarii arbitrio determinandis, quidquid reliquum ex dicta summa erit, id totum, & integrum cedere omnino debet Hospitio Pauperum Invalidorum S. Michaelis de Urbe, juxta applicationem eidem Hospitio factam per fel. record. Innocentium Papam XII. data Constitutione sub die 3. Kalendas Junii anni 1693. quam applicationem ab aliis Prædecessoribus Nostris confirmatam, Nos quoque firmam, & ratam esse volumus, & mandamus & quatenus opus sit, iterum auctoritate Nostra statuimus, & innovamus.

Ad reliqua vero supradicti Pro-Sigillatoris Officia redeuntes, statuimus, ut ultra prædictam summam ipsi Pœnitentiariæ Officio assignatam, & debitam, ex iisdem expeditionibus Minoris Gratiæ exigat, nomine peculiari Sigillatoris, & pro ipso Sigillatore, obolos octo e qualibet Bulla. Ex quo Sigillatoris speciali proventu detrahet quolibet mense scuta monetæ vigintiduo, pro mercede persolvenda Registratoribus, seu Revisoribus, sub ipso Pro-Sigillatore laborantibus; qui esse quatuor solent, ordinarii duo, totidemque adjuncti: & primis quidem duobus, a Majori Pœnitentiario deputatis, solventur in singulos menses scuta duodecim, reliqua decem relinquentur ipsimet Pro-Sigillatori, qua Registrator etiam est, ut superius innuimus, ad hoc, ut pro suo libitu de duobus aliis adjunctis provideat.

Præter Regesta vero supradicta, seu Libros ad expeditiones Minoris Gratiæ pertinentes, idem Pro-Sigillator Regestum, seu Regesta alia servabit, in quæ referentur Suprema Romanorum Pontificum, aliaque Majoris Pœnitentiarii, & Signaturæ Decreta, necnon omnia quæcumque Instrumenta, vel Documenta, statum Æconomicum Pœnitentiariæ concernentia. Litteræ item Patentes Majoris Pœnitentiarii de Officialium, aliorumque Ministrorum electione; denique alia quælibet ad publicum Pœnitentiariæ regimen, & statum spectantia; veluti Bullæ Institutionis, Reformationis, Facultatum, Officialium, aliorumque hujusmodi, Brevia item electionis Majoris Pœnitentiarii, Chirographa, atque alia his similia. Quorum omnium sua sub cura, & cum periculo suo conservandorum, ne quid lapsu temporis pereat, neglectumve jaceat, authenticum Inventarium, ac Regestum conficere teneatur; cui quidquid postea additum, statutum, concessum, seu vetitum erit, id totum qualecumque quamprimum adscribetur: & sic deinceps hæc omnia in futurorum Pro-Sigillatorum fidem, cum eisdem conditionibus & periculis, deponantur.

Jam vero emolumenta Pro-Sigillatoris erunt, primo annua scuta monetæ quadraginta, eidem solvenda a Pœnitentiaria, intuitu Domus conducendæ pro servandis Regestis, seu Libris supradictis. Item consuetæ olei pro ascendis luminibus in singulos menses mensuræ. Tum supradicta menstrua pensio, eidem, tamquam Registratori, a Sigillatore de propriis proventibus persolvenda. Demum varia quædam ipsi obvenientia a Minoris Gratiæ expeditionibus, sive illarum occasione, quæ in summam certam redigi nequeunt; in quibus tamen percipiendis non ei licebit excedere mensuram per legitimas taxas, & per probatum Curiæ stylum pro singulis actibus, seu corrigendi, seu sumpta, ut vocant, trahendi, seu aliis, si qui sunt, præscriptam, & definitam. Prædictis autem emolumentis futuri quilibet Pro-Sigillatores contenti esse debebunt, quibuscumque in contrarium non obstantibus.

Archivum porro Pœnitentiariæ, quod Prædecessorum Nostrorum providentia in Apostolicis nostris Ædibus Vaticanis collocatum reperitur, cujusque præcipuam curam, inhærentes sæpe memoratis dispositionibus S. Pii Papæ V. inter munera Sigillatoris superius connumeravimus, ita ipsius Sigillatoris studio, & vigilantia administrabitur, ut ea quidem, quæ vel ad expeditiones Minoris Gratiæ, vel ad publicum Pœnitentiariæ statum, & regimen pertinent, quæque a Pro-Sigillatore, ut supra, asservari, seu respective describi, & regestari debere decrevimus, possit eidem Pro-Sigillatori in Archivo prædicto disponenda, & conservanda committere: hic autem demandatum sibi munus, ea qua par est, diligentia, & fide implere teneatur.

Quæ vero negotia per Pœnitentiariam ipsam, juxta facultates suas ordinarias, vel etiam virtute specialium Oraculorum Romani Pontificis, in particularibus quibusdam casibus occurrentium, per ejusdem Pœnitentiariæ Procuratores, seu Secretarios expediri solent; eorum omnium quæcumque conservari monumenta oportebit, veluti Supplicationes, & alia, quæ in superius dictis circa Scriptorum munera attigimus, ea omnia in altera parte ejusdem Archivi, sed in Armario, seu Armariis clausis, & obseratis seposita, conservantur & custodiantur, sub cura solius Sigillatoris. Qui tamen in hoc uti poterit opera, & auxilio Procuratorum Pœnitentiariæ, quorum etiam alicui dictorum Armariorum clavem dare poterit retinendam. Sedulo autem curare debebit, ut, eorum omnium, quæ in hac secretiori Archivi parte custodientur, suum quoque Inventarium, ac Regestum conficiatur; cui similiter, quæ supervenerint, adscribantur.

Sed illud inviolate servari statuimus, ac præcipimus, ut si quando contigerit, etiam ad partium, vel aliorum quorumvis instantiam, aliquid in prædicta Archivi secreta parte, vel ad sumpta, seu duplicata conficienda, vel alia quavis de caussa requiri, & inveniri oportere; tunc illum omnem laborem Sigillator, seu Procuratores, gratis omnino impendere debeant; nihilque aut ratione itineris, vel laboris quantumvis extraordinarii, in quærendo, describendo, aut alio quocumque titulo, possint a partibus, vel aliis accipere; etiamsi agatur de materiis ad forum externum mixtim, vel separatim pertinentibus; Sacrosanctum enim hoc esse volumus, & inviolabile, ut nihil penitus, quod per Officiales Pœnitentiariæ Nostræ Apostolicæ faciendum est, aliter quam gratis fiat.

Ac ne quid desiderari possit, quod ad Archivi ejusdem perfectionem, utiliumque scriptorum conservationem conducat, opportune commendamus, atque monemus, ut quotiescumque evenerit cujuspiam Officialis Pœnitentiariæ, vel obitus, vel officii dimissio, tunc Sigillatori prædicto curæ sit, vel per se, vel per aliquem ex Procuratoribus, seu Secretariis, Libros, & scripta recuperare, si qua ille penes se habuerit, vel Pœnitentiariæ propria, vel de rebus ejus secretis agentia; ac parum utilibus igni traditis, cetera vel Archivo committere, si eo loco digna sint, vel Successori, alterive Officiali utenda concedere.

Et quia publicæ rei vehementer interest hujusmodi Archivorum bonus status, & conservatio; ideo volumus, ut quotannis vel Major Pœnitentiarius ipse per se, vel Sigillator prædictum Archivum visitet, & sedulo recognoscat tam partem obseratis Armariis compositam, adhibito etiam, quoad hanc partem inspiciendam, uno saltem e Pœnitentiariæ Procuratoribus; quam partem alteram Pro-Sigillatori commissam; visitando insuper Scripturas, Libros, Regesta, aliaque necdum Archivo illata, sed adhuc penes eumdem Pro-Sigillatorem retenta; cujus visitationis relatio postea Majori Pœnitentiario, si ipse per se non visitaverit, fieri quamprimum debeat.

Depulsa igitur e Pœnitentiariæ Nostræ saluberrimo Officio confusione qualibet, aut minus ordinata permixtione functionum, ipsiusque Officii nitore, ac puritate adversus cujusque labis periculum diligentius circummunitis, omnes, & singulos in eadem Pœnitentiaria laborantes hortamur in Domino, & enixe monemus, ut pro se quisque piam, castamque mentem ad impositum sibi munus obeundum pro Dei æterni gloria, & Christifidelium salute acriter intendant, & pro virili parte conentur, ut cuncta prospera, & hoc tanto Officio digna succedant, Sedesque Apostolica piis bene gestis condignæ laudis præconio in singulis Christiani Orbis partibus plenius celebretur.

Decernentes præsentes Litteras, etiam ex eo, quod Major Pœnitentiarius, ac prælatæ Pœnitentiariæ Regens, aliique Officiales, & Ministri prædicti, ac alii quicumque in præmissis quomodolibet interesse habentes, seu habere prætendentes, eisdem præmissis non consenserint, aut vocati, seu auditi non fuerint, aliaque quavis de caussa quantumvis legitima, & juridica, de alio subreptionis, vel obreptionis, seu nullitatis vitio, aut intentionis Nostræ, vel alio quocumque defectu notari, impugnari, redargui, retractari, in jus, vel controversiam revocari, nullatenus posse; sed semper, & perpetuo validas, firmas, & efficaces existere, & a Majori Pœnitentiario, Regente, ceterisque Pœnitentiariæ Officialibus, & Ministris prædictis, aliisque, ad quos spectat, & pro tempore spectabit, inviolabiliter observari; sicque per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, quavis auctoritate fungentes, etiam Caussarum Palatii Apostolici Auditores, & Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardi-

nales

nales etiam de Latere Legatos, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, ubique judicari, & definiri debere; irritumque quoque, & inane, quidquid secus super omnibus, & singulis præmissis, vel circa ea, a quoquam, quavis auctoritate, scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Non obstantibus, quatenus opus sit, Nostra, & Cancellariæ Apostolicæ regula *de jure quæsito non tollendo*, necnon duabus præmissis S. Pii Papæ V. Prædecessoris Nostri, & aliis quibuscumque Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, & dictæ Pœnitentiariæ etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis alia firmitate roboratis statutis, & consuetudinibus quibuscumque, ac quibusvis vivæ vocis oraculis, privilegiis, Indultis, & Litteris Apostolicis ejusdem Pœnitentiariæ Officio, illiusque Majori Pœnitentiario, ac Officialibus, & Ministris, & quibusvis aliis sub quibuscumque tenoribus, & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, & insolitis clausulis, & decretis in genere, vel in specie, etiam Motu proprio, & alias quomodolibet per Prædecessores Nostros Romanos Pontifices, ac etiam per Nos ipsos concessis, innovatis, confirmatis, & approbatis. Quibus omnibus, & singulis; etiamsi pro sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, individua, & expressa, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores hujusmodi, ac si de verbo ad verbum nihil penitus omisso, & forma in illis tradita observata, iisdem præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, & insertis habentes, ad effectum præsentium, illis alias in suo robore permansuris, harum serie derogamus &c. &c.

B U L L A   O C T A V A.

Litteræ jam editæ adversus Confessarios exquirentes a Pœnitentibus Complicum nomina confirmantur, & pœnæ in delinquentes statuuntur, cum præfinitione ordinis procedendi in hujusmodi Caussis.

Extat in Tom. II. sub num. VIII. datæ die 11. Junii, anno 1746. Pontificatus vero anno VI.

UBi primum de perversa quadam, & absurda praxi in Sacramento Pœnitentiæ administrando apud nonnullos Confessarios in Portugalliæ, & Algarbiorum Regnis introduci cœpta, non sine animi nostri dolore, nuntium accepimus non levi aliquo, incertoque rumore ad Nos perlatum, sed ita gravibus, solidisque fundamentis innixum, ut prudentem omnino fidem de periculi cum veritate, tum magnitudine facerent; prætermittere non potuimus, quin continuo datis ad Venerabiles Fratres eorumdem Regnorum, ac Ditionum Archiepiscopos, & Episcopos Apostolicis Nostris Litteris, remedium nascenti malo quampromptissima adhiberemus. Earum verum vero Litterarum die septima Julii superioris anni millesimi, septingentesimi, quadragesimi quinti editarum, quas præsenti huic Nostræ Constitutioni inserendas existimamus, Hic tenor erat:

BENEDICTUS PAPA XIV.

Venerabiles Fratres, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

SUprema omnium Ecclesiarum sollicitudo, & Divini Jesu Christi omnium Pastorum Principis, cujus vices plane immeritæ gerimus, caritas assidue urget Nos, ut pro commissa divinitus imbecillitati Nostræ Universi Dominici Gregis cura semper advigilantes, periculis animarum, sicubi forte superimpenderint, per omnes Christiani Orbis Populos, ac Nationes opportune, quantum cum Domino possumus, occurramus; atque iis præcipue Regnis, & Locis peculiari quodam Apostolicæ Nostræ Caritatis studio, auctoritatisque prudentia consulamus, in quibus, cum Fides, Religio, Pietas quammaxime floreant, callidus humani generis hostis nocere Fidelibus dum aperto bello desperat, per insidias molitur, in Angelum scilicet sese Lucis transfigurans, & ementita boni specie incautis illudens; qua ex arte non minora sæpe animarum detrimenta, quam ex aggressione manifesto, esse proventura nequissimus Venator confidit. In harum autem fraudum numero computamus, quod in florentissimis Portugalliæ, & Algarbiorum Regnis, & Ditionibus, quibus Vos Antistites, summa cum Sacerdotalis virtutis vestræ commendatione præsidetis, & quibus pro singulari erga Catholicam Ecclesiam, atque Apostolicam hanc Sanctam Sedem observantia meritæ debentur laudes, nuper evenisse non sine ingenti animi nostri dolore cognovimus. Pervenit enim haud ita pridem ad aures Nostras, nonnullos istarum partium Confessarios falsa Zeli imagine seductos passos, sed a zelo secundum scientiam longe aberrantes, perversam quamdam, & perniciosam praxim in audiendis Christifidelium confessionibus, & in saluberrimo Pœnitentiæ Sacramento administrando, invehere, atque introducere cœpisse; ut videlicet, si forte in Pœnitentes incidissent socium criminis habentes, ab iisdem Pœnitentibus Sacri hujusmodi, seu Complicis nomen passim exquirerent, atque ad illud sibi revelandum non inducere modo suadendo conarentur, sed, quod detestabilius est, denuntiata quoque nisi revelarent, absolutionis sacramentalis negatione, prorsus adigerent, atque compellerent; immo etiam Complicis ejusdem nedum nomen, sed habitationis insuper locum sibi exigerent designari. Quam illi quidem intolerandam imprudentiam tum procurandæ Complicis correctionis, aliorumque bonorum colligendorum specioso prætextu colorare, cum ementitis quibusdam Doctorum opinionibus defendere non dubitarent; cum revera opiniones hujusmodi, vel falsas, & erroneas sequendo, vel veras, & sanas male applicando, perniciem tum suis, quam Pœnitentium animabus consciscerent; ac sese præterea plurium gravium damnorum, quæ inde facile consecutura fore prævidere debuerant, reos coram Deo æterno Judice constituerent. Et vero jam secuta fuisse multa ejusmodi damna infelici experientia compertum est: nec fieri potuit, quin eadem caussa, & oblocutiones, & scandala, & non Ministrorum tantum, sed sacri etiam ipsius Ministerii odium, & animorum ingens conturbatio in Populo fideli exorta sint. Tristia Nos hæc nuntia cum accepimus, simul audivimus, contra exitialem hujusmodi abusum protinus justa indignatione pro munere suo commotos fuisse dilectos Filios Nostros Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales Nunum a Cunha in iisdem Portugalliæ, & Algarbiorum regnis Generalem Inquisitorem, & Thomam de Almeyda Patriarcham Lisbonensem, atque utrumque sollicite gliscenti malo compescendo, atque eradicando adlaborasse. Nos autem, ne in tam gravi animarum discrimine ulla ex parte Apostolico Nostro Ministerio deesse videamur, neve mentem hac super re Nostram apud Vos obscuram, & ambiguam esse sinamus: notum Vobis esse volumus memoratam superius praxim penitus reprobandam esse, eamdemque a Nobis per præsentes Nostras in forma Brevis Litteras reprobari, atque damnari tamquam scandalosam, & perniciosam, ac tum famæ proximorum, quam ipsi etiam Sacramento injuriosam, tendentemque ad sacrosancti sigilli Sacramentalis violationem, atque ab ejusdem Pœnitentiæ Sacramenti tantopere proficuo, & necessario usu Fideles abalienantem. Quapropter, Venerabiles Fratres, quamquam de Pastorali vestra vigilantia nihil est, quod dubitemus; supremi tamen officii quoque Nostri esse censemus, alacritatem ipsam vestram hac mentis Nostræ aperta significatione, & Apostolicis insuper hortationibus nostris incitatius acuere, & excitare, ut pro se quisque vestrum opportunioribus, quæcumque prudentia suggesserit, initis cautionibus, & efficacioribus quibusque justis remediis, quoad opus fuerit contra delinquentes Ministros adhibitis, noxiam hujusmodi novitatem strenue insectemini, ut pene nascentem opprimatis, neque patiamini tenditis curæ vestræ ovibus ibi offendiculum parari, ubi salus a Christo posita est, ab eoque Divinæ Misericordiæ fonte illas averti, ac deterreri, ad quem ab eodem Redemptore Nostro ad abluendas, dealbandasque in sanguine suo animas amantissime invitantur. Interea, dum a zelo vestro, ac prudentia luculentiora Nobis certo pollicemur vestræ pietatis, & observantiæ argumenta Apostolicam Benedictionem, cum uberrima cœlestium Charismatum copia conjunctam Vobis, Venerabiles Fratres, ex animo impertimur. Volumus autem, ut præsentium transumptis, sive exemplis etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsus ubique fides adhibeatur, quæ præsentibus adhiberetur, & adhiberi posset, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub annulo Piscatoris die 7. Mensis Junii 1746. Pontificatus Nostri anno V.

Has porro Nos Litteras in forma Brevis tunc datas iterum præsentibus Nostris confirmamus, & roboramus, easque ab omnibus, & singulis fideliter, exacteque observari injungimus, atque præcipimus. Statuentes insuper, ac decernentes, ut quicumque, cujusvis status, gradus, conditionis, dignitatis, & ordinis, etiam speciali, & individua, ad effectum, ut hisce Nostris præsentibus comprehendantur, mentione, & expressione digni, ausus in posterum fuerit docere licitam esse hujusmodi praxim, prout ea in relato Nostro Brevi exponitur, ac reprobatur; vel scribere, aut loqui præsumpserit; in ejusdem damnatæ praxis defensionem; vel ea, quæ in dicto Brevi contra eamdem praxim decreta sunt, impugnare, aut in alienos sensus temere detorquere, seu interpretari; incidat ipso facto in excommunicationem, a qua non possit, præterquam in articulo mortis ab alio, quacumque etiam dignitate fulgente, vel auctoritate suffulto, nisi a Nobis, vel pro tempore existente Romano Pontifice, absolvi.

Et quia non modo cavendum est, ac, quæ sunt a Nobis in præinsertis Litteris decreta, ab omni impugnatione, contradictione, pravaque interpretatione, salva sint, & immunia; verum etiam ne quis in Sacramenti Pœnitentiæ administratione ab eorum omnimoda observantia umquam recedat; idcirco omnibus, & singulis Confessariis, utriusque Cleri, tam Sæcularis, quam Regularis, quantumvis exempti, & quacumque speciali, & expressa mentione alias

fortasse

fortasse nominandi, graviter, & distincte Divini interminatione judicii, atque in virtute Sanctæ Obedientiæ, prohibemus, ne conformiter ad prædictam reprobatam praxim, Pœnitentes, qui peccatum, seu crimen aliquod, cujus socium, aut socios habuerint, ipsis in Tribunali Pœnitentiæ confiteantur, interrogare præsumant, de nomine Socii, seu Complicis, loco habitationis, vel aliis hujusmodi adjunctis, sive circumstantiis, expressionem, magisque individuam ejusdem Complicis manifestationem concernentibus, eidem Pœnitenti, si manifestare renuerit Sacramentalem absolutionem denegando; alioquin noverint sese, ultra peccati lethalis incursum, suspensioni ab officio audiendarum Confessionum, aliisque etiam gravioribus pœnis fore subjiciendos.

Præterea, quoniam contra damnatum hujusmodi exitialem abusum, ne cum animarum pernicie radices agat, necesse ducimus, modum, ac formam, etiam in foro externo procedendi, & ultrices adversus reos pœnas imponendi statuere, atque ordinare; omnesque super hoc exorituras, vel etiam jam exortas dissensiones componere, & penitus amputare; volumus, decernimus, ac declaramus, quod docentes, ut supra, licitam esse praxim a Nobis jam reprobatam, vel in ejusdem praxis defensionem scribentes, aut loquentes, vel ejusdem reprobationem in memorato Nostro Brevi contentam impugnantes, aut perverse interpretantes in Officio Sanctæ Inquisitionis prædictorum Regnorum, atque Ditionum severe puniantur, & contra eos, & eorum quemlibet in eodem Officio procedatur non minus, ac contra illos ibidem procedi solet, qui asserunt, tradunt, tuentur opiniones scandalosas, perniciosas, & uti tales a Sede Apostolica rejectas, & condemnatas.

Similiter in eodem Officio procedendum erit, & procedi volumus, ac statuimus contra Confessarios quoque, ut supra, delinquentes, ac de nomine Complicis Pœnitentem interrogantes, eidemque Pœnitenti, nisi illud sibi manifestet, absolutionem denegantes: dummodo tamen hujusmodi interrogandi, ac denegandi actus talibus circumstantiis conjunctus sit, ac convestitus, quæ sic agentem Confessarium de adhæsione ad prædictam reprobatam praxim, tamquam ad licitam, vel alio quovis modo de prava credulitate suspectum redderet.

Itaque contra prædictos omnes, & singulos delinquentes tam Sæculares, quam quorumvis etiam quomodolibet exemptorum, ac Sedi Apostolicæ immediate subjectorum Ordinum, Institutorum, Societatum, & Congregationum Regulares, cujuscumque dignitatis, ac præeminentiæ, aut quovis privilegio muniti existant, & quorum specialis, & nominatim mentio facienda sit, prædictorum Regnorum, ac Ditionum Inquisitores, potestate a Nobis tradita, quatenus opus sit, præsentium tenore de novo concessa, prout in caussis Fidei, juxta Sacrorum Canonum formam, necnon Sancti Officii Inquisitionis hujusmodi Constitutiones, Privilegia, Consuetudines, Decreta diligentes inquirant, & procedant, & quos in aliquo ex ejusmodi excessibus culpabiles repererint, in eos, pro criminum qualitate, & circumstantiis, suspensionis ab officio Confessionis audiendæ, vel etiam ab executione Ordinum, privationis Beneficiorum, Dignitatum, ac perpetuæ inhabilitatis ad illa, necnon vocis activæ, ac passivæ, si Regulares fuerint, aliasque pœnas decernant; omnes etiam, vel earum tantum aliquas in perpetuum, vel ad tempus infligendo.

Quicumque vero alium quemlibet aliquo ex suprадictis modis deliquisse cognoverit, eum, intra terminum dierum, in Edictis Sancti Officii ejusmodi Inquisitionis præfigi solitum, eidem Sancto Officio denuntiare teneatur; alioquin pœnas non Denuntiantibus per eadem Edicta infligi consuetas, incurrat. Verumtamen ab hujusmodi onere denuntiandi justis de caussis eximi volumus, & eximimus personam ipsam, Pœnitentem dumtaxat in caussa propria, idest in casu, quo suum peccatum confitens, a Confessario adigatur ad sibi manifestandum nomen Complicis in eodem peccato; tunc enim Pœnitentem hujusmodi ab obligatione eumdem Confessarium denuntiandi liberamus. Sed quando aliunde, quam ex propria, ut dictum est, Confessione, noverit Confessarium aliquo ex superius enumeratis, & Sancto Officio denuntiandis modis deliquisse; tunc eum & ipse denuntiare ex ista aliunde habita notitia teneatur.

Quod si Confessarii de Complicis nomine perperam interrogantis, absolutionemque ni sibi detegatur, denegantis actum contingat ejusmodi esse, ut, quamvis imprudens, & malus, simplex tamen quidam, & nudus actus fuerit, idest iis circumstantiis destitutus, quæ de prava credulitate, vel de mala adhæsione ad praxim in sæpe dicto Nostro Brevi reprobatam, tamquam ad licitam, eumdem Confessarium suspectum reddant; tunc istiusmodi delictum, neque denuntiationis oneri, neque Sancti Officii prædicti cognitioni subjectum erit; sed de illo cognoscere, atque in delinquentem Confessarium, per suspensionem ab audiendis Confessionibus, vel alias canonicas, & legitimas pœnas pro delicti modo animadvertere, ad Locorum Ordinarios in sua cujusque Diœcesi omnino spectabit.

His igitur circa ordinem, formam, modumque contra ejusmodi delinquentes procedendi, ut præfertur, constitutis, ac suis unicuique Judici Ecclesiastico Juribus assignatis, & distributis; hanc Nos deinceps regulam ab omnibus observari, ac custodiri volumus, & mandamus, si quando talia delicta deprehendi contigerit; quæ tamen haud umquam posthac eventura in Domino confidimus, accedente insuper præclara inclytæ Lusitanæ Nationis universæ erga Sedem Apostolicam observantia; & obedientia, necnon eximia tum istius Sanctæ Inquisitionis Officii, tum cujusque Loci Ordinariorum numquam defutura vigilantia. Quapropter quæcumque aliter, quam præsentibus Nostris decrevimus, & constituimus, sive in Edictis præfati Officii Inquisitionis, sive in quibuslibet quorumvis Ordinariorum Mandatis, aut Pastoralibus Litteris, vel Decretis antehac statuta prodierint, ea Nos, quoniam post Apostolicam hanc a Nobis propositam agendi, seu judicandi normam minus necessaria fore censemus, desinere jam, & cessare, ac, veluti numquam emanassent, omnem obligandi vim amittere, Motu proprio, & ex certa scientia, deque Apostolicæ potestatis plenitudine declaramus, statuimus, atque sancimus.

Decernentes easdem præinsertas, necnon præsentes Nostras Litteras, & in eis contenta quæcumque, etiam ex eo, quod quicumque cujusvis status, gradus, ordinis, præeminentiæ, & dignitatis existant, seu alias speciali, & individua mentione, & expressione digni, in præmissis interesse habentes, seu habere quomodolibet prætendentes, illis non consenserint, nec ad ea vocati, citati, & auditi, neque caussæ, propter quas tum præinsertæ, tum præsentes emanaverint, sufficienter adductæ, verificatæ, & justificatæ fuerint, aut ex alia qualibet etiam privilegiata caussa, colore, prætextu, & capite de subreptionis vel obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis nostræ, vel interesse habentium consensus, aliove quolibet defectu notari, impugnari, aut in controversiam vocari posse; sed ipsas præsentes, easdemque præfatas in forma Brevis Litteras firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, & ab omnibus, & singulis premissis, ad quos spectat, seu pro tempore spectabit exacte, & inviolabiliter observari.

Sicque, & non aliter in præmissis censeri, atque ita per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, & contra hæreticam pravitatem Generales Inquisitores, Legatos quoque de Latere, & Apostolicæ Sedis Nuntios, aliosve quoslibet quacumque auctoritate, potestate, & præeminentia fungentes, & functuros, sublata eis, & eorum cuilibet aliter judicandi, & interpretandi facultate, judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Non obstantibus quibusvis Apostolicis, & Universalibus, sive Provincialibus, aut Synodalibus Conciliis, Edictis generalibus, sive specialibus Constitutionibus, & Ordinationibus, Edictis quoque prædicti Inquisitionis Officii, & quorumcumque Ordinariorum, etiam Episcoporum, & Metropolitanorum Mandatis, Litteris Pastoralibus, sive Decretis, necnon ejusdem Officii, & quarumcumque Ecclesiarum etiam Episcopalium, & Metropolitanarum, & quorumcumque Ordinum, Congregationum, Religionum, & Institutorum, etiam Societatis Jesu, aliisve quibusvis, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, stilis, usibus, & consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, & Litteris Apostolicis eidem Inquisitionis Officio, illiusque Inquisitoribus, Commissariis, aliisque Officialibus, tum etiam Ecclesiis, eorumque Prælatis, Ordinibus, Congregationibus, Institutis, Societatibus, illorumque Superioribus, & personis quibuslibet sub quibusvis verborum tenoribus, & formis; & cum quibuscumque, etiam efficacissimis, & insolitis derogationibus, clausulis, atque Decretis, etiam Motu, & Apostolicæ potestatis plenitudine similibus, seu ad quarumcumque personarum, etiam regia, aliave qualibet mundana, vel Ecclesiastica potestate fulgentium instantiam, vel alias quomodolibet in contrarium præmissorum concessis, confirmatis, & innovatis.

Quibus omnibus, & singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione, de illis, eorumque totis tenoribus specialis, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores prædictos pro sufficienter, & de verbo ad verbum expressis, & insertis, formasque hujusmodi pro plene, & exacte observatis habentes, ad præmissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus.

Volumus autem, ut earumdem præsentium transumptis, sive exemplis, etiam impressis, manu Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides in judicio, & extra, ubique habeatur, quæ adhiberetur ipsis præsentibus, si forent exhibitæ, vel ostensæ, &c. &c.

BUL-

BULLA NONA.

Litteræ jam editæ adversus Confessarios exquirentes a Pœnitentibus Complicum Nomina, confirmantur, & ampliantur.

Extat in Tom. II. Bullarii sub num. 20. data die 28. Septemb. an. 1746. Pontificatus vero anno VII.

AD eradicandum pravum zizanii semen, quod ab adversario generis humani in Agro Dominico sparsum, per Lusitaniæ primum Regiones pullulare compertum fuerat, ubi nimirum apud nonnullos Confessarios, in administrando Sacramento Pœnitentiæ, perversa quædam, & absurda praxis, Ecclesiasticis regulis contraria, eidemque Sacramento injuriosa, & ad avertendos Fideles ab ipsius salutifero usu quam maxime tendens, introduci cœperat; pro imposito Nobis vigilandi debito, Apostolicas in forma Brevis Litteras direximus Venerabilibus Fratribus Archiepiscopis, & Episcopis per Portugalliæ, & Algarbiorum Regna, atque Ditiones constitutis, quas deinde per alias Nostras sub plumbo expeditas Litteras, nuper, quarto nimirum Nonas elapsi Mensis Junii, confirmavimus, & innovavimus, adjectis nonnullis ordinationibus, & declarationibus, quas ad meritas pœnas tam delinquentibus, quam contrarium tenentibus, sive docentibus irrogandas, & ad rectum, adversus eos procedendi ordinem in prædictis Regnis, & Ditionibus servandum, opportune expedire in Domino judicavimus.

Earum autem Litterarum, quas ad hujusmodi erroris, & abusus reprobationem primum edidimus hic tenor erat, *Suprema omnium Ecclesiarum, &c.*

„ *Hic sequitur Bulla quæ extat in Tom. I. Bullarii sub* „ *n. 134. quam nos omisimus, propterea quod eamdem numero repetitam tradidimus in altera quæ extat in To. 2.* „ *sub num.8. incipit* Ubi primum &c. *quamque in hoc Volumine sub eodem nu. 8. legere est.*

Quoniam vero nullam Pastoralis vigilantiæ cautelam superfluam esse ducimus, ubi de Fidelium Animarum pernicie, deque subvertenda sanæ doctrinæ integritate, & recta Sacramentorum administratione, periculum subesse dubitetur; neque vero ignoramus, alibi quoque auditas esse Pœnitentium querelas de importunis nonnullorum Confessariorum perquisitionibus pro investigandis Complicum nominibus, aliisque notitiis, juxta praxim in præinsertis Nostris Apostolicis Litteris relatam, atque damnatam; erroneas vero quorumdam Doctorum hac de re opiniones, vel pravas, aliorum recte opinantium interpretationes, & applicationes in eisdem Litteris enuntiatas, aliquibus arridere; nec satis eliminatas reputari per ipsas præmissas Litteras, quas, utpote ad Lusitaniæ Regnorum, atque Ditionum opportunitatem accomodatas, & pro iisdem solummodo emanatas, generalis definitionis, & legis vim, auctoritatemque habere ab aliquibus temere negatum fuit. Ideo Nos, Motu proprio, atque ex certa scientia, hujus Nostræ generalis sanctionis tenore, ac de Apostolicæ potestatis Nostræ plenitudine, easdem præinsertas Litteras iterum confirmantes, & roborantes decernimus, & declaramus, memoratam praxim in se ipsa, & ubique Locorum, ac temporum Apostolica auctoritate reprobatam, atque damnatam esse, & censeri debere; nec ulli licitum esse contra doctrinam in præfato Nostro Brevi contentam docere, scribere, aut loqui, eamque impugnare, aut perverse interpretari, vel ipsi actu contraire; sub pœnis adversus tuentes, asserentes, aut tradentes opiniones scandalosas, perniciosas & uti tales a Sede Apostolica rejectas, & condemnatas, & respective adversus contrafacientes mandatis Apostolicis, & Ecclesiasticis sanctionibus, statutis, atque præscriptis.

Decernentes easdem præinsertas, necnon præsentes Nostras Apostolicas Litteras, nullo ex capite, colore, aut prætextu, de subreptionis, obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis Nostræ, aut alio quolibet defectu notari, impugnari, aut in controversiam vocari posse; sed semper firmas, validas, & efficaces existere, & perpetuo fore, atque omnes ubique Terrarum cujusvis status, gradus, ordinis, præeminentiæ, & dignitatis, & tam Sæculares, quam quorumvis etiam quomodolibet exemptorum, ac Sedi Apostolicæ immediate subjectorum Ordinum, Institutorum, Societatum, & Congregationum Regulares quocumque privilegio munitos, aliosque etiam speciali mentione dignos, afficere, & arctare, ac suos ubique plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, & ab omnibus, & singulis, ad quos spectat, seu pro tempore spectabit exacte, & inviolabiliter observari debere.

Sicque, & non aliter per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos etiam S. R. E. Cardinales, & contra hæreticam pravitatem Generales Inquisitores, Legatos quoque de Latere, & Apostolicæ Sedis Nuntios, aliosque quoslibet, quacumque auctoritate, & potestate fungentes, & functuros, sublata eis, & eorum cuilibet aliter judicandi, & interpretandi facultate judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Non obstantibus quibusvis Apostolicis, & in Universalibus, sive Provincialibus, aut Synodalibus Conciliis editis generalibus, sive specialibus Constitutionibus, & Ordinationibus; Privilegiis quoque, Indultis, & Litteris Apostolicis, cuicumque Personæ, sive Ordini, Instituto, Societati, & Congregationi, sub quibuscumque tenoribus, & formis, & cum quibuslibet clausulis, atque Decretis, etiam Motu, & Apostolicæ potestatis plenitudine similibus, in contrarium forsan concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione, de illis, eorumque totis tenoribus specialis, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenore prædicto pro sufficienter, & de verbo ad verbum expressis, & insertis, formasque hujusmodi pro plene, & exacte observatis habentes, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus.

Ut autem eædem præsentes &c.

BULLA DECIMA.

Super designatione Confessariorum Extraordinariorum pro Monialibus.

Extat hæc Bulla in Tom. II. Bullarii sub nu. 56. dat. die 5. Augusti anno 1748. Pontificatus vero an. VII.

PAstoralis curæ Nobis impositæ munus, hanc inter alias, sollicitudinem a Nobis exposcit, ut pusillorum animis in afflictione, & angustia constitutis opportuna solatia, ac remedia afferre non negligamus, quorum ope interiorem conscientiæ tranquillitatem recuperare, aut conservare valeant, sine qua impossibile est debitam Omnipotenti Deo servitutem alacri, & prompta affectione exhibere. Hujusmodi angoribus, & afflictionibus confici passim constat religiosas Mulieres in Claustris degentes, quibus certus, & unicus Sacramenti Pœnitentiæ Minister a Monasterii Prælato ad tres ut minimum annos designari solet; cui si aliquando pro pudore, vel alia quapiam de caussa, non omnes conscientiæ suæ recessus aperire audeant, atque ideo Confessionis integritati detrahere incipiant, in barathrum perditionis æternæ se ipsas misere conjiciunt. Quod sane haud rare evenire satis Nobis exploratum, atque compertum est, tum ex iis, quæ in Apostolicæ Pœnitentiariæ Officio tractari vidimus, dum olim in Minoribus constituti plurium annorum spatio munus Doctoris in Decretis in eodem Officio sustinuimus, tum etiam ex iis, quæ in Episcopalis Anconitanæ primum, deinde in Metropolitanæ Bononiensis Ecclesiæ regimine, frequenti usu cognovimus; tum demum ex iis, quæ sæpius ad Nos in Petri Cathedra octavum jam annum Dei miseratione residentes, deferri contingit, sive ex parte diversarum hujusmodi Monialium, quæ animarum suarum angustias paternis oculis Nostris identidem subjicere coguntur, sive ex parte Venerabilium Fratrum Nostrorum Ecclesiarum Antistitum, qui Nobis earumdem Monialium in suis Diœcesibus existentium calamitates ex præallegata caussa ortas, aut viva voce, aut per Litteras non semel repræsentarunt, ac super ea re Apostolicæ Providentiæ opem postularunt. Hinc est, quod Nos earum spiritualibus indigentiis per hanc Nostram perpetuo valituram Constitutionem opportune prospicere volentes, non quidem intendimus consultissimam illam, & veteris disciplinæ auctoritate roboratam Legem tollere, aut abrogare, qua generaliter statutum esse dignoscitur, ut pro singulis Monialium Monasteriis unus dumtaxat Confessarius deputetur, qui Sacramentales Confessiones universæ earum Communitatis excipiat, neque liceat unicuique Moniali peculiarem Confessarium pro libito sibi deligere; sed hoc dumtaxat Nobis propositum est constituere, ut si quando generalis hujusmodi Legis rigor in peculiaribus casibus, non sine animarum detrimento, aut periculo, servari posse videatur, in promptu sit opportunæ dispensationis, & indulgentiæ remedia occurrentibus necessitatibus admovere.

Sane jamdudum Sanctus Thomas Aquinas Scholarum Princeps, Ecclesiæque Doctor *in supplemento tertiæ partis, quæst.8. art.4. ad sextum*, sive *in quartum Sententiarum*, ex quo Commentario desumptum est hujusmodi *Supplementum*, hoc Superioribus monitum dedit, ut Subditis suis, quibus certum, & unicum Confessarium designare solent, haud difficulter licentiam concedant confitendi peccata sua alteri Sacerdoti; propterea quod multi infirmi, & imbecilles animo reperiuntur, qui potius eligerent sine Sacramentali expiatione ex hac vita migrare, quam ipsa peccata certo alicui Sacerdoti a Superiore designato aperire. Jam vero Sacrosancti Concilii Tridentini Patres hanc legem districte sanxerunt *Sess.25. Cap.10. de Regular.* ut Episcopi, aliique Monasteriorum Prælati subjectis sibi Monialibus Confessarium extraordinarium duabus, aut tribus vicibus in singulos annos, exhibere debeant; per hæc verba: *præter ordinarium autem Confessorem, alius extraordinarius ab Episcopo, aut aliis Superioribus bis, aut ter in anno offeratur, qui omnium Confessiones audire debeat.* Quod quidem non alia de caussa præscriptum fuit, quam quia satis constabat, nonnul-

nonnullas aliquando Moniales esse, quæ nulla ratione adduci possunt, ut aliquod peccatum suum ordinatio Confessario confiteantur; adeo ut necesse omnino sit alterius Confessatii copiam ipsis suppetere, ut apud hunc de peccatis suis integre, rite, atque utiliter confiteri possint. Id ipsum probe animadvertit Magnus Ecclesiæ Dei Sacerdos Sanctus Carolus Borromæus, qui prædicti Concilii Tridentini absolutionem ope sua plurimum juvit, ejusque executionem, & observantiam in sua Mediolanensi Civitate, & Provincia, non sine immensis laboribus, & curis invexit. Is enim hac de re decrevit; *Præterea Superiores, ex Decreto Sacri Tridentini Concilii, quotannis idoneum Confessorem extraordinarium Monialibus sibi subjectis exibeant, cuicurent, ut Universæ confiteantur, ut quæ hujusmodi indigent medicina propter aliquem occultum animæ morbum, neque ipsæ eam postulare, aut accipere ab ustato Confessore umquam auderent, liberius mederi suis malis possint, ac Diaboli laqueos evadere, una cum reliquis Confessario novo sua peccata confitendo*, uti legere est in Actis Ecclesiæ Mediolanensis impress. an. 1599. p. 53. in Edition. autem Lugdunensi tom. 1. p. 46.

Porro quicumque Conciliaris decreti sensus penitus introspexerit, non modo salutarem illius providentiam facile agnoscet, sed & circumspectam ejusdem æquitatem mirari debebit. Superioribus enim tantummodo injungitur, ut duabus, tribusve vicibus infra annum Confessarium extraordinarium Monialibus exhibeant; *bis, aut ter in anno offeratur*. Hujusmodi autem Confessarius jubetur earum omnium Confessiones excipere, quotquot eidem confiteri velint; *qui omnium Confessiones audire debeat*. Neque tamen omnibus, & singulis Monialibus præcipitur, ut peccata sua extraordinario Sacerdoti confiteantur; nihil aliud enim requiritur ab omnibus in Monasterio degentibus, tam scilicet a Superiorissa, ceterisque Monialibus Professis, atque Novitiis, quam a Sæcularibus, quæ vel educationis caussa, vel alio titulo in eodem Monasterio cum debitis facultatibus commorantur, nisi ut extraordinario Confessario singulæ se sistant, sive ad Sacramentalem Confessionem apud ipsum, si placuerit, peragendam, sive ad salutaria monita, etiam extra Sacramentalem Confessionem, ab ipso accipienda. Atque ita prudentissime consultum est, ne, si Moniales aliquæ extraordinarium Confessarium adirent, aliæ autem coram ipso non comparerent, suspiciones, atque oblocutiones excitarentur; & illæ quidem censerentur necessarias habuisse caussas, ob quas ad extraordinarii opem confugere coactæ essent, aliæ vero ab hujusmodi necessitatibus, & caussis immunes judicarentur. Quam agendi rationem communi Doctorum calculo comprobatam, san. mem. Prædecessor Noster Clemens Papa XI. Edito suo (*quod est XV. in secunda parte ipsius Bullarii*) violabiliter servari mandavit, eamdemque omnium Diœcesum consuetudo recepit. Nec aliud Nobis hac in re addendum superest, nisi ut Venerabiles Fratres Nostros Ecclesiarum Antistites enixe hortemur, ut, quamvis Tridentina Synodus de solis Claustralibus Monialibus in præmisso decreto loquatur, nihilominus eamdem disciplinæ formam observent, tam cum aliis Monialibus, quæ, licet Clausuræ legibus minime adstrictæ sint, in communitate tamen vivunt, quam cum aliarum quarumcumque mulierum, aut puellarum Cœtibus, seu Conservatoriis, quoties tam illæ, quam istæ unicum Ordinarium Pœnitentiæ Ministrum a Superioribus designatum habeant. Quæcumque enim circa Moniales in rigorosa Clausura viventes cavenda sunt, eadem in aliis quibuscumque mulieribus sive Regularibus, sive Sæcularibus, in Communitate, aut Collegio degentibus locum habere possunt; ideoque pari providentia, iisdemque remediis arceri, aut emendari debent. Et Nos quidem, cum hanc consuetudinem offerendi Confessarios extraordinarios bis, aut ter in anno singulis tam Monialium non Claustralium Communitatibus, quam piis aliarum puellarum, & mulierum Cœtibus, & Communitatibus, in Nostra Civitate, & Diœcesi Bononiensi induxerimus (qua de re extat Edictum Nostrum nu. 56. inter Pastorales Institutiones Italico primum sermone a Nobis vulgatas, deindeque in Latinum conversas) omnibus testari possumus, vel potius debemus, uberem spiritualium utilitatum messem Nos inde evidenter collegisse.

Cum vero super relati Conciliaris textus intelligentia nonnullæ quæstiones alias excitatæ, eædemque jam pridem per opportuna Sedis Apostolicæ decreta definitæ fuerint; operæ pretium ducimus, hujusmodi definitiones ab omnibus, ad quos spectat, omnino tenendas, atque servandas, his Nostris Apostolicis Litteris complecti, & auctoritatis quoque Nostræ robore communitas, in prædictorum omnium notitiam deducere. Et primo quæsitum fuit, ad quem Superiorem pertineat extraordinarium Confessorem Monialibus deputare, atque offerre? Sed facilis fuit responsio, quam Nos quoque decreto Nostro ratam habemus; hujusmodi scilicet deputationem ad eum regulariter spectare, ad quem pertinet Confessarii ordinarii electio, & deputatio; ideoque Episcopus, sive Ordinarius Loci, qui Monialibus sibi subjectis Confessarium ordinarium dari consuevit, idem Confessarium extraordinarium bis, aut ter in anno, ad normam Tridentinæ sanctionis, eisdem offerre tenetur; Prælatus vero Regularis, ad quem pertinet ordinarium Confessarium subditis sibi Monialibus, servata Apostolicarum Constitutionum forma, designare, & constituere, ipse etiam eisdem extraordinarium Confessarium, in vim præfati decreti, & juxta easdem Constitutiones duobus, aut tribus per annum temporibus exhibere potest, ac debet. Quæ tamen ideo *regulariter* obtinere diximus, quia si Episcopus aliquis (quod Deus avertat) adeo in re negligens esset, ut Monialibus suis bis, terve in anno, extraordinarii Confessarii copiam facere prætermitteret, ostendens, ut moris est, nullam hac de re Monialibus ipsis sollicitudinem, aut curam esse; tunc volumus Dilectum Filium Nostrum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalem Modernum, & pro tempore existentem Majorem Pœnitentiarium, statim ac pro parte Monialium hujusmodi requisitus fuerit, Ordinarii Pastoris negligentiam supplere debere, eorumque Monasterio extraordinarium Confessarium, ex eorum tamen numero, qui ad excipiendas Monialium Confessiones ab ipso Ordinario Loci approbati fuerint, cum omnibus necessariis, & opportunis facultatibus concedere, & deputare. Quod si Prælatus Regularis eamdem Concilii legem de Confessore extraordinario bis, aut ter in anno Monialibus sibi subjectis exhibendo, similiter implere neglexerit; tunc locus fiet decreto Congregationis Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium ad ipsius Concilii interpretationem, & executionem auctoritate Apostolica deputatorum, quo scilicet eadem Congregatio ad quæstionem ab Episcopo Vercellensi propositam die 23. Augusti, anni 1631. rescripsit, ut infra: *Episcopus Vercellen. supplicat sibi responderi: an deputatio Confessarii extraordinarii Monialium Regularibus subjectarum spectet ad Ordinarium Loci? Sacra Congregatio censuit, ad Episcopum non pertinere, nisi in casu negligentiæ eorumdem Regularium*; ut videre licet Decret. Lib. 14. p. 493. Nec aliter respondit quæstionibus ab Episcopis Belgii exhibitis die 6. Aprilis anni 1647. ut legitur Decret. Lib. 18. pag. 397. Quæ quidem rescripta, & decreta, Nos etiam præsentium tenore, & Apostolica Auctoritate in omnibus, & per omnia approbamus, & confirmamus.

Cum autem Tridentina Synodus de universa quidem Monialium Communitate, ut supra, decreverit, sed nihil de singulis Monialibus statuerit; ut patet legenti Textum citati Capitis X. utque etiam jam usque ab anno 1575. judicatum fuit ab ipsa Congregatione Cardinalium Concilii Interpretum per subsequens Rescriptum, quod extat Decret. Lib. 4. pag. 90. *Sacra &c. censuit, extraordinarium Confessorem offerendum non alicui Moniali singulariter, sed omnibus Monialibus universe, ut omnium Confessiones audire debeat; in arbitrio tamen cujusque Monialis esse, ut Confessario extraordinario velit confiteri*. Hinc ortum habuit alterum controversiæ, seu dubitationis caput; an scilicet, ubi jam universæ Communitati bis, terve infra annum Confessarii extraordinarii copia facta est, & nihilominus aliqua Monialis Confessarium peculiarem extra ordinem sibi concedi perit, an, inquam, hujusmodi petitioni sit indulgendum? Id autem primo loco quæsitum fuit, proposito casu Monialis graviter ægrotantis, quæ in mortis periculo pro spirituali consolatione postulet, alium Sacerdotem, qui tunc non sit ordinarius Monasterii Confessor, suprema sibi Ecclesiasticæ pietatis Officia, & Pœnitentiæ Sacramentum ministrare. Huic annuendum facile esse prædicta Congregatio pluries judicavit, ut videre est ipsius *Decret. Lib. 18. pag. 322. a tergo sub die 6. Aprilis anni 1647.* & eodem Libro *pag. 586. die 22. Februarii* anni 1699. quæ pariter decreta a Nobis præsentium tenore approbantur, & confirmantur; ut scilicet Episcopi subjectis sibi Monialibus in gravi infirmitate constitutis, & id expetentibus peculiarem Confessarium concedere debeant; iidemque etiam idipsum præstent erga Moniales Regularibus Prælatis subjectas, cum aliqua ex illis a suo Superiore Regulari hujusmodi gratiam impetrare non potuerit. In hoc autem casu nihil statuitur de Cardinali Majore Pœnitentiario, non ideo, quia nequeat is pro singulis Monialibus idem facere, quod supra diximus eumdem pro toto Monasterio facere posse, sed quia tunc ob temporis angustias, interclusa præsumitur via recurrendi ad ipsius Officium. Quod si nihilominus ipsius adeundi tempus, & modus suppetat, ad eum pertineoit eadem prorsus ratione peculiaribus supplicantium necessitatibus providere, qua dictum est superius, universæ Religiosæ Communitati ab ipso consulendum esse.

Actum deinde fuit de peculiaribus quibusdam Monialibus, quæ nec corpore infirmæ, nec morti proximæ, ordinario tamen Ministro confiteri obstinate recusant. Istarum quoque animi debilitas commiseranda est, & sublevanda, adeoque ubi earum reluctantia superari nequeat, Confessarius extra ordinem deputandus est, qui earum Confessiones peculiariter excipiat. Id vero circa Moniales Episcopo, seu Ordinario Loci subjectas, ab ipso Ordinario præstari debet. Quod autem ad illas pertinet, quæ Regularium regimini sublunt, ad Regularem Prælatum pertinet, servatis servandis, peculiarem ipsis destinare Confessarium ex approbatis ab Ordinario ad Confessiones Monialium; vel, si Sacerdos ille, cui ejusmodi Monialis confiteri cupit, pro illis non sit approbatus, cum ipso Ordinario agendum erit, ut pro excipienda saltem illius Monialis Confessione,

& pro

& pro tot vicibus, quot expedire judicabitur, eumdem approbet. Sin autem contingat (neque id adeo rarum est) ut Regularis Superior ad concedendum hujusmodi Confessarium extraordinarium Moniali communem Confessarium recusanti nullo pacto adduci possit; jam huic casui provisum est per decretum anno 1573. a prædicta Congregatione Concilii editum, & a fel. record. Gregorio Papa XIII. tunc Apostolicum Thronum obtinente approbatum, & confirmatum, quod nunc iterum confirmationis Nostræ auctoritate roboramus. Decreti verba relata *Lib. I. Decretorum ipsius Congregationis p.66. a tergo*, hæc sunt: *Monialis per aliquod tempus noluit confiteri Confessariis Regularibus. Dubitatum fuit, an Episcopus Regiensis posset dare dictæ Moniali Confessorem alterius Ordinis Regularem, vel Sæcularem, cui illa semel, vel pluries confiteatur peccata sua, & a quo absolvi possit. Sanctissimus Dominus Noster etiam ex sententia Congregationis Concilii declaravit, dictum Caput decimum ita esse intelligendum, ut etiam possit Episcopus concedere Confessarium alterius Ordinis, vel Sæcularem.* Præterea nihil obstat, quominus ipsa Monialis recursum habeat ad Cardinalem Majorem Pœnitentiarium, a quo ipsi providendum erit, ut supra dictum est, per deputationem Confessarii ex approbatis ad Moniales, apud quem illa confiteatur.

Quæsitum denique fuit de Monialibus illis, quæ neque ægrotant, neque recusant ordinarium Pœnitentiæ Ministrum a Monasterii Prælato pro universa Communitate deputatum: verum pro majori animi sui quiete, atque ulteriori in via Dei progressu, facultatem petunt confitendi aliquoties Sacerdoti ad excipiendas Monialium Confessiones jam approbato. Qua de re non semel Nobis in Minori statu degentibus accidit, ut cum aliquibus Episcopis, aut Regularibus Monialium Superioribus agere debuerimus; porro in aliquos ex iis incidimus plus nimio severos, qui aspera quadam verborum brevitate respondebant, quod cum Moniali postulanti libera fuisset facultas confitendi extraordinario Sacerdoti, qui Universæ Communitati non semel eo anno jam datus fuerat, tunc oportebat eam conscientiæ suæ consuluisse. Quod si oblata commoditate uti noluerat, id sibi imputaret, neque pergeret Superiori molestiam afferre, ut peculiarem Confessarium extra ordinem ipsi concederet. Nobis autem objicientibus, Monialem hujusmodi ad Apostolicæ Pœnitentiariæ Officium facile recursum habituram, ibique haud ægre impetraturam id, quod ab ipsis Superioribus ei denegatum fuisset; iterum constanter respondebant extraordinarium hujusmodi Confessarium, post impletam ab ipsis erga universum Monasterium Tridentini Concilii legem, ab alio quidem concedi posse, sed a se numquam concessum iri.

At vero neque tunc Nobis arridebat, neque profecto nunc Nobis placet rigida isthæc agendi ratio; persuasum enim habebamus, adeoque habemus, non solum integræ Communitati, sed singulis etiam Monialibus indulgendum esse in iis rebus, quæ juste, & rationabiliter petuntur, maxime cum illæ ad earum conscientiæ quietem, & securitatem conferre dignoscuntur. Neque sane hujusmodi postulationes, aut temere exaudiri, aut sine caussa rejici debere censemus; sed inquirendum in primis esse de qualitatibus tum Monialis, quæ Confessarium extra ordinem petit, tum Confessoris, qui ab ea requiritur, ut utriusque diligenter inspectis deliberari possit, an illius votis annuendum sit, an non. Si enim Monialis ex una parte nullum det adversæ suspicioni locum, ex altera vero Confessarius non modo legitimam Ordinarii approbationem, sed etiam commune probitatis testimonium pro se habeat, nullo modo probare possumus tam firmum hujusmodi Prælatorum in renuendo propositum; nec intelligimus cur post Confessarium extraordinarium integræ Communitati, juxta legem Concil. Tridentini, oblatum, nulla omnino Monialibus singulis spes relinquatur obtinendi peculiarem Confessarium, cujus consilio, & opera, justis fortasse de caussis, indigere se arbitrentur. Non ita sane hac de re sentiebat sapientissimus ille Animarum rector S. Franciscus Salesius, cujus doctrinæ summam ex illius Operibus tum editis, tum manuscriptis collectam bon. mem. Joannes Petrus le Camus Episcopus Bellecensis justo volumine complexus est, cui titulum fecit: *Spiritus S. Francisci Salesii*. In hujus compendio, quod ex Gallico in Italicum sermonem conversum Venetiis anno 1745. pro quarta vice Typis editum est *part. 17. c.6.* aperte legitur, quod, cum Beatus Episcopus non ita intelligeret præmissum Concil. Tridentini Decretum, ut vetitum existimaret, Confessarium extraordinarium pluribus etiam, quam tribus in anno vicibus, Religiosæ Communitati offerre: quæ quidem sententia plures habet suffragatores, quos refert Diana *in Editione coordinata Tom.7. Tract. 1. resol. 348.* non solum solebat suis Monialibus Visitationis Sanctæ Mariæ Virginis quater in anno, videlicet in singulis hebdomadis Quatuor Temporum Confessarium extraordinarium deputare, verum etiam earum respectivis Superioribus commendatum reliquit, ut singulis Monialibus, quæ non ex animi levitate, neque ex indiscreta affectionis singularitate, Confessarium extraordinarium peculiariter peterent, haud se difficiles in eo concedendo præberent. Nec aliter se gerere consuevit Ven. mem. Gregorius Cardinalis Barbadicus Episcopus Patavinus; is enim, ut testatur illius quondam Vicarius Generalis Joannes Clericatus *in Tractatu de Pœnitentia decis. 41. n.7.* & Patrum Tridentinorum Decretum quoad omnia Monialium Monasteria in sua Civitate, & Diœcesi existentia quotannis reipsa exequebatur, & nihilominus exorari se patiebatur a Monialibus, quæ aliquando rationabilibus de caussis peculiarem pro se Confessarium expeterent. Hujusmodi regulis, & exemplis nostram quoque agendi rationem in spirituali Monialium regimine conformare curavimus, maximumque utilitatis, & quietis fructum Nos inde percepisse cognovimus. Quapropter Venerabiles Fratres Ecclesiarum Antistites, atque Dilectos Filios quarumcumque Religiosarum Mulierum Rectores hortamur in Domino, & enixe monemus, ut eamdem viam, quoad fieri potest, insistere non recusent, & non adeo difficiles se præbeant peculiaribus Monialibus extraordinarium Confessarium aliquando expetentibus; quin potius, nisi aut Monialis postulantis, aut Confessarii requisiti qualitas aliter faciendum suadeat, earum justis precibus obsecundare studeant: illud cogitantes, quod etsi liberum sit cuilibet Moniali Cardinalem Majorem Pœnitentiarium adire, cui ea in re facultas cumulativa cum omnibus Locorum Ordinariis a Romano Pontifice tribuitur; nihilominus ea est aliquando necessitatis urgentia, ut remedium, quod de longinquo petendum est, non satis tempestive adveniat. Et quamvis etiam quorumlibet negotiorum expeditiones, quæ in Officio Pœnitentiariæ Apostolicæ fiunt ab omni vel minima pecuniæ solutione inviolabiliter sint immunes; non omnibus tamen Monialibus facile est invenire, qui earum negotia in Urbe procurare velit, & possit.

Jam vero postrema superest quæstio, nimirum de qualitatibus Confessarii extraordinarii, qui vel pro universa Monialium Communitate, vel pro aliqua Moniali peculiariter deputari debeat. Porro nullo umquam tempore dubitatum fuit, an in hujusmodi Sacerdote ætatis maturitas, morum integritas, prudentiæ lumen requiratur; quas quidem dotes in eo, qui ad hujusmodi munus adhibetur, necessarias esse omnes fatentur: sicut etiam minime dubitatur, quin idem ab Ordinario Loci specialiter pro Monialibus approbatus esse debeat, cum hujusmodi approbatio ex Apostolicarum Constitutionum lege, omnino requiratur non solum in omnibus tam ordinariis, quam extraordinariis Confessariis, qui Monialibus, etiam Regularibus subjectis, ab earum respective Superioribus deputantur, sed etiam in iis, qui a Cardinali Majori Pœnitentiario conceduntur, etiam Apostolica Sede Vacante, quo nimirum tempore amplioribus is pollet facultatibus, ut videre est in Nostra Constitutione super illius facultatibus edita, quæ est 95. in Tom. I. Bullarii Nostri, ubi §. 54. eidem conceditur, ut Vacante Sede *Monialibus Confessarios extra ordinem valeat deputare, si eos ex aliqua rationabili caussa petierint pro earum libitu inter approbatos ab Ordinario ad audiendas Monialium Confessiones eligendos*. Quamobrem ad id dumtaxat redacta est controversia, an scilicet e Clero Sæculari, an vero e Regulari eligendus sit hujusmodi Confessarius? tum inter Regulares an assumi possit ex quolibet ordine alias permisso, an vero semper deputari debeat ex ipso Ordine Prælati Regularis, ad quem Monasterii regimen spectat?

Sane pro Monialibus Episcopo immediate subjectis, regula est, ut ordinarius earum Confessor sit Sacerdos sæcularis: extraordinarium vero ex Ordinibus Regularibus sæpissime assumi, apud plerosque Episcopos usu receptum esse constat; deficiente forsan per singulas Diœceses sæcularium Presbyterorum ad id muneris idoneorum copia. Regulares autem Prælati Monialibus sibi subjectis Confessarium ordinarium designant e suo ipsorum Ordine, extraordinarium autem etiam ex alio Ordine Regulari deputare possunt, juxta Decretum a sæpedicta Congregatione Concilii editum *die 26. Septembris anni* 1595. ac relatum *in Libro 3. Decretorum pag. 149. a tergo*, ubi sic legitur: *Sacra &c. respondit, Superiores Regulares teneri offerre Confessarium extraordinarium ejusdem Ordinis; alterius vero Ordinis posse quidem, sed non teneri*. Numquam tamen, quod meminerimus, ullum Sacerdotem Sæcularem, aut diversi Ordinis Regularem, vidimus a Regulari Prælato Monialibus sibi subjectis extraordinarium Confessorem deputari. Denique cum aliquando evenire possit, ut in casu negligentiæ Superioris Regularis, ad Episcopum, ut supra dictum est, pertineat deputatio Confessarii extraordinarii etiam pro Monialibus Regularium regimini subjectis, nulla ipse lege tenetur ad hujusmodi Confessarium eligendum ex eo Ordine, cujus est Monasterii Prælatus; sed tali casu liberum est illi, quemlibet idoneum Presbyterum Sæcularem, aut alterius Ordinis Regularem ad audiendas earum Monialium Confessiones deputare.

At cum superioribus annis Apostolicæ Sedi expositum fuisset, pluribus de caussis, iisque gravissimis, quas hic referre opus non est, non tam opportunum, quam plane necessarium videri, ut Monialium Monasteria Regularium regimini subjecta, semel saltem in anno Confessarium extraordinarium diversi Ordinis Regularem, aut e Sæculari Clero Presbyterum haberent, hujus rei examen, jubente fel. record. Prædecessore Nostro Innocentio Papa XIII. assumptum fuit a peculiari Congregatione ex quinque tunc existentibus S. R. E. Cardinalibus composita, cui Nos tunc in Minoribus

ribus constituti in Secretarii munere operam præstabamus; quæque per annum, & ultra, singulis hebdomadis cogebatur ad discutienda, & definienda complura Ecclesiasticarum quæstionum capita, quæ deinde inserta sunt in Apostolicis Litteris ab eodem Innocentio Prædecessore editis die 13. Maji anni 1723. quarum initium est: *Apostolici Ministerii*, quæ etiam a san. mem. Prædecessore quoque Nostro Benedicto Papa XIII. in forma specifica confirmatæ fuerunt per alias similes Litteras datas die 23. Septemb. anni 1724.

Cum autem negotia, quæ in ea Congregatione tractabantur, nullius privatas rationes attingerent, sed de restituenda potissimum Tridentini Concilii observantia in quibusdam Catholici Orbis Regionibus, ut ferebatur, non parum labefactata, unice ageretur; necessarium minime judicatum fuit, aliquem velut in judicium vocare, ad deducenda jura, si quæ sibi adversus illa, quæ decernenda viderentur competere forsan putaret. Sed Nostra peculiaris cura erat, ad singulas proposita capita totidem Dissertationes unicuique ex præfatis Cardinalibus exhibendas elucubrare, ad demonstranda videlicet fundamenta illius disciplinæ, quæ in usum revocanda censebatur. Nec aliter se res habuit, cum in eadem Congregatione, ut præfertur, in deliberationem venit, an decernendum foret, ut Regulares Monasteriorum Prælati, una saltem ex tribus vicibus, quibus extraordinarium Confessarium Monialibus sibi subjectis in annos singulos exhibere debent, aliquem Sæcularem, aut alterius Ordinis Regularem Presbyterum ad id deputare tenerentur, atque ipsis hac in re deficientibus, liberum esset Episcopis Locorum Ordinariis, eorum defectum supplere, & emendare.

Verum cum Regularibus innotuisset, a prædicta Congregatione conditum esse Decretum eorum intentioni contrarium, utpote qui minime adstringi volebant ad hujusmodi annuam deputationem Confessorum extraordinariorum e Clero sæculari, vel ex aliis Ordinibus; nonnullarum Religionum Procuratores Generales petierunt admitti ad deducendas rationes, quas hujusmodi decreto obstare putabant: cumque id facile impetrassent, ac suam, totiusque cœtus Regularium caussam per eximio illius temporis in Romana Curia Advocatos defendi curassent, sed nihilominus prædicta Cardinalium Congregatio in priori sententia permansisset: placuit præfato Prædecessori Innocentio, antequam Decretum hujusmodi approbatio sua confirmaret, aliorum Cardinalium sententias audire. Itaque exclusis illis omnibus, qui ex ipsius Pontificis deputatione, in præcedentibus Sessionibus per annum integrum negotia discusserant; aliisque advocatis Cardinalibus, quibus exhiberi secretu fecerat conscriptarum allegationum exempla; Nobis etiam adesse jussis, qui rationum momenta a priori Congregatione præ oculis habita, si opus esset, exponere possemus; novam Cardinalium Congregationem ex improviso curam se convocavit, in qua iterum proposita quæstio diligenter, ac mature discussa fuit; ac demum ipse Pontifex de ipsius Congregationis consilio, & assensu super hac re decrevit, ut sequitur: *Cumque ex eodem Concilio Tridentino Confessor extraordinarius bis, aut ter in anno offerri Monialibus debeat, qui omnium Confessiones audiat; si in posterum Superiores Regulares quoad Monasteria ipsis subjecta, toties prædictum extraordinarium Confessorem deputare neglexerint, vel si etiam ex proprio eodem Ordine semper deputaverint, nec saltem semel in anno ad id munus elegerint Sacerdotem aut Sæcularem, aut Regularem alterius diversi Ordinis Professorem, in his casibus Episcopi, pro sui arbitrio, & conscientia deputationem hujusmodi facere possint, nec illa quovis titulo, aut prætextu a Superioribus Regularibus valeat impediri.*

Præscriptum sane fuit hujusmodi Decretum ea occasione, qua agebatur de restituenda in certis quibusdam Regionibus Ecclesiastica disciplina ad formam Concilii Tridentini. Verum ipsius Decreti vigor ad eas dumtaxat Regiones minime restrictus fuit, cum & animarum pericula, quæ ex perpetua Confessorum ejusdem Ordinis deputatione timebantur, in omnibus Monasteriis Regularium regimini subjectis locum habere possint; & quæcumque adversus Decretum ipsum adducta fuerunt ex generalibus Ordinum statutis, & ex Constitutionibus Monialium Regularibus subjectarum, fuerint desumpta; cumque judicatum fuerit, ea omnia nequaquam obstare, quominus ita decerneretur, sequitur, ut, quamvis eidem Decreto caussam dederint peculiarium quarumdam Regionum necessitates Apostolicæ Sedi eo tempore expositæ, illud tamen generale sit, & Universos per Orbem Regulares Monasteriorum Monialium Prælatos afficere debeat. Cum vero deinde alter laudatus Prædecessor Benedictus XIII. Innocentii Litteras in forma specifica confirmaret, Nobis constat, illius mentem fuisse, ut hujusmodi Decretum universalis, & inviolabilis Legis vim obtineret. Super quo nihilominus ne ulla apud aliquos supersit dubitatio; Nos ipsi præsentium Litterarum vigore, ac Motu proprio, & certa scientia, deque Apostolicæ potestatis plenitudine ipsum relatum Innocentii Prædecessoris Decretum, statutum, mandatum, atque præceptum, ad omnia per Orbem ubique existentia, & Regularium regimini subjecta Monialium Monasteria, quatenus opus sit, expresse extendentes, & ampliantes; decernimus; atque statuimus, ut singulis annis, incipiendo a proximo millesimo, septingentesimo, quadragesimo nono a Nativitate Domini decurrendo, Regulares Monasteriorum Prælati teneantur bis, aut ter in anno Confessarium extraordinarium universis Monialibus in iis degentibus offerre; si vero ipsi forsan hujusmodi Confessarii extraordinarii deputationes intra præscripta tempora omiserint, vel semper proprii Ordinis Regularem Sacerdotem ad hunc effectum deputaverint, ita ut præfatæ Moniales semel saltem in anno Confessarium extraordinarium a Clero Sæculari, aut ex alio Ordine Regulari non habeant, ad Episcopos Diœcesanos omni appellatione remota devolvatur jus supplendi eorumdem Prælatorum defectum (si nempe pensatis rerum circumstantiis, ita expediens esse judicaverit) per deputationem Confessarii extraordinarii, quem tam in uno, quam in altero casu, aut e Clero Sæculari, aut ex alio Regulari Ordine, pro ipsorum arbitrio deligere possint, & valeant.

Quocirca dilecto Filio Nostro S. R. E. Cardinali Moderno Nostro, & pro tempore existenti Romani Pontificis in Urbe, ejusque districtu Vicario in Spiritualibus Generali, earumdem præsentium tenore committimus, & mandamus, ut hæc Nostra Decreta, atque Statuta tam in omnibus ejusdem Almæ Urbis Monasteriis, quæ Regularium regimini subsunt, quam in aliis quibusque Regularium, aut Sæcularium Mulierum, aut Puellarum Domibus, seu Collegiis, atque Conservatoriis, quibus unicus ordinarius Confessor a Superioribus deputari solet, in omnibus, & per omnia, juxta earumdem Litterarum præscriptum, exactissime observari, & adimpleri faciat, ne forte audiri contingat, quod cum magna animi nostri molestia dictum aliquando esse cognovimus, Apostolicas Constitutiones Romæ quidem ferri, & publicari, sed eas minime in ipsa Urbe ad effectum perduci.

Eamdem porro curam, & sollicitudinem injungimus, & demandamus Venerabilibus Fratribus Patriarchis, Primatibus, Archiepiscopis, & Episcopis per omnes Universi Orbis Ecclesias constitutis, quibus, ut satis perspectum putamus voluntatis nostræ studium tam in eorum rationabilibus querelis, justisque petitionibus suscipiendis, quam in corruptelis, quas irrepsisse indicaverint, eliminandis; idque non ex ingenio nostro quidquam statuendo, nec peregrinas novitates inducendo, sed veteres ut plurimum leges, & regulas vigili Prædecessorum Nostrorum providentia jampridem constitutas in pristinum, debitumque vigorem, & usum revocando: ita eosdem meminisse volumus, proprium Zeli pastoralis officium non in eo situm esse, ut adversus ea, que contra leges fiunt inutiliter deplorando declament, sed ut illa de medio tollere curent, adhibitis opportunis remediis in eum finem jam præstitis: implorato etiam Apostolicæ Sedis auxilio, ubi impedimentum aliquod eorum auctoritati, & legum executioni afferri contingat, omnesque diligentias, & curas, quas corrigendis abusibus ipsi fideliter impenderint, in irritum cedere videant.

Quoniam vero tam in superius allegato Clementis XI. Edicto, quam in Synodalibus plurium Episcoporum Constitutionibus statutum esse conspicimus, ut quo tempore extraordinarius Confessor alicui Communitati deputatus ministerio suo fungitur, Ordinarius Confessor nullum ipsi impedimentum afferre audeat, multoque minus præsumat per id temporis alicujus Monialis, sive Superiorissæ, sive Novitiæ, sive Conversæ, neque demum alterius cujuscumque Personæ intra septa Monasterii, aut piæ Domus commorantis, Sacramentalem Confessionem audire: Nos id quoque approbatione Nostra roborantes, & confirmantes, statuimus, & mandamus, ut Episcopi quidem, si de Monasteriis, aut Domibus eorum regimini subjectis agatur, Regulares autem Superiores, quod ad illas Communitates attinet, quibus ipsi præsunt, pro hujusmodi Legis implemento advigilent, & contravenientes meritis pœnis coerceant, & afficiant.

Ac demum quibuscumque Confessariis extraordinariis, qui vel alicui Communitati generaliter, vel peculiariter alicui Personæ in Monasterio degenti concessi, ac deputati fuerint, districte inhibemus, sub pœnis adversus accedentes ad Monasteria Monialium, & cum ipsis conversantes, præsertim Regulares a Prædecessoribus Nostris quandocumque statutis (quas etiam præsentium vigore confirmamus, & innovamus) ne postquam suum officium impleverint, ad idem Monasterium ulterius accedere, aut illius generis commercium intra ipsum quomodocumque continuare, & fovere, etiam sub spiritualis caussæ, aut necessitatis obtentu, & colore audeant, aut præsumant.

Decernentes, ipsas præsentes Litteras, atque omnia, & singula in eis statuta, atque præscripta, etiamsi quicumque in iisdem interesse habentes, seu habere prætendentes, ad id vocati, & auditi non fuerint, nec præmissis consenserint, aut alterius cujuscumque generis defectus forsan adversus eas objiciatur, semper, & perpetuo valida, & efficacia esse, & fore, & ab omnibus, ad quos spectat, atque in futurum spectabit inviolabiliter etiam perpetuo observari. Sicque, & non aliter in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Caussarum Palatii Apostolici Auditores, & S. R. E. Cardinalium Congregationes ordinarias, aut peculiariter deputatas, aliosque Cardinales, etiam de Latere Legatos, ac Vice Legatos,

& Apostolicæ Sedis Nuntios, judicari, & definiri debere; sublata eis, & eorum cuilibet aliter judicandi, definiendi, ac interpretandi facultate, & auctoritate; atque irritum, & inane decernentes quidquid secus a quoquam scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Non obstantibus quibuscumque etiam Apostolicis, ac Universalibus, Provincialibus, & Synodalibus Conciliis, editis generalibus, vel specialibus Constitutionibus, & Ordinationibus, nec non quarumcumque Ecclesiarum, & Ordinum Regularium, seu Congregationum, aut Societatum, & Institutorum, etiam Sancti Joannis Hierosolymitani, aliorumque Militarium Ordinum, seu Monasteriorum Virorum, aut Monialium, aliarumque piarum Domuum, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, usibus, & consuetudinibus, etiam immemorabilibus; Privilegiis quoque, Exemptionibus, & Indultis, etiam in corpore juris clausis, aut Litteris Apostolicis, cuilibet præmissorum, sub quibuscumque verborum tenoribus, & formis, etiam hic de necessitate exprimendis, ac cum quibusvis clausulis, & decretis, etiam irritantibus in genere, vel in specie, & derogatoriarum derogatoriis, quomodolibet in contrarium concessis, ac pluries confirmatis, approbatis, & innovatis: quibus omnibus, & singulis, hac vice dumtaxat, & ad præmissorum effectum, illis alias in suo robore permansuris, de Apostolicæ potestatis plenitudine derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque &c. &c.

BULLA UNDECIMA.

Tribunalis Sanctæ Inquisitionis in Portugalliæ, & Algarbiorum Regnis adjudicatur cognitio pertinentiæ *Caussarum contra Confessarios exquirentes a Pœnitentibus Complicum nomina cum denegatione absolutionis: eaque in re delinquentes, etiam sine suspicione pravi dogmatis, eidem Inquisitionis Officio denuntiari jubentur.*

Extat hæc Bulla in Tom. III. sub num. 13. data die 9. Decembris ann. 1749. Pontificatus vero anno X.

Apostolici Ministerii Nostri partes non minus esse putamus, ad suborientes abusus eradicandos, idonea remedia comparare, quam opportunas rationes præscribere, quibus servatis, ipsa exhibita remedia vim suam obtinere, & optatum effectum reipsa edere valeant.

Sane quum Nobis innotuisset, nonnullos esse in florentissimis Portugalliæ, & Algarbiorum Regnis Presbyteros Sacramenti Pœnitentiæ Ministros, qui a Pœnitentibus nomen personæ ipsis in peccato, quod confessi fuerant, Complicis, aliquando etiam locum habitationis ejusdem Complicis exquirebant, absolutionem quoque sacramentalem iis denegando, qui eorum inquisitionibus satisfacere recusarent:

Nos Venerabilium Fratrum Archiepiscoporum, & Episcoporum per ea Regna constitutorum zelum excitare non omisimus, ut omne suum studium, operamque conferrent ad eas respective Diœceses, in quibus Presbyteri sic delinquentes existerent, a tam pernicioso malo liberandas, ex quo *oblocutiones, & scandala, & non Ministrorum tantum, sed sacri etiam ipsius ministerii odium, & animorum ingens conturbatio in populo fideli exorta erant*: rejicientes simul, ac reprobantes prætextus illos, quibus hujusmodi Confessarii interrogantes se se tuebantur; desiderii nimirum emendationis ipsius Complicis, nec non quarumdam opinionum, quæ apud aliquos Doctores repertæ fuerant, & quarum aliquæ, aut falsæ, aut erroneæ censendæ erant, aliæ autem per se veræ, & sanæ, ab ipsis sic delinquentibus perperam applicabantur; ut latius videre est in Nostris Litteris Apostolicis die 7. Mensis Julii anni Domini 1745. editis in forma Brevis, quarum initium est: *Suprema omnium Ecclesiarum*, quæque impressæ sunt in *Bullarii Nostri Tom. I. num.* 134.

„ *Vide in hoc Volumine Bullam VIII. pag.* 182.

Has Litteras sub Annulo Piscatoris primum expeditas, in forma specifica deinde confirmavimus, & ampliori robore communivimus per alias nostras Apostolicas Litteras sub Plumbo editas 4. Nonas Junii an. 1746. incipientes *Ubi primum*: quæ etiam impressæ leguntur in *II. Tom. Bullarii Nostri n.* 8. (*in hoc Volumine ibid.*) His autem posterioribus Litteris, non solum Tribunali Sanctæ Inquisitionis prædictorum Regnorum, atque Ditionum injunximus, ut contra eos severe procederet, qui priora Decreta nostra impugnare, aut perverse interpretari ausi fuissent, sed etiam *contra Confessarios de nomine Complicis Pœnitentem interrogantes, eidemque Pœnitenti, nisi illud sibi manifestaverit, absolutionem denegantes; dummodo tamen hujusmodi interrogandi, & denegandi actus talibus circumstantiis conjunctus sit, ac convestitus, qua sic agentem Confessarium de adhæsione ad prædictam reprobatam praxim, tamquam ad licitam, vel alio quovis modo de prava credulitate suspectum reddant*.

His cohærenter addidimus præceptum denuntiandi Confessarios, aliquo ex supradictis modis delinquentes eidem Tribunali Sancti Officii intra terminum dierum pro aliis denuntiationibus ab eodem Officio præfigi solitum; exceptis dumtaxat, ex justis, gravibusque caussis, ab hujusmodi denuntiandi onere personis Pœnitentium in caussa propria, idest in casu, quo ipsi peccatum suum confitentes, a Confessario adigerentur ad sibi manifestandum nomen Complicis in eodem peccato; statuentes tamen, quod *quando aliunde, quam ex propria confessione, novissent, Confessarium aliquo ex superius enumeratis, & Sancto Officio denuntiandis modis deliquisse, tunc eum & ipsi denuntiare ex ista aliunde habita notitia tenerentur*.

Et quoniam id etiam evenire posse prospeximus, ut Confessarius aliquis Pœnitentem de Complicis nomine interrogando, atque etiam manifestare nolenti absolutionem negando, id faceret imprudenti certe, ac malo, sed tamen simplici quodam, & nudo actu, *idest iis circumstantiis destituto, quæ de prava credulitate, vel de mala adhæsione ad praxim in nostro Brevi reprobatam, tamquam ad licitam, eumdem Confessarium suspectum redderent*: Ideo in ipsis posterioribus Litteris declaravimus, in hujusmodi casu, neque Confessarium prædicto Inquisitionis Officio denuntiandum necessario fore, nec ejus delictum ejusdem Sancti Officii, & Tribunalis cognitioni subjectum esse, sed ad cujuslibet Ordinarii in propria Diœcesi judicium, & correctionem pertinere; prout in ipsis secundo loco memoratis Litteris latius habetur expressum.

Sic igitur justis respective statutis finibus, tam jurisdictioni Tribunalis Inquisitionis, quam Ordinariorum Præsulum auctoritati; persuasum Nobis fuit, certam, & tutam rationem procedendi contra Sacerdotes in Sacramenti Pœnitentiæ administratione, ut præfertur, delinquentes assertam per Nos fuisse. Verum quum deinde Nobis ex parte nonnullorum Ecclesiasticæ pacis zelo flagrantium fuerit insinuatum, in hujusmodi methodi executione novis perturbationibus procul dubio aditum apertum iri; propterea quod nemo esset, qui in casibus discrepantiæ, judicium proferret; quoniam delictum idem in certis quibusdam circumstantiis ad Tribunal S. Officii; in aliis vero ad Ordinarii judicium deferendum fore statueramus; ac præterea demonstratum Nobis fuerit, quod, dempto in aliquibus circumstantiis metu denuntiationis eidem Inquisitionis Officio faciendæ, id sane sublatum dici poterat, quo maxime homines a patrando tam pernicioso, & profligato delicto retraherentur: Idcirco Nos, prædictam iterum perversam praxim in utrisque præfatis Litteris Nostris reprobatam, atque proscriptam, eorum nempe, qui in administrando Pœnitentiæ Sacramento, Complicis nomen, cum absolutionis denegatione, quatenus reticeatur, a Pœnitente rescire contendunt, præsentium quoque tenore damnantes, & reprobantes; nec non confirmantes statutam pertinentiam cognitionis hujusmodi caussarum prædicto Inquisitionis Officio, quoties delinquentis actus iis circumstantiis, quas in secundo dictis Litteris Nostris latius expressimus, conjunctus existat, nec non obligationem denuntiandi eidem Officio Confessarium quemcumque hujusmodi delicti memoratis circumstantiis convestiti reum; excepta tamen ab hujusmodi denuntiationis onere ipsa persona Pœnitentis in caussa propria, juxta id, quod in ipsis præfatis Litteris per Nos decretum, & in præsentibus superius relatum fuit; ad reliquas in futurum perturbationes avertendas, & præcavendas, omnibus mature pensatis, auditisque prudentium virorum, & in illis rebus apprime peritorum consiliis Nostris, Motu proprio, & certa scientia, sequentes ordinationes, & leges ab omnibus, ad quos respective pertinet, & pertinebit in posterum, omnino tenendas, atque observandas, earumdem præsentium tenore, & Apostolica auctoritate edicimus, & promulgamus.

In primis itaque, exceptis dumtaxat personis Pœnitentium in caussa propria, ut supra declaratum est, quasquidem justis ex caussis ab omni denuntiationis onere eximimus, & pro exemptis in tali casu semper haberi decernimus, omnibus, & singulis, qui Sacerdotem aliquem sive Sæcularem, sive Regularem, (cujuscumque gradus, & conditionis, & cujuscumque Ordinis, Congregationis, & Instituti, etiam speciali, & individua mentione digni, ad hoc, ut præsenti sanctione comprehendatur, existat) quocumque alio modo, præterquam ex ipsa Confessione a semetipsis apud eum peracta, cognoverint in administrando Pœnitentiæ Sacramento interrogasse Pœnitentem de nomine Complicis, eidemque indicare recusanti absolutionem denegasse; sive id fecisse intellexerint propter adhæsionem prædictæ reprobatæ praxi, aliave de caussa erroneæ opinionis suspicionis ingerente, sive id etiam per imprudentiam egisse, & per actum præfatis destitutum circumstantiis, propter quas, juxta præcedentem Constitutionem nostram, prædicto Inquisitionis Officio esset denuntiandus, & quibus deficientibus, juxta ipsius Constitutionis tenorem, ejus delicti cognitio ad Ordinarii Tribunal spectare debuisset; injungimus, & mandamus, atque in virtute Sanctæ Obedientiæ, sub eisdem pœnis, quibus ad debitas aliorum delictorum denuntiationes adstringuntur, præcipimus, & jubemus, ut hujusmodi Confessarium quocumque modo in præmissis delinquentem, sæpe dicto Sanctæ Inquisitionis Officio intra consuetum præfiniti temporis spatium omnino deferant, & denuntient.

Ubi vero Sacerdos delinquens eidem Sancti Officii Tribunali

bunali denuntiatus fuerit, vel etiam illius carceribus inclusus, quatenus probationes ad carcerationem sufficientes habeantur; si forte Ordinarii illius, cujus jurisdictioni reus subjectus erit, Procurator in ipso Tribunali Sancti Officii de more interveniens eas adesse circumstantias crediderit, ob quas delicti cognitio juxta præcedentem Constitutionem nostram ad Ordinarii Forum spectare deberet; ac propterea institerit, se super hujusmodi pertinentiæ articulo ulterius, aut fusius audiri, vel etiam scripto easdem circumstantias, & rationes exponere, suæque Curiæ jura tueri se velle declaraverit; volumus, & statuimus, ut juxta ejusdem Tribunalis consuetudinem, satis temporis illi ad scribendum assignetur; neque interea idem Tribunal ad aliam ireetractabilem, multoque minus ad definitivam sententiam adversus reum devenire possit, donec idem Procurator, intra præscriptum sibi tempus, jura Curiæ Episcopi constituentis sui, vel voce, vel scripto exposuerit.

Quoties autem præfatus Ordinarii Procurator controversiam de pertinentia Caussæ proponat, eamque examinari postulet; tunc volumus, in ipso Sancti Officii Tribunali hujusmodi examen fieri, nec omitti posse, absque totius consequentis processus nullitate. Simul autem omnibus, & singulis tum ejusdem Officii Inquisitoribus, & Consultoribus, tum ipsis Ordinariorum Procuratoribus districte mandamus, ut deposita quacumque animi affectione, aut præoccupatione, qua erga proprium respective Tribunal facile ferri possent, coram Deo disquirant, ac videant, an reus de præfato delicto inquisitus, illud cum ejusmodi circumstantiis patraverit, ob quas illius Caussa, juxta præcedentem Constitutionem nostram, ad Inquisitionis Tribunal pertinere deberet; an vero cum aliis, quæ Caussam ipsam ex ejusdem Constitutionis lege in Ordinarii Foro judicandam constituunt.

Prolato demum ab Inquisitoribus judicio super Caussæ pertinentia, volumus, & statuimus, ut si quidem Caussa adjudicata fuerit Tribunali Sancti Officii, in hujus potestate reus permaneat, & juxta ipsius Officii leges, & regulas puniatur; si vero judicatum fuerit, Caussam ad Sancti Officii Tribunal non pertinere, idem Officium, ut ejus fert consuetudo, reum dimittat, & Procurator de reo ita dimisso certiorem faciat Ordinarium sui constituentem, ut, ea accepta notitia, adversus eumdem reum, servatis servandis, juxta Canonicas sanctiones possit procedere. Si quis autem præmissum judicii hujusmodi ordinem a Nobis per præsentes constitutum pervertere, aut turbare ausus fuerit, noverit, se omnibus Canonicis pœnis subjectum fore, quæcumque in sacris Canonibus, & Apostolicis Constitutionibus, adversus Ecclesiasticæ Jurisdictionis perturbatores, violatores, & invasores latæ, & statutæ dignoscuntur.

Præsentes autem Litteras, omniaque, & singula in ipsis contenta, atque statuta, etiam ex eo, quod quicumque cujusvis status, gradus, ordinis, præeminentiæ, & dignitatis existant, seu alias speciali, & individua mentione, & expressione digni, in præmissis interesse habentes, seu habere quomodolibet prætendentes, illis non consenserint, nec ad ea vocati, citati, & auditi, neque caussæ, propter quas ipsæ præsentes emanaverint, sufficienter adductæ, verificatæ, & justificatæ fuerint, aut ex alia qualibet, etiam privilegiata caussa, colore, prætextu, & capite, de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis Nostræ, vel interesse habentium consensus, aliove quolibet defectu, notari, impugnari, aut in controversiam vocari posse; sed ipsas præsentes Litteras semper, & perpetuo firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, & ab omnibus, & singulis præmissis, ad quos spectat, seu pro tempore spectabit, exacte, & inviolabiliter observari decernimus.

Sicque, & non aliter in præmissis censeri, atque ita per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam S. R. E. Cardinales, & contra hæreticam pravitatem Generales Inquisitores, Legatos quoque de Latere, & Apostolicæ Sedis Nuntios, aliosve quoslibet quacumque auctoritate, potestate, & præeminentia fungentes, & functuros, sublata eis, & eorum cuilibet aliter judicandi, & interpretandi facultate, judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Non obstantibus aliis præmissis Nostris, aliisque quibusvis Apostolicis, & in Universalibus, sive Provincialibus, aut Synodalibus Conciliis editis Generalibus, sive specialibus Constitutionibus, & quorumcumque Tribunalium, Curiarumve mandatis, Edictis, sive Decretis, nec non ejusdem Inquisitionis Officii, & quarumcumque Ecclesiarum, etiam Episcopalium, & Metropolitanarum, & quorumcumque Ordinum, Congregationum, Religionum, & Institutorum, etiam Societatis Jesu, aliisque quibusvis, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, stilis, usibus, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & Litteris Apostolicis eidem Inquisitionis Officio, illiusque Inquisitoribus, Commissariis, aliisque Officialibus, tum etiam Ecclesiis, eorumque Prælatis, Ordinibus, Congregationibus, Institutis, Societatibus, illorumque Superioribus, & Personis quibuslibet, sub quibusvis verborum tenoribus, & formis, & cum quibuscumque etiam efficacissimis, & insolitis derogationibus, clausulis, atque

decretis, etiam motu, & Apostolicæ Potestatis plenitudine similibus, seu ad quarumcumque personarum, etiam Regia, aliave qualibet mundana, vel Ecclesiastica potestate fulgentium instantiam, vel alias quomodolibet in contrarium præmissorum concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, quatenus iisdem præsentibus adversentur, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione, de illis, eorumque totis tenoribus specialis, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores prædictos pro sufficienter, & de verbo ad verbum expressis, & insertis, formasque hujusmodi pro plene, & exacte observatis habentes, ad præmissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, &c. &c.

BULLA DUODECIMA.

Assignatio Annuæ præstationis favore Collegii Pœnitentiariorum Basilicæ Lateranensis.

Extat hæc Bulla in Tom. II. sub nu. 30. data vero fuit die 13. Martii anno 1747. Pontificatus anno Septimo.

Laborantibus in Vinea Domini, & Apostolicæ Sedi assidue, & laudabiliter inservientibus, diurnum denarium non suppeditari, & necessaria ad vitæ sustentationem deesse, minime decet.

Hac tamen propemodum conditione, non sine admiratione, ac dolore, nuper accepimus, operam, laboremque suum præstare Dilectos Filios Sacerdotes Ordinis Minorum S. Francisci Reformatorum nuncupatorum, qui pro demandato sibi Pœnitentiariorum Minorum Officio, apud Basilicam nostram Lateranensem in peculiari Collegio simul degentes, excipiendis Sacramentalibus Confessionibus Christifidelium ad eamdem Basilicam confluentium incessanter occupantur. Quamvis enim eorum habitationis Domus non ita pridem a rec. mem. Decessore Nostro Clemente Papa XII. veteri disjecta, in ampliorem formam a fundamentis extructa fuerit, eam tamen nonnullis adhuc necessariis commoditatibus carere, jam vero ipsius Tectum magna, ac dispendiosa reparatione indigere, aream autem horto destinatam, subterraneis fornicibus, quibus fulciebatur, jamdudum subsidentibus, magna ex parte inutilem remansisse cognovimus. Præterea ipsi Religiosi Viri, ut ex relationibus omni fide dignis accepimus, maxima laborantes inopia, in summa rerum omnium angustia vivunt, ita ut non modo necessaria Cellarum & Mensæ suppellectilia, sed ipsos pauperes lectos, atque pannosas vestes comparare nequeant, ac sæpe etiam quotidiani cibi defectum sustineant.

Quam ob rem valde mirandum non est, si, qui potissimum sacrarum disciplinarum scientia, & professione, inter præfati Ordinis Alumnos excellunt, quique, pro sua doctrina & experientia, in arduis rebus, & controversiis, non solum Majori Pœnitentiario, sed ipsi etiam Apostolicæ Sedi, ut alias, utilia & gravia consilia maxime præbere possent; a suscipiendo hujusmodi Pœnitentiarii Lateranensis munere, & labore refugiunt. Quare quum ad nostram Pastoralem sollicitudinem pertinere censeamus, ut ejusmodi Officia, quæ ad Forum Pœnitentiarium spectant, nonnisi præstantibus in Theologica facultate, & in Sacrorum Canonum scientia versatis, atque probatæ prudentiæ Viris commendentur; æquum præterea censentes prædictorum Dilectorum filiorum indigentias paterna caritate sublevare; quum præsertim novissime acceperimus, in præfati Collegii Præsidem deputatum fuisse Religiosum Virum spectata virtute, & egregiis dotibus præditum; postquam Oratorium in ipsius Collegii Ædibus ad pium domesticum usum Pœnitentiariorum ibi degentium ædificari, & ad sacræ antiquitatis memoriam conservandam, juxta exemplum illius, quod a pluribus Sæculis in veteri Pœnitentiaria visebatur, ornari curavimus: ædium ipsarum Tecta, sumptibus quoque Nostris reparari; communis Foci Conclave, quo a fumi molestia liberetur, aptari & renovari; novos lectos, nova linteamina parari; ipsosque Religiosos Viros in frigore & nuditate, supra quam Franciscana paupertas jubet, laborantes, convenienti amictu operiri mandavimus; majora deinceps Deo adjuvante facturi, ubi consilia Nostra ad ipsius Dei gloriam directa, optatum consequantur effectum.

Nunc vero ad annuum censum eidem Collegio attributum oculos intendentes, invenimus illum ad quadringenta sexaginta scuta monetæ Romanæ dumtaxat pertingere, quorum trecenta exiguntur ex fructibus duorum Canonicatuum ipsius Basilicæ Lateranensis, super quibus hujusmodi Pensiones annuorum scutorum centum quinquaginta pro quolibet, ad ejusdem Collegii favorem, perpetuo reservatæ existunt; alia vero centum sexaginta eidem persolvuntur a Dataria Nostra Apostolica, ad rationem scutorum quadraginta de trimestre in trimestre; ac denique singulis bienniis a Capitulo præfatæ Basilicæ eidem Collegio solvuntur scuta quinquaginta monetæ similis, pro Pœnitentiariorum vestiario. Quas porro summas clare patet minime suffi-

cere posse pro alendis decem Fratribus præfatum Collegium constituentibus, & pro aliis Religiosæ Familiæ necessariis expensis sustinendis; quum præterea ob magnam ejusdem Collegii ab Urbis centro distantiam, hoc etiam necessario addendum videatur, ut alius sive Frater Conversus, sive Tertiarius ejusdem Ordinis, pro ipsius Familiæ servitiis inibi alatur, quo excurrente ad quotidianum victum in Urbe comparandum, aliaque negotia pro Religiosorum indigentiis explenda, ipsi Sacerdotes Pœnitentiarii a Sæcularibus curis vacui, toti fiant in spiritualis Officii pro Animarum salute ipsis impositi muneribus adimplendis.

Quare quum de augendis ejusdem Collegii reditibus sollicite cogitaremus, occurrit Nobis, pro diuturna experientia, quam de rebus ad Officium Pœnitentiariæ Apostolicæ spectantibus acquisivimus, dum in Minoribus existentes in ipsa Pœnitentiaria munus Doctoris in Decretis plures annos sustinuimus, Sigillatoris munus in eodem Pœnitentiariæ Officio adesse, cui satis ampla emolumenta attributa dignoscuntur, quæ sane, pro ratione laboris ipsi incumbentis, & pro mensura honorarii, quod aliis ejusdem Pœnitentiariæ Officialibus magis laborantibus constitutum est, justo lautiora communiter reputantur. Dum enim Doctor in Decretis præfatus, aliusque Consultor Theologus, gravissimis, assiduisque studiis pro ipsius Apostolici Officii servitio occupati, annua scuta monetæ centum nonaginta, & octo dumtaxat honorarii titulo singuli percipiunt; prædictus Sigillator, præter annuum honorarium scutorum similium ducentorum nonaginta septem, quod tamen, deductis inferiorum Ministrorum salariis, ad annua scuta monetæ triginta tria redigitur, alia incerta emolumenta percipit ex expeditionibus minoris gratiæ, ad rationem videlicet obulorum octo pro qualibet Bulla, quæ ducto calculo per decennium, annua similia scuta constituunt sexcenta quadraginta quinque. Quod si etiam ratio haberi velit alterius oneris, quod in Nostris Litteris incipientibus; *In Apostolica Pœnitentiaria*, anno Incarnationis Dominicæ millesimo septingentesimo quadragesimo quarto, Idibus Aprilis, editis, futuris in posterum Sigillatoribus injunximus, nihilominus apparebit, hujus Officialis emolumenta singulis annis scutorum sexcentorum summam ab omni onere liberam, vel prope attingere, vel etiam superare.

Quapropter æquum judicantes ex superabundantibus unius Officialis emolumentis aliorum ejusdem Fori, & Officii Ministrorum indigentiam sublevare, matura deliberatione præhabita, ac Motu proprio, & ex certa scientia, ut præfertur, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine statuimus, & decernimus, ut eveniente quandocumque hodierni Sigillatoris cessu, vel decessu, ex præfatis emolumentis hujusmodi Officio dudum attributis, annua scuta ducenta monetæ Romanæ de juliis decem pro quolibet scuto detrahantur, ac præfato Collegio Pœnitentiariorum Minorum Basilicæ Lateranensis persolvantur; prout Nos ex nunc, prout ex tunc, & e contra, hujusmodi annua scuta ducenta a præfati Sigillatoris emolumentis dismembramus, ac de ipsis, & super ipsis reservamus, eidemque Collegio perpetuo applicamus, & appropriamus; mandantes pariter ex nunc, prout ex tunc, & e contra, omnibus futuris Apostolicæ Pœnitentiariæ Sigillatoribus, ut pro hujus voluntatis Nostræ executione, & annuæ præfatæ summæ solutione, quinquaginta scuta monetæ hujusmodi libera ab omni onere, eidem Collegio de Trimestre in Trimestre, omni mora, aut tergiversatione remotis, cum effectu tradant, atque persolvant. Interim vero, quoniam venter non patitur dilationem, donec dismembratio, & applicatio hujusmodi suum sortiantur effectum, volumus annua scuta centum quinquaginta monetæ similis ex redditibus Datariæ Nostræ, & ex emolumentis Componendæ Beneficialis, eidem Collegio subministrari; mandantes Dilecto Filio Magistro Joanni Jacobo Millo Datario Nostro, sive ejus in Officio Successoribus, ut hujusmodi præstationem, quam post prædictam applicationem quandocumque sequutam illico cessare decernimus, interea quotannis in Festis Natalitiis Domini Nostri Jesu Christi sæpedicto Pœnitentiariorum Lateranensium Collegio persolvant. Quoniam vero nec ita prædictorum undecim Religiosorum sustentationi, aliisque ipsorum Collegii necessitatibus satis plene, & sufficienter consultum fore videmus; memores, Nos in præallegata Constitutione Nostra super Apostolicæ Pœnitentiariæ Officialibus, eorumque muneribus edita, certam annuam summam scutorum bis centum e superfluis ejusdem Pœnitentiariæ emolumentis retrahendam, & a præfato Clemente Prædecessore ad Majoris Pœnitentiarii dispositionem antea concessam, in eleemosynis tamen erga pauperes recurrentes ad ipsius Pœnitentiariæ forum omnino erogandam ipsi Majori Pœnitentiario auctoritatis quoque Nostræ robore confirmasse, & ad ipsius dispositionem, ut præfertur, ex integro concessisse; experientia vero edocti, ipsius summæ medietatem abunde sufficere pro ordinariis eleemosynis in hujusmodi personas erogandis; pro extraordinariis vero, & particularibus casibus, relictam esse Majori Pœnitentiario facultatem adeundi Summum Pontificem, ut videre est in ipsius Constitutionis *paragrapho* incipien.: *Sed præterea*: Idcirco nunc præfatam Clementis Prædecessoris, Nostramque concessionem hic in parte moderantes, volumus & statuimus, ex hujusmodi pecuniis annua scuta centum monetæ Romanæ eidem Collegio Pœnitentiariorum Minorum Basilicæ Lateranensis similiter applicari: Mandantes Venerabili Fratri Nostro Vincentio Episcopo Prænestino S. R. E. Cardinali Petra nuncupato hodierno Majori Pœnitentiario, ejusque in Officio hujusmodi Successoribus in perpetuum, ut e prædictis emolumentis in eleemosynas, ut præfertur, convertendis, annua scuta centum, in duabus æqualibus solutionibus, pro una videlicet in Nativitate Sancti Joannis Baptistæ, & pro altera in Festis Natalitiis Domini Nostri Jesu Christi, eidem Collegio in posterum omnino persolvant: atque insuper decernentes, ut omnes, & singulæ mulctæ, & condonationes ab eodem Apostolicæ Pœnitentiariæ Officio per singulos annos percipi solitæ, & in futurum percipiendæ, quæ, juxta calculos jussu Nostro efformatos, vix annua scuta triginta plerumque attingunt; eorumdem Pœnitentiariorum Lateranensium Collegio, pro Linteaminum, & Supellectilium manutentione, ab eodem Pœnitentiario Majori applicentur, & in fine cujuslibet anni persolvantur; quemadmodum Nos earumdem præsentium tenore, & Apostolica auctoritate ipsi Collegio applicamus, & perpetuo concedimus, & assignamus.

Præsentes quoque Litteras, etiam ex eo quod Major Pœnitentiarius, ac præfatæ Pœnitentiariæ Sigillator, sive alii quicumque in præmissis interesse habentes, seu habere quomodolibet prætendentes, eisdem præmissis non consenserint, aut vocati, seu auditi non fuerint, aliaque quavis etiam juridica, & privilegiata caussa, nullo umquam tempore de subretionis, obreptionis, seu nullitatis vitio, aut intentionis Nostræ, vel alio quocumque defectu, notari, aut impugnari posse; sed omnino & perpetuo validas, & efficaces existere, eisdemque Pœnitentiariis Minoribus, eorumque Collegio plenissime suffragari, & ab eodem Majori Pœnitentiario, ejusque Successoribus, nec non futuris Sigillatoribus pro tempore existentibus, aliisque præmissis, inviolabiliter observari decernimus, & respective mandamus. Non obstantibus S. Pii Papæ V. Prædecessoris Nostri, super erectione præfati Officii Pœnitentiariæ Apostolicæ, nec non Innocentii Papæ XII. Prædecessoris pariter Nostri, super applicatione superfluorum ejusdem Pœnitentiariæ emolumentorum favore Hospitii Apostolici Pauperum Sancti Michaelis de Urbe; atque etiam prædicti Clementis Papæ XII. super concessione annuæ certæ summæ ad ejusdem Majoris Pœnitentiarii dispositionem, Nostrisque præmissis, super ejusdem Officii reformatione, aliisque quibusvis Litteris, Constitutionibus, Regulis, & Ordinationibus Apostolicis, & dictæ Pœnitentiariæ Privilegiis, Indultis, Statutis, & consuetudinibus quibuscumque, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis; quibus omnibus & singulis, eorum tenores, quatenus opus sit, præsentibus pro expressis & insertis habentes, ad effectum præsentium, illis alias in suo robore permansuris, harum serie, & auctoritate prædicta, plenissime, & expresse derogamus, &c. &c.

BULLA DECIMATERTIA.

Sequitur Declaratio præcedentis Constitutionis.

Extat hæc Bulla in Tom. II. Bullarii sub n. 31. data 27. Maji an. 1747. Pontificatus vero an. VII.

Decet Romanum Pontificem diligenter prospicere, ut Concessiones, & Gratiæ, quæ de provida Sedis Apostolicæ benignitate processerunt, ac necessariam sustentationem Religiosorum Virorum, pro salute Animarum assidue laborantium, concernunt, plenam obtineant roboris firmitatem; omnemque in eis ambigendi rationem tempestive succidere, ne quando possint in controversiam adduci, aut quomodolibet impugnari.

Sane Nos alias, seu nuper ad temporalia vitæ subsidia eatenus attributa dilectis Filiis Præsbyteris Regularibus Ordinis Fratrum Minorum Sancti Francisci Reformatorum nuncupatorum, in Basilica nostra Lateranensi Pœnitentiariorum Minorum munus obeuntibus, & apud ipsam in peculiari Collegio simul degentibus, oculos intendentes, invenimus illa ad quadringenta sexaginta scuta monetæ Romanæ dumtaxat pertingere, quorum nimirum trecenta percipiuntur ex duabus pensionibus annuis scutorum centum quinquaginta pro qualibet, super fructibus, non quidem duorum Canonicatuum ejusdem Basilicæ, prout in infrascriptis nostris Litteris per errorem enuntiatum est, sed verius unius Canonicatus, & Præbendæ, necnon Vicariæ perpetuæ prædictæ Basilicæ, Apostolica eis auctoritate in perpetuum reservatis; alia vero centum sexaginta eisdem persolvuntur a Dataria nostra Apostolica ad rationem scutorum quadraginta de trimestre in trimestre; ac denique scuta quinquaginta monetæ similis eorumdem Pœnitentiariorum Collegio pro eorum Vestiario, non singulis bienniis a Capitulo prædictæ Basilicæ, prout in ipsis nostris Litteris expressum est, sed singulis trienniis ex eisdem respective fructibus, reditibus, & proventibus prædictorum Canonicatus, & Præbendæ, ac Vicariæ Curatæ, ab uno ex ipsius Basilicæ Canonicis, Canonicatum

& Præ-

& Præbendam hujusmodi pro tempore obtinen. necnon a Vicario perpetuo Curam Animarum Parochianorum inibi exercente, nempe scuta vigintiquinque a quolibet ipsorum, itidem persolvuntur.

Cumque clare pateret prædictas summas impares esse alendis decem Fratribus prædictum Collegium constituentibus, aliisque ipsius Religiosæ Familiæ necessariis expensis sustinendis, de augendis eidem Collegio subsidiis solicita cogitavimus. Ea igitur cura moti per nuperas Nostras Litteras Apostulicas incipientes: *Laborantibus in Vinea Domini*, datas apud Sanctam Mariam Majorem Anno Incarnationis Dominicæ millesimo, septingentesimo, quadragesimo sexto, tertio Idus Martii, Pontificatus Nostri Anno septimo, Motu simili &c. statuimus, & decrevimus, ut eveniente quandocumque hodierni Sigillatoris Pœnitentiariæ Apostolicæ cessu, vel decessu, ex emolumentis ipsius Sigillatoris Officio dudum attributis, annua scuta ducenta ejusdem monetæ Romanæ de juliis decem pro quolibet scuto detraherentur, ac prædicto Collegio Pœnitentiariorum Minorum Basilicæ Lateranensis persolverentur, prout Nos hujusmodi annua scuta ducenta a prædicti Sigillatoris emolumentis, cum claulula ex nunc prout ex tunc, & e contra, separavimus, eidemque Collegio, per futuros Apostolicæ Pœnitentiariæ Sigillatores in certis terminis, modoque, & forma, tunc exprimendis, libera ab omni onere, annuatim persolvenda, perpetuo applicavimus, & appropriavimus: Interim vero donec dismembratio, & applicatio hujusmodi suum sortirentur effectum, voluimus annua scuta centum quinquaginta ejusdem monetæ ex redditibus Datariæ nostræ, & ex emolumentis Componendæ Beneficialis quotannis in Festis Natalitiis Domini Nostri Jesu Christi eidem Collegio subministrari.

Quoniam vero, nec ita prædictorum Religiosorum sustentationi, aliisque ipsorum Collegii necessitatibus satis plene, & sufficienter consultum fore dignoscebamus; voluimus itidem, statuimus, & mandavimus, ea annua summa scutorum bis centum e superfluis dictæ Pœnitentiariæ Apostolicæ emolumentis retrahenda, & ad Majoris Pœnitentiarii dispositionem alias concessa, per eum tamen in eleemosynas erga pauperes recurrentes ad ipsius Pœnitentiariæ Forum eroganda, medietatem, nimirum annua scuta centum dictæ monetæ, Collegio prædicto similiter applicari, ac per eumdem Majorem pro tempore Pœnitentiariorum duabus æqualibus solutionibus, altera videlicet in Nativitate Sancti Joannis Baptistæ, altera vero in Festis Natalitiis Domini Nostri Jesu Christi in perpetuum omnino persolvi.

Voluimus insuper, ut omnes, & singulæ mulctæ, & condonationes ab ejusdem Pœnitentiariæ Apostolicæ Officio per singulos annos percipi solitæ, & in futurum percipiendæ, dicto Collegio Pœnitentiariorum Lateranensium pro linteaminum, & suppellectilium manutentione ab eodem Pœnitentiario Majori applicarentur, & in fine cujuslibet anni persolverentur, quemadmodum Nos ipsi Collegio Apostolica auctoritate applicavimus, ac perpetuo concessimus, & assignavimus: & alias, prout in prædictis nostris Litteris, quarum integrum tenorem hic pro plene, & sufficienter, ac de verbo ad verbum inserto haberi volumus, plenius, & uberius continetur.

Cum autem Pœnitentiarii Minores prædicti, tamquam dicti Ordinis Fratrum Sancti Francisci Strictioris observantiæ Professores, strictam quoque paupertatem profiteantur; proindeque super validitatem reservationum, concessionum, & assignationum prædictarum, necnon super capacitate eorumdem Pœnitentiariorum Minorum exigendi, & percipiendi subsidia eis, ut prædiximus, reservata, applicata, concessa, & assignata, possit aliquando perplexitas exoriri; Nos, volentes dubietatibus hujusmodi obviam ire, eorumdemque Pœnitentiariorum Minorum quieti, & indemnitati in præmissis omni opere providere; Motu pari, & ex certa scientia, meraque deliberatione Nostris, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine, tenore præsentium expresse declaramus, omnia, & singula superius relata subsidia, & ut supra reservata, applicata, concessa, & assignata pro victu, vestitu, aliisque necessitatibus Pœnitentiariorum Minorum, eorumque Collegii prædictorum, non aliter, quam per modum eleemosynæ, juxta capacitatem eorumdem Fratrum Ordini Sancti Francisci Strictioris observantiæ, reservata, applicata, concessa, & assignata fuisse, & esse, ac censeri debere.

Decernentes, omnes, & singulos, ad quos solutiones, & præstationes singulorum subsidiorum prædictorum nunc quomodolibet spectant, & pertinent, & pro tempore spectabunt, & pertinebunt, ad integras solutiones, & præstationes hujusmodi, juxta reservationum, applicationum, concessionum, & assignationum prædictarum, necnon Litterarum Apostolicarum desuper respective confectarum vim, continentiam, seriem, & tenorem, fuisse, ac esse, & fore efficaciter obligatos. Quocirca memoratas Nostras Litteras, ipsasque præsentes, cum omnibus, & singulis in eis contentis, nullo umquam tempore de subreptionis, obreptionis, aut nullitatis vitio, aut intentionis nostræ, vel alio quocumque defectu notari, vel impugnari posse, sed eas omnino, ac semper, & perpetuo firmas, validas, & efficaces existere, eisdemque Pœnitentiariis Minoribus dictæ Lateranensis Basilicæ, eorumque Collegio plenissime suffragari, necnon ab omnibus, & singulis, ad quos spectat, inviolabiliter observari; sicque, & non aliter per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos quavis auctoritate, & potestate fungentes, etiam Caussarum Palatii Apostolici Auditores, ac Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, etiam de Latere Legatos, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, definiendi, & interpretandi facultate, & auctoritate, judicari, & definiri debere, & si secus super his, a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari, irritum, & inane decernimus: Non obstantibus omnibus illis, quæ in dictis Nostris Litteris voluimus non obstare, ceterisque contrariis quibuscumque, &c. &c.

Fiat Motu proprio P.

ET cum absolutione a censuris, ad effectum &c. Et quod Nostrarum Litterarum prædictarum tenores, ac data habeantur pro expressis, seu in toto, vel parte exprimi possint in Litteris etiam gratis per viam de Curia cum clausula perpetuo, & ad perpetuam rei memoriam, si, & quandocumque videbitur expedient. Et de perpetuis declaratione, decreto, aliisque præmissis, ut supra, in dictis litteris latissime extendent. Volumus autem, quod sola præsentis Schedulæ Nostri Motus proprii signatura sufficiat, illique, ac illius quoque exemplis, seu transumptis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptus, & personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ Sigillo munitis, tanta ubique fides adhibeatur in judicio, & extra, quanta si sub Plumbo Nostro expedirentur, & originaliter exhiberentur, adhibenda esset, & adhiberi deberet, regula quacumque contraria non obstante.

BULLA DECIMAQUARTA.

De Officio Scriptorum Sacræ Pœnitentiariæ Apostolicæ.

Extat hæc Bulla in Tom. II. Bullarii sub n. 41. data die 15. Decembris anno 1747. Pontificatus vero anno VII. Motu proprio.

QUamvis jam usque ab anno Incarnationis Dominicæ millesimo septingentesimo, quadragesimo quarto, Idibus Aprilis Apostolicæ Litteræ sub Plumbo a Nobis editæ fuerint, quarum initium est: *In Apostolicæ Pœnitentiariæ Officio*, quæque in Bullario Nostro impressæ sunt *Tom. I. num.* 96. in eisque a Nobis providæ Leges, & Ordinationes fuse statutæ fuerint, ab Omnibus Officii Pœnitentiariæ Officialibus, & Ministris, ac nominatim ab ipsius Procuratoribus, seu Secretariis, & Scriptoribus tam ordinariis, quam extraordinariis observandæ; quum tamen aliquid ad hujusmodi Ministrorum Officia pertinens addendum adhuc esse judicaverimus, ad implendas Apostolici ministerii Nostri partes æquali studio intenti, ac Motu simili &c. omnia primum, & singula in præcitatis Nostris Litteris, & in aliis etiam super facultatibus Majoris Pœnitentiarii, ipsiusque Pœnitentiariæ Officii, eadem die datis, incipien. *Pastor bonus*, & in præfato Bullario Nostro impressis n. 95. disposita, atque contenta, iterum approbantes, & confirmantes; ulteriora hæc mandata edicere, & constituere, ac præsentis Schedulæ vigore communire decrevimus; quam quidem Schedulam in Tabulario ipsius Pœnitentiariæ ad perpetuam rei memoriam asservari præcipimus; Mandantes dilecto Filio Nostro Joachino Tituli Sanctæ Crucis in Hierusalem Presbytero hujus S. R. E. Cardinali hodierno ex Nostra electione, ac deputatione Majori Pœnitentiario, ejusque Successoribus pro tempore futuris, ut juxta ipsius tenorem, & continentiam sese gerentes, Nostram in hisce rebus voluntatem in posterum exacte observent, & ab aliis, ad quos pertinet, inviolabiliter, & cum effectu observari faciant.

Sane, quum inter alia munera, & officia Nobis olim in Minoribus constitutis a Prædecessoribus Nostris Romanis Pontificibus commissa, ac demandata, illud etiam Doctoris in Decretis in præfato Apostolicæ Pœnitentiariæ Officio plures annos exercuerimus, ex ipso usu, & experientia satis compertum habemus, quanti momenti sit Officium Procuratoris, seu Secretarii ejusdem Pœnitentiariæ, & quam impossibile sit aliquem ro idoneum Procuratorem, seu Secretarium evadere, qui non antea in Scriptoris officio diu meruerit; quum ad habendam necessariam Procuratoris hujusmodi peritiam, minime sufficiat Canonici juris, aut etiam Theologiæ Moralis scientiam acquisivisse, sed præterea necesse omnino sit in ipsius Pœnitentiariæ Officii stilo, & praxi versatum esse; id quod nonnisi ex diuturno exercitio in Scriptoris vel ordinarii, vel extraordinarii munere fas est obtinere.

Quare, quum Nobis ex quorumdam fide dignis relationibus innotescat, nonnullos esse, qui, privatis aliorum servitiis addicti, ad hujusmodi Scriptorum, sive ordinariorum, sive extraordinariorum officia adspirare, vel alias ad ea admissi, ipsa etiam deinceps retinere contendant; unde eveniat, aut evenire possit, ut hi, in diversis hujusmodi

aliorum servitiis occupati, nequaquam valeant debitam Apostolicæ Pœnitentiariæ Procuratoribus, seu Secretariis assistentiam præbere; utque ipsi, quantumvis præstantibus forsan animi dotibus prædi, numquam tamen apti, atque experti Scriptores evadant, adeoque, si umquam ad Procuratorum officia promoverentur, multo minus ad ea exercenda habiles, & idonei inveniri possent; animadverso etiam publico incommodo, & gravi animarum detrimento recurrentibus ad ipsum Pœnitentiariæ Officium obveniente, dum ejusdem Officii expeditiones, hujusmodi Scriptoribus alieno servitio addictis demandatæ, indebite protrahuntur, & in tempore majoris necessitatis sæpe deficiunt.

Hinc est, quod Nos, præmissis, aliisque justis caussis animum Nostrum moventibus adducti, præfato Joachino Presbytero Cardinali, ejusque in prædicto Officio Majoris Pœnitentiarii Successoribus, in perpetuum districte mandamus, ut neminem in posterum ad hujusmodi Scriptorum, sive ordinariorum, sive extraordinariorum officia eligant, vel admittant, qui assiduis alicujus personæ cujuscumque gradus, ordinis, aut dignitatis, etiam expresse individuandæ, servitiis actu addictus, vel alterius officii, aut muneris exercitio continenter occupatus esse dignoscatur; volentes, ut si quis de præsenti inter hujusmodi Pœnitentiariæ Ministros reperiatur alieni servitii, aut incompatibilis Officii vinculo districtus, is quidem e Ministrorum hujusmodi Catalogo minime expungatur. Verumtamen ad superiora ejusdem Pœnitentiariæ ministeria, durante hujusmodi vinculo, nequeat promoveri.

Porro in præfatis Nostris Litteris, quas super Apostolicæ Pœnitentiariæ Officialibus, eorumque muneribus, edidimus, antiquioribus Prædecessorum Nostrorum Constitutionibus inhærentes, libenter statuimus, ut tam Procuratorum, quam Scriptorum ordinariorum Officia, prævio semper concursu, conferri debeant; decernentes omnes hujusmodi Officiorum collationes, quas aliter forsan, etiam ab ipso Romano Pontifice, fieri contingeret, irritas fore, & inanes. Quod quidem non alia de caussa a prædictis Prædecessoribus, & a Nobis statutum fuit, quam ut hujusmodi munera, & Officia dignioribus, aptioribusque personis, quantum fas est, conferantur. Quapropter omnibus, ad quos spectat, seu spectabit in futurum in concursibus hujusmodi judicium suum interponere, iterum, iterumque districte injungimus, ut, nulla Officiorum, aut commendationum ratione habita, juxta majorem dumtaxat personarum idoneitatem suffragiorum suorum prærogativam concedant: ipsique demum Cardinali Majori Pœnitentiario, ejusque Successoribus mandamus, ut extraordinarios Scriptores ea expressa lege obstringant, ut Procuratoribus, seu Secretariis frequenter adesse non prætermittant, quo valeant in Pœnitentiariæ praxi, & stilo, quam peritissimi evadere; scientes se neque ad concursus in futuris Scriptorum ordinariorum, aut Procuratorum, seu Secretariorum vacationibus ullo pacto admittendos; nec ullo subsidio ordinario, aut extraordinario donandos fore, nisi qualibet vice super injuncta sibi assiduitate opportunas probationes, & legitima testimonia ipsi pro tempore existenti Majori Pœnitentiario exhibeant; seque etiam ab ipsis Officiis esse dimittendos, si, postquam de frequentandis, ut supra dictum est, Procuratorum Officiis semel, & iterum admoniti fuerint, adhuc hujusmodi præceptum Nostrum implere contempserint. Ac denique, postquam etiam ad Ordinarii Scriptoris munus per concursum, ut præmittitur, adlecti fuerint, haud eximendos se fore ab onere eosdem Procuratores non raro adeundi, pro acquisita peritia tum conservanda; tum promovenda.

Volumus autem tam memoratas Nostras Litteras, quam præsentem Motus nostri Schedulam, cum omnibus, & singulis in eis contentis, semper & perpetuo firmas, validas, & efficaces existere, & ab omnibus, & singulis, ad quos spectat, inviolabiliter observari, sublata cuilibet, etiam Majoribus Pœnitentiariis pro tempore existentibus, aliter statuendi, & interpretandi, seu dispensandi facultate; Non obstantibus omnibus illis, quæ in dictis Nostris Litteris non obstare decrevimus, ceterisque contrariis quibuscumque, &c. &c.

Fiat Motu proprio P.

ET, quod præmissa mandata, præcepta, atque decreta, cum clausula perpetuo, & ad perpetuam rei memoriam, & cum opportunis derogationibus tam generalibus, quam specialibus, etiam Regulæ de jure quæsito non tollendo, latissime exprimi, & extendi possint in Litteris etiam per viam de Curia, si, & quandocumque videbitur, expediendis; & quod sola præsentis Schedulæ Nostri Motus proprii signatura sufficiat, illique, ac illius quoque exemplis, seu transumptis, etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis, & Personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ sigillo munitis, tanta ubique fides adhibeatur in judicio, & extra, quanta, si sub plumbo Nostro expedirentur, & originaliter exhiberentur, adhibenda esset, & adhiberi deberet, Regula quacumque contraria non obstante.

DE INDULGENTIIS

BULLA DECIMAQUINTA.

Jubilæum Universale initio Pontificatus indicitur.

Extat hæc Bulla in Tom. I. Bullarii sub n. 1. data vero fuit die 11. Novemb. an. 1740. Pontificatus anno Primo.

BENEDICTUS PAPA XIV.

Universis Christifidelibus præsentes Litteras inspecturis Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

LÆtiora Apostolicæ servitutis auspicia offerri Nobis minime poterant, quam ut, tanto onere per studiosissima, & concordia Venerabilium Fratrum nostrorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium suffragia tenuitati Nostræ imposito, in Domino consideremus, omnia consilia, acta, & opera in Catholicæ Ecclesiæ procuratione a Nobis suscipienda, conficiendaque, ad Divini Nominis gloriam, ad Orthodoxæ Fidei præsidium, ad sacrosanctæ Religionis incrementum, & ad æternam animarum salutem semper fore redundatura. Postquam igitur debitas laudes, gratiasque persolvimus bonorum omnium Largitori Deo, qui, ut ostendat divitias gloriæ suæ in vasa misericordiæ, dispositione mirabili infirma eligit; eidem, cui aperta, & nuda sunt omnia, in simplicitate cordis nostri revelavimus trepidationem nostram, & argumenta omnia sollicitudinis, ac timoris animo nostro ob ingentem Pontificiarum curarum molem sese undique ingerentia. Nec omisimus cum gemitibus, & lacrymis prosternere preces nostras ante faciem Dei Nostri, ut per merita Jesu Christi Filii sui Pastorum Principis, cujus supremas in terris vices gerimus, requiescere faciat super Nos Spiritum Domini, Spiritum Sapientiæ & intellectus, Spiritum consilii, & fortitudinis, Spiritum scientiæ, & pietatis, & repleat Nos Spiritu timoris Domini; ut non secundum visionem oculorum judicemus, neque secundum auditum aurium arguamus; sed judicemus in justitia pauperes, & arguamus in æquitate pro mansuetis terræ.

Verum infirmitatem Nostram probe agnoscentes, nec de tam cælesti favore ac benedictione Nobis certo polliceri audentes; sed minime dubitantes, quin concors totius Catholicæ Ecclesiæ ad misericordiarum Patrem supplicantis oratio potentissima sit, ut ille uberrimam omnium cælestium Charismatum copiam super Nos benignus effundat; universos Christifideles rogamus, atque in Domino exhortamur, ut nostris suas etiam alacrius conjungant publicas, ferventioresque precationes, supplicationes, jejunia, eleemosynas, atque alia pietatis opera, hoc præsertim tempore, in quo, Carolo claræ memoriæ, dum viveret, Romanorum Rege in Imperatorem electo nuper defuncto, pro novi Romanorum Regis futuri Imperatoris electione Comitia habenda sunt; dum Nos, juxta antiquissimum Romanorum Pontificum Prædecessorum Nostrorum morem, cælestes Ecclesiæ thesauros dispensationi Nostræ creditos erogamus, atque elargimur.

Itaque, de Omnipotentis Dei misericordia, ac Beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus auctoritate confisi, ex illa ligandi, atque solvendi potestate, quam Nobis Dominus, licet indignis, contulit, universis & singulis utriusque sexus Christifidelibus in alma Urbe nostra degentibus, qui sollemni Processioni, quam Dominica ultima post Pentecostem, die videlicet vigesima currentis mensis Novembris, ab Ecclesia S. Mariæ Angelorum in Thermis, ad Basilicam Sanctæ Mariæ Majoris nuncupatam de eadem Urbe, una cum Venerabilibus Fratribus Nostris Sacræ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus, necnon Patriarchis, Archiepiscopis, & Episcopis, quos in Romana Curia adesse contigerit, ac Christianorum Regum, & Principum Oratoribus apud Nos existentibus, Prælatis quoque, & Officialibus ejusdem Curiæ, universoque Clero, & Populo, benedicente Domino, agemus, devote interfuerint, vel Sancti Joannis in Laterano, Principis Apostolorum, & Sanctæ Mariæ Majoris præfatas Ecclesias, seu Basilicas, vel earum aliquam intra spatium ejusdem, vel proxime subsequentis hebdomadæ, saltem semel visitaverint, ibique per aliquod temporis spatium devote, ut supra, Deum oraverint; ac quarta, & sexta feria, ac Sabbato alterius ex præfatis hebdomadis jejunaverint, & peccata sua confessi, Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum in Dominica die immediate sequenti, vel alia die intra eamdem hebdomadam reverenter sumpserint, ac pauperibus aliquam eleemosynam, prout unicuique suggeret devotio, erogaverint: ceteris vero extra Urbem prædictam ubicumque degentibus, qui Ecclesias ab Ordinariis Locorum, vel eorum Vicariis, seu Officialibus, aut de eorum mandato, & ipsis deficientibus, per eos, qui ibi curam animarum exercent, postquam ad eorum notitiam hæ Nostræ pervenerint, designandas, vel Ecclesiarum hujusmodi aliquam, spatio duarum similiter hebdomadarum a publicatione designationis per Ordinarios, vel eorum Vicarios, seu Officiales, vel alios,

alios, ut præfertur, faciendæ decurrendarum, saltem semel visitaverint, ibique, ut supra, oraverint, ac quarta, & sexta feria, ac Sabbato alterius ex hebdomadis hujusmodi jejunaverint, pariterque peccata sua confessi, ac in die Dominica immediate sequenti, vel alia die intra eamdem hebdomadam Sanctissima Communione refecti fuerint, & pauperibus aliquam eleemosynam, ut præmittitur, erogaverint, plenissimam omnium peccatorum suorum Indulgentiam, & remissionem, sicut in anno Jubilæi visitantibus certas Ecclesias intra, & extra Urbem prædictam concedi consuevit, tenore præsentium concedimus, & elargimur.

Navigantes vero, & iter agentes, ut cum primum ad sua sese domicilia receperint, suprascriptis peractis, & visitata Ecclesia Cathedrali, vel Majori, aut Parochiali loci eorum domicilii, eamdem indulgentiam consequi possint, & valeant: Regularibus autem personis utriusque sexus, etiam in claustris perpetuo degentibus, necnon aliis quibuscumque tam Laicis, quam Ecclesiasticis, Sæcularibus, vel Regularibus, etiam in carcere, aut captivitate existentibus, vel aliqua corporis infirmitate, seu alio quocumque impedimento detentis, qui supra expressa, vel eorum aliqua præstare nequiverint, ut illa Confessarius ex jam approbatis a Locorum Ordinariis, ante præsentium publicationem, seu approbandis, eis in alia pietatis opera commutare, vel in aliud proximum tempus prorogare possit, eaque injungere, quæ ipsi Pœnitentes efficere poterunt, pariter concedimus, & indulgemus.

Insuper omnibus, & singulis Christifidelibus utriusque sexus tam Laicis, quam Ecclesiasticis, Sæcularibus, & Regularibus cujusvis Ordinis, Congregationis, & Instituti, tam in Urbe præfata, quam extra eam ubique locorum, ut præfertur, degentibus, licentiam concedimus, & facultatem, ut sibi ad hunc effectum eligere possint quemcumque Presbyterorum Confessarium tam Sæcularem, quam cujusvis Ordinis, & Instituti Regularem ex approbatis, ut præmittitur, a Locorum Ordinariis, qui eos ab Excommunicationibus, Suspensionibus, & aliis Ecclesiasticis sententiis, & censuris a Jure vel ab homine quavis caussa latis, seu inflictis, necnon ab omnibus peccatis, excessibus, criminibus, & delictis quantumvis gravibus, & enormibus, etiam Locorum Ordinariis, sive Nobis, & Sedi Apostolicæ, etiam in litteris die Cœnæ Domini legi solitis contentis, & alias per qualcumque Nostras, aut Romanorum Pontificum Prædecessorum nostrorum Constitutiones, quarum tenores præsentibus haberi volumus pro expressis; quomodocumque reservatis, in foro Conscientiæ, & hac vice tantum absolvere, & liberare valeant, & insuper vota quæcumque (Religionis & Castitatis exceptis) in alia pia, & salutaria opera commutare, injuncta tamen eis, & eorum cuilibet in supradictis omnibus casibus pœnitentia salutari, aliisque ejusdem Confessarii arbitrio injungendis.

Quapropter tenore præsentium in virtute Sanctæ Obedientiæ districte præcipimus, atque mandamus omnibus, & quibuscumque Venerabilibus Fratribus Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, & aliis Ecclesiarum Prælatis, ac quibuscumque Ordinariis Locorum ubicumque existentibus, eorumque Vicariis, & Officialibus, vel, iis deficientibus, illis, qui curam Animarum exercent, ut cum præsentium litterarum transumpta, aut exempla etiam impressa acceperint, illa statim absque ulla mora, retardatione, vel impedimento, per suas Ecclesias, & Diœceses, Provincias, Civitates, Oppida, Terras, & Loca publicent, & publicari faciant, Ecclesiamque, seu Ecclesias visitandas designent.

Non intendimus autem per præsentes super aliqua irregularitate publica, vel occulta, nota, defectu, incapacitate, seu inhabilitate quoquo modo contracta dispensare, vel aliquam facultatem tribuere dispensandi, seu habilitandi, & in pristinum statum restituendi, etiam in foro conscientiæ; neque etiam easdem præsentes iis, qui a Nobis, & Apostolica Sede, vel ab aliquo Prælato, seu Judice Ecclesiastico excommunicati, suspensi, interdicti, seu alias in Sententias, & Censuras incidisse declarati, vel publice denuntiati fuerint, nisi intra tempus dictarum hebdomadarum satisfecerint, aut cum partibus concordaverint, ullo modo suffragari posse, aut debere.

Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis præsertim quibus facultas absolvendi in certis tunc expressis casibus ita Romano Pontifici pro tempore existenti reservatur, ut nec etiam similes, vel dissimiles Indulgentiarum, & facultatum hujusmodi concessiones, nisi de illis expressa mentio, aut specialis derogatio fiat, cuiquam suffragari queant; necnon regula nostra de non concedendis Indulgentiis ad instar, ac quorumcumque Ordinum, & Congregationum, sive Institutorum, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis Statutis, & consuetudinibus, Privilegiis quoque, Indultis, & Litteris Apostolicis eisdem Ordinibus, Congregationibus, & Institutis, illorumque personis quomodolibet concessis, approbatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, etiamsi de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & individua, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum tenores præsentibus pro sufficienter expressis, ac formam in eis traditam pro servata habentes, hac vice specialiter, nominatim, & expresse ad effectum præmissorum derogamus; ceterisque contrariisquibuscumque. Ut autem præsentes Nostræ, quæ ad singula loca deferri non possunt, ad omnium notitiam facilius deveniant; volumus, ut earumdem præsentium transumptis, vel exemplis; etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo Personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, ubique locorum, & Gentium eadem prorsus fides habeatur, quæ haberetur ipsis præsentibus, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Demum sciant omnes, qui vel palam, vel in corde adversantur Sedi Apostolicæ, Sanctæ Romanæ Ecclesiæ judiciis, & signanter Constitutioni *Unigenitus*, indignos esse, qui gratiam, & beneficium Jubilæi participent, &c. &c.

BULLA DECIMASEXTA.

Indulgentiæ, seu relaxationes centum dierum de injunctis, seu debitis Pœnitentiis, pro recitantibus flexis genibus singulis feriis sextis quinquies Orationem Dominicam, & toties Salutationem Angelicam, ad sonum Campanæ, hora tertia post meridiem, in memoriam Passionis, & Agoniæ Domini Nostri Jesu Christi.

Extat hæc Bulla in Tomo I. Bullari sub n. 9. data die 23. Decemb. 1740. Pontificatus vero anno Primo.

BENEDICTUS PAPA XIV.

Ad perpetuam rei memoriam.

AD Passionis, & Agoniæ Redemptoris, & Domini Nostri Jesu Christi, unde Nobis vita, salus, & resurrectio manavit, memoriam in omnium Christifidelium animis excitandam, atque fovendam, Cælestibus Ecclesiæ Thesauris, quorum dispensationem Nobis credidit Altissimus, omnibus, & singulis Christifidelibus, qui singulis feriis sextis totius anni, hora tertia post meridiem, ad sonum Campanæ Ecclesiarum Metropolitanarum, Cathedralium, & Parochialium (quarum Parochis, Rectoribus, aliisque quocumque nomine appellatis Superioribus, ut Campanam uniuscujusque Ecclesiæ hujusmodi pulsari faciant injungimus, & in virtute sanctæ obedientiæ mandamus) flexis genibus quinquies Orationem Dominicam, & toties Salutationem Angelicam devote recitaverint, & oraverint, ac pro Christianorum Principum concordia, hæresum extirpatione, ac Sanctæ Matris Ecclesiæ exaltatione, necnon salutari perditorum hominum emendatione pias ad Deum preces effuderint, centum dies de injunctis eis, seu alias quomodolibet debitis pœnitentiis in forma Ecclesiæ consueta relaxamus, præsentibus perpetuis futuris temporibus valituris. Volumus autem, ut earumdem præsentium litterarum transumptis, seu exemplis etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides habeatur, quæ haberetur ipsis præsentibus, si forent exhibitæ vel ostensæ, &c. &c.

BULLA DECIMASEPTIMA.

Revocatio Communicationis Indulgentiarum inter Confratres Beatæ Mariæ Virginis de Monte Carmelo, & Tertiarios S. Francisci, alias a Clemente XII. concessæ.

Extat hæc Bulla in Tom. I. Bullarii sub num. 94. data die 12. Martii an. 1744. Pontificatus vero Anno IV.

BENEDICTUS PAPA XIV.

Ad perpetuam rei memoriam.

ROmanus Pontifex, Pacis, Justitiæque præcipuus Auctor, & Conservator, nonnumquam ad importunorum petentium instantiam ad quasdam concedendas gratias deflectitur, quas postmodum, rationabilibus suadentibus caussis, præsertim cum in divini cultus detrimentum cedere comperit, revocat, cassat, & annullat, ac alias ad æquitatis, & justitiæ præfatæ semitas reducit, prout rerum, & temporum, ac personarum, & locorum conditionibus, & qualitatibus diligenter pensatis, conspicit in Domino salubriter expedire.

Nuper pro parte Dilecti Filii Vincentii a Conceptione Fratris expresse professi, ac Prioris Generalis Ordinis Beatæ Mariæ de Monte Carmelo Excalceatorum nuncupatorum Congregationis Hispaniæ, Congregationi Venerabilium Fratrum Nostrorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium Indulgentiis, & Sacris Reliquiis præpositorum exposito, quod alias felic. rec. Clemens Papa XII. Prædecessor Noster per quasdam suas in simili forma Brevis die 13. Martii 1736.

1736, expeditas Litteras, instante Dilecto quoque Filio Bonaventura a Ferraria tunc temporis Ministro Generali Ordinis Fratrum Minorum Sancti Francisci Capuccinorum nuncupatorum, tendentibus etiam in id precibus Dilecti pariter Filii Ludovici Benzoni Prioris Generalis tunc pariter existentis Ordinis Fratrum Beatæ Mariæ de Monte Carmelo, concesserat, ut omnes utriusque sexus Christifideles ubicumque existentes, tam intra, quam extra claustra degentes, etiam conjugati, qui sub Regula Tertii Ordinis ejusdem Sancti Francisci militant, & sub jurisdictione pro tempore existentis Ministri Generalis secundodicti Ordinis reperiuntur, omnibus, & quibuscumque Indulgentiis, & peccatorum remissionibus, ac pœnitentiarium relaxationibus ab hac Sancta Apostolica Sede concessis, & concedendis, & quibus Confratres, & Consorores Confraternitatum sub invocatione Beatæ Mariæ de Monte Carmelo quædam sibi injuncta opera adimplentes gaudent, gaudere possent, & alias, prout in ipsius Clem. Prædecessoris Litteris, quarum tenorem præsentibus pro expresso, & inserto haberi volumus, uberius continetur.

Et in eadem expositione subjuncto, quod, occasione promulgandi communicationem, seu concessionem Indulgentiarum hujusmodi, multæ, in Hispaniarum præsertim Regnis, obortæ dissensiones, multaque jurgia ex eo excitata fuerant, & in posterum excitari poterant, quippe quia Fratres Capuccini prædicti ab adimplemento priorum operum Confratribus, & Consororibus Confraternitatum B. Mariæ de Monte Carmelo hujusmodi pro assequendis Indulgentiis illis concessis injunctorum proprios Tertiarios absolutos esse divulgabant ideoque cultus erga gloriosissimam Dei Genitricem Mariam de Monte Carmelo, ipsiusque celebres Confraternitates, necessario minui videbatur; ac propterea ad hujusmodi tollenda inconvenientia, ac jurgia deinceps eventura, dissensionesque componendas, præfatus Vincentius Procurator Generalis plurimum desiderabat, ut vel prædictæ Clementis Prædecessoris Litteræ revocarentur, vel illæ saltem moderarentur, vel opera pia Confratribus, & Consororibus Confraternitatum Beatæ Mariæ de Monte Carmelo, ad effectum consequendi Indulgentias, & peccatorum remissiones, ac pœnitentiarum relaxationes injuncta, Tertiariis etiam dicti Ordinis S. Francisci injungerentur.

Eadem Cardinalium Congregatio, audito prius Dilecto quoque Filio Sigismundo a Ferraria moderno secundodicti Ordinis Fratrum Capuccinorum Procuratore Generali, qui prædictarum Litterarum potius revocationi, quam novæ cujuscumque oneris piorum operum impositioni adhæret, juribusque ab utraque parte deductis diligenter perpensis, die 19. Decembris proxime præteriti censuit, Nobis esse supplicandum pro revocatione supradictarum Clementis Prædecessoris Litterarum. Nobis propterea dictus Vincentius Procurator Generalis humiliter supplicari fecit, ut sibi in præmissis opportune providere, &, ut infra, indulgere de benignitate Apostolica dignaremur.

Nos igitur ipsum Vincentium Procuratorem Generalem specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis, a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, de Venerabilium Fratrum Nostrorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ præfatæ Cardinalium Indulgentiis, & Sacris Reliquiis Præpositorum consilio, memoratas Clementis Prædecessoris Litteras, communicationem Indulgentiarum, Confratribus, & Consororibus Beatæ Mariæ de Monte Carmelo concessarum, & concedendarum, ad favorem Tertiariorum Ordinis Fratrum Minorum S. Francisci Capuccinorum nuncupatorum continentes, cum omnibus, & singulis in dictis Litteris contentis, & inde secutis quibuscumque, auctoritate Apostolica, tenore præsentium revocamus, cassamus, irritamus, & annullamus, viribusve, & effectu penitus, & omnino vacuamus, ac vacuatas esse volumus, & decernimus; Decretumque memoratæ Congregationis Cardinalium die 19. Decembris proxime præteriti, ut præfertur, editum, & a Nobis die 11. Januarii nuper elapsi, prævia illius relatione per memoratæ Congregationis Cardinalium Secretarium facta, approbatum, auctoritate, & tenore præfatis, quatenus opus sit, de novo approbamus, & confirmamus, illique inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus.

Decernentes ipsas præsentes Litteras semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis, ad quos spectat, & pro tempore quandocumque spectabit, plenissime suffragari; sicque in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac, quatenus opus sit, Nostra, & Cancellariæ Apostolicæ regula *de jure quæsito non tollendo*, ac dictorum Ordinum, etiam juramento, Confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, & Litteris Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem, quod earumdem Litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsus fides in judicio, & extra adhibeatur, quæ adhiberetur ipsis præsentibus, si forent exhibitæ, vel ostensæ, &c. &c.

BULLA DECIMA OCTAVA.

Jubilæum pro Christifidelibus Italiæ, & Insularum adjacentium, Divinam opem implorantibus pro pace inter Principes Christianos, & aliis Catholicæ Ecclesiæ necessitatibus.

Extat hæc Bulla in Tom. I. Bullarii sub n. 110. data die 20. Novembris anno 1744. Pontificatus vero anno V.

BENEDICTUS PAPA XIV.

Universis Christifidelibus præsentes Litteras inspecturis, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

IN Suprema Catholicæ Ecclesiæ administratione, quam per ineffabilem Divinæ Bonitatis largitatem Omnipotens Deus Nobis commisit, non leve imbecillitatis Nostræ præsidium in generali Christianorum Principum concordia collocatum iri confidebamus. Hinc jacentem pene animum, tantique muneris magnitudine, & difficultate deterritum, magna spes erexerat, in ea Nos sane incidisse tempora, in quibus, restinctis bellorum incendiis, asserta Regnorum conjunctione, hostium sublata formidine, & facta per illum, qui & mari, & ventis imperat, tranquillitate, facilius Pastoralis Officii Nostri partes implere, & Dominici Gregis curam sustinere potuissemus. Verum quo minus aspera suscepti muneris ducebamus exordia, eo deinceps tristior, & luctuosior Christianæ Reipublicæ facies sese paullatim explicuit, donec tota, velut immissis facibus, Europa deflagrante, adeo vehementes turbulentissimæ tempestatis fluctus Nos jactant, ac pene obruunt, ut cum Prædecessore Nostro Divo Gregorio Magno, senescentis Mundi terminum, atque iræ, & ultionis diem jamjam appropinquantem, Vobis apertius cum gemitu, & lamentatione denuntiare quodammodo cogamur; Nam Regnum adversus Regnum, & Gentes contra Gentes, ac utrasque nomine Jesu Christi insignitas, exurgere, earumque pressuram terris insistere, & aliunde cum angore accipimus, & hic, manantibus continuo lacrymis, propriis oculis spectamus: Terræmotus per loca non ita pridem dederunt significationem, ut fugeremus a facie arcus; arva, & segetes ab eluvionibus direptæ; pestifera, & deterrima lues longe, lateque Provincias depopulata; agri a Colonis relicti; quamplurimi hominum siti, & fame enecati; Urbes Civibus vacuæ, obstructæ cadaveribus viæ, corpora supra corporibus inhumata, & denique tamquam aqua in circuitu sanguis effusus, satis aperta divini furoris signa undequaque præseferunt, & adhuc extentum ultricis justitiæ brachium nobis ostendunt; immo ne tot acerbissimis calamitatibus, Italiæ præsertim incubantibus, deesse aliquid videatur, Nos ipsi propemodum vivimus inter gladios, & fere timemus, ne, percusso Pastore, Oves dispergantur.

At probe memores, quod Dominus, cum iratus fuerit, misericordiæ recordatur, neque vult mortem peccatoris, sed ut fructus dignos pœnitentiæ faciens, convertatur, & vivat, etsi interea temporis cum privatis, tum publicis indictis precibus Deum exoravimus, ut indignationem suam a Nobis averteret: attamen, ut in Nos, cum fiducia adeuntes ad thronum gratiæ, misericordiæ suæ divitias largius effundat, ex prisco Romanæ Ecclesiæ more, cælestium munerum thesauros aperire, & liberali manu erogare decrevimus, ut hoc potissimum acceptabili tempore, cum apparuerit Salvatoris Nostri Dei Humanitas, oriatur in diebus suis abundantia pacis, & ipse auferens bella usque ad finem Terræ, arcum conterat, quem tetendit, confringat arma, & scuta comburat igni.

Itaque de Omnipotentis Dei misericordia, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus auctoritate confisi, ex illa ligandi, atque solvendi potestate, quam Nobis Dominus, licet indignis, contulit, omnibus, & singulis utriusque sexus Christifidelibus tam in hac Alma Urbe Nostra, quam in universa Italia, & Insulis ei adjacentibus, degentibus, quam iis, qui in prædicta Urbe Nostra sollemni Processioni de Festo S. Andreæ Apostoli ab Ecclesia ejusdem Sancti Andreæ de Valle nuncupata Congregationis Clericorum Regularium Theatinorum nuncupatorum, ad Ecclesiam Beatæ Virginis supra Minervam Fratrum Ordinis Prædicatorum de eadem Urbe, universo interveniente

niente

niente Clero, & Populo agendæ, devoti interfuerint, vel Sancti Joannis in Laterano, vel Principis Apostolorum, aut Sanctæ Mariæ Majoris dictæ Urbis Ecclesias, seu Basilicas, vel earum aliquam, intra spatium duarum hebdomadarum, a supradicto die Festo Sancti Andreæ inchoandarum, & usque ad tertiam Dominicam Adventus inclusive decurrendarum, saltem semel devote visitaverint, ibique per aliquod temporis spatium pias ad Deum preces, ut supra, effuderint, ac quarta & sexta feriis, ac Sabbato alterius ex prædictis hebdomadis jejunaverint, & peccata sua confessi, Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum in aliqua ex Dominicis prædictis, vel alia die intra easdem hebdomadas reverenter sumpserint, ac pauperibus aliquam eleemosynam, prout unicuique suggeret devotio, erogaverint, ceteris vero extra Urbem prædictam, ut præmittitur, degentibus, qui Ecclesias ab Ordinariis Locorum, vel eorum Vicariis, seu Officialibus, aut de eorum mandato, & ipsis deficientibus, per eos, qui ibi curam Animarum exercent, postquam ad eorum notitiam hæ Nostræ pervenerint, designandas, vel Ecclesiarum hujusmodi aliquam, spatio duarum similiter hebdomadarum a publicatione designationis per Ordinarios, vel eorum Vicarios, seu Officiales, vel alios, ut præfertur, faciendæ decurrendarum, saltem semel visitaverint, ibique ut supra oraverint, ac quarta & sexta feriis, ac Sabbato alterius ex hebdomadis præfatis jejunaverint, pariterque peccata sua confessi, ac in die Dominica immediate sequenti, vel alia die intra eamdem hebdomadam Sanctissima Communione refecti fuerint, & pauperibus aliquam eleemosynam, ut præmittitur, erogaverint, plenissimam omnium peccatorum suorum Indulgentiam, & remissionem, sicut in anno Jubilæi visitantibus certas Ecclesias intra, & extra Urbem prædictam concedi consuevit, tenore præsentium concedimus, & elargimur.

Navigantes vero, & iter agentes, ut cum primum ad sua sese domicilia receperint, suprascriptis peractis, & visitata Ecclesia Cathedrali, vel majori, aut Parochiali loci eorum Domicilii, eamdem Indulgentiam consequi possint, & valeant; Regularibus autem personis utriusque sexus, etiam in claustris perpetuo degentibus, necnon aliis quibuscumque tam Laicis, quam Ecclesiasticis, Sæcularibus, vel Regularibus, etiam in carcere, aut captivitate existentibus, vel aliqua corporis infirmitate, seu alio quocumque impedimento detentis, qui supra expressa, vel eorum aliqua præstare nequiverint, ut illa Confessarius ex jam approbatis a Locorum uniuscujusque Ordinariis ante præsentium publicationem, seu approbandis, eis in alia pietatis opera commutare, vel in aliud proximum tempus erogare possit, eaque injungere, quæ ipsi Pœnitentes efficere poterunt, pariter concedimus, & indulgemus.

Insuper omnibus, & singulis Christifidelibus utriusque sexus, tam laicis, quam Ecclesiasticis Sæcularibus, & Regularibus cujusvis Ordinis, Congregationis, & Instituti, tam in Urbe prædicta, quam extra eam in universa Italia, & Insulis eis adjacentibus prædictis, ut præfertur, degentibus, licentiam concedimus, & facultatem, ut sibi ad hunc effectum eligere possint quemcumque Presbyterum Confessarium tam Sæcularem, quam cujusvis Ordinis, & Instituti Regularem ex approbatis, ut præmittitur, a Locorum respective Ordinariis, qui eos ab excommunicationis, suspensionis, & aliis Ecclesiasticis sententiis, & censuris a jure, vel ab homine quavis caussa latis, seu inflictis, necnon ab omnibus peccatis, excessibus, criminibus, & delictis quantumvis gravibus, & enormibus, etiam Locorum Ordinariis, sive Nobis, & Sedi Apostolicæ, etiam in Litteris die Cœnæ Domini legi solitis, contentis, & alias per quascumque Nostras, aut Romanorum Pontificum Prædecessorum Nostrorum Constitutiones, quarum tenores præsentibus haberi volumus pro expressis, quomodocumque reservatis, in foro conscientiæ, & hac vice tantum absolvere, & liberare valeant, & insuper vota quæcumque (Religionis, & Castitatis exceptis) in alia pia, & salutaria opera commutare, injuncta tamen eis, & eorum cuilibet in supradictis omnibus casibus, pœnitentia salutari, aliisque ejusdem Confessarii arbitrio injungendis.

Quapropter tenore præsentium in virtute Sanctæ Obedientiæ districte præcipimus, atque mandamus omnibus, & quibuscumque Venerabilibus Fratribus Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, & aliis Ecclesiarum Prælatis, ac quibuscumque Ordinariis Locorum, ubicumque existentibus, eorumque Vicariis, & Officialibus, vel iis deficientibus, illis, qui curam Animarum exercent, ut cum præsentium Litterarum transumpta, seu exempla, etiam impressa acceperint, illa statim absque ulla mora, retardatione, vel impedimento, per suas Ecclesias, & Diœceses, Provincias, Civitates, Oppida, Terras, & Loca publicent, & publicari faciant, Ecclesiamque, seu Ecclesias visitandas designent.

Non intendimus autem per præsentes super aliqua irregularitate publica, vel occulta, nota, defectu, incapacitate, seu inhabilitate quoquomodo contracta dispensare, vel aliquam facultatem tribuere dispensandi, seu habilitandi, & in pristinum statum restituendi, etiam in foro conscientiæ: neque etiam easdem præsentes iis, qui a Nobis, & Apostolica Sede, vel ab aliquo Prælato, seu Judice Ecclesiastico, etiam eorum nomine speciatim non expresso, excommunicati, suspensi, interdicti, seu alias in sententias, & censuras incidisse declarati, vel publice denuntiati fuerint, nisi intra tempus dictarum duarum hebdomadarum satisfecerint, aut cum partibus concordaverint, ullo modo suffragari posse, aut debere.

Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, præsertim quibus facultas absolvendi in certis tunc expressis casibus ita Romano Pontifici pro tempore existenti reservatur, ut nec etiam similes, vel dissimiles Indulgentiarum, & facultatum hujusmodi concessiones, nisi de illis expressa mentio, aut specialis derogatio fiat, cuiquam suffragari queant: necnon regula Nostra de non concedendis Indulgentiis ad instar, ac quorumcumque Ordinum, & Congregationum, sive Institutorum Regularium, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis, & consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, & Litteris Apostolicis eisdem Ordinibus, Congregationibus, & Institutis, illorumque personis quomodolibet concessis, approbatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, etiamsi de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & individua, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum tenores præsentibus pro sufficienter expressis, ac formam in eis traditam pro servata habentes, hac vice specialiter, nominatim, & expresse, ad effectum præsentium, derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

BULLA DECIMANONA.

Jubilæum pro Italia, & Insulis adjacent. concessum, extenditur ad Regnum Galliæ.

Extat in Tom. I. sub num. 123. Data die 18. Februarii an. 1745. Pontificatus vero anno V.

BENEDICTUS PAPA XIV.

Universis Christifidelibus præsentes Litteras inspecturis, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

CUm multorum caritate refrigescente ita sæpe malitia hominum abundat, ut in durissima Nos incidentes tempora, maximis laboremus periculis; omnia utriusque legis instituta, Prophetarum, & Apostolorum exemplis firmata, satis superque testantur, unum nobis, idque tutissimum paratum esse perfugium in precibus, & jejuniis, quibus Dei misericordiam flectere, atque implorare satagimus. Hinc est, quod Italiæ populis ejusque Insulis adjacentibus tot calamitatibus divexatis hoc præsens Jubilæum indiximus, & ad magnam Divini auxilii spem omnes ereximus.

Benedictus PP. XIV. *In suprema Catholicæ Ecclesiæ administratione &c. ut supra pag. 194.*

Hos ergo Divinæ misericordiæ ubertimos fontes in Galliæ quoque Regnum, ejusque Provincias, Nobis cura est derivare, ob id præcipue, ut ibi ab omnibus, qui harum cælestium largitionum participes fieri volunt, præter onera a Nobis præscripta, gratiæ omnino habeantur quammaximæ Omnipotenti Deo, cujus unius beneficio Carissimus Noster in Christo Filius Ludovicus Rex Christianissimus a gravissimo, & deplorato morbo nuper convaluit. Omnes igitur Galliarum cœtus pro Principis salute, & imperii diuturnitate vota nuncupaturi, toti sese in preces effundant, ut, qui solus est dominantium Dominus, dies super dies Regis adjiciat, & cor ejus in manu tenens, faciat, ut ambulans in præceptis ejus, semper speret in Domino, & in misericordia Altissimi non commoveatur.

Ut autem præsentes Nostræ, quæ ad singula loca deferri non possunt, ad omnium notitiam facilius deveniant; volumus ut earumdem præsentium transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica Dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides habeatur, quæ haberetur ipsis præsentibus, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

BULLA VENTESIMA,

De Jubilæi Concessione pro Regno Galliæ; a cujus Indulgentiæ beneficio excluduntur Refractarii.

Extat in Tom. I. sub num. 124. data die 20. Februarii, anno 1745. Pontificatus vero anno V.

Carissimo in Christo Filio Nostro Ludovico Galliarum Regi Christianissimo.

BENEDICTUS PAPA XIV.

Carissime in Christo Fili Noster, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

NUllis verbis explicare satis possumus voluptatem singularem, quam Nobis attulerunt Litteræ Majestatis tuæ

tuæ

tis tuæ die 24. Janu. ad Nos scriptæ, ea quibus consilia deprehendimus ad pacem Europæ conciliandam aptissima, quam Nos quidem unice, atque ardentissime exoptamus. Itaque Majestati tuæ gratias agimus maximas, simulque adjungimus, id Nobis inusitatum, aut novum minime contingere. Quippe regalem indolem, animique tui præclaros sensus jampridem cognitos habemus, ex quibus etiam facile conjecimus, Dei beneficio Majestatem tuam ex gravissimo morbo relevatam fuisse, & prospera nunc uti valetudine, ut tamquam Angelus pacis dissidia componeret, ac populis redderet tranquillitatem.

Illud quoque a Nobis deposcit Majestas tua, ut Jubilæum in Italia, atque Insulis adjacentibus nuper a Nobis promulgatum, Regnis pariter, ac Provinciis Ditioni tuæ subjectis concedamus; in quo sane voluntati tuæ morem libentissime gerimus, ob eam potissimum caussam, quod Galliarum Populi partem Christiani Gregis eximiam constituant. Quapropter, his Nostris Literis adjunctum accipiet Majestas tua, quod expetit, Breve Apostolicum, nihil omnino diversum ab eo, quod Italiæ, & Insulis adjacentibus elargiti sumus, nisi quod tuis populis eam conditionem superaddimus ad obtinendum Jubilæum, ut Deo referant gratias, qui Majestati tuæ pristinam sanitatem restituit; eumque precentur enixe, ut incolumem, & felicem Majestatem tuam diutissime conservet. Pro certo habemus, neminem ex illis reperiri, qui opus hujusmodi libenti animo non suscipiat, cum tot, tantisque lætitiæ signis apertissime declaraverint, se plane intelligere magnitudinem accepti beneficii, & plurimum momenti, ac ponderis positum esse in prospera valetudine Majestatis tuæ ad publicam felicitatem statuendam. Et quidem, Nos ipsi Deo Optimo Maximo preces ob eamdem caussam assiduo persolvimus, cum rem Divinam facimus, idemque institutum perpetuo retinebimus.

Cum autem Brevis Jubilæi, quod Majestati tuæ impertimur, nihil novi contineat, vel diversi ab eo, quod jam Italiæ, atque Insulis adjacentibus proposuimus, ejusque solum extensio ad tuos populos nuncupari debeat: ideo nullam habendam de iis mentionem duximus, qui in tuis Regnis parvi faciunt Constitutionem *Unigenitus*, ejusque auctoritatem temere labefactant; cum præsertim ignorare neminem arbitremur, participes Indulgentiæ fieri nullo modo posse, qui pervicaciam hujusmodi nondum deposuerint. Equidem obsecundare jam videtur Deus voluntati, studiisque Majestatis tuæ, quibus ardenter cupit, ut quicumque Ditioni tuæ subjicitur, eidem Constitutioni omnino pareat, & illam, quo par est, honore prosequatur. Tam præclarum consilium, piosque conatus, absque fructu inanes cadere Deus nequaquam patietur; immo certam ea Divina bonitate spem animo concipimus, fore ut pervicaces, omni contentione deposita, sequantur exemplum clarissimi Regis, qui Sanctæ huic Sedi certissimis argumentis observantiam suam continuo testatur, & Ecclesiæ Decretis obsequenter obtemperat.

Quod reliquum est, Majestatem tuam paterna benevolentia complectimur, & Apostolicam Benedictionem amantissime elargimur.

BULLA VENTESIMA PRIMA.

Christifideles Indulgentias visitantibus Ecclesiam concessas, etiam Sanctissima Eucharistia non exposita, lucrantur: & de frequenti ejusdem Sanctissimæ Eucharistiæ expositione.

Extat hæc Bulla in Tom. II. Bullarii sub num. VI. data die 16. Aprilis 1746. Pontificatus vero anno VI.

Accepimus in Civitate vestra frequenter exponi publice Divina Mysteria, & imperitam multitudinem in eo errore versari, ut arbitretur non lucrari Indulgentias, quæ conceduntur Christifidelibus ad Ecclesiam accedentibus, nisi publicæ venerationi in iisdem sacris ædibus Divina Eucharistia proponatur.

Tam falsa opinio dissimulari non debet, cum Indulgentias assequantur illi, qui omni peccati labe expiati satisfaciunt universis operibus, quæ præscribuntur ab eo, qui Sacras Indulgentias elargitus est. Quamobrem si minime præcipiatur Fidelibus, ut sacra Mysteria publice exposita venerentur, apertissime constat, in errorem maximum adduci eos, qui asserunt Indulgentias, quæ tribuuntur Fidelibus Ecclesiam invisentibus, haud comparari, nisi Sacrum Eucharistiæ Sacramentum in ipsa adorationi publicæ exhibeatur.

In Diœcesi Tullensi (uti deprehenditur in Rituali probati Viri Cardinalis de Bissy pag. 255.) quidam Regulares contenderunt se posse Divina Mysteria publice exponere, licet Episcopi facultas non intercederet, ob eam caussam, quod Indulgentias ipsorum Ecclesiis concessas lucrari populus minime posset, nisi, cum ad easdem Ecclesias accederet, & Divinam Eucharistiam publice expositam adoraret. Itaque Cardinalis de Bissy in Rituali, quod superius nominavimus, inanem prorsus ipsorum opinionem demonstravit, eo quod in illis Indulgentiis concedendis indictum fuerat, ut Fideles pro Indulgentiis lucrandis ante Sacramentum Eucharistiæ publice expositum preces effunderent.

Porro id necessario requiritur ad consequendas eas Indulgentias, quæ Fidelibus conferuntur, qui Deum precantur in illis Ecclesiis, ubi Divina Mysteria spatio continuo quadraginta horarum exposita publice sunt; etenim id omnino præcipitur in hac Indulgentia concedenda, quæ a quadraginta horis continuis nomen accepit. Equidem veteris disciplinæ severitate remissa, nunc eadem Indulgentia concedi intelligitur, etiamsi Sacramentum Eucharistiæ per horas quadraginta continuas gravissimis de caussis minime prostet, modo tamen horis diurnis semper expositum publice relinquatur. De hac re plura tradita sunt in Libro Patris Theodori a Spiritu S. Carmelitanæ discalceati adhuc superstitis, qui inter Consultores Congregationis Indulgentiarum adnumeratur, *tom.* 2. *c.* 2. *art.* 3. §. 2. Ipse quoque commemorat in eadem Congregatione propositum, ac disceptatum fuisse, utrum abroganda videretur inducta jam consuetudo, ob quam peculiares quædam Indulgentiæ concedi solent, cum Divina Mysteria minori pompa in Ecclesiis adoranda proponuntur, responsumque fuisse, nihil certi statui oportere, cum a diversis rerum, ac temporum circumstantiis id omnino pendeat, ac dijudicandum sit.

Hactenus de illorum errore, qui se carere Indulgentiis putant, nisi Eucharistiæ Sacramentum prostet in Ecclesia, licet inter opera perscripta id minime recenseatur: nunc ad alia, quæ a nobis postulantur, respondeamus, videlicet, an Sacra Eucharistia, quæ frequentissime in ista Civitate publice exponi solet, deinceps adorationi Fidelium rarius exponenda videatur; an etiam Ecclesiæ, an dies, in quibus id permittendum judicabitur, ab Episcopo designari debeant?

Illud in primis certissimum est huic Sedi Apostolicæ, in quibuscumque Ecclesiis, etiam privilegio immunibus, sive Sæcularibus, sive Regularibus, non licere exponi publice Divinam Eucharistiam, nisi caussa publica, & Episcopi facultas intervenerint; solius autem Episcopi partes esse, ut caussæ publicæ meritum expendat, ac declaret. Id Nos ipsi luculenter ostendimus in nostra Institutione, quam Bononiæ in lucem emisimus, cum illam Ecclesiam præsentes administraremus, & quæ italico sermone a Nobis confecta decimo loco Tomi secundi continetur. Ipsa nuper cum reliquis latine reddita fuit, quæ omnes typis quamprimum committentur. In illa igitur Institutione cognitam, perspectumque fecimus, quam difficile reipsa sit decernere, utrum probanda, an improbanda sit Eucharistici Sacramenti frequens expositio. Hæc sane quæstio conferri potest cum alia quæstione, utrum consentaneum magis judicetur rem Divinam singulis diebus conficere, an vero aliquando intermittere; utrum pariter illi, qui Sacerdotes non sunt, tamen ad percipiendam Eucharistiam quotidie accedunt, laude, an censura digni videantur? Nullum his quæstionibus responsum fieri potest, nisi antea declarentur peculiares rerum circumstantiæ, ea quibus omnis solutio difficultatis desumenda est.

Ii, qui frequentes Eucharistiæ expositiones improbant, in medium afferunt irreverentiam, quæ plerumque cum ejusmodi frequentia conjungitur. Contra vero intelligimus veteri consuetudine factum esse, ut frequenter in ista Civitate Sacra Mysteria publice exponantur, quæ si abrogentur, fore ut populi Religio, ac pietas imminuatur, ac turbæ concitentur. Itaque, qui præsens isthæc versaris, & animarum curæ, ac gubernio præpositus es, omnem operam, studiumque impendere debes, ut populus cultu, quo decet, ac veneratione Divinam Eucharistiam prosequatur. Quod si pro re consequenda opportunum existimes, frequentes Eucharistiæ expositiones diminuere, ea prudentia, consilioque hoc negotium administres, ita ut Pusilli nullum scandalum, & offensionem patiantur; Rectores Ecclesiarum convoces, cum quibus tempus idoneum constituas, quo Sacra Mysteria exponenda in qualibet Ecclesia sibi videantur; ipsas Divinæ Eucharistiæ expositiones ita distribuas, ut in singulis Urbis Regionibus Sacra Mysteria publicæ venerationi quotidie exhibeantur, ne populus cultum deserat, quem Sacræ Eucharistiæ præstare consuevit. Interim, si plebem in eodem errore permanentem deprehendas, videlicet Indulgentiam nullam haberi, nisi in Ecclesia Divinum prostet Eucharistiæ Sacramentum; tum populo pollicearis, te rogaturum abs Sede Apostolica, ut novam, ac veram Indulgentiam elargiatur illis, qui deinceps Ecclesiam, vel Ecclesias invisent, ubi Sacra Mysteria exposita fuerint. Quod si a Nobis hæc postulentur, populi votis obsecundabimus, eumque Thesauris Indulgentiarum cumulare non omittemus. Hæc scribenda ad te putavimus, ut responsum propositis quæstionibus redderemus. Postremo Tibi Benedictionem Apostolicam impertimur.

BUL-

BULLA VENTESIMA SECUNDA.

Indulgentiæ tam Docentibus, & Addiscentibus Methodum Orationis Mentalis, quam ipsam Orationem Mentalem peragentibus concessæ.

Extat in Tom. II. Bullarii sub num. XXIII. data die 16. Decembris anno 1746. Pontificatus vero anno VII.

Venerabilibus Fratribus Patriarchis, Primatibus, Metropolitanis, Archiepiscopis, Episcopis, & Præsulibus Locorum Ordinariis universis gratiam, & communionem Sedis Apostolicæ habentibus.

BENEDICTUS PAPA XIV.

Venerabiles Fratres, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

QUemadmodum nihil est hominibus a familiari Dei consortio, & consuetudine avulsis, & ajectis, ad divinos hauriendos fulgores, ad æternam salutem procurandam, & ad Deum quasi manu facta coeundum, magis opportunum, salutare, ac necessarium Oratione, quæ est veluti ascensio animæ de terrestribus ad cælestia, inquisitio supernorum, invisibilium desiderium, conjunctio Spiritui Sancto, & ad Deum locutio; ita, ne desolatione desoletur universa terra ex eo, quod nullus recogitet corde, omnes, & singuli ubique, & semper salutaribus præceptis monendi sunt, quod oporteat semper orare, & numquam deficere; ut in omni oratione, & obsecratione, cum gratiarum actione, petitionibus nostris innotescentibus apud Deum, ipse, qui dives est in omnes eum invocantes, nec nostras abs se deprecationes, nec suas a Nobis amoveat miserationes. Eapropter Prædecessores Nostri Romani Pontifices divina institutione formati, ut Christifideles ad orationis, sive Vocalis, sive Mentalis, ut dicitur, illa sit, studium cum alacritate ineundum, & sine intermissione frequentandum incitarent, eosdem tum cohortationibus inflammare, tum cælestium etiam munerum thesauris, quorum dispensationem ipsis crediderat Altissimus, allicere studuerunt. Indulgentias enim, peccatorum remissiones, & de injunctis eis quomodolibet debitis pœnitentiis relaxationes elargiti sunt iis, qui sive vocales preces recitarent, sive per aliquod temporis spatium quotidie in lege Domini meditarentur. Nos autem laudatissimis eorumdem Prædecessorum Nostrorum exemplis incensi, non solum omnes, & singulas Indulgentias, peccatorum remissiones, & pœnitentiarum relaxationes per eosdem Nostros Prædecessores pro recitantibus quascumque vocales preces (dummodo numquam revocatæ fuerint) aut quomodolibet orantibus, quocumque modo sive ad tempus, sive in perpetuum ad hanc usque diem concessas, Apostolica auctoritate, tenore præsentium, sub iisdem prorsus modo, ac forma confirmamus, &, quatenus opus sit, de novo concedimus; verum etiam alias insuper iis præsertim, qui mentalis orationis, seu meditationis studio operam dederint, ut infra, impertimur. Primum itaque omnibus, & singulis, sive qui tam in Ecclesiis, quam alibi, & ubicumque locorum publice, & privatequoscumque homines orandi, seu meditandi rudesquomodocumque orare, & meditari docuerint, sive qui piæ orandi, & meditandi institutioni hujusmodi, ut præmittitur, interfuerint, dummodo vere Pœnitentes, ac Sacra Communione refecti, qua vice id egerint, septem annos, & totidem quadragenas de injunctis eis, seu alias quomodolibet debitis Pœnitentiis in forma Ecclesiæ consueta relaxamus. Iis vero tam docentibus, quam addiscentibus, qui assidue præmissa peregerint, ac similiter vere Pœnitentes, ac Sacra Communione refecti, pro Christianorum Principum concordia, hæresum extirpatione, ac Sanctæ Matris Ecclesiæ exaltatione pias ad Deum preces effuderint; semel in mense pro unicujusque commodo, & arbitrio, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam, & remissionem, quam per modum suffragii animabus Christifidelium, quæ Deo in caritate conjunctæ ab hac luce migraverint, applicare possint, misericorditer in Domino concedimus. Insuper iis, qui per duosquadrantes continuatos, vel saltem per quadrantem horæ singulis diebus, & per totum mensem, orationi Mentali dabunt operam, & vere Pœnitentes, & confessi, Sanctissimam Eucharistiæ Sacramentum sumpserint, ac pro Christianorum Principum concordia, hæresum extirpatione, & Sanctæ Matris Ecclesiæ exaltatione pias ad Deum preces pariter effuderint, plenariam semel quolibet mense omnium peccatorum suorum indulgentiam, & remissionem, quam itidem per modum suffragii animabus Christifidelium, quæ Deo in caritate conjunctæ ab hac luce migraverint, applicare possint, auctoritate, & tenore similibus misericorditer in Domino elargimur. Etsi autem, juxta divinum Domini Nostri Jesu Christi præceptum, oportet ut quisquis oraturus, ne ad instar Hypocritarum videatur ab hominibus, intret cubiculum suum, & clauso ostio oret Cælestem Patrem in abscondito: tamen, cum ipse Dominus dixerit, quod ubi sunt duo, vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum; & Sanctus Joannes Chrysostomus prædicet, esse in oratione cum fratribus plus aliquid, videlicet concordiam, conspirationem, amoris conjunctionem, & caritatis clamorem felici societate, ex qua orationes infirmiores se simul complexas, validiores in Cælum evehi: optimum esset, ubi commode fieri posset, ut, quemadmodum in nonnullis institutum esse accepimus, ita in omnibus, & singulis Diœcesibus in more poneretur; nimirum, ut singulis diebus dato certo Campanarum signo, sive in Ecclesiis, dummodo totius populi multitudo unum in locum, ubi oret, masculis, & feminis seorsim collocatis, convenire facile possit, & nulla suboriatur confusio, & inordinatio, sive in propria Domo Patresfamilias eo, aut alio opportuniori tempore, ante Imaginem Sacram cum tota Familia convenientes orent. Eapropter Vos, Venerabiles Fratres, rogamus, & in Domino hortamur, ut omnibus, & singulis Ecclesiarum, piorumque Locorum, in Civitatibus quidem Cathedralis, aliarumque præcipuarum Ecclesiarum, in Oppidis vero Parochialium Ecclesiarum Superioribus, ac Rectoribus injungatis, ut, præmisso Campanæ sonitu iis diebus, iisque horis, quibus Vobis opportunius in Domino visum fuerit, dando, decernendoque, omnes Christifideles uniuscujusque curæ commissos, quos in unum convenire contigerit, in mentalis orationis studio erudire, sive per alios peritos erudiri faciant, atque ad illam frequentandam accedere, necessitatem, utilitatemque proponere, Indulgentiarum thesauros, quos de benignitate Apostolica elargimur, explicare, & ad ipsos ea, qua decet, pietate, ac reverentia lucrandos inflammare studeant, & enitantur; atque etiam, si commode, ut præmittitur, fieri poterit, orationi mentali in communioni practica, ut dicitur, vacare, in eaque exerceri faciant, & curent; præsentibus perpetuis futuris temporibus valituris. Volumus autem, ut earumdem præsentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo Personæ in Dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quæ adhiberetur eisdem præsentibus, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Interim Apostolicam Benedictionem Vobis, Venerabiles Fratres, peramanter impertimur.

BULLA VENTESIMA TERTIA.

Ampliatur Episcopis facultas impertiendi Benedictionem cum Indulgentia Plenaria Fidelibus in mortis articulo constitutis; etiam per alios, tam in Civitatibus, quam in Diœcesibus, ab ipsis subdelegatos.

Extat hæc Bulla in Tom. II. Bullarii sub nu. XXXIV. data die 5. Aprilis 1747. Pontificatus vero an. VII.

BENEDICTUS EPISCOPUS

Servus Servorum Dei.

Ad perpetuam rei memoriam.

PIa Mater Catholica Ecclesia, de æterna Filiorum suorum salute in primis sollicita, quum hanc intelligat ab extremo ipsorum mortis articulo potissimum pendere, numquam prætermisit omnibus eos subsidiis pro hujusmodi temporis necessitate opportunis juvare, atque instruere, tam iis nimirum, quibus opus esset ad æterna præcavenda supplicia, quam quæ apta, & salubria forent ad evitandas pœnas temporibus definitas, quas in altera vita humanis plerumque spiritibus etiam dimisso mortalis culpæ, æternæque pœnæ reatu, in Purgatorio igne luendas manere non ignorat. Quamobrem, licet ex veteri simul, & recenti Ecclesiæ disciplina, graviorum quorumdam criminum absolutio Romano dumtaxat Pontifici in universo Christiano Orbe, aliorum autem singulis Ecclesiarum Præsulibus in eorum Diœcesibus, reservata fuerit; attamen adveniente unicuique Fidelium supremo migrationis die, omnes hujusmodi absolutionum reservationes cessare, & cuilibet Sacerdoti liberam, & plenam facultatem esse, quemcumque pœnitentem a quibuscumque peccatis, & criminibus, necnon Ecclesiasticis sententiis, atque censuris absolvendi, provide declaratum fuit. Præterea quum in Ecclesia immensus, & inæstimabilis existat Thesaurus spiritualis, ex infinitis constans satisfactionibus Passionis, & mortis Domini Nostri Jesu Christi, ac præterea ex meritis, & satisfactionibus gloriosæ Virginis Genitricis Dei Mariæ, omniumque Sanctorum, & Electorum, cujus Thesauri dispensationem Salvator Noster Beato Petro Apostolorum Principi, ejusque in perpetuum Successoribus tradidit; hoc semper summo studio curarunt Prædecessores Nostri Romani Pontifices, ut illius divitias in moribundos Fideles large diffunderent, & maxima omnium amplitudine, quæ Indulgentia Plenaria nuncupatur, cujusque impertiendæ jus in Apostolica Sede unice residet, ipsis potissimum applicarent. Quam quidem in rem Episcopis per Ecclesias constitutis vices suas cum opportunis facultatibus delegarunt; ne ullus in Orbe Terrarum angulus esset, ubi Catholicæ Religionis professoribus hujusmodi adjumenti copia deesset, pro extremo illo momento, quo ipsorum salutis caussa in discrimen adducitur.

Hacte.

Hactenus hujusmodi facultas Episcopi concedi consuevit, Pontificis nomine, & auctoritate, per privatas Epistolas ipsius Secretarii Brevium secretorum, qui exposita Pontifici petitione pro parte cujusque Episcopi, & pro spirituali utilitate ipsius Subditorum ad se delata, rescribere solebat petitam facultatem ab ipso Pontifice eidem indulgeri *ad Triennium proximum*; hac tamen lege, ut ipse ea uteretur, nimirum Benedictionem impertiret, & Indulgentiam Plenariam ægrotis in mortis articulo constitutis largiretur *per se ipsum immediate*, vel, quatenus Episcopum suffraganeum haberet, *per Dominum suffraganeum suum*; nec, nisi necessitate cogente, & quidem nocturno tempore, alium Sacerdotem in singulis peculiaribus casibus subdelegare posset: *Ubi vero præcisa necessitas exegerit, ac insimul noctis tempore duntaxat, idem permittit, ut alicui Sacerdoti pro, per Dominationem Vestram qualibet vice eligendo &c. communicare valeat.* Quo vero ad Moniales, ordinarii earum Confessarii opera in eum finem uteretur.

Hanc porro facultatem, prout in hujusmodi Litteris concedebatur, Ecclesiarum Pastores jamdudum judicarunt angustis nimium limitibus circumscriptam; non solum ob breve triennii spatium ipsi præfinitum, verum etiam, quia propter relatas leges circa illius usum præscriptas, ab hujusmodi Indulgentiæ Plenariæ beneficio excludi videbant plerosque fideles sibi subjectos, præsertim vero eos, quos extra ipsorum Residentiæ locum, & in remotis Diœcesum regionibus infirmari contingeret; nec defuerunt instantiæ Vicariorum Capitularium, & Vicariorum Apostolicorum, sicut etiam Prælatorum inferiorum Territorium separatam habentium, cum activa in Clerum, & Populum jurisdictione, qui eamdem facultatem Episcopis concedi solitam, sibi quoque tribui postularunt. Quibus de rebus actum fuit die 22. Novembris 1710. in Congregatione Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium Indulgentiis, & Sacris Reliquiis præposita, cujus Consultoris officium in Minoribus tunc constituti obtinebamus; sed nihil tunc temporis est innovatum, resque in priori statu relicta fuit.

Cum vero deinceps alterutrum quoque munus Secretarii Congregationis Decretorum, Concilii Tridentini interpretis Nobis in Minoribus pariter degentibus demandatum fuisset; instante Episcopo Mazariæ tunc existente, duo Dubia eidem Congregationi definienda proposuimus, unum videlicet: an, stante dispositione præmissarum Epistolarum Secretarii Brevium, ut scilicet Episcopus pro impertienda Monialibus Benedictione, & Indulgentia Plenaria eisdem in articulo mortis applicanda, earum Confessarii opera uteretur, licitum sit Episcopo Monasterii Claustra ingredi, ut hujusmodi pium opus per se ipsum adimpleat; alterum vero, quatenus id Episcopo permittatur, an, & a quibus comitatus Monasterium ingredi debeat; super quibus, perpensa Folio a Nobis pro hujusmodi quæstionum elucidatione de more exarato, die 10. Maji 1727. responsum fuit, ad primum: Licere Episcopo, quoties voluerit, ad impertiendam Benedictionem Moniali in mortis articulo constitutæ Monasterium intrare. Ad secundum: Episcopo ad hunc effectum intra Monasterii septa se conferenti comites esse debere Confessarium ordinarium ipsius Monasterii, aliumque Sacerdotem ipsius Episcopi arbitrio eligendum. Rescripto autem additum: *Et ad Dominum Secretarium cum Eminentissimo Secretario Brevium*, quibus nimirum verbis Nobis demandatum fuit, ut cum bonæ memoriæ Cardinali Oliverio nuncupato, tunc Brevium secretorum Prædecessoris Nostri Benedicti Papæ XIII. Secretario ageremus, pro ampliatione facultatum in memoratis Epistolis contentarum, quarum formulam a Nobis in Folio tunc eidem Congregationi, ut præfertur, exhibito, integre insertam, ipsa Congregatio paullo arctioribus conclusam limitibus judicavit.

Neque porro omisimus injunctum Nobis onus agendi cum præfato Cardinali Brevium Secretario quamprimum implere; verum quum paullo post ab eodem Benedicto Prædecessore in Collegium S. R. E. Cardinalium coptati, ad regendam Episcopalem Anconitanam Ecclesiam Nos contulerimus, ea qua biennio post ad Metropolitanam Bononiensem translati fuimus, non licuit Nobis negotium illud ad optatum finem perducere. Interim vero, quum non minus pro Anconitano, quam pro Bononiensi Populo, hujusmodi facultatem Indulgentiæ Plenariæ moribundis Fidelibus impertiendæ ab Apostolica Sede, ut par erat, expetitam, juxta consuetam formam, ac superius enunciatis limitibus circumscriptam obtinuissemus; ipso statim usu, & propria experientia, in eas incidimus difficultates, quæ & anno 1710. ut præfertur, in Congregatione Sacris Reliquiis, & Indulgentiis præposita, a Nobis tamquam Consultore propositæ fuerant, quæque deinceps anno 1727. alteri Congregationi Cardinalium Concilii Tridentini interpretum a Nobis etiam, pro Secretarii munere, expositæ, caussam dederunt memoratæ consultationi cum Secretario Brevium introducendæ. Etiam tum vero in Anconitanæ, tum vero amplioris Bononiensis Ecclesiæ regimine, animadvertimus, ob interdictam Nobis hujusmodi facultatis subdelegationem, omnes plerumque Diœcesis habitatores hoc tanto spirituali beneficio summis suis temporibus orbatos manere; & quidem cum irreparabili damno, deficientibus per Diœcesim Collegiis Clericorum Regularium Ministrantium Infirmis, quibus a felicis recordationis Predecessore Nostro Alexandro Papa VII. per Litteras die 15. Januarii anni 1656. datas, & perpetuo valituras, Indultum fuit, ut Christifidelibus in mortis articulo constitutis Benedictionem cum Indulgentia Plenaria impertiri valeant; nec aliis extantibus Cœnobiis Regularium, quibus, pro Confratribus piarum quarumdam Societatum ab eorum Ordinibus institutarum, similia Indulta, & Privilegia ab Apostolica Sede concessa fuerunt. Quod vero spectat ad Incolas ipsius Civitatis, si quidem hæc, ut Bononia est, frequenti Populo sit referta, quum facultas substituendi non aliter in præfata Epistola tribuatur, quam in casu præcisæ necessitatis cum nocturno tempore conjuncto: cum magno animi Nostri dolore experti sumus Paternæ hujusmodi caritatis actus erga dilectos in Christo Filios nostros, non ea assiduitate, qua cupiebamus, per Nos ipsos præstari posse. Nam præterquam quod necesse habebamus nonnullis per annum mensibus a Civitate abesse, ut juxta præscriptum Sacræ Tridentinæ Synodi, si non totam, saltem aliquam illius amplæ Diœcesis partem singulis annis coram invisendo, corrigendo, docendo, & Sacramentum Confirmationis visitatis plebibus ministrando, lustraremus; jam in ipsa Civitate degentes, nullam fere diurni temporis horam vel a Divinis rebus, vel a Pastoralis Officii occupationibus vacuam habebamus, dum pro occurrentium negotiorum expeditione, nunc adeuntium postulationibus, nunc Ministrorum relationibus, nunc Congregationum consultationibus operam dare oportebat; recurrentibus autem Ordinationum temporibus, vel evenientibus Ecclesiarum Parochialium vacationibus, aut cessantibus Confessariorum facultatibus, quas, ad nova de ipsis experimenta identidem capienda, nonnisi temporibus definitas iisdem concedere consuevimus, examina, atque concursus sine Nobis haberi non permittebamus. Et sane, si quis Episcopalis vitæ conditiones, ut vere se habent, considerare velit, facile agnoscet, majorum Civitatum Episcopos fere redactos esse ad hujusmodi Benedictionis, & Indulgentiæ beneficium aliquibus dumtaxat Personis, vel genere, vel aliis qualitatibus conspicuis, & quidem instantibus, & postulantibus, exhibendum; pauperibus autem, & humilioribus, ob præclusam sibi, extra necessitatis, & noctis tempora, subdelegandi facultatem, via umquam succurrere posse.

Quod si satis momenti, & auctoritatis haberet sententia a nonnemine proposita, Plenariam scilicet Indulgentiam in mortis articulo concedendam non esse, nisi his, quorum eximia in Ecclesiam merita extitissent; ea nimirum de caussa, quod quum pro hujusmodi Indulgentiæ consequutione, vel nullum omnino opus injungi, vel nonnisi morientis statui, & viribus accommodatum imponi possit, præterita dumtaxat in Ecclesiam merita, cum extrema præsenti necessitate conjuncta, locum supplere possint aliorum operum, quæ ceteroquin ad Plenariam Indulgentiam adipiscendam præscribi solent; nihil profecto esset, cur aliquid nunc a Nobis innovando statueretur. Verum Prædecessorum Nostrorum hac in re agendi ratio, relatæ opinioni contraria dignoscitur; ut enim multas prætereamus concessiones Indulgentiæ Plenariæ morientibus fidelibus indistincte applicandæ, quænam porro, & quam magna in Ecclesiam promerita fuisse dicemus eorum, qui quatuor ab hinc sæculis, pestifera lue per Angliam grassante, ex hac vita decedebant? quibus tamen omnibus, dummodo sacramentaliter confessi, & sacra Communione refecti fuissent, Prædecessores Nostri Clemens Papa VI. & Gregorius Papa XI. Benedictionem cum Indulgentia Plenaria per Legatos suos impertiri non recusarunt. Sed & ipsa Congregatio Indulgentiis, & Sacris Reliquiis præposita jam usque ab anno 1675. die 13. Aprilis, re diligenter perpensa, censuit, Indulgentiæ Plenariæ largitionem in eos etiam, qui singularibus in Ecclesiam meritis nequaquam excellerent, recte, & utiliter conferri atque diffundi.

Quapropter Apostolicæ caritatis Nostræ viscera dilatantes, & tam veteribus, quam recentioribus Ecclesiasticæ benignitatis exemplis inhærentes; siquidem extat illustre monumentum tertii Ecclesiæ sæculi in Epistola Sancti Cypriani, quæ in novis Editionibus impressa est *num. XII.* qua scilicet, in eorum gratiam, qui Libellos Martyrum obtinuerant, & in mortis periculo versabantur; quum ipse æstivis ardoribus præpediretur, quo minus, ut optaverat, ad eos reconciliandos sese conferre posset, permittit, ut id, vice sua, a quocumque Presbytero, aut etiam Diacono, præstari queat. Novissimis vero temporibus, ex secunda Mediolanensi Provinciali Synodo constat, a felicis recordationis Prædecessore Nostro Gregorio Papa XIII. omnibus Episcopis illius Provinciæ concessum fuisse, non solum ut ipsi Benedictionem cum Indulgentia Plenaria moribundis Fidelibus impertirent, sed etiam, ut aliis hujusmodi facultatem libere subdelegare possent. His igitur, aliisque exemplis, necnon rationibus superius relatis permoti, hac Nostra perpetuo valitura Constitutione novas in hac materia regulas præfinire, quodque olim, ut præmisimus, de alterius sententia deliberandum Nobis fuerat, nunc demum de concessa Nobis Apostolicæ potestatis plenitudine absolvere, ac perficere constituimus.

Ita-

Itaque primum volumus, atque decernimus, ut quæ facultates impertiendi Benedictionem cum Indulgentia Plenaria Fidelibus in mortis articulo constitutis, Venerabilibus Fratribus Patriarchis, Primatibus, Archiepiscopis, & Episcopis nunc existentibus a Nobis, vel a Prædecessoribus Nostris ad hanc diem concessæ reperiuntur, licet illæ in consuetis Epistolis Secretarii Brevium, ad triennium dumtaxat, vel alias ad definitum tempus indultæ fuerint, nihilominus præsentis Nostræ Constitutionis vigore eo usque in suo robore maneant, quoad iidem Antistites earum Ecclesiarum, atque Diœcesum regimen obtinebunt, quarum favore, & intuitu easdem facultates a Nobis, & ab Apostolica Sede impetrarunt. Nos enim eas ad omne tempus hujusmodi, motu proprio, & auctoritate præfata, atque earumdem præsentium Litterarum serie, extendimus, & prorogamus.

Utque præterea unusquisque ex Antistitibus præfatis, unum, aut plures pios Sacerdotes sive Sæculares, sive Regulares, prout necessarium fore judicabunt, in eorum Civitatibus subdelegare valeant, qui, dum ipsi Antistites aliquo legitimo impedimento detinebuntur, quamvis hujusmodi impedimentum diurno tempore occurrat, eorum vice, Benedictionem hujusmodi cum Indulgentiæ Plenariæ applicatione Christifidelibus in præfato articulo constitutis impertiantur; aliosque similiter per Diœcesim Sæculares, aut Regulares Sacerdotes, quotquot pro numero animarum in Diœcesibus existentium necessarios judicaverint, ad prædictum effectum deputare, & subdelegare possint; necnon eosdem a se deputatos, & subdelegatos removere, aliosque in eorum locum pro suo arbitrio, & prudentia subrogare valeant: iisdem motu, potestate, & tenore, concedimus, & indulgemus.

Si vero aliquem ex Antistibus nunc per Ecclesias constitutis, & præfata facultate gaudentibus, ad aliarum Ecclesiarum regimen Apostolica auctoritate transferri contingat; sive aliquis eorum sit, quorum favore consuetæ Litteræ Secretarii Brevium ad hunc diem expeditæ non fuerint; ac denique quum novi Episcopi Catholicis Gregibus in posterum præficientur; volumus, atque statuimus, ut singulis eorum hujusmodi facultatem a Nobis, sive a Romano pro tempore Pontifice postulantibus, Apostolicæ Litteræ in forma Brevis gratis per omnia expediantur, quibus prædicta facultas ipsis concedatur, non ad triennium, sed ad omne tempus, quo adeptum semel Ecclesiæ regimen obtinebunt; adjecta etiam facultate subdelegandi tam pro Civitate, quam pro Diœcesi, non quidem in casu dumtaxat impedimenti cum nocturno tempore conjuncti, sed ita omnibus, & per omnia ad normam eorum, quæ pro Episcopis nunc existentibus, & indulto hujusmodi acto gaudentibus, supra statuimus.

Insuper pro Prælatis inferioribus Territorium separatum habentibus, cum vera qualitate Nullius, & activa in Clerum, & Populum jurisdictione; quamvis Prædecessores Nostri hanc de præterito consuetudinem non habuerint; nihilominus de Apostolica liberalitate, ac simili motu, & tenore concedimus, & indulgemus, ut si ab ipsis hujusmodi facultas petita fuerit, similes Litteræ in forma Brevis in posterum singulis eorum expediantur, juxta eamdem formam, mutatis mutandis, quam pro Episcopis constituimus, ne excepta quidem facultate subdelegandi, ut supra; dummodo ipsi Prælati hanc gratiam postulantes, Apostolicis Litteris Nostris anno Incarnationis Dominicæ 1740. nono Kalend. Decembris datis, quarum initium est: *Quod sancta*, impressis in Bullario nostro *Tom. I. n. 7.* obtemperaverint; nimirum sacra Apostolorum Limina præscriptis temporibus visitaverint, & relationem status Ecclesiarum sibi subjectarum Apostolicæ Sedi exhibuerint; vel, quatenus Prælationis honorem de novo accipiant, & debitum juramentum in memorata Constitutione præscriptum antea præstiterint.

Dum autem hujusmodi facultatem Episcopis eam actu obtinentibus prorogavimus, & ampliavimus, ut præfertur; ceteris vero tam Episcopis, quam Prælatis inferioribus in posterum eam petentibus, supradicta forma, & amplitudine concedendam fore decrevimus; sequitur, ut hujusmodi Indulta nequaquam morte concedentis expirent; quum jurisdictio delegata in iis, quæ non justitiam, sed gratiam concernunt, etiam post obitum delegantis manere debeat. Quoniam vero iisdem Episcopis, & Prælatis permittimus, ut hujusmodi facultatem, pro Incolarum Civitatum, Locorum, atque Diœcesum opportunitate, & necessitate, uni, vel pluribus Sacerdotibus in posterum subdelegare valeant; statuimus, atque decernimus, hujusmodi subdelegationes, per subdelegantis cessum, aut decessum similiter non expirare; sed potestatem ipsis tributam perseverare usque ad superventum novi Præsulis, cujus arbitrio relinquimus, eosdem in hujusmodi officio confirmare, vel ab eo removere. Atque ita quicumque Antistes memoratam facultatem a Romano Pontifice semel obtinuerit, eo decedente, opus non habet pro illius confirmatione ad Apostolicæ Cathedræ Successorem recurrere. Sicque etiam cedente, vel decedente Episcopo, seu Prælato, a quo eadem facultas in sua Diœcesi, aut Territorio subdelegata fuerat, nova concessione opus non erit pro temporaneo Vicariorum Capitularium, aut Apostolicorum regimine; quum Subdelegatorum auctoritas semper manere debeat, quamdiu vel Episcopus ipse, aut Prælatus, vel illius Successor eamdem ipsis non ademerit.

Hac igitur ratione animarum saluti consulentes, quantum Nobis in Domino licuit, piam consuetudinem applicandi Plenariam Pontificiam Indulgentiam Ecclesiæ filiis in mortis articulo constitutis, ampliare, & faciliorem reddere curavimus. Permissaque Venerabilibus Fratribus, ac Dilectis Filiis Ecclesiarum Episcopis, & Præsulibus, facultate alios Sacerdotes ad hunc effectum, tam in Civitatibus, quam in Diœcesibus subdelegandi, non parum levaminis eorum anxietatibus, & sollicitudinibus per Nos allatum esse putamus. Veruntamen ipsis declaratum volumus, non id propositum Nobis fuisse, ut eos prorsus eximeremus ab hoc paternæ caritatis officio, per seipsos adeundis miseros ægrotos Plenariæ absolutionis in extremo articulo adipiscendæ cupidos; sed ut eorum pietatem opportune juvaremus, ne, dum ipsi aliis Pastoralibus curis detinentur, dolere debeant, commissos sibi Fideles hoc tanto spirituali beneficio destitutos ex hac vita migrare. Qui vero pium hujusmodi opus per semetipsos exercere gaudent (quod sane omnes, quoties legitime impediti non fuerint, facturos esse confidimus) meminerint, non id dumtaxat erga nobiliores, & potentes hujus sæculi, sed erga pauperes quoque, & abjectæ sortis homines præstandum esse. Qua de re utiliter legi poterit S. Gregorii Magni Homilia 28. in Evangelia *ad Cap. 4.* Joannis: *Erat quidam Regulus, cujus Filius infirmabatur Capharnaum*, in qua mirabilem, atque cælestem observat amantissimi Redemptoris Nostri JESU CHRITI agendi rationem, qui ad invisendum ægrotantem Reguli filium invitatus ire abnuit, ad Centurionis servum nec invitatus iturum se promittit: *Quid est, quod Regulus rogat, ut ad ejus filium veniat, & tamen venire recusat; ad servum vero Centurionis non invitatur, & tamen se corporaliter ire pollicetur? Reguli filio per corporalem præsentiam non dignatur adesse, Centurionis servo non dedignatur occurrere?*

Ut autem Indulgentiæ fructus a Fidelibus in mortis articulo percipiatur, hoc sedulo agendum erit, ut Populus in Sacris Concionibus, & Cathechesibus frequenter edoceatur, quod ii, qui gratiæ Dei, quam in Baptismo acceperunt, ingrati, per actualia peccata Spiritum Sanctum contristaverunt, & Templum Dei violare non sunt veriti, quantumvis æterna supplicia in Pœnitentiæ Sacramento condonata fuerint, nihilominus temporalis plerumque pœna Divinæ justitiæ exsolvenda superest, cujus remissio obtinenda est non solum per satisfactiones a Sacerdote Confessario in ipso Pœnitentiæ Sacramento pro mensura delicti impositas, aut per Christianam tolerantiam earum adversitatum, a quibus mortalium vita immunis esse nequit; verum etiam per jejunia, eleemosynas, orationes, & alia pia spiritualis vitæ exercitia. Alioquin verendum esset, ne salutis remedia ab Ecclesiæ benignitate Fidelibus suppeditata, paullatim in pravæ libertatis, & licentiæ fomentum traherentur; compluribus sibi temere blandientibus de remissione tum sempiternæ pœnæ, per Sacramentalem absolutionem, tum temporalis, per Indulgentiæ Pontificiæ applicationem, in exitu vitæ impetranda; neque cogitantibus quam incertum sit omnibus non solum qua hora, & quo mortis genere ex hac vita migrandum sibi fuerit; sed etiam an Indulgentiam, licet externo ritu sibi applicatam, cum effectu sint percepturi. Præpostera æque, ac periculosa antiquis Ecclesiæ temporibus inoleverat consuetudo, ut non pauci ex iis, qui ad Baptismum nomina obtulerant, ad finem usque vitæ ipsius Sacramenti perceptionem prorogasent, quo scilicet interim ingenio libere indulgerent, ac demum quum e vita discessuri essent, per salutare lavacrum, ab omni culpa, & tam ab æterna, quam a temporali pœna soluti, ad cæleste Regnum recta transferrentur; contra quos extant gravissimæ objurgationes Sancti Gregorii Nazanzeni in Oratione 40. & Sancti Joannis Chrysostomi in Homilia 1. super Acta: sed & Ecclesia Catholica pravam hujusmodi confidentiam improbare se declaravit, dum eos, qui in mortis periculo Baptismum susceperant, si convaluissent, a Sacris Ordinibus, & ab Officiis Ecclesiasticis arcendos, ac perpetuo irregulares fore decrevit.

Et quoniam Sacerdotibus, qui Fideles in extremo agone laborantes pie adjuvant, vel Ecclesiæ Sacramenta ipsis ministrant, Rituale Romanum injungit, ut si ægrotus Indulgentiam Plenariam legitima auctoritate concessam consequi valeat, eam illi in mentem reducant, proponantque quid ad eam consequendam agere debeant; ex his autem, qui ad hujusmodi statum redacti sunt, alii quidem cum plena cognitione integrum loquelæ usum retinent: alii vero loquendi facultatem amiserunt, licet antea sinceræ contritionis indicia dederint, eaque, adhuc ratione utentes, identidem dare non desinant; ideo, quo certius prædicti omnes Indulgentiæ fructus consequi valeant, præfatis Sacerdotibus mandamus, ut omni ratione studeant moribundos Fideles excitare ad novos de admissis peccatis doloris actus eliciendos, concipiendosque ferventissimæ in Deum caritatis affectus; præsertim vero ad ipsam mortem æquo,

ac la-

ac libenti animo de manu Domini suscipiendam. Hoc enim præcipue opus in hujusmodi articulo constitutis imponimus, & injungimus, quo se ad Plenariæ Indulgentiæ fructum consequendum præparent, atque disponant. Qua in re auctor Nobis est Sanctus Doctor Augustinus, qui *in Lib. 13. de Civit. Dei cap.6.* postquam horridam mortis speciem, eique renitentes hominum animos descripsit, quodque in aliis suis operibus non semel docuerat, mortem nimirum esse peccati originalis pœnam, ibi quoque asseruit, & confirmavit; hæc ad rem nostram apposite subdit: *Quidquid tamen illud est in morientibus, quod cum gravi sensu adimit sensum, pie, fideliterque tolerando, auget meritum patientiæ, non aufert vocabulum pœnæ. Ita cum ex hominis primi perpetuata propagine procul dubio sit mors pœna nascentis; tamen, si pro pietate, justitiaque pendatur, fit gloria renascentis; & cum sit mors peccati retributio, aliquando impetrat, ut nihil retribuatur peccato.*

Pro impertienda vero Benedictione Fidelibus in mortis articulo constitutis, applicandaque ipsis Plenaria Indulgentia, quum nulla certa formula olim præscripta foret, sanctæ memoriæ Prædecessor Noster Benedictus Papa XIII. anno Domini 1726. pias quasdam Preces, & Orationes ad hunc effectum adhibendas publicari mandavit; quarum exemplo, in his, quæ opportuna judicavimus, inhærentes, aliam de novo formulam, cum his, quæ in hac nostra Constitutione præscripta sunt, magis congruentem confecimus, & instituimus, quam ab omnibus in posterum usurpari præcipimus; Mandantes, hoc ipsum inculcari, & injungi in Apostolicis Litteris, quæ deinceps pro concessione prædictæ facultatis Indulgentiæ Plenariæ moribundis impertiendæ, ut præmisimus, expediendæ erunt.

Ac decernentes, ipsas præsentes Litteras semper validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios effectus perpetuo sortiri, & obtinere, atque iis, ad quos spectat, seu spectabit in futurum, plenissime suffragari. Non obstantibus Apostolicis, & in Generalibus, seu Provincialibus, aut Synodalibus Conciliis editis generalibus, seu specialibus Constitutionibus, ac quibuscumque contrariis, etiam Congregationum S. R. E. Cardinalium, Decretis, & Resolutionibus etiam Apostolica auctoritate approbatis, roboratis, & pluries confirmatis; usibus quoque, stilibus, & consuetudinibus, etiam immemorabilibus: Quibus omnibus, & singulis, ad præmissorum effectum, motu, scientia, & potestate præfatis amplissime derogamus, aliisque contrariis quibuscumque.

Volumus autem, ut earumdem præsentium transumptis, sive exemplis, etiam impressis, manu Notarii publici subscriptis, & sigillo Personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem ubique fides habeatur, quæ ipsis præsentibus haberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Formula igitur, quam pro impertienda Benedictione, & Plenaria Indulgentia moribundis Fidelibus applicanda, ut præfertur, in posterum adhibendam esse præscripsimus, talis est:

MODUS

A SS. D. N. BENEDICTO PAPA XIV. Approbatus

Pro opportunitate temporis servandus, ut infra in Rubricis notatur, ad impertiendam Benedictionem in articulo mortis constitutis, ab his, qui facultatem habent a Sede Apostolica delegatam.

Benedictio in Articulo mortis cum soleat impertiri post Sacramenta Pœnitentiæ, Eucharistiæ, & Extremæ Unctionis illis Infirmis, qui vel illam petierint, dum sana mente, & integris sensibus erant, seu verisimiliter petiissent, vel dederint signa contritionis; impertienda iisdem est, etiamsi postea lingua, cæterorumque sensuum usu sint destituti, aut in delirium, vel amentiam inciderint. Excommunicatis vero, impœnitentibus, & qui in manifesto peccato mortali moriuntur, est omnino deneganda.

Habens prædictam facultatem, ingrediendo cubiculum, ubi jacet Infirmus, dicat: Pax huic Domui &c. *ac deinde ægrotum, cubiculum, & circumstantes aspergat aqua benedicta, dicendo Antiphonam.* Asperges &c.

Quod si Ægrotus voluerit confiteri, audiat illum, & absolvat. Si Confessionem non petit, excitet illum ad eliciendum actum contritionis; de hujus benedictionis efficacia, ac virtute, si tempus ferat, breviter admoneat; tum instruat, atque hortetur, ut morbi incommoda, ac dolores in anteactæ vitæ expiationem libenter perferat, Deoque sese paratum offerat ad ultro acceptandum quidquid ei placuerit, & mortem ipsam patienter obeundam in satisfactionem pœnarum, quas peccando promeruit. Tum piis ipsum verbis consoletur, in spem erigens fore, ut ex divinæ munificentiæ largitate tam pœnarum remissionem, & vitam sit consecuturus æternam. Postea dicat:

℣. Adjutorium nostrum in nomine Domini.
℟. Qui fecit Cælum, & Terram.

Antiphona.

Ne reminiscaris Domine delicta Famuli tui (*vel Ancillæ tuæ*) neque vindictam sumas de peccatis ejus.
Kyrie eleyson, Christe eleyson, Kyrie eleyson.
Pater noster &c.
℣. Et ne nos inducas in tentationem,
℟. Sed libera nos a malo.
℣. Salvum fac Servum tuum (*vel Ancillam tuam, & sic deinceps.*)
℟. Deus meus sperantem in Te.
℣. Domine exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum.
℟. Et cum spiritu tuo.

OREMUS

Clementissime Deus, Pater misericordiarum, & Deus totius consolationis, qui neminem vis perire in te credentem, atque sperantem, secundum multitudinem miserationum tuarum respice propitius famulum tuum N. quem tibi vera Fides, & Spes Christiana commendant. Visita eum in salutari tuo, & per Unigeniti Tui Passionem, & Mortem, omnium ei delictorum suorum remissionem, & veniam clementer indulge, ut ejus anima in hora exitus sui Te Judicem propitiatum inveniat, & in sanguine ejusdem Filii tui ab omni macula abluta, transire ad vitam mereatur perpetuam. Per eumdem Christum Dominum nostrum.

Tum dicto ab uno ex Clericis adstantibus Confiteor &c. *Sacerdos dicat* Misereatur &c. *deinde:*

Dominus Noster Jesus Christus Filius Dei vivi, qui Beato Petro Apostolo suo dedit potestatem ligandi, atque solvendi, per suam piissimam misericordiam recipiat confessionem tuam, & restituat tibi stolam primam, quam in Baptismate recepisti; Et Ego facultate mihi ab Apostolica Sede tributa, Indulgentiam Plenariam, & remissionem omnium peccatorum tibi concedo. In nomine Patris &c.

Per sacrosancta humanæ reparationis mysteria, remittat tibi omnipotens Deus omnes præsentis, & futuræ vitæ pœnas, Paradisi portas aperiat, & ad gaudia sempiterna perducat. Amen.

Benedicat Te Omnipotens Deus, Pater, Filius, & Spiritus Sanctus. Amen.

Si vero Infirmus sit adeo morti proximus, ut neque Confessionis generalis faciendæ, neque præmissarum precum recitandarum tempus suppetat, statim Sacerdos benedictionem ei impertiatur.

Nulli ergo &c. &c.

BULLA VENTESIMAQUARTA.

De Præparatione ad annum Jubilæi Universalis, ac præsertim de reparandis Ecclesiis Urbis.

Extat in Tom. III. Bullarii sub num. 15. data die 5. Maji anno 1749. Pontificatus vero Anno Nono.

Allocutio ad S. R. E. Cardinales, habita in Consistorio secreto Feria secunda, die tertia Martii, anno 1749.

VENERABILES FRATRES.

Annus Jubilæi, qui Sanctus vulgo nuncupatur, post hunc annum, quem auspicati jam sumus, indicendus occurrit; tunc enim vigesimus quintus annus absolvetur, ex quo Benedictus XIII. Prædecessor Noster Jubilæum celebravit. Porro nemo Vestrum ignorat, Constitutione Bonifacii VIII. Prædecessoris Nostri sancitum fuisse, ut Annus Jubilæi, nonnisi peractis centum annis indiceretur: quod deinde spatium temporis contractum fuit a Clemente VI. ad annos quinquaginta; & postea ab Urbano VI. Prædecessore quoque Nostro ad annos triginta tres redactum. Tandem, post alias vices, quę in Ecclesię Annalibus recensentur, a Paulo II. Prędecessore Nostro constitutum fuit, ut anni Sancti celebritas post annos viginti & quinque in posterum ageretur: quę sane laudabilis consuetudo ad hanc usque diem retinetur. Post Bonifacium VIII. qui prius Jubilęum vel instituit, vel saltem restituit, ad hęc usque tempora, septemdecim celebritates anni Sancti peractę fuerunt: ideoque decimum octavum numerabitur Jubilęum, quod proxime indicetur.

Pontificum vero memoriam repetentes, qui celebritatem ejusmodi peregerunt, Nicolaum V. qui Bononiensem Episcopatum antea gesserat, & Gregorium XIII. Civem Bononiensem deprehendimus. Nos etiam Bononiæ nati, & qui Bononiensem Archiepiscopatum adhuc retinemus, decimum octavum Jubilæum, si Deo placuerit, indicemus, & celebrabimus. Quod si aliter contigerit, Divinæ voluntati Nos omnino subjectos, paratosque ad quælibet Dei judicia

eis subeunda fatemur. Nam oculis nostris obversatur Pauli III. memoria, qui, indicto Jubilæo, mortali hac vita defunctus est, & Julio III. illud absolvendum reliquit. Obversatur etiam exemplum Innocentii XII. qui Portam Sanctam reseravit, quam deinde Clemens XI. occlusit. At vero, quidquid de incerto vitæ cursu Nobis futurum esset, consentaneum tamen visum est, ut superiori Pontificatus Nostri tempore animum, & cogitationem nostram converteremus ad Jubilæum, quod fere oculis nostris semper occurrebat, ut ea, quæ necessaria sunt, opportune pararentur; cum præsertim ipsa non solum maximos sumptus, sed plurimum etiam temporis, ut perficiantur, requirant.

Vobis nequaquam exponemus hoc loco Vias publicas, quas vel recenter aperuimus, vel dirutas reparavimus, ut facilior ad Urbem aditus, & commodiora universis Romam confluentibus itinera redderentur: ea solum recensebimus, quæ Romæ a Nobis perfecta sunt, quæ fortasse jam Vobis, Venerabiles Fratres, perspecta sunt, & explorata, vel perspici pro vestra voluntate facile possunt.

Equidem Basilicas Sanctorum Petri, & Pauli a Bonifacio VIII. ad Clementem usque VI. visitari unice consueverant ab iis, qui plenariam Jubilæi Indulgentiam assequi contendebant. Cognita satis est omnibus cura, quam impendimus, ut, operosa Basilicæ Vaticanæ Testudine confirmata, populum ab omni metu, ac suspicione solveremus, cum rumor emanasset, quod moles illa ruinam proxime minaretur. In Basilica vero Sancti Pauli, cum musivum opus, quod supra Chorum adspiciebatur, vetustate labefactatum decidisset, jussimus, illud in pristinum splendorem restitui, quod sane quamprimum absolvetur. Clemens VI. Basilicis Vaticanæ, & Ostiensi Lateranensem quoque visitandam adjunxit, in qua nihil ad majestatem augendam addi posse visum est, cum Prædecessor Noster Clemens XII. eamdem Basilicam exterius, interiusque, Regia plane magnificentia exornaverit. His tribus Basilicis, quas modo enumeravimus, Urbanus VI. Basilicam quoque addidit Sanctæ Mariæ Majoris, seu Sanctæ Mariæ ad Præsepe in Exquiliis, in qua versantur ante oculos omnium, qui ad illam se conferunt, eximii sumptus, qui a Nobis quotidie fiunt, ut illius splendor, ac dignitas augeatur.

At vero animum nostrum non ad quatuor solum Basilicas intendimus, quæ tempore Jubilæi invisendæ sunt ab iis, qui, reliquis piis operibus præscriptis operam dantes, Plenariam Indulgentiam lucrari desiderant; sed etiam cogitationem nostram ad alias Ecclesias Urbis convertimus. Nemo Vestrum ignorat, quibus exornetur encomiis Ecclesia S. Crucis in Jerusalem, quam Constantinus Imperator in Ædibus Sessorianis extruxit. In illa (ut alias insignes Sanctorum Reliquias recensere omittamus) Titulus Sanctissimæ Crucis religiose servatur, qui repertus fuit, cum Innocentius VIII. Summum Pontificatum obtineret. Eam Lucius II. Civis Bononiensis a fundamentis restauravit; Beatus autem Nicolaus Cardinalis Albergatus, Civis quoque, & Episcopus Bononiensis, ejusdem Ecclesiæ Titulum gessit. Idem Titulus Nobis contigit, cum inter Cardinales versaremur. Itaque eam Basilicam diuturnitate temporis imminutam, ac pene labentem, magnis impensis in eum splendorem, quem nunc videtis, restituendam curavimus, viam quoque amplam, ac spatiosam ab ipsa Sessoriana Basilica ad aliam Lateranensem aperuimus.

Inter alias Ecclesias, quæ jussu, ac pietate Constantini Imperatoris conditæ fuerunt, S. Martini in Montibus Templum adnumeratur, quod etiam Titulus Equitii dicitur, eo quod extructum fuerit in prædio Presbyteri, qui eo nomine appellabatur. Ejus paries subterraneas Cardinalis Gabriel Palæottus, Civis Bononiensis, & primus ejusdem Civitatis Archiepiscopus, marmore obduxit, & exornavit. Porro haud satis perspicui, oculisque subjecti sunt non exigui sumptus, quos in eo loco impendimus. Verum, qui pristinam illius Templi conditionem cognitam habuerunt, minime ignorant, magnum illud Ædificium, non una ex parte labefactatum, consistere in hanc usque diem vix potuisse, nisi perfecta fuissent a Nobis ea omnia, quæ ad ejus ruinam, ac perniciem vitandam, necessaria putabantur.

Exploratum quoque Vobis, arbitramur, Templum Sanctæ Mariæ Angelorum, quod magnam Thermarum Diocletiani partem occupat, a Pio VI. conditum, deinde a Gregorio XIII. Bononiensi Cive ornatum fuisse. Nos quoque, ut illud magis expolitum fiat, curam nostram impendimus; neque ut in formam pulcriorem redigatur, manus Artificum adhuc operibus exercentur. Siquidem Tabulas pictas ultro concessimus, quæ ad ejusdem Templi venustatem, & Fidelium pietatem augendam plurimum conferunt. Postremo silentio præteribimus ea, quæ contulimus ad extruendas Sancti Apollinaris magnificas Æ..es prope Forum Agonale; quippe Vobis ipsis ea perspecta fuerunt, cum præsentes interfuistis, quo tempore Aram maximam ejusdem Templi paucis ab hinc mensibus consecravimus.

Cum magnam vitæ nostræ partem, antequam ad Summum Pontificatum evecti fuerimus, in hac Urbe nostra peregerimus, Jubilæi celebritatem bis Nos ipsi vidimus; & præsertim incredibile Fidelium ea remotissimis Orbis partibus Romam confluentium desiderium, & piam cupiditatem, ut sacræ antiquitatis monumenta inquirant, & suis ipsis oculis contemplentur: quæ sane conferunt plurimum, ut veritas Catholicæ Religionis comprobetur, & hujus S. Sedis auctoritas firmetur. Quamobrem, cum pro novis ædificiis, quæ Prædecessor Noster maximo sumptu, ac splendore perfecit ad Basilicam Lateranensem, necessario æquatum fuerit solo insigne Triclinium Leonis III. & vetus Sacellum Pontificium, quod apud Patres Pœnitentiarios ejusdem Basilicæ in veteri, angustoque Monasterio servabatur, Nos idem Triclinium, & Sacellum Pontificium alio in loco collocavimus, & veterem ipsorum formam ita retinuimus, ut opere ipso veteri renovato, antiquitas tamen non tolleretur, sed illorum pretium, ac memoria integra permanerent. Quo tempore Clemens X. annum Jubilæi celebravit, viri pietate, ac religione prædiri, Pontifici suaserunt, ut ad binos aditus Amphiteatri Flavii, quod *Colossæum* vulgo dicitur, ea inscribi, & coloribus exprimi juberet, quibus loci Sanctitas, & Martyrum sanguis ob Fidei Catholicæ defensionem ibidem magna copia profusus indicarentur. Sic enim fore putabant, ut in posterum scandala de medio tollerentur, quæ aliis temporibus contigerant, ac præsertim, cum Summi Pontifices Avenione Sedem haberent. Nam in eodem Amphiteatro tum venationes ferarum, tam alia profana spectacula edita fuerant, quæ Deum, ut memoriæ proditum est, non semel ad justam indignationem, & severam, præsentemque ultionem incitarunt. Porro monumenta ejusmodi, quæ Nos ipsi pluries legimus, quamvis muro depicta, tamen ob assiduas pluvias deformata adeo fuerant, ut intelligi, nequaquam possent. Qua de caussa jussimus ut illa marmore incidantur, ne temporis injuria labefactentur.

Pia, constantique traditione ad Nos pervenit, quod Sanctus Petrus Apostolus, victo, & prostrato Simone Mago, Gentilium furorem in se vehementer concitaverit; ideoque Fidelium studiis, ac voluntati obtemperans, consilium cœperit Urbis relinquendæ, donec commota tempestas sedaretur. At vero amantissimum in Porta Salvatorem Jesum Christum offendens, eumque interrogans: *Domine quo vadis?* cum hoc responsum accepisset, *Venio iterum crucifigi*, aperte intellexit Apostolus, sibi redeundum in Urbem, Crucis martyrium expectandum. Quod plane ita contigit; nam paullo post Cruci affixus cursum suum consummavit. Hujus rei veritatem testimonio suo certissime comprobat S. Ambrosius in sermone contra Auxentium, nulliusque ponderis habenda est censura, qua Velenus, ac Basnagius impudentissime audent infringere Sancti Doctoris auctoritatem.

A porta Capena, quæ nunc a Sancto Sebastiano nuncupatur, parum distat Sacellum, quod vulgo dicitur ***Sancta Maria Plantarum***, de quo primus Petrus de Natalibus Exquilinus Episcopus mentionem facit, qui decimo tertio sæculo scripta sua posteritati commendabat. Nihil desiderandum modo est illi Sacello, quod Cardinalis Scipio Burghesius restaurandum susceperat, postremo Cardinalis Franciscus Barberinus senior perfecit. Non longe occurrit aliud Sacellum rotundæ figuræ, quod initio præteriti sæculi Cardinalis Reginaldus Polus extruendum curavit. Duæ feruntur opiniones; nam plures existimant, Christum Dominum Sancto Petro apparuisse in eo loco, ubi Sacellum Sanctæ Mariæ Plantarum consurgit, ibique suorum pedum vestigia marmore impressa reliquisse, quod in Ecclesia Sancti Sebastiani modo asservatur. Sed vulgaris fere omnium sententia Christum se Petro ostendisse affirmat in eo loco, ubi, jussu Cardinalis Poli, Sacellum rotundæ figuræ conditum adspicitur. Illud modo pene dirutum est, & Nos ipsi restaurare, & ornare sæpe illud cogitavimus, quam voluntatem animumque nondum deposuimus.

Sed quanto certiores sumus de admirabili illa apparitione, quæ Sancto Petro contigit, tanto incerti versamur de loco, ubi statuenda illa procul omni dubio videatur. Quare dubitandum merito est, si illud Sacellum reparandum suscipimus, ubi locum apparitionis, sicut antea diximus, vulgus constituit, falso aliquos esse interpretaturos, id a Nobis peractum fuisse, ut popularem opinionem, ratam, firmamque redderemus, quod sane non mediocre afferret periculum. Siquidem, cum gravissimæ difficultates ad locum apparitionis statuendum proponantur, aditus inde pateret malevolis, & pravæ indolis hominibus, ut ipsam apparitionem, quæ certa est, inficiarentur, locum ejus oppugnantes, qui sane est incertus, ita ut jure nihil de illo affirmari possit.

Sanctus Ambrosius hujusmodi apparitionem in Porta Civitatis accidisse commemorat: *Videns*, inquit, *sibi in Porta Christum occurrere*, *Urbemque ingredi*. Verum Sacellum Virginis Plantarum valde a Porta Civitatis sejungitur; longius etiam distat Sacellum rotundum a Cardinali Polo excitatum; quamobrem præsens illorum situs

parum

patum loco convenire videtur, in quo, juxta S. Ambrosii testimonium, Petro Apostolo Christus apparuit. Quod si locent, ubi Porta Capena modo sita est, considerantibus, non levis videtur difficultas, quam in medium protulimus; majoris sane momenti illa judicabitur, si perpendamus, Portam Capenam, quo tempore Christus apparuisse Petro dicitur, ad mille passus interiorem fuisse, & Urbem versus constitutam. Etenim inter Ecclesiam Sanctæ Balbinæ, & Viridarium Familiæ de Matthæis, tunc temporis posita erat; quæ deinde jussu Aureliani Imperatoris, videlicet ducentis septuaginta annis post Christi mortem, translata fuit in eum locum, ubi nunc etiam perseverat.

Porro inter ea, quæ ratione futuri Jubilæi perfici curavimus, recensere non dubitamus sacram Pontificii Sacelli supellectilem, quam spatio temporis detritam invenimus, refectam a Nobis, & innovatam. Præterea amplificatum, & splendide auctum Nosocomium Sancti Spiritus in Saxia: licet ipsum non modo constitutum sit pro excipiendis, curandisque peregrinis, qui Romam venientes pro comparanda Jubilæi Indulgentia, in morbum inciderint, sed etiam ut commodius in illo versentur reliqui omnes quocumque tempore, qui vel ex Urbe, vel ex aliis locis, ad illud confugiunt, ut corporis morbis liberentur. Exemplis Prædecessorum Nostrorum Sixti IV. & Gregorii XIII. adducti sumus ad id peragandum; primus enim veterem pontem Janiculum, qui modo ab ejus nomine Sixtus appellatur, restituit; alter vero publicam viam aperuit, quæ a Basilica Sanctæ Mariæ Majoris ad Lateranensem perducit, & inter opera ab eis pro Jubilæo peracta, & pons, & via enumerantur. Constat autem, & viam patefactam, & pontem Janiculum restitutum non modo pro illis fuisse, qui tunc temporis Jubilæi caussa a remotissimis partibus Romam venerunt, verum etiam publicam attulisse, & nunc pariter omnibus afferre commoditatem.

Universa, quæ a Nobis gesta sunt, vestris oculis exposuimus; ita tamen, ut illa exigua valde esse cognoscamus. Animus sane fuisset majora quoque suscipiendi, nisi Pontificium Ærarium pene exhaustum, uti Vobis exploratum est, ad Nos pervenisset, & nisi calamitosus undequaque Pontificatus ob peccata nostra, Dei judicio, nobis contigisset. Porro ob eam solummodo caussam hæc omnia Vobis recensuimus, videlicet ad vestros animos, qualicumque exemplo nostro, inflammandos, ut studiis, ac desideriis nostris obsecundetis, quæ sane ad augendam Dei gloriam, splendoremque Sedis Apostolicæ amplificandum, unice diriguntur. Romæ existunt Ecclesiæ, quæ Cardinalium Tituli appellantur, & in quibus jurisdictionem quasi Episcopalem exercetis. Insigniores Basilicæ Cardinalem Archipresbyterum obtinent, qui illas moderatur. Regularium Familiæ Ecclesias pariter in hac Urbe possidem, & Cardinalem fere omnes nactæ sunt, cujus tutelæ committuntur. Archisodalitia fere universa Cardinalis patrocinio fruuntur. Quapropter singulos vehementer hortamur, quo possumus maximo studio obsecramus ad omnem diligentiam impendendam, ad omnem rationem excogitandam, ut Ecclesiæ, quarum Titulis præditi estis; ut Basilicæ, quarum Archipresbyteri renunciati fuistis; ut demum Ecclesiæ Regularium, vel Sodalitatum, quarum patrocinium obtinetis, præsentis anni spatio convenienter aptentur, & exornentur, & nihil eorum desit, quæ necessaria in illis judicantur; ut confluentes populi futuro anno, cum Jubilæum celebrabitur, Sacras Dei Ædes intueantur, quales omnino hæc Civitas requirit, quæ Orbis Terræ Caput, & Vicarii Christi Sedes præ ceteris effulget, & cujus exemplum, ac normam reliqua Orbis Christiani Templa sibi debent imitanda proponere. Cardinali nostro Vicario mentem nostram aperiemus pro iis omnibus, quæ statuenda in ceteris Ecclesiis videbuntur.

Hæc profecto, quæ antea diximus, externa tantummodo sunt. Alia multa requiruntur ad fructum spiritualem colligendum, cujus gratia Jubilæi annus fuit institutus. Ut hunc quoque finem assequamur, licet plura Nos ipsi jam perspeximus, & plura animo reputavimus; tamen multa etiam perspicienda, & excogitanda hujus anni cursu relinquuntur, in quibus ope vestra, vestroque consilio libenter uti non prætermittemus. Interim Deum magnopere obtestamur, ut liceat Nobis, ad annum proximi Jubilæi pervenire, ejusque spatium ita exigere, quemadmodum Nicolao V. Prædecessori Nostro, quem superius nominavimus, feliciter contigit, de quo memoriæ proditum est, annum Jubilæi peregisse *in Celebritatibus, & Stationibus*.

PRO INDICTIONE JUBILÆI
Universalis

Allocutio ad S. R. E. Cardinales habita in Consistorio secreto Feria secunda, die 5. Maji, anno 1749.

VENERABILES FRATRES.

JAm Vobis exposuimus in Consistorio, quod ineunte Martio habuimus, illa omnia, quæ pro celebrando Jubilæo perfecimus; videlicet, ut Basilicæ, Templa & sacra hujus nostræ Urbis monumenta splendore magis augeantur. Tunc etiam Vos hortati sumus ad omnem diligentiam impendendam, ut in Ecclesiis, quarum Titulis prædìti estis, aut quæ peculiari cura vestra, ac patrocinio gaudent, nihil omnino, quod vel ad sacræ supellectilis dignitatem, vel ipsius ædificii majestatem pertinet, ab illis desideretur, qui Romam confluent, ut sacras Indulgentias adipiscantur. In eodem Consistorio pariter indicavimus, defixam esse præcipue mentem nostram in illis excogitandis, quæ ad fructuosam Jubilæi adeptionem conferre viderentur; eaque vestris oculis subjicere polliciti sumus; ut consiliis vestris uteremur. De his itaque in præsenti Consistorio agemus.

Si tum vetusta, tum recentia repetamus Ecclesiæ monumenta, facile intelligimus, Constitutionem Apostolicam, qua primo Jubilæum indicitur, promulgari quandoque feria quinta Majoris Hebdomadæ consuevisse post recitatam sollemniter Bullam, quæ *in Cœna Domini* noncupatur. Aliquando in celebritate Sanctorum Apostolorum Petri, & Pauli id contigisse legimus. Alias tandem, cum sollemnis dies Ascensionis in Cælum amantissimi Salvatoris nostris ageretur. Equidem consuetudo Jubilæi promulgandi feria quinta majoris hebdomadæ, sicuti primo loco recensuimus, antiquissima est. Publicari vero Jubilæum die festo Sanctorum Apostolorum Petri, & Pauli, tum solum consuevit, cum Sedis Apostolicæ vacatio publicationem hujusmodi, sollemni die Ascensionis fieri solitam, impediret. Itaque, cum his postremis temporibus mos obtinuerit indicendi magni Jubilæi ea die, qua Domini in Cælos Ascensio sollemniter recolitur; Nos eamdem disciplinam retinentes, Constitutionem ad Jubilæum declarandum in proxima Ascensionis Domini celebritate promulgari decernimus.

Omne sane studium contulimus, ut hujusmodi Constitutio, quæ Vobis singulis jam tradita est, reliquis conformetur, quas Prædecessores Nostri ob eamdem Jubilæi caussam ediderunt. In hoc solum auctam Constitutionem nostram agnoscetis, quod Prædecessores Nostri de Pœnitentia solum verba faciant, quam secundam post naufragium tabulam Patres nuncuparunt, & cujus virtute æterna supplicia simul cum peccati culpa remittuntur. Sacram vero Synaxim minime commemorant, quam Tridentina Synodus *antidotum* appellat, quo Fideles *liberantur a culpis quotidianis, & a peccatis mortalibus præservantur*. Quocirca piis operibus ad Jubilæum comparandum præscriptis, sumendam quoque Divinam Eucharistiam adjunximus, ad quam plerumque fideles ultro accedebant, ut eamdem Indulgentiam lucrarentur. Adducti sumus non modo sententia Virorum virtute præstantium, qui de magno Jubilæo scribentes, & non exigua volumina, ac dissertationes in hanc rem typis committentes, vehementer expetere videntur, ut inter pietatis opera, quæ indici solent, sacra Synaxis recenseatur: non, inquam, auctoritate solum hujusmodi adducti sumus, sed ob eam pariter rationem, quod cum in reliquis Jubilæis percipienda sacra Eucharistia jubeatur, consentaneum omnino putavimus, idem quoque præcipere, dum anni Sancti Jubilæum celebratur.

Post ejusdem Jubilæi promulgationem, cum æstivum tempus inceperit, curam nostram, animumque convertemus, ut in hac nostra Civitate sacræ Missiones peragantur. Illarum Ministros admonebimus, ut, prætermissis ceteris disputationibus, Ecclesiæ doctrinam de Indulgentiis populo declarent, illumque edoceant rationem rite, ac utiliter peccata confitendi: totis insuper viribus contendant, ut Pœnitentiæ Sacramento scelerum maculas detergant, ut expiatis annum Sanctum pie auspicetur. Accitos etiam Sacerdotes pro excipiendis Confessionibus designatos alloquemur iis verbis, atque sententiis, quæ in libro Monitorum ad ipsos Confessarios a Sancto Carolo Borromæo conscripto continentur: quem sane librum utinam Confessarii sæpius in manibus haberent, ut maximam ex eo utilitatem perciperent, & aptissima ad morbos animæ depellendos remedia desumerent, quæ Sanctus Archiepiscopus proponit, & santissima ex doctrina Canonum, & Patrum delibavit. Ad Episcopos Fratres nostros Litteras Encyclicas dabimus, ut illis explorata, perspectaque faciamus ea, quæ Nos Romæ constituimus, ut eamdem disciplinam, & exempla suis ipsi in Diœcesibus imitentur. Quare si Deus Optimus Maximus universa, quæ disposuimus, sua prosequatur gratia, (siquidem *neque qui plantat, est aliquid, neque qui rigat, sed, qui incrementum dat, Deus*) si, uti diximus, ipse Nobis adsit propitius, non modo præteritas Pontificatus Nostri, ac præsentes, sed eas etiam, si quæ forte futuræ sunt, calamitates, atque infortunia, abunde rependi lætabimur, cum

vide-

videbimus annum Jubilæi sancte, uti par est, celebrari, annum pœnitentiæ plenum, annum ad sempiterna Paradisi gaudia viam sternentem, annum bonis exemplis redundantem, annum denique, qualem & Nos in votis habemus, & Prædecessores Nostri summopere exoptarunt.

Cum denique Portæ Sanctæ aditus reserandus erit, tum Pœnitentiariis, & Confessariis varias atque extraordinarias facultates impertiemur. Qui vel leviter Scriptores de Morali Theologia tractantes percurrit, non ignorat profecto multiplices, obscuras, & implicatissimas difficultates, quas illi pro iis facultatibus intelligendis, & applicandis induxerunt; quamobrem easdem difficultates in unum congerere, & in recenti formula, quæ jam recensitas facultates continebit, quæstiones omnes de medio tollere non prætermittemus, quæ magis partium studiis excitari olim consueverunt, & quæ hoc tempore procul dubio minime defuissent. Attamen persuasum Nobis nequaquam habemus, aditum quoque præclusisse nonnullis, & singulis difficultatibus, quas olim ingenia turbulenta, callida, ac litigiosa excitarunt, & nunc etiam ejusdem indolis homines excogitare possunt. Porro animadvertimus, Prædecessores quidem Nostros operam dedisse suam, ut quæstiones hujusmodi convellerent, tamen ipsæ totis viribus agitari non destiterunt: quod sane non contigisset, si legentes hujusmodi facultates, accuratius earumdem verba perpendissent, quibus usi fuerunt Summi Pontifices in illis tradendis, & vanis quæstionibus præcidendis, quæ tunc temporis ferebantur. Quamobrem, ut huic pariter incommodo remedium afferatur, facultatibus, quas Nos Pœnitentiariis, & Confessariis elargiemur, Litteras Encyclicas adjungemus, quæ singulas difficultates complectantur; & simul indicabimus verba recentis nostræ formulæ, quibus eædem difficultates satis abunde explicentur.

In his peragendis, ac disponendis occupamur, antequam annum Sanctum ineamus; videlicet, ut ea, quæ necessaria sunt, opportune præparentur. Quæ omnia perspecta Vobis facimus, Venerabiles Fratres, ut vestra Nobis consilia, vestramque operam suppeditetis. Illud autem vehementius expetimus, ut vestris ad Deum precibus, vestrisque Sacrificiis, Divinam opem, ac præsidium in tam gravi negotio Nobis imploretis. Beatissimam in primis Dei Matrem, ac præterea S. Pium V. Prædecessorum Nostrum, cujus hodie sollemne festum celebramus, deprecatores apud Deum Nos ipsi eligimus, ut omnia feliciter eveniant. Tutelæ, ac patrocinio Beatæ Virginis magnopere confidimus, quam toto vitæ nostræ cursu propitiam Nobis, atque indulgentissimam experti sumus. Sancti Pii V. præsidiis fidenter innitimur, non modo, quod ipse hanc eamdem Sedem, ad quam Nos immerentes ascendimus, merito obtinuit; sed quia pie credi novimus, Beatos Viros, qui Deum in Cælis intuentur, facilius adduci, ut suorum civium justas obsecrationes Deo exhibeant; & eorum præsertim, qui laborem suum impenderunt, vel impendunt, ut ipsius in hoc Orbe terrarum gloria, quam accidentalem vocant, augeatur.

Itaque sermonem, animumque nostrum ad Te convertimus, Sanctissime Pontifex, qui licet in Oppido Insubriæ, quod Boscum appellatur, hujus vitæ lucem acceperis, id tamen adversari minime potuit (uti non semel ipse comprobasti) quin præclara tui generis origo ad communem Patriam nostram Bononiæ Urbem referatur. Præsentes oculis tuis versentur vigiliæ, ac sudores, quos Nos in Minoribus constituti, & inter Consistoriales Advocatos occupari, ætate florente, libenter insumpsimus, ut miracula, quæ Deus, Te deprecante, atque intercedente, patraverat, ab acutissimis argumentis vindicaremus, quæ ex Jurisprudentiæ, & Physicæ fontibus objiciebantur. Præsentes quoque sint labores Nostri, quos alacri animo suscepimus, cum Promotoris Fidei munere fungebamur, ut sollemnis tua Canonizatio ad finem perduceretur, quam Clemens XI. felicis recordationis, quemadmodum exploratum est omnibus, communi omnium plausu, ac pietate celebravit.

BULLA VENTESIMA QUINTA.

Indictio Universalis Jubilæi Anni Sancti Millesimi septingentesimi quinquagesimi.

Extat hæc Bulla in Tom. III. Bullarii sub num. XVII. data die 5. Maii 1749. Pontificatus vero anno Nono.

BENEDICTUS EPISCOPUS

Servus Servorum Dei

Universis Christifidelibus præsentes Litteras inspecturis, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

PEregrinantes a Domino, & futuram Civitatem Patriam nostram inquirentes, in multis omnes offendere, atque a via mandatorum Dei sæpe nos declinare, & quasi insipientes Oves aberrare, nimis est exploratum. Si dixerimus, quoniam peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, arguente nos conscientia nostra de multitudine prævaricationum nostrarum, propter quas formido mortis contrebat nos, & timor, & tremor veniunt super nos in cogitatione appropinquantis judicii Dei. Si dixerimus, quoniam non peccavimus, mendacem facimus Deum, cujus vera, & justa sunt judicia, cujus flagella non alia de caussa congregata sunt super nos, nisi quia peccavimus et, injuste egimus, iniquitatem fecimus; & ideo nos temporaliter cædere, & castigare non desinit, ut convertamur ad eum, antequam sempiternam adducens retributionem adveniat.

Hujus rei caussa pia Mater Catholica Ecclesia potissimam hanc pietatis curam alumnis, filiisque suis incessanter impendit, ut errantes ad viam justitiæ; ruentes in præceps ad rectum salutis tramitem revocet, lapsos ad pœnitentiam, & per hanc ad delictorum veniam obtinendam adducat; meritisque pœnis obnoxios ad dissolvendas impietatis colligationes, oblatis Misericordiæ Divinæ remediis, invitet. Sed pauci sunt, qui Ecclesiæ salubriter monenti auscultent. Plerique enim, vel pravis affectionibus adstricti, vel sollicitudinibus, & voluptatibus vitæ impliciti, Pœnitentiæ spiritum, & labores, morumque emendationem refugientes, divitias bonitatis Dei, & patientiæ, & longanimitatis contemnunt. Indulgentiarum vero thesauros, quos prolixa Ecclesiæ benignitas omnibus ubique, & omni tempore apertos exhibet, alii damnabiliter negligunt, alii non rite acquirere, & promereri student. Interim vero dies nostri deficiunt, & omnes sicut aquæ dilabimur super terram; quum autem apparuerit justus Judex, tunc sero agnoscemus, secundum duritiam nostram, & impœnitens cor, thesaurizasse nobis iram in die iræ: atque omnia manere Divino judicio punienda, quæcumque non fuerint pœnitentiæ emundatione deleta.

Bene itaque, ac sapienter Prædecessores Nostri Romani Pontifices certa quædam tempora in sæculorum evolutione delegerunt, quibus universos per Orbem Terrarum Christi Fideles de ingruente Mundi fine commonefactos, majori studio excitarent ad redimenda peccata, ad salvandas animas. Quumque id olim centesimo quoque anno fieri consuevisset, habita deinde ratione illius temporis, intra quod generationes hominum passim renovari conspiciuntur, post singulos vigintiquinque annos hoc idem provide præstandum esse decreverunt, ut novis subinde Familiis super faciem terræ succrescentibus, generalia propitiationis, & indulgentiæ consequendæ media, non sine apta pœnitentialium operum præfinitione, suppeditarent. Annum hunc acceptabilem, annum renovationis, & pœnitentiæ, annum reconciliationis, & gratiæ, Sanctum in Ecclesia merito appellatum, qui proximo hyemali solstitio aperietur, annuntiamus vobis, quotquot Catholico nomine censemini, ac paterno vos affectu adjuvantes exhortamur, ne in vacuum gratiam Dei recipiatis, neve Nostra, & Ecclesiæ consilia, quæ ad pacem, & salutem directa sunt, in irritum cedere sinatis.

Audite, audita summam Apostolicæ Prædicationis, quam Dominus JESUS CHRISTUS Nobis etiam, indignis licet, ad Apostolicæ servitutis officium vocatis demandavit: Pœnitentiam agite: appropinquavit enim Regnum Cælorum. Filioli, novissima hora est, revertimini ad Dominum, reconciliamini Deo. Et Mundus transit, & concupiscentia ejus, nec aliis promittitur æterna stabilitas, quam his, qui fecerint voluntatem Dei, quæ manet in æternum. Quæ est autem voluntas Dei, nisi sanctificatio vestra? Ad hanc perficiendam vocat vos communis Mater Ecclesia Romana, quæ proximum hunc annum in publicis Religionis, & pietatis exercitationibus totum impendet; id optans, ut filii sui omnes, quicumque Catholicæ doctrinæ lacte per omnem Terrarum Orbem imbuti sunt, de latere surgant, ac de longe veniant, & conspirante pietatis studio, Dei misericordiam, & gratiam, tam sibi singuli, quam universæ Fraternitati demereantur. Aperit illa advenienti multitudini Sacrorum Templorum portas; sed multo magis pandit Maternæ caritatis sinum, atque omnibus sincere postulantibus, & digne inquirentibus certam peccatorum veniam, & Indulgentiam promittit.

Huic promissioni fidem indubiam adstruunt tum suprema ligandi, atque solvendi potestas Beatissimo Apostolorum Principi, ac per eum Nobis in illius Sede residentibus, ipsa Redemptoris voce tributa, & inæstimabilis meritorum, & satisfactionum thesaurus ex ipsius Christi Domini, ejusque Virginis Matris, omniumque Sanctorum meritis, passionibus, ac virtutibus conflans, ejusdem Beati Petri, Nostræque similiter dispensationi concreditus; tum sanguis Apostolorum, & Martyrum, qui ad Ecclesiæ ædificationem, tamquam aqua olim super terram effusus, clamat ad Dominum, suisque cultoribus veniam precatur, & pacem; tum recta disciplinæ ratio, ad Ecclesiasticæ regulæ normam in præscribendis salutaris pœnitentiæ operibus, & ad Ecclesiasticæ lenitatis spiritum in Indulgentiæ largitione, conformata; tum denique propositi finis sanctitas, Christianæ plebis utilitas, majorum exemplum.

Quod igitur ratio temporis, & prædictorum Romanorum Pontificum Prædecessorum Nostrorum admonet consuetudo, illorum vestigiis inhærentes, de Venerabilium Fratrum Nostrorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium assensu, universalis & maximi Jubilæi in hac Alma

Urbe Nostra celebrationem in annum proximum Millesimum septingentesimum quinquagesimum, a primis Vesperis Vigiliæ Nativitatis Domini Nostri JESU CHRISTI proxime futuræ inchoandam, & per totum annum ipsum finiendam, auctoritate Dei Omnipotentis, & Beatorum Petri, & Pauli, ac Nostra, ad ipsius Dei gloriam, Catholicæ Ecclesiæ exaltationem, ac totius Christiani Populi sanctificationem, indicimus, & promulgamus.

Quo quidem Jubilæi anno durante, omnibus utriusque Sexus Christi Fidelibus vere pœnitentibus, & confessis, sacraque Communione refectis, qui Beatorum Petri, & Pauli, necnon Sancti Joannis Lateranensis, & Sanctæ Mariæ Majoris de Urbe Basilicas semel saltem in die per triginta continuos, aut interpolatos dies sive naturales, sive etiam Ecclesiasticos, nimirum a primis Vesperis unius diei usque ad integrum ipsius subsequentis diei vespertinum crepusculum computandos, si Romani, vel Incolæ Urbis; si vero Peregrini, aut alias externi fuerint, per quindecim saltem hujusmodi dies, devote visitaverint; & pro Sanctæ Ecclesiæ exaltatione, hæresum extirpatione, Catholicorum Principum concordia, & Christiani Populi salute, & tranquillitate, pias ad Deum preces effuderint, plenissimam omnium peccatorum suorum Indulgentiam, remissionem, & veniam misericorditer in Domino concedimus, & impertimur.

Et quoniam evenire potest, ut ex iis, qui hac de caussa iter aggressi fuerint, vel ad Urbem se contulerint, aliqui in via, aut etiam in ipsa Urbe, morbo, vel alia legitima caussa detenti, aut morte præventi, præfinito dierum numero non completo, ac ne fortasse quidem inchoato, præmissa exequi, & dictas Basilicas visitare nequeant; Nos pie prompteque illorum voluntati, quantum in Domino possumus, benigne favere cupientes, eosdem vere pœnitentes, & confessos, ac sacra Communione refectos, prædictæ Indulgentiæ, & remissionis participes perinde fieri volumus, ac si dictas Basilicas diebus a Nobis præscriptis reipsa visitassent, ut præfatis necessitatibus impediti, desiderii sui effectum, dono Sancti Spiritus, consequantur.

Commovemini itaque, ut par est, universi Catholicæ Ecclesiæ Filii, ad tanti muneris vobis oblati nuntium, ac summa alacritate, & spiritus fervore aggredimini opus, quod salvare potest animas vestras. Non vos retineat assueti domicilii commoda; non vos terreat itineris labor; sed spiritualis Thesauri acquisitionem Christianæ Fidei æstimatione pensantes, nolite committere, ut major appareat in negotiatoribus sæculi terrenæ substantiæ aviditas, quam in Fidelium cordibus divitiarum cælestium desiderium.

Ingens itineris vestri lucrum, spiritualis consolationis cumulabit suavitas. Quid enim Christiano homini jucundius accidere potest, quam Gloriam Crucis Christi in supremo, quo in Terris fulget, splendoris lumine conspicere, ac monumenta triumphalis victoriæ, qua Fides nostra Mundum devicit, propriis oculis intueri? Hic videre licebit ad Religionis reverentiam sæculi culmen inclinatum; ipsamque terrenam quondam Babylonem in novæ, ac Cælestis Civitatis speciem conversam, non quidem ad conterendas Nationes, & subjuganda Regna; sævas armorum, bellorumque minas intentare, sed ad docendos, salvandosque Populos, Doctrinæ Cælestis, atque intemeratæ disciplinæ documenta depromere; superstitionis hic olim regnantis memoria oblivione sepulta, sincerum veri Dei cultum, sacrorumque Rituum Majestatem ubique splendere; mendacium Numinum eversa delubra, summi Dei Templa casta Religione consecrata; impios Theatrorum ludos, & vesana Circensium spectacula ex hominum mentibus obliterata, frequentata Martyrum Cœmeteria; dejecta Tyrannorum Monumenta, Apostolorum Sepulcra Imperatorum manibus ædificata; pretiosa quæque Romanæ superbiæ ornamenta ad Sacrarum Basilicarum cultum translata; & quæ olim, subactis Provinciis, oblata Diis Gentium fuerant celsiora donaria, tunc ab impura superstitione expiata, invictæ Crucis Tropheum justius, & felicius sustinere. Ipse demum conspectus, innumerabilis Fidelium multitudinis huc ipso anno ad Urbem, undique confluentis justo, sanctoque gaudio cumulabit cor vestrum; dum suam quisque fidem in tot diversarum Nationum, linguarumque hominibus agnoscens, & cum his omnibus in caritate fraternitatis apud communem Matrem Ecclesiam Romanam in Domino congaudens, cælestium benedictionum rorem, tamquam de vertice Hermon in Sanctæ Civitatis habitatores de proximo defluentem, uberius in se derivari persentiet.

Atque utinam Nobis datum esset, ad unitatem Catholicæ Fidei redeuntes conspicere, ut vobiscum, Dilecti Filii, convenientes amplexari tot alios, olim ejusdem Fidei, & conversationis alumnos, qui jamdiu diabolica fraude decepti, atque e Domo pientissimæ Matris digressi, adhuc de longe stant, & obturant aures suas, ne audiant illius vocem ad suum sinum eos amantissime revocantis! Sed numquid non audiunt? Numquid non intelligunt, quot, & quam variis errorum vanitatibus jactentur, ex quo derelinquentes eam, quam a Patribus acceperant, Fidem, & unius Catholicæ, & Apostolicæ Ecclesiæ antiqua, & sancta deserentes instituta, hominum commentis intendere cœperunt, & tradiderunt se erudiendos iis, qui secundum voluntatem suam doctrinis variis, & peregrinis eos abduxerunt? Sed heu! quam multi sunt inter illos, qui hæc non ignorant! & quidem propriæ cujusque sectæ fundamenta nutare, ac si paullulum excutiantur, facile labi, & corruere, non diffitentur. At, quod magis deflendum est, prava quædam incuria circa ea, quæ Dei sunt, humanos animos occupavit, propter quam veritatis lumen, & conscientiæ suæ voces contemnunt, nec tam Ecclesiæ Catholicæ, quam Animarum suarum hostes, nollunt intelligere, ut bene agant, neque scrutari vias Domini rectas, per quas unice ad salutis portum reduci possunt. Expergiscantur saltem, Fidei vestræ, ac devotionis exempla intuentes, ac serio tandem cogitent, inexcusabiles se fore apud Divinum Judicem, si oblatas sibi veritatis agnoscendæ rationes aspernari pergent. Sit illis æmulationi, ac pudori studiorum vestrorum manifesta concordia, in Dei cultu, in emendatione vitæ, in unanimi observantia erga communem Patrem, Magni Pastoris Vicarium, cujus votorum summa est, ut repleatur Terra scientia Domini, ac Dei honor, cum Fidei Christianæ puritate, & morum sanctitate, apud omnes ubique Gentes floreat, & augescat. Id postulabimus, velut agmine facto; id precum vestrarum suffragiis obtinere sperabimus a clementissimo Domino, qui a servis suis, quoties simul ipsum orare consenserint, quamdam quasi vim sibi fieri profitetur; simulque cum pro Ecclesiæ Catholicæ pace, pro Christianorum Principum felicitate, pro universi Fidelis Populi incolumitate precabimur.

Vos autem, Venerabiles Fratres, Catholicæ Religionis Antistites, Patriarchæ, Primates, Archiepiscopi, & Episcopi, qui apud Christianas Plebes legatione fungimini pro Deo, & Ecclesia, vocate Cœtum, congregate Populum, annuntiate ipsis Annum Domini acceptabilem; omnique ratione date operam, ut paternæ caritatis Nostræ consilium, ad Dei gloriam, totiusque Ecclesiæ utilitatem, ex Venerabilium Prædecessorum Nostrorum instituto susceptum, proposito Nobis non fraudetur effectu. Et quoniam Misericors Deus exoptatissimam pacem, post diuturni belli calamitates, crebris Populi sui obsecrationibus largiri dignatus est, ad ipsius Populi emendationem, æternamque salutem proficiat, quod ad ejus temporalem tranquillitatem contulit Dei Nostri benignitas. Novum belli genus adversus salutis Nostræ hostes nunc est suscipiendum. Cohibenda est ab omnibus opinandi, agendique licentia; coercenda vitæ luxuria, atque superbia; iniquorum quæstuum cupiditas refrænanda; expurganda omnis immunditia; reconciliandæ simultates, abolenda sunt odia.

Agite ergo Sacerdotes, Ministri Dei, clangite tubis, & spiritale hujusmodi bellum adversus inimicos Crucis Christi indicite. Confortate remissas Militum vestrorum manus, soluta genua erigite; in primisque rectos gressus facite eorum pedibus, qui ad hanc Religionis arcem, & inexpugnabile propugnaculum conferre se statuent. Audiant ex Vobis, non se ad otiosam vagationem, aut ad curiosa spectacula huc evocari, sed ad tractanda Christianæ Militiæ arma, & ad colluctationis, pugnæque labores acciri. Quæ autem arma Satanas pertimescit, nisi piorum Vigilias, Orationes, Jejunia, Eleemosynas, Christianæque humilitatis, & misericordiæ opera? Quibus nimirum & humanæ cupiditatis tyrannica dominatio destruitur, & ejus, quæ in Deum, & in proximum est, Caritatis regnum firmatur, & ampliatur.

Ad hoc igitur pium bellum prodeuntes, oportet Cruce Christi munitos, & in omni armatura Dei collectos incedere, ut ne quis insidiantibus hostibus suppetat nocendi locus, placidi, atque concordes, modesti, ac religiosi, itinerum suorum spatia transcurrant; implorantes regimen, & misericordiam, & adjutorium Dei; ut cujus signa sequi se profitentur, illius disciplina se dignos exhibeant; & cujus auspiciis militant, ejus etiam ductu, & auxilio, propositam victoriæ coronam mereantur acquirere. Vos vero, Venerabiles Fratres, dum hæc iisdem insinuare curabitis, hoc simul cogitate, quod facile est quidem exhortationis, & suasionis officium, sed validiora sunt exempla, quam verba; & plenius est opere docere, quam voce. Luceat itaque coram ipsis sanctæ conversationis vestræ splendor, ut videant opera vestra bona, & ad normam eorum, vitam, moresque suos exigant, & conforment. Hospitalitatis, beneficentiæ, & communionis nolite oblivisci; & dum Ecclesia spiritualibus Fidelium indigentiis uberiorem exhibet clementiæ mansuetudinem, temporales quoque pauperum necessitates a pietate vestra, majori misericordiæ largitate, sublevantur.

Carissimos quoque in Christo Filios Nostros, Imperatorem electum, ac Reges, & Principes omnes Catholicos hortamur, & rogamus in Domino, ut quo plura, & magis illustria beneficia ab eo, per quem Reges regnant, acceperunt, tanto ardentius, ut par est, ad Dei gloriam procurandam pro zelo excitentur. Præcipue vero Venerabilium Fratrum Nostrorum Episcoporum, & superiorum Antistitum Pastoralem sedulitatem, & vigilantiam adju-

adjuvent, & a suis Magistratibus, & Ministris adjuvari mandent, ut improborum licentia coerceatur, & bonorum studia, eorum Regia ope, & gratia foveantur. Maxime autem erga Peregrinos munificentiam, & liberalitatem exerceant, curentque, ut tutis incedant itineribus, & nulla hominum perditorum vexatione perturbentur, sed Hospitalibus, Domibus, & publicis Hospitiis amanter excepti, & commeatu, rebusque ad vitam necessariis recreati, sine ulla concussione, & injuria, institutum iter læti peragant, & cum gaudio in Patriam revertantur. His enim hostiis Reges potissimum & Principes Deum sibi placabilem reddent, ut diu in terris felices vivant, & demum in æterna tabernacula recipiantur ab illis ipsis pauperibus, erga quos misericordiam exercuerint, in quibus Christus pascitur, & nutritur.

Ut vero præsentes Litteræ ad omnium Fidelium, quibuscumque in locis existentium, notitiam facilius perveniant, volumus earum exemplis, etiam impressis, manu Notarii publici subscriptis, ac personæ in Ecclesiastica Dignitate constitutæ sigillo munitis, eamdem prorsus fidem haberi, quæ haberetur ipsis præsentibus, si exhibitæ forent, & ostensæ.

BULLA VENTESIMA SEXTA.

Suspensio Indulgentiarum, & Facultatum vertente Anno Universalis Jubilæi Millesimo Septingentesimo Quinquagesimo.

Extat hæc Bulla in Tom. III. Bullarii num. xviii. data die 17. Maii 1749. Pontificatus vero anno Nono.

BENEDICTUS EPISCOPUS

Servus Servorum Dei.

Ad futuram rei memoriam.

CUm Nos nuper Sancti Jubilæi celebrationem in hac Alma Urbe a Vigilia Nativitatis Domini Nostri Jesu Christi proxime futuræ inchoandam, & usque ad finem sequentis anni duraturam, universo Populo Christiano, de Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium assensu, indixerimus, ac omnibus utriusque sexus Christifidelibus vere pœnitentibus, & confessis, ac Sacra Communione refectis, qui Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum, necnon Sancti Joannis Lateranensis, & Sanctæ Mariæ Majoris de Urbe Basilicas certis vicibus visitaverint, plenissimam omnium peccatorum suorum Indulgentiam, remissionem, & veniam concesserimus, prout in Nostris desuper confectis Litteris plenius continetur; cupientes, ut Christianæ Nationes ex omnibus Terrarum Orbis locis in hac Urbe Nostra, in Fidei, ac Religionis unitate congregatæ, eodem pietatis, ac devotionis spiritu Basilicas prædictas, quo maximo fieri poterit concursu, durante eodem Jubilæo, visitantes, & frequentantes, tanti, & tam certi spiritualis emolumenti compotes fiant; multorum Romanorum Pontificum Prædecessorum Nostrorum exemplo adducti, Indulgentias & Facultates ab Apostolicæ Sedis liberalitate alias emanatas, pro hoc anno suspendere, & nihilominus tum spiritualibus Fidelium per universum Orbem degentium necessitatibus paterna caritate consulere, tum pium devotionis fervorem erga laudabilia quædam Religionis, & pietatis opera in Christianorum animis conservare, & fovere, tum demum suffragiis in Fidelium Defunctorum levamen, atque subsidium erogari solita neutiquam imminuere, eorumdem Prædecessorum vestigiis insistentes, decrevimus, & constituimus.

Itaque, præservatis, & firmis remanentibus Indulgentiis concessis in articulo mortis, ac facultatibus seu Indultis illas impertiendi, seu communicandi, tam Venerabilibus Fratribus Episcopis, ac dilectis Filiis Prælatis Locorum Ordinariis, in vim, seu ad formam nostrarum Litterarum nonis Aprilis anni MDCCXLVII. editarum, quam aliis quibuscumque communiter, aut personaliter, seu pro certo Personarum genere, gradu, aut numero concessis; iisque pariter, quas fel. record. Prædecessor noster Benedictus Papa XIII. cunctis Fidelibus Salutationem Angelicam, seu alias preces de tempore, mane, aut meridie, seu vespere, ad Campanæ pulsum, de genu, vel, juxta dierum, & temporum rationem, stando recitantibus; Item Indulgentia septem annorum, & totidem quadragenarum, quam ipse Benedictus, novissimo Jubilæi anno durante, omnibus Christifidelibus, tam in Urbe, quam extra eam ubicumque degentibus, qui sacramentaliter confessi, & Sacra Communione refecti, vel saltem vere contriti, & cum proposito confitendi, Ecclesias, in quibus Augustissimum Eucharistiæ Sacramentum pro oratione quadraginta Horarum, eo anno durante, expositum esset, devote visitassent; ibique juxta Sanctæ Matris Ecclesiæ mentem orassent, toties quoties id egissent, benigne concessit, quamque Nos etiam, illius exemplo, pro proxime ineunte Jubilæi anno, & tam pro Urbe, quam pro aliis ubique locis, præsentium tenore, libenter concedimus, & elargimur; Atque illis etiam, quas similis memoriæ Innocentius XI. & Innocentius XII. Romani Pontifices prædecessores nostri, Fidelibus Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum, cum ad Infirmos defertur, devote comitantibus, vel lumen, aut facem per alios ea occasione deferendum, seu deferendam mittentibus, similiter concesserunt; tum etiam Indulgentiis a S. R. E. Cardinalibus de Latere Legatis, & Apostolicæ Sedis Nuntiis, ac Episcopis, in usu, seu exercitio Pontificalium, aut impertienda Benedictione, aliave forma consueta, concedi solitis: Item salvis, & firmis remanentibus Indulgentiis Altarium Privilegiatorum pro Fidelibus Defunctis, aliisque eodem modo pro solis ipsis Defunctis concessis, atque etiam aliis quibuscumque Indulgentiis, & peccatorum remissionibus, alias pro vivis concessis, ad effectum dumtaxat, ut Christifideles illas animabus Fidelium Defunctorum, quæ Deo in caritate conjunctæ ab hac luce migraverint, per modum suffragii directe applicare valeant; quas omnes, & singulas, licet, pro eo quod respicit Vivorum favorem, hoc Jubilæi anno durante, generaliter, ut infra, suspensas, ad prædictum tamen effectum, ipsius anni decursu, etiamsi in earum concessionibus hujusmodi applicandi facultas indulta non fuerit, ab omnibus utriusque sexus Christifidelibus, qui injuncta in ipsis concessionibus opera cum debitis dispositionibus impleverit, acquiri posse concedimus, & indulgemus.

Præservatis etiam, & firmis remanentibus facultatibus Tribunalis Officii Inquisitionis adversus Hæreticam pravitatem auctoritate Apostolica instituti, ejusque Officialium; Missionariorum quoque, & Ministrorum, qui ab eodem Tribunali, seu a Congregatione Venerabilium Fratrum nostrorum ejusdem S. R. E. Cardinalium negotiis Propagandæ Fidei præposita, vel alias a Sede prædicta ad id deputati fuerint, & præsertim facultate absolvendi ab Hæresi illos, qui, abjuratis eorum erroribus, capaces ejusmodi absolutionis redduntur; aliisque facultatibus, quæ ab Officio Pœnitentiariæ nostræ Apostolicæ, Missionariis, in Locis Missionum, earumque occasione, ab ipsis exercendæ, concessæ fuerint; Item salvis, & illæsis remanentibus facultatibus tam Venerabilium Fratrum Episcoporum, aliorumque Superiorum Antistitum, in suis respective Diœcesibus, circa dispensationes, & absolutiones suorum Subditorum in casibus occultis, etiam Sedi Apostolicæ reservatis prout ipsis a Sacra Tridentina Synodo, seu aliis, etiam in publicis, a jure communi Ecclesiastico, & ab eadem Apostolica Sede, pro certis personis, & casibus, indultæ, permissæque dignoscuntur; quam etiam Superiorum Ordinum Regularium, quæcumque ipsis in Regulares pariter sibi subjectos a Sede Apostolica prædicta tributæ fuerunt.

Ceteras omnes, & singulas Indulgentias, tam Plenarias, quam non Plenarias, etiam perpetuas, & peccatorum remissiones, ac facultates, & indulta absolvendi, etiam a casibus Sedi Apostolicæ reservatis, etiam in Litteris die Cœnæ Domini legi solitis contentis, seu relaxandi censuras, commutandi vota, aut dispensandi etiam super irregularitatibus, & impedimentis, quibusvis Ecclesiis, Monasteriis, Hospitalibus, etiam S. Joannis Jerosolymitani, Domibus, Militiis, Ordinibus, etiam Mendicantium, Congregationibus, Confraternitatibus, etiam Laicorum Universitatibus, & Piis Locis, illorumque Ordinibus, Capitulis, Conventibus, Magistris, Superioribus, & tam Sæcularibus, quam quorumvis etiam Mendicantium Ordinum Regularibus Personis, Coronisque, Granis, Imaginibus, & Numismatibus ex metallo, seu quacumque alia materia confectis, tam singulariter, quam universaliter, per quoscumque Romanos Pontifices Prædecessores Nostros, ac etiam Nos, etiam ad instantiam Imperatorum, Regum, Ducum, & aliorum Principum, aut ipsis etiam Imperatori, Regibus, Ducibus, & Principibus, vel aliis quacumque alia mundana, vel Ecclesiastica Dignitate fulgentibus, etiam ad instar Jubilæi, aut alias quomodocumque, & ex quibusvis caussis, & occasionibus, sub quibuscumque tenoribus, & formis, ac cum quibusvis clausulis, & decretis, etiam Motu proprio, & ex certa scientia, ac alias quomodolibet concessas, & concessa, quorum omnium tenores, formas, derogationes, & decreta præsentibus pro expressis haberi volumus, Apostolica auctoritate, de eorumdem Fratrum consilio, & assensu, ac potestatis nostræ plenitudine, suspendimus, & suspensas, ac suspensa esse declaramus, easque, & ea, eodem anno durante, nulli prodesse, ac suffragari debere. Irritum quoque, & inane decernimus, si secus super his a quoquam quavis auctoritate, scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Quocirca per præsentes auctoritate Apostolica præcipimus, & mandamus, ne interim, præter superius expressas, aliæ, quam indicti a Nobis prædicti Jubilæi, Indulgentiæ, sive publice, sive privatim, quovis prætextu, ubivis locorum, & gentium, sub excommunicatione eo ipso incurrenda, aliisque arbitrio Ordinariorum infligendis pœnis, publicentur, vel nuncientur, aut in usum demandentur.

Non obſtantibus præmiſſis, ac Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, necnon Eccleſiarum, Monaſteriorum, Conventuum, Ordinum, Congregationum, Hoſpitalium, Confraternitatum, Univerſitatum, Collegiorum, & Locorum, aliorumque prædictorum, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis, ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiisquoque, exemptionibus, & indultis Apoſtolicis illis, eorumque Superioribus, & Perſonis, ac aliis quibuſcumque, per eoſdem Romanos Pontifices Prædeceſſores Noſtros, ac Nos & dictam Sedem, ejuſque Legatos, ſub quibuſcumque tenoribus, & formis, ac cum quibuſvis clauſulis, & decretis, & ex quibuſvis cauſſis, conceſſis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, etiamſi in illis caveatur expreſſe, quod ſub ſimilibus, vel diſſimilibus ſuſpenſionibus nequaquam comprehendantur, niſi de illis, ſpecialis & individua mentio fiat, illis alias in ſuo robore permanſuris, hac vice dumtaxat ſpecialiter, & expreſſe derogamus, ceteriſque contrariis quibuſcumque.

Et quia difficile nimis eſſet, præſentes quocumque, ubi illis opus fuerit, præferri, volumus earum exemplis, etiam impreſſis, Notarii publici manu, & ſigillo Perſonæ in Dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ obſignatis, eamdem prorſus fidem in judicio, & extra, ubique Locorum adhiberi, quæ adhiberetur præſentibus, ſi eſſent exhibitæ, vel oſtenſæ.

BULLA VENTESIMA SEPTIMA.

De Præparatione ad Annum Univerſalis Jubilæi. Epiſtola Encyclica ad omnes Patriarchas, Archiepiſcopos, atque Epiſcopos.

Extat hæc Bulla in Tom. III. Bullarii ſub num. XIX. data die 3. Decemb. 1749. Pontificatus vero anno Nono.

BENEDICTUS PAPA XIV.

Venerabilis Frater.

Apoſtolica Conſtitutio a Nobis nuper promulgata, in qua Sanctioris Anni ſollemnitatem Chriſtifidelibus denuntiavimus, eoſdem invitat, ut ſacris Peregrinationibus ſeſe committant, ac opus perficiant, quod in Veteri Teſtamento, Dei juſſu, in primævis Eccleſiæ ſæculis frequentior ad ſacra Jeroſolymorum loca acceſſus, ac perpetua conſuetudo, quæ vel ipſos Imperatores, ac Reges ad hujus noſtræ almæ Urbis ſacra monumenta, & præ ceteris ad beata Sanctorum Petri, & Pauli Apoſtolorum Sepulcra inviſenda perduxit, ſatis commendant: opus denique, quod ab hæreticis male habitum, a noſtris Controverſiarum Tractatoribus multa vi, ſolidiſque rationibus fuit vindicatum. Si enim ab iis, qui Eccleſiarum regimini præficiuntur, ejuſmodi Peregrinationes, qua decet methodo, ac ordine inſtituantur, pietatis, ac religionis ſtimulos conciliant iis omnibus, qui ſobrio, pacatoque animo rem ipſam introſpiciunt, ac veros, quibus ea circumſcribitur, limites contemplantur.

Juſſit Deus in Lege veteri, ut omnes Iſraelitarum filii ter quotannis ad Tabernaculum, ſive ad Domini Templum devoti accederent: *Tribus vicibus per annum apparebit omne maſculinum tuum, in conſpectu Domini Dei tui, in loco, quem elegerit: in ſollemnitate Azymorum, in ſollemnitate Hebdomadarum, & in ſollemnitate Tabernaculorum*: ut ex Deuteronomii *cap.* 16. cuique perſpectum eſt. Cui quidem præcepto Elcana, ejuſque uxor Anna ſedulo obtemperarunt, 1. *Reg. c.* 1. & Redemptor noſter ſummopere diligendus, Beata Virgine ejus Matre, ac Sancto Joſepho ejus Nutritio comitantibus, ad Templum ſtatis vicibus ſe contulit: uti legimus *Lucæ c.* 2. Hinc, ut Templum a Salomone conſtructum vel ipſæ Gentes frequentiores adirent, idem Salomon Deum precatus eſt, ut exterarum Gentium, etſi Iſraelitis non accenſerentur, quæ poſt longos itinerum tractus Templum inviſerent, precibus benignus annueret: *Inſuper & alienigena, qui non eſt de populo tuo Iſrael, cum venerit de terra longinqua propter nomen tuum (audietur enim nomen tuum magnum, & manus tua fortis, & brachium tuum extentum ubique) .... tu exaudies in Cælo, in firmamento habitaculi tui, & facies omnia, pro quibus invocaverit te alienigena*. Proſtant hæc verba 3. *Reg. c.* 8.

Splendidum teſtimonium ſuppeditat Euſebius *Hiſtor. Eccleſiaſt. lib.* 6. *cap.* 11. ubi Sancti Alexandri Cappadociæ Epiſcopi adventum in Jeroſolymorum Urbem commemorat, ut ſacra illa loca intueretur, ac coleret, inquiens: *Divino admonitus oraculo Alexander, cum ex Cappadocia, in qua primum Epiſcopus fuerat ordinatus, Jeroſolymam profectus fuiſſet, tum orandi, tum locorum viſendorum gratia*. Sed longe præſtantiora ſunt, quæ in rem hanc producit S. Hieronymus *in epiſt. modo* 46. *olim* 17. hiſce verbis: *Longum eſt nunc ab Aſcenſu Domini uſque ad præſentem diem per ſingulas ætates currere, qui Epiſcoporum, qui Martyrum, qui eloquentium in doctrina Chriſtiana virorum venerint Jeroſolymam, putantes, minus ſe religionis, minus habere ſcientiæ, nec ſummam, ut dicitur, manum accepiſſe virtutum, niſi in illis Chriſtum adoraſſent locis, de quibus primum Evangelium de patibulo coruſcaverat.*

Noſtra non intereſt longiorem ſermonem hic attexere de frequentiori Regum, Epiſcoporum, atque Eccleſiæ Prælatorum, necnon Fidelium pene omnium acceſſu, ac aſſiduis ad Limina Apoſtolorum Peregrinationibus, cum provinciam hanc univerſam præoccupaverint celebres aliquot eruditi, nimirum Onuphrius Panvinus in ſuo *de præſtantia Baſilicæ Vaticanæ* Tractatu, quem Nos in Minoribus adhuc poſiti, hoc eſt inter Vaticanæ Baſilicæ Canonicos cooptati, atque Archivi ejuſdem Baſilicæ Præfecturam agentes, pluries perlegimus nondum typis impreſſum, & in Tabulario Baſilicæ diligenter ſervatum; Jacobus Gretſerus *tom.* 4. novæ Operum editionis *lib.* 2. *de ſacris Peregrinationibus capit.* 12. *& ſeqq.* Coccius *lib.* 5. *Theſa Catholic. cap.* 17. Stanislaus Hoſius *cap. de Ceremoniis, quæ deſumuntur a loco*; Rutilius Benzonius *de anno Sancti Jubilæi lib.* 6. *cap.* 1. *& ſeq.* Drexellius *tom.* 13. edition. Monachii *par.* 1. *cap.* 7. *pag.* 126. *& ſeqq.*, & nuperus Trombella *de Cultu Sanctor. tom.* 1. *part.* 2. *cap.* 46. *& ſeq.* Juvabit tamen ex Marculfo Monacho, qui vixit ſæculo Eccleſiæ ſeptimo, formulam, cujus memorati Scriptores numquam meminere, hic producere, ut palam fiat, quo ritu, ac methodo conſcriberentur commendatitiæ litteræ, quæ ad Summum Pontificem, ac Epiſcopos dabantur, in gratiam eorum, qui Romam ad Apoſtolorum Limina progrediebantur. Proſtat hæc formula *in lib.* 2. *cap.* 49. eaque ſic habet: *Portitor iſte, radio inflammante divino, non, ut pleriſque mos eſt, vacandi*, ſive ut alii legunt, *vagandi cauſſa, ſed propter nomen Domini itinera ardua, & laborioſa parvi pendens, ob lucrandam Orationem, Limina Sanctorum Apoſtolorum Domini Petri, & Pauli adire cupiens, a mea parvitate ſe petiit veſtræ commendari Almitati*. S. Joannes Chryſoſtomus in libro, cui titulus, *Quod Chriſtus ſit Deus, tom.* 1. editionis Pariſienſis anni 1718. *pag.* 570. *num.* 9. ita ad rem noſtram ſcribit: *In Regia Urbe Roma, miſſis aliis omnibus, ad Sepulcra Piſcatoris, & tentoriorum Opificis, accurrunt Imperatores, Conſules, Exercituum Duces*. Carolum Magnum Imperatorem ſeptem ſupra quadraginta annorum ſpatio, religionis ſtimulo ductum, Romam quater acceſſiſſe, Eginardus teſtatur, inquiens: *Carolus Magnus intra annos quadraginta ſeptem, quater Romam ad vota perſolvenda, & orandum profectus eſt*. Neque omittendum ſplendidum Nicolai I. qui nono ſæculo floruit, teſtimonium, quo frequentiſſimæ ad hanc Urbem Peregrinationes, ad beatos Apoſtoli Petri Cineres inſtitutæ, commemorantur: *Tanta millia hominum* (verba ſunt Nicolai *in epiſt.* 8. ad Michaelem Imperatorem) *protectioni ac interceſſioni Beati Apoſtolorum Principis Petri ex omnibus finibus terræ properantium ſeſe quotidie conferunt, & uſque in finem vitæ ſuæ apud ejus Limina ſemet manſura proponunt, ut præter illud, quo vas a Cælo ſubmiſſum, in quo cunctorum oſtenſa ſunt eidem Beato Petro, horum omnium rectori, animantium genera, Catholicam ſignat Eccleſiam, etiam ipſa ſola Romanorum Urbs, apud quam ejuſdem Apoſtoli corporalis præſentia ſedule veneratur, ipſius vaſis cunctas dignoſcatur in ſe continere univerſorum animalium (quæ homines intelliguntur ſpiritualiter) nationes*.

Quod vero aut ad noſtros Controverſiarum Scriptores attinet, qui pios ad ſacra loca ſeceſſus ab hæreticorum calumniis egregie vindicarunt, aut ad ſolertem Eccleſiæ Prælatorum œconomiam ſpectat, ut ejuſmodi Peregrinationes, ſemotis quibuſque ſcandalis, rite, atque ex ordine perficerentur; Nos, quibus non eſt animus Diſſertationem, aut Tractatum elucubrandi, ea dumtaxat innuimus, quæ litteris conſignarunt Joannes Aurelianenſis Epiſcopus, noni ſæculi Scriptor, contra Claudium Turinenſem, in Sacras Imagines, ideoque in ſacras etiam Peregrinationes infenſum, & Ægidius Carlerius Eccleſiæ Cameracenſis Decanus in celebri Oratione Baſileæ habita contra errores Nicolai Taboritæ, in qua, ſolidioris doctrinæ argumentis, quæcumque ab adverſario contra ſacra Fidelium itinera objiciebantur, plane diſſolvit; ut patet Orationem legenti *in tom.* 8. *Collectionis Conciliorum* Harduini *pag.* 1796. *& ſeqq.* Ea item conſulenda, quæ in Concilio Cabilonenſi ſecundo anno 813. *cap.* 45. & uberius in Concilio Bituricenſi *anno* 1584. *t.* 10. *memoratæ Collectionis pag.* 1466. *& ſeqq.* ſancita ſunt; patebit enim, Canones aliquot fuiſſe procuſos ad quævis abſurda tollenda, quæ in ſacras Peregrinationes irrepere potuiſſent. Nec ſilentio prætereunda, quæ in rem hanc ſedula cura in unum collegit Laurentius Bochelli *in Decretis Eccleſiæ Gallicanæ lib.* 4. *tit.* 14. *de Peregrinationibus*.

Neque vero ignoramus duo illa S. Gregorii Nyſſeni Opuſcula, alterum *de iis, qui adeunt Jeroſolymam*, alterum *ad Euſtatiam, Ambroſiam, & Baſiliſſam*, quæ *to.* 3. *ejus Operum* editionis Pariſienſis, anni 1638. *pag.* 651. *& ſeqq.* inſeruntur; quibus abutuntur heterodoxi, ut pios Fidelium ad ſacra loca ſeceſſus irrideant, ac damnent. Novimus etiam gravem controverſiam ab eruditis ſuper Opuſculorum veritate excitatam. Genuina fatentur Lippomanus,

Baro-

Baronius, Natalis Alexander, Tillemontius, Ceillerus; dubia censet Cardinalis Bellarminus: tamquam supposititia, & apocrypha damnat Gretserus, idque multis rationibus probare contendit in accuratis adnotationibus, quas *pag. 71. & seqq. tom. 3. præfatæ editionis* impressas legimus. Hac tamen controversia seposita: esto Opuscula genuina dicamus; esto in abusus, qui occasione Peregrinationum ad sacra Jerosolymorum loca irrepserant, S. Gregorium insurrexisse concedamus; esto præpollerem sententiam illorum, qui hasce Peregrinationes ad æternam salutem consequendam omnino necessarias affirmabant, proscribamus; nihil inde conficitur, quod veritatem a Nobis supra propositam convellat, aut infirmet. Non enim sacrorum itinerum necessitatem obtrudimus, sed utilitatem dumtaxat commendamus: neque absurda, quæ in longis itinerum tractibus aliquando insurgunt, propugnamus, sed, ut infra patebit, opportunis remediis præcavemus, ne scandala suboriantur. Quod si S. Doctor zelo pietatis abreptus, vehementiori fortasse stylo in sacras Jerosolymorum Peregrinationes aliquando obloquatur, aut de pravis Peregrinorum moribus duriores quæpiam sententiæ excipiendæ sunt, aut communis Ecclesiæ sensus, ac ritus, qui sacra Christianorum itinera, modo qua decet modestia, ac disciplina instituantur, piis, ac devotis operibus accenset, privato Doctoris, etsi sanctitatis, ac doctrinæ laude celeberrimi, judicio anteponendus.

Nostra hæc invitatio ipsos in primis Venerabiles Fratres Ecclesiarum Episcopos complectitur: modo corporis salus id ferat, nullumque ex Pastoris absentia gregi concredito obventurum sit detrimentum. Oportet vero meminerint, plerosque Prædecessorum, eorum saltem, quos longiora itinera ab Urbe non dissociabant, quotannis in sanctam Civitatem se contulisse, ut conjunctim cum Romano Pontifice SS. Apostolorum Petri, & Pauli Festa celebrarent; ut *ex epistola* 13. & 16. S. Paulini fasis compertum est. Hortamur etiam Sacerdotes, atque ex Clero reliquos; modo, ut par est, dimissoriales Episcoporum Litteras secum ferant: non enim a Nobis lex ista nunc primum indicitur, cujus jam tum a vetustis Ecclesiæ sæculis apertissima occurrit mentio; ut patet *ex Canone* 41. & 42. *Concilii Laodiceni an.* 372. penes Harduinum *tom.* 1. *pag.* 789. & 790. Hortamur & Regulares; modo opportuna Superiorum, quos tamen hac in re benigniores fore confidimus, accedat voluntas. Pari studio Laicos hortamur; modo, antequam itineri sese committant, aut a Parocho, aut a Confessario, quid sibi expediat, probe intellexerint. Ne autem conscientiarum moderatores, & consiliarii facile hallucinentur, ea nosse, ac præ oculis habere debent, quæ hisce in casibus Theologi, ac præ ceteris Theophilus Raynaudus *t.* 15. *suorum Operum*, in Tractatu, qui inscribitur *Heterochita spiritualia pag.* 217. *n.* 13. sedulo examinanda proponunt. *Peregrinatio*, ita Raynaudus, *est opus supererogationis, & pertinet ad cultum voluntarium, quem par non est officere actibus virtutis ex obligatione exercendis. Sic maritus, qui vinculo conjugis adstringitur adhærere uxori, male faciet, si, uxore reluctante, longam Peregrinationem, ea domi relicta, suscipiat &c. Immo, quamvis uxor consentiret, posse tamen Peregrinatio longa mariti continere heteroclisim, si per eam absentiam in alterutro conjugum verisimile periculum labefactandæ virtutis timeretur. Æque ex hoc capite anomala esset Peregrinatio Patrisfamilias, qui, cum necessarius esset domi ad sustentationem familiæ, deberetque suis laborare, & thesaurizare, vellet tamen domo abesse, & ad hæc, aut illa sacra monumenta discursare. Idem pronuntiatum esto de eo, qui obæratus, nec habens aliunde, unde dissolvat debita, quam si alicubi hæreat, & laboret, eligit tamen visere loca sancta.* Norunt omnes Plenariam peccatorum Indulgentiam, quam Urbanus II. in Concilio Claramontano iis elargitus est, qui Crucis insignia gestantes, ad sacra Jerosolymorum loca recuperanda, sacræ militiæ nomen darent: *Quicumque pro sola devotione, non pro honoris, vel pecuniæ adeptione, ad liberandam Ecclesiam Dei Jerusalem profectus fuerit, iter illud pro omni pœnitentia reputetur*: verba sunt memorati Concilii, quod anno 1095. celebratum est, atque *to.* 10. Labbeanæ editionis inseritur. D. Thomas, *quodlib.* 4. *art.* 11. hac quæstione proposita: *Utrum vir possit accipere Crucem, si de ejus incontinentia timeatur*, eamdem, quam supra statuimus, doctrinam secutus, ita quæstionem absolvit: *Ex necessitate viro imminet, ut gerat Crucem uxoris, quia caput mulieris est vir. Sed, quod accipiat Crucem ad transfretandum, subjacet propriæ voluntati. Unde si uxor sit talis, quæ sequi non possit propter aliquod impedimentum, & de ejus incontinentia timeatur, non est ei consulendum, ut accipiat Crucem, & dimittat uxorem; secus autem est, si uxor continere voluntarie proponat, aut velit, & possit sequi virum suum.* Sed nec ipsas quidem Mulieres, modo clausuræ legibus non teneantur, arcemus, quominus Anni Jubilæi tempore, si ita illis expediat, Romam accedant; multa enim præsto sunt, quæ sacra mulierum itinera commendant, exempla. S. Helenam ad sacra loca properantem S. Ambrosius describit. Eudoxiæ, quæ Theodosio nupsit, Peregrinationes ad Urbem Jerosolymam Socrates commemorat. Paulam Matronam Romanam in terræ sanctæ locis lustrandis sollicitam exhibet Sanctus Hieronymus. Nec minori studio S. Birgitta Compostellam, ac Romam, ut Sanctorum Apostolorum Limina deoscularetur, perrexit. Ad hæc, Nosipsi, quo tempore diuturniorem in hac Urbe Sanctæ Sedis servitio obstricti moram traximus, de frequenti mulierum adventu, citra ullum ætatis, aut conditionis discrimen, testes sumus. Verum, ne ubi sedulus Paterfamilias frumentum seminat, inimicus homo zizania commisceat, eos omnes, quibus disciplinæ, ac morum custodia est concredita, monemus, ac in Domino obsecramus, ut sedulo caveant, ne ullus pateat aditus criminibus, quæ facili negotio a mulierum ætate, ab eorum, quibus sociantur, indole, ingenio, ac sexu dissimili, suam ducunt originem: Quod si mulieres viro alligatæ itineri se committant, ea cum primis cura adhibenda est, ut, viris absentibus, fratrum custodiæ commendentur, aut saltem iis custodiendæ tradantur, quos propinquitatis gradus, & a quavis suspicione alienos, & in pudicitia servanda probet sollicitos.

Jam vero reliquum est, ut, quo tandem nostra hæc invitatio spectet, aperiamus. Id vero satis explicare non possumus, nisi quædam scitu digna, a sanctis Patribus; atque Ecclesiasticæ Historiæ monumentis petita, primo loco statuamus. Sanctus Joannes Chrysostomus *Homil.* 32. *in Epistolam ad Romanos t.* 9. *præfatæ editionis pag.* 757. Urbem Romam laude dignam affirmat, quod illius amplitudo; vetustas, pulcritudo, populi frequentia, divitiæ, ac victoriæ, quas bello reportavit, multam intuentium animis excitent admirationem. Verum hæc illi non erat præcipua commendationis materies. Aliud quidpiam in Urbe Roma intuebatur, quod nedum laudes ab ore eliceret, sed insuper amorem, ac desiderium excitaret quammaximum; ipsa nimirum Sanctorum Apostolorum Petri, & Pauli sacra Lipsana, ex quibus longe majori gloria, ac dignitate Roma nobilitatur. *Propterea*, inquit S. Doctor, *quamquam aliunde illam laudare possim, a magnitudine, ab antiquitate, a pulcritudine, a populi frequentia, a potentia, a divitiis, a rebus in bello fortiter gestis; sed, missis illis omnibus, ideo illam beatam prædico, quia Paulus, & dum viveret, illis scripsit, atque ipsos ita dilexit, ac præsens, ipsos allocutus est, & vitam ibidem clausit; ideoque hinc clarior est Civitas, quam ex aliis omnibus: ac, quemadmodum corpus magnum, & robustum, duos illa Urbs habet oculos splendentes, horum videlicet Sanctorum Corpora. Non ita splendet Cælum, cum radios Sol emittit, ut Romanorum Urbs duas illas lucernas habens per totum Orbem lucem emittentes.* Hinc caritatis igne succensus, quæ præsens intueri non poterat, Beatorum Apostolorum Corpora absens venerabatur; atque, ut aliquando Romam posses accedere, veluti moræ impatiens, summis optabat votis: *Quis mihi nunc dederit*, sic ille prosequitur, *ut Corpus Pauli circumplectar, ut sepulcro hæream, ut pulverem videam Corporis illius, qua Christo deerant, adimplentis, stigmata illius gestantis, prædicationem ubique disseminantis?* Et post pauca: *Vellem sepulcrum videre, ubi jacent arma justitiæ, arma lucis, membra nunc viventia, & mortua dum ille viveret, in quibus omnibus vivebat Christus, quæ crucifixa erant mundo, membra Christi, quæ Christum induebant, templum spiritus, ædificium sanctum, quæ spiritu ligata erant, quæ confixa erant timore Dei, quæ stigmata Christi habebant. Hoc Corpus Urbem illam quasi mœnis cingit, quod omni turre, & vallis innumeris tutius est, & cum hoc etiam Petri Corpus, nam illum viventem honoravit: Ascendi, inquit, videre Petrum.*

Et nos igitur S. Joannis Chrysostomi exempla secuti; affirmare tuto possumus, Nostram hanc Urbem Romam amplissimis ædificiis, ac miro instructam ordinatu, dignam esse, quæ Spectantium oculos alliciat, ac trahat. Verum vota, nostraque ad fidelem populum hortamenta hic non sistunt. Hæc præcipua Romæ laus est, quod Catholicæ Religionis Caput, ac unitatis Centrum in ea sedem fixerit. Hoc dignum Urbe Roma spectaculum, apertissima monumenta disjectæ penitus Idololatriæ, quæ tamdiu Urbem hanc Orbis dominam sibi subjecerat, contemplari. Perspectam habent Eruditi sententiam Petri Angeli Bargæi in celebri Epistola *de privatorum, publicorumque ædificiorum Urbis Romæ eversoribus*, qua probare contendit, magnifica Theatrorum, Thermarum, Templorumque ædificia, ac innumera Idolorum simulacra, non jam a Gothis, Vandalis, aliisque efferatis gentibus fuisse disjecta, sed a Romanis Pontificibus, ipsoque cum primis Sancto Gregorio Magno, aliisque Fidelibus, fuisse prostrata, ut omnem plane Idololatrici cultus memoriam, ac superstitionis irritamentum e medio tollerent. Quidquid vero sit de hujusce sententiæ veritate, profecto non defuit, qui nostra ætate operosum Tractatum confecerit de profanis, ac superstitiosis Ethnicorum reliquiis, in commodum ac ornamentum Ecclesiarum translatis, addito insuper nomine, ac numero Ecclesiarum, quæ vel hisce diebus, profanis Gentium Templis innixæ, ac superimpositæ, Romæ aspiciuntur. Sacras igitur Peregrinationes indicimus, ac religiosam ad memorias Sanctorum Apo-

stolorum Petri, & Pauli accessum suademus, eo consilio, ut fidelis populus ad sacra hæc loca eodem feratur pietatis spiritu, quo S. Joannes Chrysostomus, ut supra narravimus, vehementer exarsit; esto illi datum non fuerit lacertosæ Urbis Romæ loca vel semel invisere.

Nondum vero rationes omnes, quibus Nostra hæc hortatio innititur, explicavimus. Notum satis, quod *anno* 1300. Bonifacii VIII. tempore contigisse narratur. Fama illico invaluit de Plenaria peccatorum Indulgentia quovis anno centesimo iis concessa, qui Sanctorum Apostolorum adirent Limina. Auctor tamen, quæ nedum Romæ, sed & in aliis Orbis partibus percrebuerat, etsi diu, multumque quæsitus, nunquam inventus est. Hinc Bonifacius VIII. anno centesimo tunc recurrente, celeberrimam edidit Constitutionem, cui initium *Antiquorum habet fida relatio*, in qua plenissimam peccatorum veniam concedit iis omnibus, qui vere pœnitentes, ac confessi, quindecim vicibus, si fuerint extranei, si vero Romani fuerint, triginta vicibus Sanctorum Apostolorum Petri, & Pauli Basilicas visitaverint; ac præterea cuilibet centesimo futuro anno idem plenissimarum Indulgentiarum beneficium, iisdem sub conditionibus acquirendum, perpetuo sociavit. Universa rei series fido calamo a Jacobo Cajetano Diacono Cardinali S. Georgii in Velabro, ejusdem Pontificis Nepote, conscripta, typis impressa legitur *tom.* 25. *Bibliotecæ Maximæ Patrum* editionis Lugdunensis *pag.* 937. *& seq.* Notum item centum annorum spatium a Bonifacio VIII. definitum, *a* Clemente VI. ad annos quinquaginta, ab Urbano VI. ad annos tres ac triginta, ac postremo a Paulo II. ad annos viginti quinque fuisse revocatum: addita insuper a Clemente VI. Lateranensis, ab Urbano VI. Liberianæ Basilicæ visitatione. In Nostra, quam nuper edidimus, Constitutione, nihil de consueta Ecclesiæ disciplina, sive quoad Ecclesiarum, sive quoad Visitationum numerum, sive etiam quoad opera, quæ ad lucrandum Indulgentiarum thesaurum præscribuntur, excepta Sacræ Eucharistiæ perceptione, quam jure, ac merito superaddendam duximus, immutavimus. Atque huc tandem vota nostra, ac hortamenta contendunt, ut, quæ præcipiuntur in sacris hisce itineribus, pia opera, qua decet humilitate, ac devotione impleantur; non enim dumtaxat consilii, sed præcepti, ac necessitatis res est, ejusmodi operum implementum. Quo semel posito, verbis iisdem, quibus Augustinus Valerius vigilantissimus Ecclesiæ Veronensis Episcopus, mox Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalis egregius, in *Pastorali Epistola edita anno* 1574. dilectum suæ Civitatis, ac Diœcesis populum hortatus est, occasione Jubilæi, quod Gregorius XIII. sequenti anno celebrava, universos Christifideles alloquimur, ac monemus. *Fratres*, verba sunt Epistolæ ex Italico idiomate in Latinum translata, *Gratia Sancti Spiritus proximo Jubilæi Anno vos Romam accersit; multus item, qui vobis proponitur, thesaurus invitat. Hortor vos omnes, ut vestra pares muneri, jucunditatis stolam, quæ bonæ conscientiæ perpetua comes est, induatis; ita namque fiet, ut hoc Jubilæi Anno sanctificationis gratiam adepti, e sacro itinere reduces, promptiores, quam antea fuistis, Deo serviatis.*

Liceat Nobis huc item transferre ipsamet verba, quibus Sanctus Carolus Borromæus, clarissimus Mediolanensis Ecclesiæ Archiepiscopus; geminam ad commissum sibi gregem dedit epistolam, Italico sermone, ut omnium captui se accomodaret, conscriptam; alteram quidem *die* 10. *Septembris* 1574. hoc est anno Jubilæum a Gregorio XIII. celebratum præeunte; alteram, absoluto Jubilæi tempore, *anno* 1576. promulgatam. Utriusque epistolæ fragmentum latine redditum lubentes escribimus. Prior epistola sic habet: *Contemnenda ergo non est, filii carissimi, occasio, ex qua animabus vestris tanta obveniunt emolumenta. Nolite, precamur vos, metu, curave laboris, quo corpus paulisper lassatur, tanta fraudari bono. Vestram in terrenis commodis, ac emolumentis diligentiam perpendite, quorum gratia, longa, ac periculi plena itinera ultro suscipitis, absque eo, quod ærumnæ, aut incommoda vos terreant, aut labores, qui non semel occurrunt, ab incepto vos retrahant. Pudeat igitur, quod majora corpori, quam animæ, impendatis beneficia. Enimvero si de temporalis oneris dissolutione agitur, aliqui vestrum non dubitant vias etiam difficiliores adire; esto sacra hæc itinera, tot, tantorumque peccatorum, quæ animam gravant, absolutionem impetrent. Hæc ratio, filii carissimi, quæ animæ saluti tam bene consulit, stimulos vobis addat oportet, ut sinceræ pietatis, quo Christianos decet, spiritu instructi, sacrum iter suscipiatis, ad quod antiqua Fidelium devotio, ac vetusta populorum, ac Principum exempla vos provocant.* Posterioris epistolæ, quam, elapso Jubilæi Anno, Sanctus Carolus scripsit, postquam Summus Pontifex, ipso rogante, Plenariam Jubilæi Indulgentiam Mediolanum transmiserat, ut eorum saluti consuleret, qui præcedenti anno Romam non accesserant, verba hæc sunt ad rem nostram satis opportuna: *Nostis quanam fuerint anno præterito vota nostra, ut nemo vestrum, cujusvis negotii, aut impedimenti prætextu, a sacris Peregrinationibus, quæ ad Urbem Romam instituendæ erant, abstineret. Unumquemque excitavimus, ut ad spirituales divitias sibi comparandas properaret, ac singulari obsequio S.R.E., quæ omnium Mater est, veneraretur, Romam accedens, ut corpore præsens Apostolicas benedictiones consequeretur, & Beatorum Petri, & Pauli sacra Corpora, aliorumque Sanctorum Reliquias coleret: ut vetustas, ac venerandas Ecclesias, necnon loca illa innumerorum pene Martyrum sanguine conspersa, ac consecrata inviseretur. Hæc enim Urbs illa est, mysteriis, sacrisque monumentis insignita, singularibus beneficiis a Deo cumulata, cum in ea S. Petri Cathedram perpetuo fixerit; infallibilem Fidei Catholicæ veritatem, disciplinæ, ac morum Magisterium collocaverit. Hæc quidem Urbs est, cujus tellus, muri, Aræ, Ecclesiæ, Martyrum sepulcra, & quidquid oculis obversatur, sacrum quid animis ingerit, ut ii experiuntur, ac sentiunt, qui rite comparati sacros illos recessus invisunt. Hinc vos omnes & voce pluries hortati sumus, & litteris excitavimus, & itineris a nobis suscepti exemplo monuimus; rati, nostra interesse, hac etiam in re ductorem agere, ac exemplo præire.*

Huc usque nostram hanc Encyclicam Litteram producere, tandemque finem imponere meditabamur; verum, præter spem a Nobis præconceptam, multa adhuc superesse animadvertimus. Patres Synodi secundæ Cabilonensis *anno* 813. *in Canone* 45. apud Harduinum *t.* 4. *pag.* 1039. *suæ Collectionis*, nonnulla recensent absurda, quæ eorum ætate, occasione rei, de qua agimus, invaluerant, & quæ forsasse nostris etiam temporibus possent obrepere. *Nam &* *a quibusdam*, inquit Canon, *qui Romam, Turonumve, & alia quædam loca sub prætextu orationis inconsulte peragrant, plurimum erratur. Sunt Presbyteri, & Diaconi, & ceteri in Clero constituti, qui negligenter viventes, in eo purgari se a peccatis putant, & ministerio suo fungi debere, si præfata loca attingant. Sunt nihilominus laici, qui putant se impune aut peccare, aut peccasse, quia hæc loca frequentant. Sunt adeo vecordes, ut putent, se sanctorum locorum sola visitatione a peccatis purgari.* Alia item sequentium temporum absurda, ex quibus Fidelium Peregrinationes suo frustrantur effectu, commemorat Abbas Albertus Stadensis in Chronico: *Vix aliquos vidi, vel nunquam, qui redierint meliores de transmarinis partibus, vel de Sanctorum Liminibus.* Ut hisce malis occurrant Patres Cabilonenses, remedia præscribunt, verbis, quæ sequuntur: *Qui vero peccata sua Sacerdotibus, in quorum sunt Parochiis, confessi sunt, & ab his agendæ pœnitentiæ consilium acceperunt, si orationibus insistendo, eleemosynas largiendo, vitam emendando, mores componendo Apostolorum Limina, vel quorumlibet Sanctorum invisere desiderant, horum est devotio modis omnibus collaudanda.* Nec remedia dissimulat Abbas Stadensis, inquiens: *Puto ex eo hoc provenire, quod debita devotione nec exeunt, nec redeunt, debent enim tali cogitatione proficisci, quasi essent de sæculo migraturi.* Et Nos igitur, ne Apostolici ministerii partes negligamus, alieno exemplo edocti, malis omnibus avertendis, & iis statuendis, quæ ad Indulgentiarum fructum percipiendum necessaria sunt, animum intendamus oportet.

Notum cuique est, mensium aliquot spatium intercurrere ab eo tempore, quo Anni Jubilæi Bulla Romæ evulgatur, ad ipsa Sacri Jubilæi Anni primordia; quandoquidem, juxta veterem Ecclesiæ disciplinam, ipsa Nativitatis Domini Vigilia, quæ Bullæ indictionem consequitur, Porta Sancta aperitur, & Jubilæi Annus tunc primum incipit. Hoc mensium aliquot intervallum, otiosum abire non patimur; eo namque animur, ut interim in variis Urbis Romæ partibus Missiones habeantur, quarum utilitatem satis commendavimus in Pastoralibus nostris Edictis, quæ Nobis ad Archiepiscopalis Ecclesiæ regimen Bononiæ commorantibus elucubrata sunt, ac typis edita; moxque in Latinum sermonem translata, iterum recusa sunt. Illud vero Evangelicis Missionum Operariis inculcamus, ut Catecheses ad populum habeant, in quibus Catholicam de Indulgentiis, ac universali Jubilæo doctrinam explicent, iis posthabitis quæstionibus, quæ ad puram, putamque disceptationem, a Polemicæ, vel Moralis Theologiæ Tractatoribus agitantur. Satis enim erit fideli populo, si bene norit, Sacramentum pœnitentiæ, modo quis bene illo utatur, culpam, pœnamque æternam dimitti; temporalem vero pœnam universam perraro tolli, quæ idcirco aut satisfactoriis operibus in hac vita, aut post obitum Purgatorii igne superest eluenda, ut docet sacra Synodus Tridentina *sess.* 6. *cap.* 14. *& Can.* 30. *ejusdem sessionis, sub titulo de Justificatione*. Satis item erit, si Christianæ plebi innotescat, adesse in Ecclesia indeficientem thesaurum, ex immensa meritorum Christi copia conflatum, cui & alia Sanctorum accedant merita; hujusce vero thesauri dispensationem ab eodem Christo Domino, ejus in terris Vicario, hoc est Romano Pontifici fuisse concreditam; ideoque provido Romani Pontificis consilio, justis caussis ita suadentibus, modo ampliorem, modo contractiorem fieri posse meritorum applicationem, sive per modum absolutionis pro vivis, sive pro mortuis per modum suffragii: si tamen viventes culpam, pœnamque æternam per pœnitentiam deleverint, defuncti vero, Deo in caritate conjuncti ex hac vita migraverint. Porro hæc me-

ritorum applicatio, Indulgentiæ nomine donatur, quam quisquis rite consequitur, a temporali peccatorum pena liberatur pro mensura applicationis, quam legitimus Dispensator concessit, ac definivit; ut legimus in Summorum Pontificum Constitutionibus, ac, præ ceteris, in celeberrima Decretali Leonis X. Prædecessoris nostri ad Cardinalem Thomam de Vio, alias Cajetanum, quo tempore Legati Apostolici munere in Germania fungebatur. Ex quo sequitur, ut Christifidelibus utilis admodum sit Indulgentiarum usus, ideoque diro anathemate damnanda sit prava illorum sententia, qui aut Indulgentiarum utilitatem denegant, aut Ecclesiæ Indulgentias conferendi adimunt potestatem; ut statuit Concilium Tridentinum *sess.* 25. *in Decreto de Indulgentiis*. Postremo monendus erit Christianus populus, Indulgentiam Anni Jubilæi Plenariam esse, atque ab aliis item Plenariis, quæ etiam per modum Jubilæi dispensantur, secerni, quod Sacro Jubilæi Anno Confessariis ad id muneris designatis amplior tribuatur facultas cum absolvendi a peccatis, tum dispensandi super vinculis, ac impedimentis quibusdam quibus non semel penitentium conscientia irretitur.

Omissis aliis Summorum Pontificum Constitutionibus, quæ cuique obviæ sunt, eam dumtaxat, quam Leo X. promulgavit, hic duximus exscribendam. Sic vero habet: *Per præsentes tibi significandum duximus, Romanam Ecclesiam, quam reliquæ tamquam Matrem sequi tenentur, tradidisse, Romanum Pontificem Petri clavigerum, successorem, & Jesu Christi in terris Vicarium, potestate Clavium, quarum est aperire Regnum Cælorum, tollendo illius in Christifidelibus impedimenta, culpam scilicet, & pœnam, pro actualibus peccatis debitam; culpam quidem mediante Sacramento Pœnitentiæ, pœnam vero temporalem pro actualibus peccatis secundum divinam justitiam debitam, mediante Ecclesiastica Indulgentia, posse pro rationabilibus caussis concedere ejusdem Christifidelibus, qui, caritate jungente, membra sunt Christi, sive in hac vita sint, sive in Purgatorio, Indulgentias ex superabundantia meritorum Christi, & Sanctorum; & tam pro vivis, quam pro defunctis, Apostolica auctoritate, Indulgentiam concedendo thesaurum meritorum Jesu Christi, & Sanctorum dispensare, & per modum absolutionis Indulgentiam ipsam conferre, & per modum suffragii illam transferre consuevisse; ac propterea omnes tam vivos, quam defunctos, qui veraciter omnes Indulgentias hujusmodi consecuti fuerint, a tanta temporali pœna, secundum divinam justitiam pro peccatis suis actualibus debita, liberari, quanta concessæ, & acquisitæ Indulgentiæ æquivalet; & ita ab omnibus teneri, & prædicari, debere &c. auctoritate Apostolica &c. decernimus.*

Hæc docuisse sat erit, ut populus ea, quæ ad Indulgentiarum materiem pertinent, satis percipiat. Quia vero studendum cum primis est, ut Indulgentiarum fructum Fideles consequantur; hinc ad alia progrediantur oportet, qui sacrarum Missionum ministerio incumbunt. Apostolico instructi zelo, in sæculi corruptelas, quæ longe, lateque grassantur, sermonem convertant, memores verborum Isaiæ *cap.* 58. *Clama, ne cesses, quasi turba exalta vocem tuam, & annuntia populo meo scelera eorum, & domui Jacob peccata eorum*. Penitentiæ necessitatem indicent, ac ineluctabilem animæ jacturam urgeant, nisi penitentiæ ope crimina deleantur: quo pertinet illud Christi Domini, Lucæ 13. *Nisi pœnitentiam egeritis, omnes similiter peribitis*. Ad hæc, divinæ misericordiæ divitias extollant, quæ in eos effunduntur, qui, pravis anteactæ vitæ moribus omnino rejectis, cor novum, novumque spiritum sibi comparant. Interim vero præ oculis habeant ea Domini verba, Exechielis *cap* 18. *Convertimini, & agite pœnitentiam ab omnibus iniquitatibus vestris, & non erit vobis in ruinam iniquitas. Projicite a vobis omnes prævaricationes vestras, in quibus prævaricati estis, & facite vobis cor novum, & spiritum novum ..... quia nolo mortem morientis, dicit Dominus Deus; revertimini, & vivite.* Et cap. 33. *Vivo ego, dicit Dominus Deus: nolo mortem impii, sed ut convertatur impius a via sua, & vivat.*

Proposita virtutis penitentiæ necessitate, ad Sacramentum Penitentiæ sermonem convertant, atque hortamenta, ac monita ingeminent, ut Fideles hoc saluberrimo muniti Sacramento, ad Annum Jubilæi accedant rite dispositi. Hinc ad validam, ac utilem peccatorum Confessionem perficiendam populos erudiant; omnimodam necessitatem iterandi Confessiones pridem irritas explicent; omnemque curam adhibeant, ut ii quoque, qui nulla necessitate obstrictos se putant, ad præterita crimina in Penitentiæ Sacramento iterum manifestanda, atque ad generalem peccatorum Confessionem instituendam facile inducantur. *Licet non sit de necessitate iterum confiteri eadem peccata, tamen propter erubescentiam, quæ est magna Pœnitentiæ pars, ut eorumdem peccatorum iteretur Confessio, reputamus salubre*: verba sunt Prædecessoris nostri Benedicti XI. in Decretali *Inter cunctas, de Privilegiis*, relata inter Extravagantes communes. Quibus consona scribit S. Carolus Borromæus in suis ad Confessarios monitis, quæ Innocentius XII. Prædecessor noster, ut iis, qui Confessiones audiunt, exemplo essent ac documento, iterum Romæ imprimenda curavit. *Confessarii*, ita loquitur S. Carolus, *pro cujusque personæ qualitate, opportuno tempore, & loco, ad generalem quamdam Confessionem pœnitentes exhortentur, ut per hanc, proposita omni præterita vita sibi ob oculos, majori cum alacritate redeant ad Dominum, ac omnes errores, qui potuissent in præcedentibus Confessionibus accidere, resarciant.*

Hanc ipsam generalium Confessionum utilitatem in suorum Operum locis quamplurimis S. Franciscus Salesius commendat. Præcipua vero sunt, multamque redolent suavitatem verba illa, quæ ex epistola ad Viduam Matronam data, hic repetimus, e Gallico sermone Latine reddita: *Accepi litteras a Patre tuo, quibus a me postulat, ut aliquid, quod animæ saluti profuturum sit, illi apertam. Lubens, & facilior fortasse, quam par est, votis annuo. Quæ illi trado monita, ad duo revocantur capita. Alterum est, sedula, ac universalis anteactæ vitæ discussio, quam generalis Confessio, & par pœnitentia sequatur; hoc enim illud est, quod nemo vir ingenuus ante obitum negliget. Alterum in eo versatur, ut paullatim a mundi illecebris animum studeat avellere*. Ejusmodi epistolæ exemplum inseritur. *tom. 1. illius Operum* editionis Parisiensis anno 1669. *pag.* 914. *num.* 6. In Vita Sancti Vincentii a Paulo Fundatoris Congregationis Missionis, Italice scripta, multis agitur de fructu, qui a generalibus Confessionibus, occasione sacrarum Missionum, præcipitur. Hinc memoratæ Congregationis Regulæ ab Apostolica Sede probatæ, inter cetera Instituti ministeria, illud enumerant, *Confessiones Generales totius anteactæ vitæ suadere, & excipere*. Eodem pertinent verba Urbani VIII. relata in Bulla, quæ incipit: *Salvatoris nostri*, qua Institutum præfatæ Congregationis confirmatur; ita namque generalium Confessionum usum, ac utilitatem commendat: *Ex quorum felicibus successibus* (operum scilicet, ac ministeriorum, quæ Congregationis Instituto propria sunt, ac peculiaria) *evidenter apparet, hoc pium Institutum Deo acceptissimum, hominibus vero utilissimum, prorsusque necessarium esse: ex eo enim, licet non multo ab hinc tempore, rarus antea Confessionum Sacramentalium, etiam generalium, & Sanctissimæ Eucharistiæ usus, frequens per Dei gratiam factus est*. Hinc Prædecessor Noster Innocentius XII. secum reputans graviores defectus, qui ex irrito præteritarum Confessionum usu possunt occurrere; in ea, quam post indictum Jubilæi Annum evulgavit Instructione, hisce verbis a Nobis latine redditis, quemlibet peregrinorum hortatur, ut ante discessum universa anteactæ vitæ crimina iterato aperiat in foro sacramentali: *Discessurus validam, ac generalem Confessionem præmittat, ac moneatur, ut, hac oblata occasione, id non negligat: ut nimirum medeatur languoribus, quibus Confessiones pridem habitæ fortasse laborant*. Sane conscientiarum moderatores uno ore conveniunt, multam ex generalium Confessionum usu percipi utilitatem. Ita namque universa vitæ ratio animo obversatur: ex quo hominis timor, ac humilitas; major in peccatum horror insurgit; augentur vires, ut quidquid ad malum provocat, propulsetur; jucundissima pax, & tranquillitas animo accedit; &, quæ præteritis Confessionibus illata sunt, damna sarciuntur.

Haud ignoramus, Sacramentales Confessiones, sive pro quotidianis excessibus instituantur, sive frustraneas repetant, sive universa vitæ crimina in unum colligant, eo, quem expectamus, & summopere expetimus, fructu carituras, nisi a probis, doctis, ac in sana Ecclesiæ doctrina rite instructis Pœnitentiæ Ministris excipiantur. Quo tempore Archiepiscopalis Ecclesiæ Bononiensis regimini Nos ipsi præfuimus, nullum in Pœnitentiæ Ministrum delegimus, quem aut Nos, aut alii coram Nobis, prævio examine, non probaverint; ut scilicet solidum de moribus, ac doctrina suppeteret testimonium. Neque vero indefinitam ad Confessiones audiendas cuiquam tribuimus auctoritatem, sed certo, ac brevi temporis spatio circumscriptam concessimus, ut semel probati iterum examini subjicerentur, aut a Nobis ipsis, aut Nobis adstantibus perficiendo. Hoc autem, sicut multam Confessariis molestiam, ita magnam pœnitentibus afferebat utilitatem. Jam vero universalis Ecclesiæ regimine usque adeo pressi, ut illi ferendo pene deficiant vires, examen Confessariorum, qui in hac Urbe Roma Sacramentum Pœnitentiæ administrant, aliorum, de quorum fide, ac diligentia Nobis bene sperare licet, judicio relinquimus; & nonnisi semel quotannis, adventante nimirum sacro Quadragesimalis jejunii tempore, Concionatoribus, ac Parochis, qui coram Nobis jussi conveniunt, ea omnia, quæ eorum muneri, ac animarum saluti expedire videntur, significamus. Sed longe major, ac potior Nos urget ratio, ut, occasione Anni Jubilæi, qui propediem venturus est, Confessarios omnes alloquamur, quibus idcirco, ea, qua possumus, verborum vi, atque animi contentione, hæc, quæ sequuntur, monita, ac hortamenta præbemus.

Primo loco monemus, ut meminerint, suscepti muneris partes non implere, immo vero gravioris criminis reos esse eos omnes, qui cum in Sacro Pœnitentiæ Tribunali resident, nulla tacti sollicitudine, pœnitentes audiunt,

non monent, non interrogant, sed explera criminum enumeratione, absolutionis formam illico proferunt. Id sane a solertis Medici, qui oleum, ac vinum vulneri infundit, moribus nimis alienum est. Equidem Medicum agit quisquis Pœnitentiæ Sacramentum ministrat; hinc debet nedum criminum circumstantias, sed etiam illius, qui in crimina lapsus est, indolem, ac ingenium sedulo inspicere, ut illi præsto sit opportunus remedius, ex quibus animæ salutem consequatur. *Sacerdos autem sit discretus, & cautus, ut more periti Medici superinfundat vinum, & oleum vulneribus sauciati, diligenter inquirens & peccatoris circumstantias, & peccati, per quas prudenter intelligat, quale illi debeat consilium præbere, & ejusmodi remedium adhibere, diversis experimentis utendo ad sanandum ægrotum*. Verbis utimur clarissimi Prædecessoris Nostri Innocentii III. in Generali Concilio Lateranensi *Cap. Omnis utriusque sexus, de Pœnitentiis, & remissionibus*. Constat Rituale Romanum a Paulo V. Nostro item Prædecessore Apostolica Constitutione probatum, *in tit. de Sacramento Pœnitentiæ*, ubi sic loquitur: *Si pœnitens numerum, & species, & circumstantias peccatorum non expresserit, eam Sacerdos prudenter interroget*. Quod si Confessarius probe norit, pœnitentem aliquibus peccatis gravari, quæ nondum aperuit, sive ex oblivione, quod imos conscientiæ recessus non satis exploraverit, sive ex crassiori ignorantia, quæ tamen culpa non vacat, cum putet sibi licere, quod re ipsa nefas est; erit Confessarii, ne alioquin necessaria integritate Confessio fraudetur, caute, ac prudenter in memoriam pœnitentis revocare, quæ omisit, illumque monere, ac corrigere, ut rite comparatus Sacramenti Pœnitentiæ fructum percipiat. Ita sentit S. Bernardinus Senensis *tom. 2. serm. 27. artic. 2. cap. 3. pag. 167.* ubi, quæstione proposita, *an Confessor teneatur diligenter perscrutari, & examinare conscientiam peccatoris*, affirmando respondet: idque locum habere, ait, non solum in iis, quæ pœnitens *propter negligentiam, vel propter verecundiam* omittit, sed & in iis, quæ ignorans tacet; *eo quod peccatores ignorant, quæ Dei sunt: unde si Confessor audierit aliquid de pœnitente, vel sciverit per aliquam probabilem conjecturam, id debet pœnitenti ad memoriam reducere, quia potest timeri, quod pœnitens ignoret ignorantia crassa, quæ non excusat secundum Guillelmum; vel quia forte non intelligit illud esse peccatum; nam, secundum Isidorum, ignorans quotidie peccat, & ignorat*.

Obvia hæc sunt apud Theologos, ne iis quidem exceptis, qui inter rigidioris disciplinæ magistros enumerandi non sunt. Non enim res hic agitur de ignorantia, ut aiunt, invincibili juris positivi, ex qua pœnitens in absurdum quidpiam, uni Confessario notum, prolapsus est; & si forte, quod pœnitens ignorat, monitus disceret, gravioris mali occasio inde sequi posset: sed vincibilis ignorantia locum habet, cum pœnitens aut crimina ignoret, quæ tamen nosse debet, aut in iis versatur facti circumstantiis, quæ, Confessario dissimulante, peccatorem in pravo opere obfirmant, non sine aliorum scandalo; cum quis arbitretur, ea sibi licere, quæ ab iis, qui Ecclesiæ Sacramenta frequentant, impune exerceri animadvertit. Hisce in casibus concors Theologorum sententia est, Confessarium teneri monitis, ac interrogationibus pœnitenti opem ferre, quamvis inde pœnitentis tristitiam secuturam agnoscat. Quod si Confessarii monitis par exitus tunc non respondeat, adhuc sperare licet, eo in posterum, adjuvante Domino, profutura. Inter Theologos, qui aut Prædicatorum Ordini accensentur, aut Divi Thomæ doctrinæ subscribunt, consulantur Soto *in 4. Sententiar. dist. 18. quæst. 2. art. 4.* ac Sylvius *in 3. part. D. Thomæ tom. 4. q. 9. art. 2. ad 7.* Inter Franciscanæ Familiæ alumnos, ceterosque Scoti discipulos, Cardinalis de Laurea *in 4. Sentent. t. 2. de Sacrament. Pœnitent. disput. 21. art. 3. num. 64. & sequentibus*. Inter Societatis Jesu Scriptores, Suarezius *in 3. part. D. Th. disp. 32. sect. 3. & 4. t. 4.* Theophilus Raynaudus *t. 16. Heteroclit. spiritual. punct. 9. num. 4.* Gabriel Antonius *tr. de Pœnitent. art 3. quæst. 3.* & Cardinalis de Lugo *de Sac. Pœnit. disput. 22. sect. 2.* ubi animarum salutis studio fervens, multa in rem hanc profert contra Episcoporum, Prælatorum, Principum, ac Gubernatorum desides Confessarios, qui licet in sacro Pœnitentiæ foro nullam de publicis criminibus accusationem excipiant, taciti quiescunt, nullaque hortatione præmissa, præcipiti judicio absolutionis beneficium dispensant. *Infero secundo*, sic ille loquitur, *quid dicendum sit de obligatione, quam habeant Confessarii Prælatorum, Principum, Gubernatorum, & similium, quando vident, aut sciunt, ipsos non satisfacere revera suo debito circa collationem beneficiorum, electionem ministrorum, subditorum gubernationem, circa eleemosynas ex superfluis faciendas de redditibus Ecclesiasticis, & alia similia: de quibus illud notandum est, raro contingere, quod ignorantia sit invincibilis, & inculpabilis; item raro contingere, quod ignorantia illa non afferat secum scandalum in subditis, qui facile putant licita, quæ a Prælatis, & Principibus fieri vident, vel certe non afferat damnum commune. Quare regulariter Confessarius tenetur admonere pœnitentem, quicunque ille sit, de sua obligatione: nec satisfacit suo muneri, absolvendo a peccatis, quæ pœnitens dicit, sed potius imponit suis humeris peccata cetera, & errores, quos in pœnitente dissimulat, & cæco cæcum ducente, ambo in æternam foveam cadent. Si formidet ergo potentis faciem, non assumat sibi Pastoris officium, sed modeste se excuset tamquam minus aptum ad illud onus portandum*. Quæ quidem saluberrima Cardinalis de Lugo sententia, non solum eos Sacramenti Ministros complectitur, qui Episcoporum, ac Principum Confessiones excipiunt, sed pari jure eos omnes Confessarios perstringit, qui pœnitentes audiunt, quorum mores, ac vitæ exempla in proxima peccati occasione versantur, sin minus in externis actibus, saltem in pravis cupiditatibus, ac morosis delectationibus, quibus assentiri consueverunt; neque interim ulla tanguntur cura, ut miserum criminosæ vitæ statum aperiant.

Alterum pro Confessariis monitum illud est, ut, si forte contingat (solet autem frequentius contingere) Confessionis Ministrum aliquid a pœnitentibus audire, quod peculiari examine dignum sit, caveat, ne, divinando, respondeat; sed, opportuno tempore, ac consilio primum adhibito, rem expediat. Optandum sane esset, ut quilibet Confessarius ea polleret scientia, quam eminentem appellant: verum, cum hæc dos paucorum sit, necesse omnino est, ut competenti saltem scientia sit instructus. Nec meliora sperare licet; cum Moralis Theologia tot, tantasque quæstiones, quæ ex sacrorum Canonum, & Apostolicarum Constitutionum notitia pendent, complectatur, ut ardua plane res sit, posse aliquem omnia simul bene nosse, atque illico nodos quoscumque dissolvere; ut ii solent, qui eminenti scientia præfulgent. Sat igitur erit, si inferioris notæ Confessarii, ope librorum, quos consulant, difficiliora quædam, quæ in Sacramenti administratione occurrunt, rite expediant; ut scite animadvertit Prædecessor Noster Innocentius IV. *in Commentariis ad Cap. Cum in cunctis, num. 2. sub tit. de electione, & electi potestate*, ubi sic loquitur: *Scientiam autem reputamus eminentem, quæ subtiles quæstiones discutere, & definire novit, & in promptu responsiones habet, ille habet mediocrem, qui scit aliquomodo examinare negotia, quamvis ad omnia nesciat respondere, & qui in libris veritatem eorum, quæ scire tenetur, scit quærere, & sic in promptu omnia non habet*. Cum igitur aut difficilior, aut nova quædam facti species ad Confessarium defertur, ideoque libros evolvere illi necesse sit, non sine sobrietate, ac librorum delectu id agendum; notum quippe est, in tanto Scriptorum numero aliquos produisse, quorum opinio, ac sententia Evangelicæ simplicitati, ac Sanctorum Patrum doctrinæ non bene consonat. *Complures opiniones* (verbis hic utimur Prædecessoris Nostri Alexandri VII. in Decreto edito *die 7. Septemb. 1665.*) *Christianæ disciplinæ relaxativas, & animarum perniciem inferentes, partim antiquas iterum suscitari, partim noviter prodire, & summam illam luxuriantium ingeniorum licentiam in dies magis excrescere, per quam in rebus ad conscientiam pertinentibus modus opinandi irrepsit alienus omnino ab Evangelica simplicitate, Sanctorumque Patrum doctrina, & quem, si pro recta regula Fideles in praxi sequerentur, ingens eruptura esset Christianæ vitæ corruptela*. Nolumus hac in re prolixiorem sermonem instituere; nolumus vexatissimas quæstiones, quæ circa Scriptorum fidem, eorumque doctrinæ integritatem agitantur, attingere. Sat erit Confessarios monuisse, ut in re dubia propriæ opinioni non innitantur; sed antequam causam dirimant, libros consulant quamplurimos, eos cum primis, quorum doctrina solidior; ac deinde in eam descendant sententiam, quam ratio suadet, ac firmat auctoritas. Nec aliud sane docuimus in nostra Encyclica super usuris, quæ occurrit *ordine 143. Bullarii nostri tom. 1.* ubi §. 8. ita scripsimus: *Suis propriis opinionibus ne nimis adhæreant, sed priusquam responsum reddant, plures Scriptores examinent, qui magis inter ceteros prædicantur: deinde eas partes suscipiant, quas tum ratione, tum auctoritate plane confirmatas intelligent*. Idipsum modo repetimus. Nostra quippe sententia non solis rei usurariæ limitibus circumscribitur, sed ea omnia complectitur, quæ sive ad forum Sacramentale, sive ad rectum conscientiarum regimen quoquo modo conferre possunt.

Monemus tertio, ut Sacramenti Pœnitentiæ Ministri illud Venerabilis Cardinalis Bellarmini effatum præ oculis habentes: *Non esset tanta facilitas peccandi, si non esset tanta facilitas absolvendi*, & memores propositionum, quas Prædecessores Nostri anathematis gladio confixerunt, ac præ ceteris Innocentius XI. qui *die 2. Martii 1679.* Propositionem *ordine 60. cum tribus sequentibus* proscripsit, discant, quibus in casibus concedenda, deneganda, aut protrahenda sit absolutio. *Videat autem diligenter Sacerdos, quando, & quibus conferenda, vel neganda, vel differenda sit absolutio; ne absolvat eos, qui talis beneficii sunt incapaces, quales sunt, qui nulla dant signa doloris, qui odia, & inimicitias deponere, aut aliena, si possunt, restituere, aut proximam peccandi occasionem deserere, aut alio modo peccata derelinquere, &*

quam

vitam in melius emendare nolunt, aut qui publicum scandalum dederunt, nisi publice satisfaciant, & scandalum tollant. Verba sunt hæc, non rigidioris Theologi, sed Ritualis Romani, quod insuper Confessarius inculcat, ut, sive denegent, sive differant absolutionem, miti ingenio, ac suavi sermone pœnitentibus caussas denegatæ absolutionis aperiant, ac ostendant ita expedire, ut animæ saluti bene consulatur. Hinc illos, ut quantocyus revertantur, invitent, atque animos addant, ut ante reditum, ea omnia, quæ illis agenda præscribuntur, rite perficiant, ex quo fiet, ut ad sacramentale forum regressi, absolutionis beneficio donentur. Ubi vero absolutionem concedunt, iis potissimum, qui aut raro, aut non sine multis criminibus ad Pœnitentiæ Sacramentum solent accedere, eos hortari non desinant; vitam, quam sub peccati jugo duxere miserrimam, illis aperiant; criminum turpitudinem explicent, ut nimirum ex corde doleant, ac se in posterum a peccatis recessuros serio proponant. Ratum quippe est, solida, ac gravia Confessariorum hortamenta in Pœnitentiæ foro prolata, longe efficaciora esse Sacris Oratorum concionibus, ut pœnitentis animum a vitiis avocent. Solent enim concionum auditores, quas aure excipiunt increpationes, in alios potius, quam in se ipsos, transferre. Id vero fieri nequit in privatis Confessariorum monitionibus, quæ in unum, ac individuum pœnitentem cadunt, ac in illius faciem vibrantur, absque eo quod aut crimina inficiari possit, aut excusare. Nec Confessarii reponant, id fieri non posse, si frequentior pœnitentium numerus suadeat brevitatem; jam enim difficultatem dissolvit aurea illa S. Francisci Xaverii sententia apud P. Tursellinum *in ejus Vita lib. 6. cap.* 17. hisce verbis concepta: *Confitentibus porro, non festinatam, sed diligentem navandam operam censebat, monens, ut præoptarent Confessiones paucas rite factas audire, quam multas temere properatas*.

Quartum monitum Satisfactionem attingit, quæ Sacramenti Pœnitentiæ postrema pars est, eaque integralis. Etsi pia Mater Ecclesia humanam commiserans infirmitatem, primævam severitatem nonnihil emolliverit, atque a Canonum Pœnitentialium usu recesserit; quandoquidem, ut legimus *in Can. Fraternitatis, dist.* 34. *Defectus nostrorum temporum, quibus non solum merita, sed corpora ipsa hominum defecerunt, districtionis illius non patitur in omnibus manere censuram*; non ideo tamen fas Confessariis Sacramentalem Satisfactionem, pro libito, ac temere imponere, sed hac in re justitiæ, prudentiæ, ac æquitatis jura debent una componere. *In irroganda autem satisfactionis pœna Sacerdotes nihil sibi suo arbitratu statuendum esse, sed omnia, justitia, prudentia, & pietate dirigenda existimabunt*. Ita statuit Catechismus Romanus in Parochorum utilitatem, jussu Concilii Tridentini elucubratus, & a S. Pio V. Prædecessore Nostro in lucem editus, *sub tit. de Pœnitentia*. Præiverat eadem Synodus Tridentina *in cap.* 8. *Sess.* 14. *de Pœnitentia*, ubi saluberrimam hanc doctrinam ita statuit: *Debent ergo Sacerdotes Domini, quantum spiritus, & prudentia suggesserit, pro qualitate criminum, & pœnitentium facultate, salutares, & convenientes satisfactiones injungere; ne, si forte peccatis conniveant, & indulgentius cum pœnitentibus agant, levissima quædam opera pro gravissimis delictis injungendo, alienorum peccatorum participes efficiantur. Habeant autem præ oculis, ut satisfactio, quam imponunt, non sit tantum ad novæ vitæ custodiam, & infirmitatis medicamentum, sed etiam ad præteritorum peccatorum vindictam, & castigationem; nam claves Sacerdotum non ad solvendum dumtaxat, sed & ad ligandum concessas, etiam antiqui Patres credunt, & docent*. Ut autem ad acceptandam opportunam satisfactionem, quæ a Confessariis imponitur, peccatores facilius inducantur, multum proderit Canonum Pœnitentialium notitia, qua Confessarius instructus, esto Canones illos in usum non revocet, potest tamen ea uti, ut pœnarum, quæ olim pro iisdem criminibus statutæ fuerant, mensuram explicet: ex quo pœnitens, & summam peccatis inesse malitiam agnoscet, & indictæ sibi satisfactioni, quæ gravior alioquin videri potuisset, lubens acquiescet; facta nimirum comparatione cum iis pœnis, quas pro iisdem criminibus subiisset, si remotiori ætate, cum scilicet Pœnitentiales Canones adhuc obtinebant, ad Confessarium accessisset, nec ad ea pervenisset tempora, quibus veterum Canonum severitatem benignior Ecclesiæ disciplina emollivit. Atque ita quidem ratiocinantur Scriptores quamplurimi pietate, ac doctrina præstantes, quorum nomina cum a Nobis *in Nostro Tractatu de Synodo lib. 7. cap.* 62. fuerint relata, supervacaneum ducimus ea hic repetere. Illud vero addimus, vitam, moresque Fidelium, qui nostra ætate ad Pœnitentiæ Sacramentum accedunt, late discriminari ab ea vitæ ratione, quæ inclytam Agnetem, Imperii dignitate, ac pietatis studio conspicuam, olim commendavit. Cum enim in hanc Urbem, ut ad Sanctorum Apostolorum Limina procumberet, se contulisset, universas præteritæ vitæ maculas B. Petro Damiani eximio S. R. E. Cardinali aperuit in foro sacramentali; atque inde recessit, nulla a Confessario, probitatis, ac doctrinæ laude celeberrimo, imposita satisfactione.

Præstat ipsummet B. Petrum Damiani *in Opusculo* 56. *c.* 5. *tom.* 3. *suorum Operum* editionis Parisiensis *pag.* 432. hac de re disserentem, atque in aliorum exemplum ita loquentem audire: *Sed ut hi, qui ad Apostolorum Limina confluunt, Sanctæ devotionis tuæ salubriter imitentur exemplum, sub arcana quoque B. Petri Confessione, ante Sacrum Altare me sedere fecisti, ac per lugubres gemitus, & amara suspiria, ab ipsa quinquennis infantiæ tenera adhuc, & nuper ablactata levitate cæpisti, & tamquam illic ipse Beatus Apostolus corporaliter præsideret quidquid subtile, vel minutum in humanitatis tuæ potuit titillare visceribus, quidquid in cogitationibus vanum, quidquid præterea subrepere potuit in sermone superfluum, fidelibus est relationibus evolutum: ad quod mihi visum est, ut nil aliud confitenti pœnitentiæ pondus injungerem, nisi ut illud Divinæ legationis elogium iterarem: Age, quod agis: operare, quod operaris: vel illud, quod his, qui Tbiatyræ erant, per Angelum mittitur: Non mittam super vos aliud pondus; tantum id, quod habetis, tenete* (*Apoc.* 2.). *Nam, Deo teste, ne unum quidem diem jejunii, vel cujuslibet afflictionis indidi; sed, ut in cœptis solummodo sanctis perseverares operibus, imperavi*.

At contra, nostris hisce temporibus passim occurrunt peccatores (quo nomine censemur & Nos, & alii fortasse Beati Petri Damiani tempore censebantur) qui non jam in generali criminum exomologesi, sed & in ipsis Confessionibus, quas pluries in anno frequentant, atque identidem repetunt, gravioribus criminibus implicantur; ideoque in Sacro Pœnitentiæ foro ea satisfactione digni sunt, quæ juxta Concilii Tridentini Canones peccatorum gravitati commensuretur: tum maxime, quod nulla, aut fere nulla bona opera eliciunt, si in consueta vivendi ratione permaneant; nec, ut par est, æquo ferunt animo ærumnas, quibus aliquando premuntur: ex quo fit, ut uberiori fructu fraudentur, quem Ecclesiæ preces, Sacerdotis ore in pœnitentes prolatæ, a Deo postulant hisce verbis: *Ut quidquid boni feceris, vel mali patienter sustinueris, sit tibi in remissionem peccatorum, augmentum gratiæ, & præmium vitæ æternæ*.

En igitur, Venerabilis Frater, rerum, quas gessimus, aut etiam gerendas decrevimus, seriem universam tibi proposuimus, ut quotquot nostram hanc Urbem inhabitant sanctioris Anni spirituales fructus percipiant. Hoc idem in tua Civitate, ac Diœcesi, te agente, præstari vehementer cupimus, ut populus tibi concreditus, qui jamjam venturo anno sacras Peregrinationes ad hanc Urbem suscipiet, par lucrum, eamdemque cælestium bonorum copiam assequatur. Quæ de Sacramentali Confessione a peregrinis ante discessum instituenda, hactenus significavimus, Bituricense Concilium *anno* 1584. *in Can.* 2. *tom.* 10. Collectionis Harduini *pag.* 1466. *& seq.* pridem decreverat hisce verbis: *Præmuniantur debita, & integra peccatorum Confessione, & Eucharistiæ Sacramento, quicumque ad loca sacra peregrinantur, antequam ire aggrediantur*. Consonat Prædecessor Noster Innocentius XII. in ipsa indictione Anni Jubilæi 1700. ubi salutarem criminum expiationem cum primis urget, atque ita loquitur: *Sanctificamini itaque, filii carissimi, & præparate corda vestra Domino. Lavamini, mundi estote, auferte malum cogitationum vestrarum ab oculis Dei, & renovati spiritu mentis vestræ, orationibus insistite, frequentate jejunia, eleemosynas erogate*. Ne autem quis putaret, hæc verba ad eos dumtaxat, qui Romæ degebant, extendi, prudenti consilio alia addidit, quibus illos etiam comprehendit, qui Romam venire parati, a suis regionibus nondum recesserant. *His porro Christianæ vitæ ornamentis instructi, virtutumque præsidiis muniti, impigre, piaque animi alacritate, ad hanc Sanctam in terris Civitatem Dei, veluti ad Thronum gratiæ, accedite cum fiducia, ut misericordiam consequamini*.

Te vero, modo Pastoralis Officii ministerium id ferat, ad Urbem hanc accedente, certo confidimus, ut, sive iter agas, sive Romæ degas, eam vivendi rationem, quam S. Carolus Borromæus Anno Jubilæi 1575. Romam accedens, Romæque commoratus, sibi servandam constituit, studeas æmulari. Sacram hanc optimi Præsulis Peregrinationem describit Carolus a Basilica Petri, Novariensis Episcopus, *lib.* 3. Historiæ, quam texuit de vita, ac gestis S. Caroli. Si vero, ut par est, & Nos summopere optamus, e tua Diœcesi populus Romam commigraturus discedat, in eam spem erigimur, ut, quamdiu peregrinatur, atque hac illac divertit, nihil molestiæ illaturus sit iis locorum Præsidibus, quorum interest vigili cura cavere, ne ea suboriantur scandala, quæ retroactis temporibus ansam nonnullis præbuere, ut contra sacras Peregrinationes obloquerentur. Cumque Romam pervenerit, omni studio curabimus, ut honestam, & morigeratam vitam ducat, opera injuncta rite perficiat, Basilicas adeat, variosque Christianæ Pœnitentiæ actus exerceat. Enimvero testis est Deus quo studio, quoque conatu in id incumbamus, ut Peregrini omnes, qui suas repetent domos, sanctæ conversationis, quæ Romæ viget, exemplo edocti, in Fide stabiles, in virtute fervidi, atque in Apostolicæ Sedis obsequio confirmati perseverent. Quæ Nobis,

bis, eadem & Prædecessori, ac Concivi nostro Gregorio XIII, insedit voluntas, cum Jubilæi Annum tunc temporis recurrentem celebrarit, ut *ex illius Annalibus lib. 3. c. 24.* compertum est. Quibus ita statutis, solidam spem concipimus, ut, adjuvante Domino, cui rem hanc universam humillimis precibus commendamus, Peregrini in patriam regressi, ea censura digni non sint, qua S. Hieronymus *in epist. 58. ad Paulinum tom. 1. Operum* edition. Veronens. *pag.* 318. nonnullos, qui sacras Peregrinationes in ipsa Jerosolymorum Urbe confecerant, ita sugillat: *Non Jerosolymis fuisse, sed Jerosolymis bene vixisse, laudandum est.*

Integro Anni Jubilæi tempore præsto erant in Urbe Roma Pœnitentiarii, aliique ad Confessiones excipiendas designati, qui opportunis facultatibus instructi, pœnitentes audiant, ac meritam absolutionem, & dispensationem concedant, cum iis, qui Romæ degunt, tum aliis qui aliunde confluunt, ut Spiritualis Sanctioris Anni divitias consequantur. Hoc ipso temporis intervallo non decrunt Divini Verbi præcones. Nos ipsi loquemur; loquentur & alii ad id muneris a Nobis designati; ita tamen, ut Theologicæ controversiæ, quæ ad puram putamque Scholarum disputationem pertinent, intactæ relinquantur. Illud vero cum Nobis, tum aliis, qui nostro loquentur nomine, curæ erit, ut clausulæ illius, quam Bullæ Nostræ inseruimus: *Fidelibus vere pœnitentibus, & confessis, Sacraque Communione refectis*: vis, ac significatio probe intelligatur. Illud item re, atque exemplis demonstrabimus, quam futilis, atque inanis sit illorum sententia, qui a Catholica Communione extorres perperam asserunt, Indulgentiarum usu pœnitentiam imminui, aut etiam e medio tolli. Præterea, ne quis suspicetur, aut Nos ipsos, aut eos, qui nostra auctoritate Conciones habebunt, in rigidiorem sententiam pronos esse, eamdem sequemur methodum, quam celebris Pater Bourdaloue Societatis Jesu sibi proponit, ac sequitur in Sermone sub initium Anni Jubilæi habito, ac typis edito *to. 2. Sermonum p. 517. & seqq.* juxta alteram editionem Parisiis procusam *ann.* 1709. quo tempore Bononiæ moram trahimus, & nostras identidem ad populum Instructiones evulgavimus, quæ primum in plures tomos digestæ, mox latine redditæ, in unum Volumen in folio compactæ sunt: unam procudimus, quæ *tom. 3. Italicæ editionis* est *ordine duodecima*, in Latino autem volumine occurrit *quinquagesima tertia*. Porro in hac Instructione, omissis Theologorum disceptationibus, universum Diœcesis nostræ populum monuimus, ac hortati sumus, ut, occasione Plenariæ Indulgentiæ, quam Prædecessor noster Clemens XII. promulgaverat, injunctis operibus alia pietatis opera superadderet, ac dignos Pœnitentiæ fructus faceret, aureo illo Venerabilis Cardinalis Bellarmini documento *ex tom. 2. Controversiarum in tractatu de Indulgentiis lib. 1. cap. 22. §. Ad tertium*, illis proposito: *Accipiunt prudentes Christiani Pontificias Indulgentias, ut simul etiam studeant dignos pœnitentiæ fructus facere, ac pro suis peccatis Domino satisfacere*; sed & illud adjecimus, quod Cardinalis Pallavicinus *in Historia Concil. Tridentini lib. 24. cap. 12. num. 6.* adnotavit, falsam nimirum esse illorum sententiam, qui rentur, Christianos, propter Indulgentiarum usum, desides fieri, atque a satisfactione, quæ Deo criminum nostrorum vindici præstanda est, avocari. Sane, cum homines dubii omnino sint, an Indulgentiarum fructum re ipsa comparaverint, stimulus pluribus superest, quo urgentur, ut novo salutarium operum, ac laborum quæstu, in solidiorem spem erigantur. Præterquam quod, opera ad lucrandas Indulgentias statuta, cum in praxim, usumque revocantur, pietatem adaugent, atque, ut quotidiano constat experimento, novum inducunt habitum, quo quis semel instructus, alia virtutis opera facilius exequitur. Equidem Bonifacius VIII. Basilicarum visitationem, ab externis quindecim vicibus, a Romanis vicibus triginta peragendam præscripsit, atque huic operi lucrum Indulgentiarum sociavit. Non ideo tamen cetera pietatis opera silentio præterit: immo vero in sua Extravaganti *Antiquorum de pœnitentiis, & remissionibus*, quæ inter communes Extravagantes legitur, expressis verbis hæc addidit: *Unusquisque tamen plus merebitur, & Indulgentiam efficacius consequetur, quo Basilicas ipsas amplius, & devotius frequentabit*. Hæc autem iis affinia sunt, quæ & Nos supra inculcavimus, monentes, ut, præter opera, quæ præcipiuntur, alia Christifideles exerceant pia opera, quæ spiritui, ac votis Ecclesiæ consona sunt. Nec aliud subindicant ea veteris formulæ verba, quibus Prædecessores Nostri usi sunt, & Nos item utimur, cum populo sollemniter benedicimus. Expleto quippe Benedictionis ritu, Plenaria Indulgentia conceditur; ac præterea humiles ad Deum funduntur preces, ut adstanti populo nedum *perseverantiam in bonis operibus, sed & cor semper pœnitens* tribuat, hoc est, ad nova pœnitentiæ opera, quibus præterita expiantur crimina, sit comparatum: quamvis aliunde bene sperare liceat, præteritorum criminum culpam, pœnamque æternam, in Pœnitentiæ Sacramento fuisse dimissas; & temporalem, quæ superest, pœnam, ope Indulgentiæ, quæ pridem conceditur, fuisse dilutam.

Apud vulgatum Anastasium in Vitis Prædecessorum Nostrorum Zachariæ, & Paschalis legimus, nonnullas prope Vaticanum Templum extructas fuisse hospitales domos, in quibus Peregrini, qui ad Limina Apostolorum pervenerant, excipiebantur, & reficiebantur. Ejusmodi ædificia, sive temporum, sive hominum injuria, jamdiu eversa sunt. Alia tamen, in variis Urbis locis posita, insignis Romanorum pietas excitavit, ad quæ quovis tempore, potissimum vero Sacro Jubilæi Anno, liber patet aditus Peregrinis, qui ad Urbem hanc confluunt, ut Beatorum Apostolorum deosculentur Limina atque Indulgentiarum thesauros acquirant: a quibus ea item, quæ sive corpori alendo, sive animo piis operibus proborum Sacerdotum ope reficiendo necessaria sunt, abunde suppeditantur. Hæc sunt, quæ tibi duximus significanda; atque plena animi Nostri benevolentia tibi, tuoque Gregi universo Apostolicam Benedictionem elargimur.

BULLA VENTESIMAOCTAVA.

Pœnitentiariis in Basilicis, & Ecclesiis Urbis pro Anno Jubilæi deputatis, & Confessariis a Cardinali Urbis Vicario designandis, Facultates eodem Anno exercendæ conceduntur: adjectis opportunis Monitis, & Declarationibus.

Extat hæc Bulla in Tom. III. Bullarii sub num. 20. data die 25. Novemb. 1749. Pontificatus vero anno Decimo.

BENEDICTUS EPISCOPUS.

Servus Servorum Dei.

Ad futuram rei memoriam.

CONvocatis per alias Nostras Apostolicas Litteras Universis Ecclesiæ Filiis ad celebrandam Nobiscum proxime recurrentis Anni Sancti sollemnitatem; iisque jam, ut confidimus, ad Supremi Pastoris vocem, Sacerdotali præsertim Fratrum Nostrorum Episcoporum tuba inclamante, excitatis; ad officium nostrum pertinere judicamus, non solum convenientes ex toto Christiano Orbe Fideles aperto caritatis paternæ sinu excipere, sed etiam omnia, quæ confluentium necessitatibus, aut utilitatibus opportuna fore perspicimus, in antecessum parata, atque disposita habere; ut hominis illius Regis in Evangelicis Litteris laudatam providentiam imitemur, qui, cum ad Cœnam magnam vocasset multos, quæcumque ad uberem splendidumque convivii apparatum spectarent, ita sollicite curare non destitit, ut instante hora Cœnæ, mittere potuerit invitatis dicere, *quia parata sunt omnia*. Et Nos igitur pluribus per elapsos Menses curis, & sollicitudinibus, quantum humanarum rerum conditio patitur, id efficere studuimus, ut omnibus, quicumque ad Sanctam Civitatem iter arripient, nihil sive ad Divinæ Religionis cultum, sive ad Christianæ pietatis exemplum, sive ad itineris, hospitiique commoda deesse posset: & nunc attendentes, quænam potissimum a suprema ligandi, atque solvendi potestate Nobis cum Apostolicæ vicis Officio commissa, expetere possint plures, qui ad oblatum remissionis, & indulgentiæ munus assequendum, cum vero pœnitentiæ spiritu, & devotionis affectu accedentes, commissorum forsan delictorum oneribus gravati, aliisque conscientiæ vinculis adstricti, & impediti reperiantur; hæc etiam peculiari studio a Nobis ordinata, & mature provisa fuisse, omnibus, ad quos pertinet, specialiter vero infrascriptis Sacramenti Pœnitentiæ Ministris, præsentium Litterarum tenore ab iis præsertim diligenter observando, edicimus, & declaramus: nil magis optantes, quam ut omnes, quicumque animum peccatis ægrum, aut Censuris, impedimentisve irretitum gerunt, procul abjecto formidatæ difficultatis terrore, ad Ecclesiasticæ curationis fidenter remedia confugiant, per quæ copiosum Redemptionis fructum consequentes, & sanitati reddantur, & paci, & in filiorum Dei libertatem, confractis impietatis compedibus, vindicentur.

Novimus sane Prædecessores Nostros Romanos Pontifices, in quorum tempora superiores, nostroque tempori propinquiores Jubilæi Universalis Anni inciderunt, hunc morem servasse, ut per geminum præcipue organum, per Cardinalem scilicet Majorem Pœnitentiarium, perque Cardinalem ipsum in Urbe, ejusque districtu Vicarium in spiritualibus Generalem, & idoneos Confessarios deputari, & eorum amplificari facultates providenter mandarent; ut nec sacrorum Ministrorum copia per Urbem, nec his facultatum amplitudo deesset, ad Pœnitentes, pro variis cujusque caussis, Deo reconciliandos, & culpa jam absolutos, ad assequendam quoque plenissimam pœnarum indulgentiam disponendos.

Idcirco Nos laudabilibus eorum vestigiis inhærentes, simulque cupientes gravissimam hanc Pastoralis dispensa-

tionis

tionis partem, certa, rectaque ratione administrari, nec ullum, quoad ejus fieri poterit, circa facultatum, præsertim limites, earumque usum, & exercitium, dubitationi, aut errori locum relinqui; post maturam deliberationem super his rite præhabitam, nostro Motu proprio, certaque scientia, rem totam ad eum, quem subjicimus modum, ordinandam dirigendamque decrevimus.

I. *IN PRIMIS* itaque Dilecto Filio Nostro S. R. E. Cardinali Majori Pœnitentiario per præsentes committimus, ac demandamus, ut juxta id, quod jam pridem in Nostra Constitutione incipien. *In Apostolicæ Pœnitentiariæ Officio*, Idibus Aprilis Anni 1744. Pontificatus Nostri Anno quarto edita, pro perpetuis futuris temporibus præscripsimus, præter consuetos trium Basilicarum S. Joannis Lateranensis, Sancti Petri in Vaticano, & Sanctæ Mariæ Majoris Pœnitentiarios Minores, pro Basilica etiam Sancti Pauli extra muros præsenti Anno Sancto similes Pœnitentiarios designet; nec non, præter extraordinarios Pœnitentiarios in dicta Basilica Sancti Petri certis cujusque anni diebus inservientes, nunc autem per totum Annum Sanctum aliis insuper diebus, ejusdem Pœnitentiarii Majoris arbitrio præscribendis, inservituros, a se jam electos, vel eligendos, alios insuper, eodem Anno Sancto durante, tam in memoratis quatuor Basilicis, quam in reliquis quoque sive Sæcularium, sive Regularium, & nominatim, quantum fieri poterit, in variarum Nationum Urbis Ecclesiis, novos similiter Pœnitentiarios deputet, & extra ordinem abunde multiplicet.

II. Deinde Dilecto itidem Filio Nostro S. R. E. Cardinali, Nostro in Urbe, ejusque districtu Vicario in spiritualibus Generali, committimus pariter, atque injungimus, ut ex Confessariis tam Sæcularibus, quam Regularibus, ab se alias ad audiendas Romæ Confessiones approbatis, quamplures magno numero designare non omittat; immo etiam, si ita ad concurrentium tam Romanorum, quam Exterorum utilitatem, & commoditatem necessarium, aut expediens fore judicaverit, omnes a se, ut prædiximus, approbatos, vel approbandos designare in eum finem non dubitet, ut facultatibus illis, quæ a Nobis inferius, earumdem præsentium tenore, Confessariis hujusmodi ab eo designandis tribuentur, statim se a Nobismetipsis instructos esse intelligant, easque exercere libere valeant, audiendisque Confessionibus Fidelium quorumcumque, Jubilæum hujus Anni Sancti lucrari volentium, operam dare aggrediantur, & assiduo caritatis, & zeli studio pergant. Pro Confessariis autem Monialium, aliarumque Virginum, seu Mulierum in perpetua Clausura Romæ viventium, sicut etiam Oblatarum, aliarumque in Religiosis, aut Piis domibus, seu Conservatoriis degentium, nec non Carceribus detentorum, & morbis impeditorum, quæcumque opus erunt, quæque Nobis in Domino expedire videbuntur, aliis Nostris peculiaribus Litteris statuemus.

III. *PORRO* *Pœnitentiariis*, sive in quatuor præfatis Basilicis, sive in aliis Urbis Ecclesiis per Cardinalem Majorem Pœnitentiarium, ut præfertur, deputatis, vel per Anni Sancti cursum deputandis, subsequentes facultates, pro hoc dumtaxat Anno Sancto duraturas, de Apostolicæ potestatis plenitudine concedimus, & impertimus; videlicet:

IV. *Absolvere possint per se ipsos tantum, & in foro dumtaxat conscientiæ, quascumque personas sibi confitentes, etiam Regulares, cujuscumque sint Ordinis, Congregationis, & Instituti, etiamsi ex præscripto Superiorum, vel suarum Constitutionum, etiam a Sede Apostolica approbatarum, vel alias ex Indulto, Decreto, aut præcepto Apostolico, extra propriam Religionem peccata sua confiteri prohibeantur, a quibuscumque Sententiis Excommunicationis, aliisque Ecclesiasticis Censuris, etiam Summo Pontifici, & Sedi Apostolicæ quomodolibet, etiam in Bulla Cœnæ, reservatis, & a Sacris Canonibus fulminatis; nec non ab omnibus peccatis, & excessibus quantumcumque gravibus, & enormibus, etiam Sedi Apostolicæ reservatis, injunctis tamen salutaribus pœnitentiis, & aliis de jure iisdem Pœnitentibus injungendis.*

V. *Absolvere item possint a supradictis Censuris in jure latis, etiam Sedi Apostolicæ reservatis, quamvis publicæ in partibus sint, quamvis deductæ, aut nominatim declaratæ, ac denunciatæ in iisdem partibus sint per Locorum Ordinarios, aut alios quoscumque Judices; præmonitis tamen Pœnitentibus de Libello, ut infra, in his casibus publicis omnino conficiendo. Post absolutionem itaque conficiant Libellum supplicem, expresso nomine, cognomine, ac Diœcesi Pœnitentis, & casu hujusmodi publicæ Censuræ subjecto; & subtus scribant testimonium absolutionis ab eadem Censura concessæ; eumdemque Pœnitentem dirigant ad Officium Pœnitentiariæ Apostolicæ, ut recipere possit Breve in forma Missi, vel Remissi absoluti, juxta praxim ejusdem Officii Pœnitentiariæ.*

VI. *A Censura ab Homine, seu a quocumque Judice de partibus, nominatim lata, absolvere valeant ad effectum dumtaxat Indulgentias præsentes Jubilæi consequendi; ita ut semel ac consecuti Jubilæum fuerint, eadem, qua antea, Censura adstricti remaneant, ac teneantur parere Judicis sententiæ, & absolutionem ab eodem petere, perinde ac si numquam absoluti fuissent. Atque his Pœnitentibus nullum detur testimonium absolutionis, neque Confessionis.*

VII. *Absolvere insuper valeant, pro foro conscientiæ tantum, a Censuris propter hæresim formalem externam incursis, dummodo tamen Pœnitens neminem habeat hæresis complicem; prævia coram ipso Confessario abjuratione secreta; atque etiam pro casu, quo Pœnitens habeat quidem hæresis complicem, vel complices, sed hujusmodi complex, seu complices, in Regionibus, ubi hæresis impune grassatur, existant, & degant.*

VIII. *Omnia, & singula simplicia Vota, etiam Sedi Apostolicæ reservata, etiam jurata, commutare dispensando possint in alia pia opera.*

IX. *Votum tamen perpetuæ Castitatis, nonnisi Mulieribus ita commutare possint, ob periculum incontinentiæ, vel ob timorem pudicitiæ; & quidem tantummodo ad effectum nubendi; easdem monendo, facturas contra idem Votum, si extra usum Matrimonialem delinquant; & remansuras eodem prorsus, ac antea, voto Castitatis obstrictas, si Marito supervixerint.*

X. *Votum autem Religionis iisdem tantum Mulieribus commutare dispensando possint ad effectum nubendi, si alterutra supradicta caussa intercesserit; ad effectum vero vitam tantum cælibem in sæculo ducendi, si vel dote sufficiente ad ingrediendum Religionem careant, vel Religionis onera sufferre posse rationabiliter diffidant.*

XI. *Habeant etiam præ oculis, quoad Vota, infrascriptum Monitum, quod inter alia pro ipsis Pœnitentiariis mox subjiciendo, positum est n. XXXII.*

XII. *Dispensare possint super irregularitate, ob violationem Censurarum dumtaxat contracta, & occulta remanente, cum Sacerdotibus, aut in Sacris constitutis, tam Sæcularibus, quam Regularibus.*

XIII. *Cum illis, qui scienter, vel ignoranter cum impedimento Secundi, & Tertii, vel Tertii solius, aut Tertii, & Quarti, vel solius Quarti gradus Consanguinitatis, vel Affinitatis, etiam ex copula licita provenientis, Matrimonium jam contraxerunt, dummodo hujusmodi impedimentum occultum remaneat, dispensare pro foro tantum conscientiæ possint, ad remanendum in Matrimonio.*

XIV. *Cum illis, qui a Dataria Apostolica dispensationem obtinuerunt super aliquo impedimento publico, quod tamen non sit Primi, & Secundi, vel Secundi tantum gradus Consanguinitatis, vel Affinitatis ex copula licita provenientis, & præ verecundia copulam inter eos secutam in eadem Dataria tacuerunt (dummodo nullitas prædictæ dispensationis ex hujusmodi reticentia proveniens occulta sit) dispensare pro foro tantum conscientiæ valeant, tam ad remanendum in Matrimonio jam contracto, quam ad illud contrahendum, si non sit contractum.*

XV. *Dispensare item pro foro tantum conscientiæ valeant super impedimento dirimente occulto tam Primi, & Secundi, quam Primi tantum, aut Secundi tantum gradus Affinitatis, ex copula illicita provenientis, tam in Matrimonio contracto, quam in contrahendo.*

XVI. *Dispensare similiter pro eodem foro, tam de contracto, quam de contrahendo, possint super occulto impedimento criminis, neutro tamen machinante; idest quando solum concurrant adulterium, & fides data de Matrimonio contrahendo post Conjugis mortem.*

XVII. *In prædictis Matrimonialium Dispensationum casibus possint etiam, quandocumque opus fuerit, pro foro conscientiæ, legitimare prolem, non tamen ex adulterio susceptam.*

XVIII. *Dispensare ad petendum debitum possint in casu Affinitatis incestuosæ Matrimonio supervenientis.*

XIX. *Ad petendum pariter debitum, cum illis, qui Voto simplici Castitatis obstricti, Matrimonium contraxerunt, dispensare valeant, illos monendo, facturos contra id Votum, si extra usum Matrimonialem delinquant, ac remansuros eodem prorsus, ut antea, Voto obstrictos, si Conjugi supervixerint.*

XX. *Super Visitatione quatuor Basilicarum, cum Exteris, qui vel ob paupertatem, vel ob aliam urgentem caussam, in Urbe remanere non possunt, dispensare valeant, vel reducendo ad tres saltem dies Visitationes earumdem quatuor Basilicarum, alioquin per quindecim dies ab iisdem visitandarum; vel Visitationes præscriptas in alia pia opera, ad ipsorum Pœnitentiariorum prudens arbitrium, commutando.*

XXI. *Cum Civibus autem, & Incolis Romanis, qui morbo, vel alioquo legitimo impedimento detenti, non valeant præfatas Basilicas visitare, possint præscriptas iisdem per triginta dies Visitationes in alia pia opera, quæ illorum possibilitati proportionata esse viderint, dispensando commutare; suam tamen conscientiam oneraturi, si super hujusmodi Visitationibus inconsulto, & sine justa, & rationabili caussa, sive cum Exteris, sive cum Romanis Civibus, aut Incolis dispensaverint.*

XXII. *QUIA VERO* magnopere interest concessis facultatibus prudenter, & circumspecte uti, ne, minus caute illas exercendo, tum justo disciplinæ vigori, tum

ipsarum

ipsarum Animarum vero bono detrimentum afferri contingat; Ideo post facultates a Nobis pro hoc Anno Sancto memoratis Pœnitentiariis concessas, congruum, & opportunum ducimus, nonnulla Monita pro recto earumdem facultatum usu subjungere, quæ quidem tam ab ipsis omnibus, & singulis, quam etiam a reliquis Confessariis, ut supra, designandis attente legi, & considerari jubemus, ac pro norma, & regula haberi, cui iis in suæ quisque facultatis exercitio, prout casus poposcerit, exacte conforment.

XXIII. Primo itaque meminerint, nulli penitus Confessario dari in præsenti Jubilæo, aut in quovis alio, facultatem absolvendi complicem in quolibet inhonestu contra sextum præceptum peccato; atque omnem Confessarium, respectu hujusmodi complicum, esse omni tum jurisdictione, tum approbatione destitutum, & prorsus intelligibilem, cujuscumque Jubilæi, sive Indulti beneficio, ad normam Constitutionis Nostræ incipien. *Sacramentum Pœnitentiæ*, Anno Incarnationis Dominicæ 1741. Kalendis Junii, Pontificatus Nostri Anno Primo editæ.

XXIV. Intelligant, hujusmodi facultatibus peculiaribus a Nobis, ut supra, pro hoc Anno Sancto sibi concessis uti se non posse, nisi cum iis Pœnitentibus, qui præsens ejusdem Anni Sancti Jubilæum consequi sincere, & serio volunt; atque ex hoc animo ipsum lucrandi, & reliqua opera ad id lucrandum necessaria adimplendi, ad Confessionem apud ipsos peragendam accedunt; neque item posse uti cum iis Pœnitentibus, qui hujus Anni Sancti Jubilæum semel jam lucrati fuissent, prout inferius explicabitur n. LII.

XXV. Advertant insuper, supradictas absolutiones, commutationes, dispensationes, non posse a se exerceri extra actum Sacramentalis Confessionis, neque extra suam cujusque Basilicam, vel Ecclesiam, nisi in casibus alias sibi a Majori Pœnitentiario permissis, vel permittendis; vel in casu administrandi Pœnitentiæ Sacramentum alicui Infirmo, qui cum corporalis ægritudinis caussa ad Basilicas ipsis respective designatas accedere personaliter nequeat, eorum aliquem arcessendum duxerit, ut Confessionem Sacramentalem pro Jubilæi consecutione, ut præfertur, apud ipsum expleat.

XXVI. Non prætermittant suam cuique Pœnitenti salutarem pœnitentiam imponere in Sacramento, ne præteatu quidem Jubilæi per eumdem Pœnitentem consequendi.

XXVII. Ab occultis Censuris ob partem læsam incursis non prius absolvant, quam parti læsæ Pœnitens satisfecerit; vel si prius Pœnitens nequeat, non eum absolvant, nisi juret se satisfacturum, cum primum poterit. In publicis autem, huic satisfactioni consuleretur juxta praxim Pœnitentiariæ Apostolicæ, ad quam dirigendus erit Pœnitens cum Libello, de quo supra n. V.

XXVIII. Violantibus Clausuram Monialium ad malum finem, in casibus etiam occultis, imponant prohibitionem accedendi in posterum ad quævis Monasteria, & Ecclesias Monialium; monendo Pœnitentes hujusmodi, ita ipsos absolvi a Censuris ob relatam violationem incursis, ut si impositam illam prohibitionem non servaverint, relabantur eo ipso in easdem Censuras.

XXIX. Religiosos vero suam violantes Clausuram per Mulierum introductionem ad malum finem, ita a Censuris propterea incursis absolvant, ut super inhabilitate ulterius per hoc contracta ad Dignitates, & Officia sui Ordinis consequenda, nullatenus cum iisdem dispensent.

XXX. A lectione Librorum prohibitorum, præsertim in Bulla Cœnæ contentorum, non ante absolvant, quam Pœnitens Libros, quos in sua potestate habeat, Inquisitori, vel Ordinario, secrete tradiderit; vel se, quam primum poterit, traditurum promiserit, si tradere ante absolutionem nequeat.

XXXI. In absolvendis Regularibus a suo Ordine Apostatis, vel Fugitivis, servent modum in sua Tabella præscriptum.

XXXII. Denique, quoad Vota, noverint sibi abstinendum ab eorum commutatione, in quibus agitur de præjudicio tertii. Quare in eo, quod pertinet ad Vota, quamvis simplicia, seu perseverantiæ, seu alia, emitti solita in aliqua Congregatione, vel Communitate, & in Vota obligatoria a tertio acceptata, non se ingerant. Nec admodum dissimiliter se gerant circa Vota pœnalia, seu præservativa a peccato, ne detur ansa peccandi liberius; nisi forte circumstantiæ adsint, quæ aliquam commutationem suadeant, & commutatio futura judicetur ejusmodi, ut non minus a peccato committendo refrænet, quam prior Voti materia.

XXXIII. Ceterum alias facultates prædictis trium Basilicarum Pœnitentiariis Minoribus pridem concessas, aut forsitan concedendas per dictum Majorem Pœnitentiarium, in vim generalium facultatum, quas Nos eidem per alias Nostras prædictis die, & anno expeditas Litteras incipientes: *Pastor bonus*, communicavimus, & firmas hoc ipso Jubilæi Anno esse, & fore, atque ab iis, hoc etiam Anno durante, non secus, ac alio quovis tempore, erga omnes exerceri, juxta ejusdem concessionis tenorem libere & licite posse, decernimus, & declaramus.

XXXIV. Easdem vero facultates, tam in memoratis, quarum initium est: *Pastor bonus*: quam in præsentibus Nostris Litteris expressas, atque contentas, prædicto Majori Pœnitentiario, & Apostolicæ Pœnitentiariæ Officio, earumdem præsentium tenore etiam confirmamus, & respective, quatenus opus sit, pro eodem Anno Sancto concedimus, & impertimur; ad hoc, ut ipse Major Pœnitentiarius iis omnibus, & singulis, tam per se ipsum, quam per alios quoscumque a se eligendos Confessarios in Urbe uti licite valeat. Si quos autem casus ad ipsum Pœnitentiariæ Officium, vel ad aliquem ex dictis Pœnitentiariis, seu Confessariis, deferri contingat, qui nec sub prædictarum Litterarum, nec sub præsentium dispositione comprehensi, vel etiam in iisdem prohibiti dignoscantur; onus erit præfati Majoris Pœnitentiarii, ad quem Pœnitentiarii Minores, & Confessarii præfati recursum habebunt, Apostolatum Nostrum super illis consulere; Nos enim eidem præscribere non omittemus, quæcumque opportuna fore in Domino judicabimus, ut Animarum vulneribus sanandis idonea remedia aptentur.

XXXV. CONFESSARIIS autem a prædicto Cardinali Vicario Nostro, ut præfertur, in Urbe designandis, infrascriptas facultates, quibus hujusmodi designationis vigore, ipsius Anni Sancti decursu, fruantur, per easdem præsentes ducimus tribuendas; videlicet;

XXXVI. *Absolvere possint per se ipsos tantum, & in foro dumtaxat conscientiæ, personas sibi confitentes, a quibuscumque Ecclesiasticis Censuris, etiam Summo Pontifici, & Sedi Apostolicæ, etiam in Bulla Cœnæ reservatis, & a Sacris Canonibus fulminatis, dummodo tamen hujusmodi Censuræ non sint publicæ; necnon ab omnibus peccatis, & excessibus quantumcumque gravibus, & enormibus, etiam Sedi Apostolicæ reservatis; injunctis tamen salutaribus pœnitentiis, & aliis de jure iisdem Pœnitentibus injungendis.*

XXXVII. *Omnia, & singula simplicia Vota, etiam jurata, etiam Sedi Apostolicæ reservata, exceptis Castitatis, Religionis, aliisque superius num. XXXII. memoratis Votis, commutare in alia pia opera valeant.*

XXXVIII. *Quibus tamen facultatibus, tum absolvendi, quam Vota commutandi, uti non poterunt, nisi cum iis Pœnitentibus, qui præsens Anni Sancti Jubilæum consequi sincere, & serio volunt, atque ex hoc animo ipsum lucrandi, & reliqua ad id lucrandum necessaria opera adimplendi, ad Confessionem apud ipsos peragendam accedunt. Neque item uti poterunt cum iis Pœnitentibus, qui hujus Anni Sancti Jubilæum semel jam lucrati fuissent, prout inferius explicabitur n. LII.*

XXXIX. *Dispensare possint circa Visitationes præscriptas quatuor Basilicarum, easque commutare, eodem omnino modo, ac conceditur Pœnitentiariis in duobus postremis numeris, quæ pertinent ad facultates circa Dispensationes, superius positis. Præter hanc autem facultatem dispensandi circa dictas Visitationes, sciant, nullam aliam dispensandi cum quoquam facultatem sibi concedi.*

XL. Postremo præcipimus Confessariis præfatis, attente legere, & considerare monita superius post facultates Pœnitentiariis impertitas adjuncta, eisque in exercitio suarum respective facultatum exacte se conformare.

XLI. PRÆTEREA Regularium quoque commoditati uberius consulere, simulque augendo numero Confessariorum pro Jubilæi consecutione prospicere volentes; *præmissas nuper facultates, quas Confessariis hujusmodi a Cardinali Vicario designandis hoc Anno competere statuimus, easdem omnes, & singulas pari prorsus modo, pro eodem Anno, tribuimus, & concedimus omnibus Confessariis illis Regularibus, cujuscumque Ordinis, Congregationis, & Instituti, quicumque alius ejusdem Card. Vicarii, seu ipsius Vicesgerentis approbationem ad audiendas Confessiones habeant, & insuper per suos respective Regulares Prælatos, seu Superiores, ad excipiendas suorum Religiosorum Confessiones deputati fuerint; ad hoc scilicet, ut iidem Confessarii facultates hujusmodi erga solos proprii respective Ordinis Pœnitentes Religiosos hoc Jubilæum lucrari volentes, exercere in suis quisque Cœnobiis, seu Domibus, libere, & licite valeant: quibus etiam Regularibus Confessariis facultatem dispensandi cum iisdem Religiosis Pœnitentibus in Sacris Ordinibus constitutis super Irregularitate forsan ob Censurarum violationem contracta, dummodo occulta sit, earumdem tenore præsentium, ac dicto Anno, dictaque occasione dumtaxat, concedimus, & impertimur.*

LXII. DENIQUE communi tam Confessariorum, quam Pœnitentium utilitati, ac spirituali solatio provide intendentes, ac memores quæstionum, atque dubiorum, quæ occasione universalis Jubilæi hujusmodi excitari solent, nonnullas hic etiam declarationes, seu magis apertas voluntatis nostræ significationes super hoc a Nobis indicto præsentis Anni Sancti Jubilæo subnectere opportunum duximus; quibus inspectis, ac diligenter, ut par est, animadversis, pleraque hujusmodi dubia anteverti posse, aut facile solutum iri non dubitamus. Eæ autem sunt, quæ sequuntur.

XLIII. Per-

XLIII. Personis Romam ad hoc Jubilæum consequendum venire volentibus, non intelligitur data veniendi libertas, sive licentia, sine obtento alias necessario suorum respective Superiorum consensu.

XLIV. Romanorum appellatione, quoad visitationes quatuor Basilicarum per triginta dies peragendas, comprehenduntur omnes, & singuli nati, atque habitantes Romæ; sicut etiam nati, atque habitantes in suburbano Vinearum tractu, intra quintum ab Urbe lapidem. Incolarum autem nomine, ad eumdem effectum, intelliguntur omnes illi, qui certum aliquod officium in Urbe obtinent, seu cum spe illud obtinendi moram ibidem trahunt, ideoque in ipsa quasi domicilium acquirunt; omnesque illi, qui ad eamdem Urbem, vel ad aliquem suburbanum locum intra quintum lapidem, ut supra, se contulerunt alia quacumque de caussa, quam præsentis Jubilæi lucrandi; vel si ipsius lucrandi caussa ad Urbem accesserint, eo tamen animo sunt, ut per majorem Anni partem, seu ultra sex menses ibi commorentur. Reliqui omnes, Peregrinorum, aut Externorum nomine, quoad visitationes earumdem Basilicarum, per quindecim dies, se comprehensos intelligant.

XLV. Confessionem & Communionem pro hoc Jubilæo consequendo injunctas, non necesse est visitationibus quatuor Basilicarum præmittere. Satis erit vel in hujusmodi visitationum decursu, vel etiam post easdem visitationes expletas, Confessionis, & Communionis Sacramenta suscipere.

XLVI. Cum Confessio Sacramentalis in hoc Jubilæo sit opus injunctum, peragenda eadem erit etiam ab eo, qui solis peccatis venialibus teneatur, si hoc lucrari Jubilæum velit.

XLVII. Si quis post Confessionem peractam, in lethale peccatum (quod Deus avertat) inciderit, antequam omnia omnino opera pro Jubilæo hoc lucrando injuncta expleverit, Confessionem denuo præmittere debebit, priusquam ultimum saltem ex aliis injunctis operibus expleat, ut Indulgentiam hoc Jubilæo concessam consequatur.

XLVIII. Quamvis injuncta pro hoc Jubilæo Communio sit; pueri tamen, qui nondum ad primam Communionem admissi fuissent, neque intra hunc Annum Sanctum, Parochi proprii, vel Confessarii judicio admittendi videantur, censeri possunt ab isto injuncto opere legitime impediti: eisdemque Communionem in aliud pium opus arbitrio Confessarii præscribendum commutari permittimus.

XLIX. Ad injunctam Basilicarum visitationem perficiendam non opus est in easdem Basilicas per Portas Sanctas, vel per harum aliquam ingredi, vel egredi.

L. Si quod superveniat Indultum, quo præscriptus initio visitationum numerus ad minorem redigatur; quisquis, ante id Indultum, visitationes peregisset paucioribus numero diebus, quam qui in Indulto præscribuntur, is visitationes a se jam peractas utiliter computare poterit ad conficiendum numerum visitationum hujusmodi Indulto præscriptarum; superaddendo nimirum alias, quæ desint ad explendam summam Indulto præfinitam. Si vero eam summam, seu numerum antea jam explevisset, vel etiam excessisset, unum saltem diem visitationis quatuor Basilicarum præterea adjunget, ut Indulti beneficio frui valeat.

LI. Injunctæ piæ preces in singularum Visitationes Basilicarum, ad fines Nobis propositos, & in nostra Bulla Indictionis expressos effundendæ, satis erit, si vocales fuerint. Qui sola mente ad eosdem fines devote orare voluerit, laudandus est; aliquam tamen etiam vocalem orationem adjungat.

LII. Qui hoc Anno Sancto bis, aut pluries omnia, & singula opera, vel primitus in hujus Jubilæi indictione præscripta, vel superveniente forsan aliquo Indulto, ea, quæ in ipsius Indulti concessione pro ejusdem Jubilæi consecutione præscribentur, plene iteraverit, vel prius ad Indictionis, deinde ad Indulti formam, vel prius ad formam Indulti unius, deinde ad alterius forsitan diversi formam, ut præfertur, iteraverit; bis quoque, aut pluries poterit hoc Anni Sancti Jubilæum lucrari. Nos enim, habita ratione annui spatii, ad quod hujusmodi Jubilæum protenditur, ita de Apostolicæ liberalitatis plenitudine concedimus, & indulgemus; hoc tamen declarantes, neminem posse, nisi semel, idest prima tantum vice, frui, seu potiri favoribus huic Jubilæo adjunctis: quare post primam vicem nullus gaudere amplius poterit beneficio, aut absolutionum a novis censuris, & casibus reservatis de novo fortasse contractis, aut commutationum, aut dispensationum in facultatibus superius positis contentarum.

LIII. Præter Pœnitentiarios, ut supra, deputatos, seu deputandos, peculiaribus pro hoc Anno Sancto facultatibus a Nobis instructos, inter quas adest etiam facultas absolvendi pro foro conscientiæ a censuris propter hæresim formalem incursis, prout latius expressum est supra *num.* VII., reliqui omnes noverint, in concessione facultatis absolvendi a Censuris in Bulla Cœnæ reservatis, non comprehendi facultatem absolvendi a Censuris propter hæresim formalem externam, etiam occultam, incursis, nisi specialiter, & expresse hujusmodi facultas concedatur juxta iteratas hac de re Declarationes, & nominatim juxta Decretum Universalis Inquisitionis die 15. Maji Anni 1656. a felic. recordat. Prædecessore Nostro Alexandro VII. approbatum.

LIV. Absolutiones a Censuris (præter quam datæ ad reincidentiam, qualis, exempli gratia, datur in casu superius expresso, ubi de facultatibus pro Pœnitentiariis egimus *num.* VI.) commutationes item Votorum, & Dispensationes, juxta concessas hoc Anno respectivas facultates, semel obtentæ permanent in suo vigore, etiamsi contigerit eum, qui illas jam obtinuerat, mutato postea, quod prius habuerat, sincero, & serio proposito Jubilæum hoc lucrandi, ac proinde reliqua ad id lucrandum necessaria opera adimplendi, de eodem Jubilæo consequendo amplius non laborare.

LV. Suspensio facultatum absolvendi, dispensandi &c. pro hoc Anno Sancto a Nobis indicta per alias nostras Litteras Apostolicas incipientes: *Cum Nos nuper*, datas 16. Kalendas Junii proxime præterit, non comprehendit ipsam Romanam Urbem, in qua hoc maxime Anno prestat Operariorum copiam, & auxilia pro expediendis Pœnitentibus non imminui. Quicumque ergo in eadem Alma Urbe hujusmodi facultatibus alioquin legitime muniti reperiuntur, easdem per hunc quoque annum in ipsa Urbe, juxta tenorem uniuscujusque concessionis alias obtentæ, exercere libere poterunt.

LVI. Extra Urbem vero servanda omnino erit suspensio facultatum in præfatis Litteris expressa, per quam non modo facultates illas, quæ caussa, vel occasione Indulgentiarum concessæ fuissent, verum etiam ceteras quaslibet quocumque alio titulo, & caussa concessas, prædicto Anno durante, suspensas esse, & censeri debere, exceptis dumtaxat illis, quas in præfatis Litteris Nostris ab ipsa generali suspensione præservavimus, præsentium tenore, quatenus opus sit, & pari auctoritate, edicimus, & declaramus.

LVII. *JAM VERO* adventante convivii hora, qua magnus Paterfamilias non modo vocandos, atque invitandus convivas, sed ad intrandum potius compellendus esse denuntiat, hanc Pastoralibus Nostris vocibus virtutem a Deo donari cupimus, quæ universos in Christo credentes a finibus Terræ evocatos, ad hoc Unitatis, & Fidei centrum valeat congregare. Itaque omnes iterum Nostros, Ecclesiæque Filios, quam maximo possumus paterni animi affectu etiam, atque etiam hortamur, ut ad Cælestium gratiarum aquas ex hoc fonte nunc latius reserato hauriendas occurrant, atque hic omnes uno corde, atque ore Deum honorificantes, propriæque saluti singuli serio consulentes, ipsius Dei misericordia, & piæ Matris Ecclesiæ favoribus uberrime perfruantur.

Secrum autem Christi Ministros, ejusque Sacramentorum dispensatores, Nostra, ut præfertur, ordinatione deputandos, enixe, studioseque admonemus, ut demandandum sibi laborem pro Fratrum infirmorum curatione, & salute alacriter suscipiant, ac pro ipsius Christi Domini, ejusque Sponsæ Ecclesiæ caritate, strenue, & constanter exerceant, memores illius, cujus vices gerunt, Pastoris boni, qui non labores solum longissimo intervallo majores sustinuit, sed vitam quoque suam posuit pro Ovibus suis, cujus nimirum immensæ caritatis cooperatores se fieri maximo lucro suo deputare debebunt, amplissimamque mercedem ab eo sperare, quam ipse omnibus, qui sibi ministraverint, retributurum spopondit. Omnes itaque ad Sacramentu Pœnitentiæ saluberrimum, & necessarium lavacrum accurrentes benigne excipiant, patienter audiant, instruant, moneant; & facultates per Nos sibi collatas in eorumdem Pœnitentium solidum bonum, in ædificationem, non in destructionem, quo scilicet fideles dispensatores inveniantur, adhibeant.

Ceterum præsentes Litteras, omnesque, & singulas concessiones, limitationes, monita, declarationes, ac voluntatis Nostræ significationes in iis contentas, de nullo defectu impugnari, aut redargui posse, sed omnimoda firmitate validas esse, & censeri, & ab iis omnibus, ad quos pertinet, exactissime observari, eisque etiam, quorum favorem respective concernunt, plenissime suffragari volumus, atque decernimus: Non obstantibus præmissis Nostris, aliisque Apostolicis, seu in Universalibus, Provincialibus, aut Synodalibus Conciliis editis Constitutionibus, & Ordinationibus; necnon quarumcumque Personarum, aut Ordinum, etiam Mendicantium, Congregationum, Societatum, & Institutorum, etiam specialem, & individuam mentionem promerentium, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, legibus, usibus, & consuetudinibus, etiam immemorabilibus, Indultis quoque, & Privilegiis, etiam Mari Magno, seu Bulla Aurea, aut aliter nuncupatis, & sub quibuscumque tenoribus, & formis, & cum quibusvis etiam suspensionum, & derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus clausulis, seu irritantibus Decretis, etiam simili Motu, scientia, & potestatis plenitudine, & alias quomodolibet concessis, & iteratis vicibus

confir-

confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, quatenus præsentibus in aliquo adversari dignoscantur, illis alias in suo robore permansuris, pro hac vice dumtaxat, amplissime, & latissime, ac specialiter & expresse, velut si eorum tenores præsentibus per extensum inserti forent, derogamus, & derogatum censeri volumus, & decernimus.

BULLA VENTESIMANONA.

De Quæstionibus, & Controversiis olim excitatis circa opera injuncta pro Jubilæi acquisitione, & circa Facultates concessas, earumque usum, quæ per præcedentes Constitutiones sublatæ fuerunt. Epistola Encyclica ad Pœnitentiarios, & Confessarios pro anno Sancto in Urbe deputatos.

Extat hæc Bulla in Tom. III. Bullarii sub num. 21. data die 15. Maji anno 1749.

BENEDICTUS PAPA XIV.

Dilecte Fili, Salutem & Apostolicam Benedictionem.

INter præteritos, ac præsentes labores Nostros in eum potissimum finem a Nobis susceptos, ut imminens jam magni Jubilæi Annus ea, qua par est, pietate celebretur, & Fideles Christi spiritualem S. Indulgentiæ fructum consequantur, non postremo loco habenda est ea, quam adhibuimus, cura, ut libros de Anni Sancti Jubilæo pertractantes, qui numero pauci non sunt, consuleremus. In hisce vero libris perlegendis illud animadversum a Nobis est, quod inter eorum Auctores, alii quidem sunt, qui in controversiarum tractatione ita se gerunt, ut in iisdem discutiendis, ac resolvendis, vel ad eorum scripta tantummodo attendant, qui ætate præcesserunt, vel de propositis quæstionibus ex eo, quod sibi, ac propriæ intelligentiæ magis conveniens videatur, pronuntient, nulla interim attentione adhibita ad Summorum Pontificum Constitutiones, quibus Anni Sancti Jubilæum Christifidelibus indicitur, & in quibus inserta quædam verba reperiuntur, quorum beneficio quæstiones ante exortæ commode, & opportune explanantur. Alii contra, earumdem Constitutionum verba accurate considerantes, dum illa rite ponderare non prætermittunt, ex iisdem quæstionum ipsarum solutiones deducunt, atque eas difficultates de medio tollunt, quæ ab illis excitatæ fuerant, qui vel ante scripserunt, quam Constitutiones ipsæ prodirent, in quibus opportuna verba inserta sunt, quorum vigore excitatæ jam difficultates evanescunt; vel qui si posterius scripserunt, nullam in scribendo, ut par erat, adhibuerunt ad Pontificiarum Constitutionum verba mentis applicationem. Hinc, qui prope jam instat, Magni Jubilæi Annum, si Divinæ Majestati placuerit vitam Nostram ad illud usque tempus perducere, tertium numerabimus ex iis, quos Nos in hac Urbe celebratos vidimus: nec immemores sumus disputationum, & quæstionum, quæ non sine aliqua contentione agitabantur inter Confessarios, Romæ primum, deinde etiam foris, postquam, peracta hic Anni Sancti celebratione, Jubilæum ad alia loca transmittitur. Ea igitur de caussa Nos opportunam operam dedimus, primum ut in Constitutionibus, quas de Anni Sancti Jubilæo publicavimus, ea verba insereremus, quæ non minus a Nobis, quam ab iis Doctoribus, qui ante Nos scripserunt, talia reputantur, quæ excitatas prius difficultates vi sua dissolvant; deinde vero, cum quæstiones aliquæ adhuc indecisæ remanerent, quæ a solis verbis in Constitutionibus insertis solutæ dici non poterant; aliquot etiam pro hisce Declarationes facere non prætermisimus. Non tamen idcirco Nobis certo pollicemur, omnia Nos omnino dubia diluisse, quæ suboriri possint hominibus ingenio nimis ad metaphysicas subtilitates prono, quæ quidem, quantum in speculativis rebus afferunt usum, tam magno sunt in Moralibus disciplinis incommodo. Illud tamen speramus, tantum Nos hac via profecisse, ut per eam aliis, quibus plusquam Nobis otii sit, liberior, ac latior ad iter persequendum semita recludatur. Ut vero hæc quæcumque egimus, ac meditati sumus, in ceterorum commodum, & in præcipuam Confessariorum præsertim, & eorum, qui animarum curam gerunt, utilitatem evadant; ad Vos, Dilecti Filii, Encyclicas hasce nostras Litteras dirigimus, adimplentes hoc modo, quod polliciti sumus in Consistoriali Allocutione Nostra, quam in Consistorio die 5. Maji vertentis anni 1749. a Nobis habito pronuntiavimus. Atque ut etiam confusio omnis removeatur, & debito ordine procedatur, de qualibet Constitutione super Jubilæo Anni Sancti per Nos ad præsentem usque diem publicata singillatim agemus.

I.

De Apostolica Constitutione, quæ incipit Peregrinantes, *in qua indicitur Universale Jubilæum Anni Sancti: publicata die 15. Maji, in Festo Dominicæ Ascensionis 1749.*

IN hac Constitutione Nostra hæc, quæ subjicimus, verba leguntur: *Vere pœnitentibus, & confessis, Sacraque Communione refectis.* Primi Nos omnium sumus, qui Confessioni Communionem adjecimus, eam inter opera illa comprehendentes, quæ ad consequendas Anni Sancti Indulgentias injuncta sunt, atque præscripta. Quæ vero Nos caussæ moverint, ut prædicta verba adjungeremus, eas in Consistoriali Allocutione Nostra expressimus, quæ in Consistorio die 5. Maji an. 1749. habito a Nobis pronunciata fuit. Neminem autem arbitramur futurum, qui eam in medium quæstionem adducat, num videlicet sub nomine Sacræ Communionis, Sacramentalis Communio, an vero Communio spiritualis intelligatur? quoniam Sacrum Tridentinum Concilium, *sess. 13. cap. 8.* trium Communionum mentionem facit, videlicet, solius Sacramentalis, quæ Communio est illorum, qui eam in peccato lethali recipiunt; solius Spiritualis, quæ illorum est, qui summopere cupientes Panem Eucharisticum gustare, viva fide, *quæ per dilectionem operatur*, spiritualis illius fructus, atque utilitatis participes fiunt; & Sacramentalis simul, ac Spiritualis, quæ est illorum, qui *prius ita se probant & instruunt, ut vestem nuptialem induti ad Divinam Mensam accedant.* Nos sub Sacræ Communionis nomine Sacramentalem simul, ac Spiritualem Communionem intelleximus, atque intelligimus, cum sensus verborum obvius hic plane sit; neutiquam rati, rem tam absurdam cuiquam in mentem venire posse, ut sub nomine Sacræ Communionis, sola Sacramentalis Communio intelligi possit; quemadmodum etiam opportune a Patre Passerino *de Indulgentiis quæst. 43. & 44.* animadversum fuit; licet ipse scriberet quidem post damnationem ab Alexandro VII. die 7. Septembris 1665. prolatam illius propositionis: *Qui facit Confessionem voluntarie nullam, satisfacit præcepto Ecclesiæ*; sed scriberet ante damnationem promulgatam a Venerabili Servo Dei Innocentio XI. die 2. Maji 1679. in alteram propositionem: *Præcepto Communionis annuæ satisfit per sacrilegam Domini manducationem.*

In celebri illa Bonifacii VIII. Constitutione, quæ incipit *Antiquorum* sub titulo *de pœnitentiis, & remissionibus in Extravagan. commun.* ubi indicit Jubilæum Anni Sancti, hæc verba leguntur: *vere pœnitentibus, & confessis, vel qui vere pœnitebunt, & confitebuntur*: & in *Extravaganti Unigenitus* Clementis VI. eodem libro, & sub eodem titulo hæc alia leguntur verba: *vere pœnitentibus, & confessis*. Ex hisce autem verbis gravis est controversia quodam tempore excitata, num ad Indulgentiæ consecutionem confessio *in voto* sufficiens sit, an vero confessio *in re* requiratur; quod idem est, ac si diceretur, utrum ad consequendam Indulgentiam peccata Sacerdoti actualiter confiteri necessarium sit, an vero satis sit ea cum intimo doloris sensu, & sincero contritionis actu detestari cum confitendi proposito, confessionem interim in aliud tempus differendo, ac in Pascha præsertim, quo tempore unusquisque Fidelium, lege ab Ecclesia præscripta, sacram recipere communionem obligatur.

Indicata tantum, verum non decisa hujusmodi quæstio est a Cardinali de Lugo *de Pœnitent. disput. 27. sect. 6. num. 94.* Nos eam rite, ac secundum leges discussam reperimus. Ludovicus Bologninus Canonici Juris Doctor, illustris famæ, in suo *de Indulgentiis* Tractatu, in eam inclinat sententiam, quod contritionis actus cum prædicto proposito conjunctus, sufficiens sit. Felinus Sandeus, vir suis supra Jus Canonicum scriptis item insignis, in eo, quem scripsit *de Indulgentia Plenaria* Tractatu, in eamdem pariter sententiam propendet; verum contrariam tutiorem esse affirmant Bologmini, & Felini Opera in Tractatibus, qui vulgo *Magni* dicuntur, sunt impressa *tom. 14. edit. Venet. ann. 1584. pag. 145. a tergo, & pag. 158. a tergo*. Silvester vir in Theologica Facultate præclarus in sua summa *in verb. Indulgentia nu. 20.* postquam propriam in eam sententiam propensionem ostendit, quod sufficiat confessio *in Voto*, eos, qui Indulgentias consequi volunt, ad actualem Confessionem consilio suo excitat, atque in ea pariter sententia est Venerabilis Cardinalis Bellarminus *tom. 2. Controversiarum l. 1. de Indulgentiis c. 13. §. Tertia quæstio*. Sanctarellus *Variar. resol. quæstion. 76. a num. 7. usque ad num. 23.* Auctores, qui pro utraque stant opinione, diligenter colligit, & accurate, ipse tamen ad consecutionem Indulgentiæ Anni Sancti actualem Confessionem requirit. Nos ad Auctores ab ipso collectos Joannem Baptistam Pauliani *lib. 3. cap. 2. pag. 147. & seqq.* addemus, qui super Jubilæo Anni Sancti a Julio III. publicato scripsit; qui quidem Auctor ex vi verborum *vere pœnitentibus, & confessis* actualem Confessionem requiri contendit.

Navarrus tam celebris, qui olim opinionem, quæ sufficientem esse vult Confessionem *in Voto*, secutus fuerat, Cardi-

Cardinalis Cajetani auctoritate permotus, in suo *de Jubilæo* Tractatu *Notabil.* 18. *num.* 1. *& seqq. & num.* 6. eam prorsus abjecit, & alterius opinionis sectator evasit, quæ requirit Confessionem actualem, quamque Fidelibus magnæ spiritualis utilitatis occasionem dedisse cognoverat. Pater Viva *de Jubilæo quæst.* 8. *art.* 3. qui per occasionem Jubilæi Anni Sancti ab Innocentio XII. publicati scripsit, & Pater Constantini in suo Tractatu *part.* 2. *art.* 5. de Anno Jubilæi a Benedicto XIII. indicti, considerant, quod sub verbo *vere pœnitentibus* comprehenduntur peccatores contriti; verum quoniam ad verba *vere pœnitentibus* adduntur hæc alia, *& confessis*, in hisce ultimis actualis Confessio exprimitur, atque præscribitur.

Dici autem potest, quod hujusmodi opinio facta jam sit sententia Sanctæ Sedis; nam cum in Congregatione Indulgentiarum propositum, & quæsitum esset, num videlicet, quemadmodum Missionarii, qui in regionibus Infidelium morantur, licite Sanctam Missam celebrant, præmisso contritionis actu ob grave aliquod, quod admiserint, peccatum; cum non adsit Confessarius, nec debeant die Festo Fideles Missa privari; ita consequendi Indulgentias, quæ conceduntur *vere pœnitentibus*, *& confessis* capaces dicendi sunt facientes actum contritionis, nec præmittentes Confessionem; Congregatio prædicta respondit, nequaquam eos esse capaces, verum Summo Pontifici supplicari debere, ut nova eos gratia capaces reddat, ut, non facta actuali Confessione propter deficientiam Confessarii, solo contritionis actu ad consequendas Indulgentias habiles evadant. Hanc vero resolutionem Clemens XII. Prædecessor Noster approbavit, & gratiam impertitus fuit. Documenta referuntur in Opere P. Theodori ejusdem Congregationis Indulgentiarum Consultoris *de Indulg. part.* 1. *cap.* 11. *art.* 5. *in fine.*

Nos hac formula *vere pœnitentibus*, *& confessis*, Confessionem actualem intelleximus, semperque intelligemus, quam inter præscripta, & adimplenda opera ad consequendas Indulgentias necessaria reponimus. Dicere, quod sic intelleximus, & intelligemus, sufficiens fortasse fuisset; verum quæ ante exposuimus, ea de caussa exponere opportunum existimavimus, ut fundamenta agnoscantur, quibus nostra innixa sententia est.

Prosequitur Constitutio *Peregrinantes*, atque in ipsa post præscriptas quatuor Basilicarum, videlicet Sancti Petri, Sancti Pauli, Sancti Joannis in Laterano, & Sanctæ Mariæ Majoris visitationes, subjungitur, quod dicta visitatio fiat *semel saltem in die, per triginta continuos, aut interpolatos dies, sive naturales, sive etiam Ecclesiasticos, nimirum a primis vesperis unius diei, usque ad integrum ipsius subsequentis diei vespertinum crepusculum computandos, si Romani, vel incolæ Urbis; si vero Peregrini, aut alias externi fuerint, per quindecim saltem hujusmodi dies*: quibus verbis, rite, &, ut Nos intelligimus, intellectis, quæstiones duæ alias excitatæ de medio tolluntur.

Prima, num, quemadmodum quatuor Basilicarum visitatio vigore Constitutionis interpolatis diebus fieri potest, velut, exempli gratia, fieri potest, una visitatio quatuor Basilicarum decima die mensis Januarii, alia vero visitatio quatuor Basilicarum die 15. ita fieri possit, exempli gratia visitatio duarum Basilicarum in uno die, & visitatio duarum aliarum Basilicarum in altero die, usque ad completum triginta, vel quindecim respective visitationum pro unaquaque Basilica numerum.

Vero *saltem semel in die*, etiam in citata Bonifacii VIII. Decretali *Antiquorum* leguntur; Glossator autem ad prædicta verba, ea commentans, attestatur, quod dictus Pontifex in Consistorio declaravit, prædictarum Basilicarum visitationes per modum nuper indicatum fieri posse, dummodo numerus visitationum uniuscujusque Basilicæ trigesimus sit quoad Romanos, & decimus quintus quoad Exteros. Si ponamus, quod factum a Glossatore relatum subsistat, dici debere putamus, Pontificem Bonifacium non quidem declarasse, quod talis esset verborum sensus *saltem semel in die*, verum pro speciali gratia concessisse, ut, non obstante contraria Decretalis suæ dispositione, Ecclesiarum visitationes modo ante indicato fieri possent. Et sane quotquot subsequentibus temporibus super Bullis de Anni Sancti Jubilæo scripserunt, in quibus semper verba *saltem semel in die* reperiuntur, vim locutionis expendentes, quod dicitur *in die* in singulari, & non *in diebus* in plurali, fieri debere visitationes quatuor Basilicarum in uno die dixerunt. Videri possunt Navarrus *de Jubilæo, & indulgentiis notab.* 32. *num.* 41. & Benzonius *de anno Jubilæi lib.* 5. *dub.* 5. Ita pariter disserunt Sanctarellus *variar. Resolut. quæst.* 75. *nu.* 1. *& seq.* Lavorius *de Jubil. & Indulgent. part.* 1. *cap.* 17. *num.* 5. Quartus *Trattato del Giubileo punt.* 2. *dub.* 1. Passerinus *de Indulgentiis quæst.* 49. *num.* 363. Pasqualigo *de Jubilæo quæst.* 45. Riccius *Trattato del Giubileo cap.* 117. qui ulterius adjunxit, quod quando a Summis Pontificibus Basilicæ per Annum Sanctum visitantur, quatuor simul in uno die visitantur.

Nihilominus per occasionem Anni Sancti 1700. a Pontifice Innocentio XII. promulgati opportunum factu visum fuit, in particulari Congregatione ex variis Cardinalibus, & Prælatis composita, iterum examini supradictum dubium committere, num videlicet visitatio quatuor Basilicarum in unico tantum die fieri deberet, an vero fieri diebus interpolatis posset, duas exempli gratia Ecclesias uno die, alteras vero duas alio die visitando. Concordi sententia decisum fuit, quod omnes in uno die fieri deberent. Atque ita pariter in Notificatione a Cardinali Gaspare de Carpineo tunc temporis Urbis Vicario publicata redictum fuit. Tam nomina eorum, qui Congregationi interfuerunt, quam ipsa resolutio registrata sunt a Joanne Baptista Riganti Comment. ad Regulas Cancell. *Tom.* 4. *ad Reg.* 53. *ann.* 22. *usque ad finem*, & Declaratio ipsa a P. Viva *de Indulgent. pag.* 668. *edit. Patavin. ann.* 1715. typis impressa, atque etiam a P. Vanranst *Opuscul. de Indulg. & Jub. quæst.* 7. *num.* 10. indicata reperitur. Nos demum, communi, atque obvio verborum sensui *saltem semel in die*, communi Doctorum opinioni, ac præcedentibus Resolutionibus adhærentes, protestamur, Nos in Constitutione Nostra: *Peregrinantes*, visitationem quatuor Basilicarum in uno die fieri debere intellexisse.

Altera autem controversia est, quæ respicit mensuram diei, in quo, quemadmodum dictum est, quatuor Basilicarum visitatio fieri debet. Quidam a media præcedenti nocte, ad alteram mediam noctem diei subsequentis metiendum esse existimarunt; exempli gratia, a media nocte diei Jovis, usque ad mediam noctem diei Veneris subsequentis. Alii porro crediderunt diem metiendum esse a Vesperis diei præcedentis ad Vesperas diei subsequentis; exempli gratia, a Vesperis diei Jovis, usque ad alteras Vesperas diei Veneris subsequentis, quod idem est, ac si dicatur, usque ad principium noctis, sive ad vigesimam quartam horam diei Veneris, quoniam Completorium orationum diei complementum est.

Hæc controversia per occasionem Anni Sancti a Clemente X. celebrati examinata, at non decisa fuit, quemadmodum Phœbæus de *Anno Jubilæi par.* 2. *c.* 15. *pagin.* 241. testatur. Iterum postea per Annum Sanctum ab Innocentio XII. indictum novo examini commissa est. Rigantius *loco citato* ei adhæsit opinioni, quod dies illi a primis Vesperis, usque ad Vesperas diei sequentis computari deberent. Nec omisit validissimas pro suo assumpto rationes afferre; illud valde ad rem animadvertens, quod Portæ Sanctæ in pervigilio Nativitatis Domini Nostri ante Vesperas aperiuntur, & in subsequenti altero Nativitatis Domini pervigilio post Vesperas, idest prope occasum Solis clauduntur. Hujusmodi rationes tam ab aliquibus, qui in Congregatione interfuerunt, quam ab aliis, quorum sententias Congregatio ipsa requisivit, & laudatæ, & receptæ fuerunt. Alii vero partim ex Congregatione, etiam ex iis, qui ab eadem Congregatione consulti sunt, in eam sententiam iverunt, quod dies ab una ad alteram mediam noctem metiendus esset. Hæc autem sententia vicit, ut apud ipsum Riganti videre est, & in citata Cardinalis de Carpineo Vicarii Notificatione declaratum fuit, diem ab una ad alteram mediam noctem incipere, & desinere intelligi debere. Nos vero, ut Fideles per imminentem Annum Sanctum visitationem quatuor Basilicarum facilius adimplere possint, omnem in Constitutione Nostra disputationem de medio sustulimus, declarantes, quod visitatio quatuor Basilicarum, vel uno, vel altero modo fieri possit; videlicet aut ab una ad alteram mediam noctem, aut a Vesperis diei præcedentis, usque ad subsequentis diei vespertina crepuscula.

Postremo vero in citata Constitutione *Peregrinantes* decernitur, quod ii, qui iter Romam versus susceperunt, vel qui cum ad ipsam pervenerint, non possunt vel complere, vel incipere visitationem Basilicarum, sive morte præventi, sive alia legitima caussa impediti, gaudeant fructu Indulgentiæ, dummodo pœnitentes sint, Confessionem fecerint, & Sanctam Eucharistiam receperint: *Eosdem vere pœnitentes, & Confessos, ac Sacra Communione refectos, prædictæ Indulgentiæ, & remissionis participes perinde fieri volumus, ac si dictas Basilicas diebus a Nobis præscriptis re ipsa visitassent.*

Pontifex Bonifacius VIII. in sua pluries a Nobis citata Decretali, *Antiquorum*, in qua Annum Sanctum indicit, prædictam declarationem Advenarum, seu Peregrinorum comprehensivam non inseruit; orta proinde controversia fuit: num ipsi in prædictis circumstantiis Indulgentias consequuti essent? Quapropter ipse Pontifex verbalem in Consistorio Declarationem in favorem Advenarum facere necessarium duxit, quemadmodum Glossator Decretalis: *Antiquorum*, *vers. sed quæro: aliquis vere pœnitens, & confessus*, inter Extravagantes Communes, testatur. Altera deinde fuit quæstio excitata: num, sine prædicta declaratione, illi, qui ad proficiscendum Romam parati, sive ad eamdem iter aggressi erant, quive cum Romam pervenissent, præscriptam tamen Basilicarum visitationem aut incipere, aut complere non potuissent, dummodo peccatorum suorum pœnitentes, & confessi forent, Jubilæi Indulgentias consequerentur? Nec

defuit,

defunt, qui ejus esset opinionis, quod eam consequerentur. Melioris tamen notæ, ac famæ Doctores in contraria sententia fuerunt, ea ducti ratione, quod ad consecutionem Indulgentiæ non sola voluntas satis sit, sed necessario effectus requiratur. Ita differit Felinus in suo *de Indulgentiis* Tractatu *inter Tractatus Magnos cit. tom. 14 pag. 159. a tergo num. 36.* Hoc idem assumptum variis argumentis probavit etiam supra citatus Joannes Baptista Pauliani *lib. 3. de Jubilæo cap. 5.* Similis controversia a S. Thoma *Quodlibet 2. art. 16.* pertractatur, ubi hanc quæstionem proponit: utrum scilicet is, qui, Cruce sumpta, profecturus ad recuperationem Terræ Sanctæ, pro qua insigni actione Indulgentiam consequebatur Plenariam, consequeretur eam, si in statu veræ pœnitentiæ constitutum, morte præoccuparetur, antequam itineri se committeret? Sanctus vero Doctor controversiam eamdem solvit dicendo: opus esse, verba Textus concessionis Indulgentiæ rite observare; quoniam, si in Textu dicitur, quod Indulgentia conceditur sumentibus Crucem; Crucesignatus statim acquirit Indulgentiam, ejusque particeps fit, si moritur, antequam itineri se commiserit; verum si in Textu concessionis Indulgentiæ, ipsa conceditur illis, qui mare transirent; Crucesignatus, qui mortem ante obit, quam mare transeat, Indulgentiam non consequitur.

Pontifex Clemens VI. qui ille fuit, a quo Jubilæi Annus a centesimo quoque Anno per Bonifacium VIII. præfixo ad quinquagesimum reductus fuit, in Decretali sua *Unigenitus: De Pœnitentiis, & Remissionibus inter Extravagantes Communes*, primus omnium supradictam Declarationem in Peregrinorum, atque Advenarum favorem scripto mandavit, & in sua Decretali registravit, atque in eamdem inseruit, quocirca celebris Jurisconsultus Joannes de Anania Archidiaconus Bononiensis in suo de Jubilæo Tractatu sub Rubrica *de Sortilegiis*, postquam quatuordecim dubia ad Jubilæi materiam spectantia examinanda proposuit, *num. 9.* hoc, quod sequitur, reponit: *Dubitatur de illo, qui ivit usque ad mediam viam, & non potuit ulterius ire; de illo, qui non implet numerum dierum.* Huic autem dubio ita respondet: *Ista tollantur in Bulla præcedenti*, quæ est Clementis VI. superius ab ipso commemorata. Eadem Declaratio invenitur in Constitutionibus, & Indictionibus Anni Jubilæi Pontificum, qui successerunt. Nos etiam, ad omnes controversias tollendas, exemplo eorum libentes adhæsimus, & eam propterea in Constitutione nostra: *Peregrinantes* inseruimus. Illud tamen animadvertendum, quod hæc Declaratio Advenas tantummodo comprehendit, nec ad Romanos, aut Romæ Incolas extenditur, quemadmodum bene etiam a Bezonio *de Anno Jubilæi lib. 5. dub. 10.* fuit observatum; cum Romanis, aut Romæ Incolis, visitationes Basilicarum facere non valentibus, sive impeditis, alia quadam ratione, ut alibi ostendetur, provisum sit.

II.

De Constitutione, quæ incipit Cum Nos nuper, *signata die 17. Maji 1749.*

IN primis quinque Jubilæis alias Indulgentias, aut etiam facultates absolvendi a casibus reservatis, suspensas fuisse minime legitur; & omnium primus, qui per occasionem Anni Sancti prædictam suspensionem faceret, fuit Pontifex Sixtus IV., sicut in ejus Decretali: *Quemadmodum*, sub titulo: *De pœnitentiis, & remissionibus*, in Extravagantibus Communibus videre est; atque id ea maxime de caussa, ut Fideles Romam ad consequendam Plenariam Indulgentiam, quam ipse per Annum Sanctum eisdem offerebat, invitaret; cujus postea exemplo, qui successerunt, Pontifices sese conformarunt. Quidam ex his suspensionem Indulgentiarum, & Facultatum in eadem Bulla, qua Jubilæum Anni Sancti indicebat, inseruerunt. Ita fecit Sixtus IV. & Alexander VI. præstitit idem, per separatam Constitutionem. Sixti IV. exemplum in omnibus secuti sunt tum Clemens VII., tum Julius III., ut ex Jubilæi Bullis apparet. At Gregorius XIII. ille fuit, qui suspensionem per Bullam a Jubilæi Bulla separatam restituit, quemadmodum ab Alexandro VI. factum fuerat; atque eo postea modo deinceps continuatum est. Sairo, Valentia, Salas a P. Baldello *tom. 1. Theolog. Moral. l. 5. de lege disp. 16. num. 8.* nominati, & probati, prædictam suspensionem superfluam esse dixerunt, cum illa Sixti IV. in Jure Canonico jam inserta esset, sicuti nuper dictum est. Probe Nos scimus, non solum illis Decretalibus honorem habendum esse, quæ Gregorii IX., Bonifacii VIII., & Clementis V. factis integræ sunt, verum & aliis, quæ dicuntur Extravagantes Communes, inter quas ea Sixti IV., quam indicavimus, reperitur; quia licet harum collectio auctoritate privata facta fuerit; fons nihilominus, a quo profluunt, & originem ducunt, idem est, ac omnium aliarum; cum tam illæ, quam hæ ab eadem Apostolica Sede derivatæ sint; quemadmodum etiam Venerabilis Frater Vivens Episcopus Feltrensis in eximio suo Opere *Institution. Juris Canonici cap. 59. num. 8.* novissime in lucem edito valde apposite animadvertit; verum considerantes Nos, non esse saltem rationi incongruum dubitare, num suspensio Indulgentiarum, & Facultatum a Sixto IV. facta, revocata sit; hinc orta necessitas est novæ suspensionis Indulgentiarum, & Facultatum, quæ fit, quando Annus Jubilæi indicitur.

Suspensio Indulgentiarum, & Facultatum a Sixto IV. facta hisce, quæ sequuntur, verbis concepta fuit: *Usque ad nostrum, & ejusdem Sedis beneplacitum suspendimus; illasque, durante beneplacito nostro, & Sedis prædictæ, suspensas esse volumus, nec cuiquam alicui suffragari*: quidquid autem cum clausula *ad beneplacitum Sedis Apostolicæ* stabilitur, durat etiam post Pontificis mortem, qui id stabilivit: cum id quod stabilitum est, non cesset, nisi revocetur a Successore: *si usque ad Apostolicæ Sedis beneplacitum gratia concedatur; tunc enim, quia Sedes ipsa non moritur, durabit perpetuo, nisi a Successore fuerit revocata*: quod quidem non contingit tum, cum actus sit a Pontifice usque *ad suæ voluntatis beneplacitum*, quia concessio cessat cum morte concedentis: *si gratiose tibi a Romano Pontifice concedatur, ut beneficia, quæ tempore tuæ promotionis obtinebas, posses usque ad suæ voluntatis beneplacitum retinere, hujusmodi gratia per ejus obitum, per quem ipsius beneplacitum omnino extinguitur, eo ipso expirat*; verba sunt Pontificis Bonifacii VIII. *in cap.* Si gratiose, *de rescriptis in sexto*.

Navarrus in suis Consiliis *lib. 5. de Pœnit. & remissionibus consil. 17.* hanc se materiam accurate tractasse dicit; quod verum est, cum ipse in suo de Jubilæo, & Indulgentiis Tractatu *Notab. 28. num. 27. & 28. ac Notab. 33. num.* de eadem fuse differuerit. Ibi post ponderatam vim clausulæ *ad nostrum, & Sedis Apostolicæ beneplacitum*, Sixti IV. mortem certam esse dicit, illud tamen ignorari, an ipse, antequam supremum diem obiret, suspensionem revocaverit, aut ex illius Successoribus quispiam id fecerit; quapropter et se opinioni adhærentem, & addictum ostendit, quod suspensio Sixti etiam tunc duraret. Vivebat Navarrus tempore Gregorii XIII.; cumque animadvertisset, Pontificem hunc in suspensione Indulgentiarum Anni Sancti clausulam *ad nostrum, & Sedis Apostolicæ beneplacitum* adhibere, egit de hac re cum Officialibus Curiæ Romanæ, qui ei responderunt, Pontificem Sixtum numquam generalem suspensionis revocationem fecisse, neque ex eo inductam revocationem existimari posse, quod Annus Sanctus elapsus esset; verum credibile esse, eumdem Sixtum, exacto Anno Sancto, particularem revocationem suspensionis quorumdam Indulgentiarum fecisse, ut aliquorum Fidelium precibus obsecundaret, adjunxeruntque, quod etiam Pontifex Gregorius XIII. eamdem rationem retenturus erat: hoc vero totum, quod a Navarro dicitur, a Bezonio etiam *de Anno Jubilæi lib. 4. cap. 8. dub. 6.* & a P. Theodoro *tom. 1. de Indulg. cap. 13. art. 5.* confirmatur.

Verum si quis ita dixisset, aut diceret, verum quidem esse, Pontificias determinationes per formulam *ad nostrum, & Apostolicæ Sedis beneplacitum* conceptas, morte Pontificis, qui eas fecit, non cessare, sed revocationem alicujus ex Successoribus necessariam esse; credibile etiam esset, Sixtum IV. completo Anno Sancto, revocationem suspensionis generalem, & expressam minime fecisse, verum tantummodo particularem; ac eodem tempore subdidisset, ac subderet, aliquas dari revocationes, ut scholæ loquuntur, *virtuales*, & expressis revocationibus æquipollentes, atque hasce in eo, de quo agitur, casu intervenisse; quoniam, non obstante suspensione Indulgentiarum per Annum Sanctum facta, Summis Pontificibus notum semper fuit, quod homines pii, ac religiosi suspensas elapso Anno Sancto, hujusmodi Indulgentias prædicarunt, ac publicarunt, libris suis inseruerunt, ac super eisdem fuse scripserunt, quin umquam Sancta Sedes contra aliquem ex prædictis actibus quidquam egerit, aut statuerit, licet apocryphas interim Indulgentias prohibere, & variis etiam Decretis, quæ revocatæ forent, nominatim declarare, quoties occasio hoc tulit, non prætermiserit; procul dubio & Navarrum, & quemcumque alium, qui se ejus opinionis asseclam fecisset, aut faceret, ad incitas, quod ajunt, atque angustias redegisset.

Non Nostra hæc, sed Castro Palai in suis Operibus Moralibus *part. 4. tract. 24. disput. unic. punct. 12. §. 2. n. 12. & 13.* animadversio est. Et quando ex hujusmodi animadversione aliud nihil deduci possit, vel deducatur, nisi saltem materiam dubiam esse; hæc tam Prædecessoribus Nostris, quam Nobis sufficiens caussa esse potuit, cur, non obstante suspensione a Sixto IV. in Jure Canonico, ut dictum est, inserta, novam suspensionem Indulgentiarum, & Facultatum per occasionem Anni Sancti faceremus. In Constitutione Nostra: *Cum Nos nuper*, de qua in præsens agimus, usi non sumus clausula *Ad Nostrum, & Sedis Apostolicæ beneplacitum*, verum alia hac *Apostolica auctoritate &c. suspendimus &c. easque eodem Anno durante nulli prodesse, aut suffragari debere &c.* Hanc autem clausulam adhibuimus, tum quia Clemens VIII. in suf-

in suspensione Indulgentiarum, & Facultatum per Annum Sanctum eamdem adhibuit, atque ejus exemplo omnes alii Successores, quorum temporibus celebrati sunt Anni Sancti, sese conformarunt; tum quia per ipsam difficultas alias excitata de medio tollitur, num videlicet post Annum Sanctum suspensio Indulgentiarum perduret, necne, quemadmodum valde apposite Lavorius *de Jubilæo, & Indulg. par. 1. cap.* 10. *num.* 13. & Quarti *in suo Tractatu de Jubilæo punct. 1. de suspensione Indulgentiar. dub.* 7. adnotarunt.

Qui aliquem, etsi mediocrem, in Moralibus Auctoribus usum habet, multas procul dubio quæstiones non ignorabit, quæ ab ipsis excitantur, & circa Indulgentias promoventur, quæ per Annum Sanctum suspenduntur. Ad eas Nos removendas, generalem in Constitutione Nostra suspensionem fecimus. Sed primum, quemadmodum in ipsa legere est, aliquot a generali revocatione Indulgentias subtraximus, quas expressimus etiam, & nominavimus; ex quo per se consequitur, illas, quæ nominatim præservatæ non sunt, intelligi debere suspensas. Magna erat controversia, num sub suspensione solæ Plenariæ Indulgentiæ comprehenderentur, an vero ipsa ad non Plenarias, & partiales extenderetur? Navarrus *de Jub. & Indulgent. notabili* 33. *num.* 26. Bennonius *de Jub. lib.* 4. *cap.* 8. *dub.* 2. Lavorius *de Jub. par.* 1. *cap.* 10. *num.* 3. & 4. Viva *de Jub. præsertim Anni Sancti quæst.* 4. *art.* 1. solas Plenarias suspensas remanere scripserunt. Alii vero in ea erant opinione, quod tam Plenariæ, quam non Plenariæ, sive partiales, suspensæ remanerent. Ita scripserunt Vanranst. *in Opuscul. Histor. Theologic. de Indulg., & Jubilæo quæst.* 5. Quarti *in tractatu de Jubilæo cap.* 3. *punct.* 1. Pignatellus *in Tractatu de Anno Sancto cap.* 13. *dub.* 10. Difficultas ex diversitate formularum in suspensionibus adhibitarum oriebatur, cum in aliquibus ex, quæ sequuntur, verba legerentur: *Omnes, & singulas Indulgentias Plenarias*; in aliis vero *omnes, & singulas Indulgentias*. Quidam ita reputabant, quod etiamsi in formulis suspensivis Indulgentiæ non plenariæ minime nominarentur, nihilominus credendum esset, easdem comprehensas esse, ex eo, quod quidam Pontifices, Anno Sancto vertente, concesserant, ut partiales aliquot Indulgentiæ restituerentur, ac publicarentur; quod non fecissent, nisi prius mens illis fuisset easdem sub suspensione comprehendere. Ita PP. Constantinus *in suo Tractatu de Jubilæo Anni Sancti part.* 3. *cap.* 7. & Theodorus *de Indulg. tom.* 1. *cap.* 13. *artic.* 5. *quæst.* 2. scripserunt. Nos, ut omnis quæstio removeretur, postquam Indulgentias, quas non revocamus expressius, ita subdimus: *Ceteras omnes, & singulas Indulgentias tam plenarias, quam non plenarias &c. suspendimus, & suspensas esse declaramus &c.*

Nihil ab ipsa materia proposita digredientes, eas Nos Indulgentias a revocatione excepisse, ac subtraxisse dicemus, quæ pro Defunctorum Animabus directe conceduntur. Reliqua erat controversia circa illas Indulgentias, quas Vivi consequi possunt, cum facultate per modum suffragii Defunctis applicandi. Quarti *in Tractatu de Jubilæo cap.* 3. *punct.* 1. *pag.* 198. & Pignatellus *in suo Tractatu de Anno Sancto cap.* 13. *dub.* 20. ejus opinionis fuerunt, quod prædictæ Indulgentiæ sub revocatione minime comprehenderentur. Pro contraria autem sententia steterunt Viva *de Jubil. quæst.* 4. *art.* 4. Vanranst *in Opuscul. Histor. Theolog. de Indulg. & Jubil. quæst.* 5. *num.* 9. & Constantinus *in Tractatu de Jubil. part.* 3. *cap.* 7. *pag.* 244. Neque inficias iri potest, hanc magis plausibilem sententiam fuisse, & per multos etiam Annos Sanctos in praxi receptam. Abbas olim Michael Angelus Riccius, qui Congregationis Indulgentiarum primum a Secretis fuit, deinde vero inter Cardinales cooptatus, in Congregationibus, quæ habitæ fuerunt tempore Anni Sancti a Clemente X. celebrati, in quibus examinatæ, at non admissæ fuerunt quarumdam piarum personarum preces, quibus instanter petebant, ut decerneretur, ne generalis suspensio Indulgentiarum illas comprehenderet, quæ conceduntur Vivis cum facultate Defunctis applicandi, multum se illi opinioni addictum ostendit, quæ prædictas Indulgentias contendit per Annum Sanctum suspensas esse, & sub revocatione, seu generali suspensione contineri. Illi etiam sententiæ hæc ratio favet, quod in Indulgentiis, quæ conceduntur Vivis cum facultate eas per modum suffragii Defunctis applicandi, duæ res considerari possunt: altera, quæ principalis est, & quæ respicit Vivos; altera, quæ est accessoria, & quæ respicit Mortuos; & cum sub revocatione comprehendatur pars principalis, non videtur, exemptam esse posse partem accessoriam.

Ut præcedentes Notificationes in ceteris Annis Sanctis publicatas missas faciamus, in illa a Cardinali de Carpineo Urbis Vicario per Annum Jubilæi 1675. jussu Pontificis Clementis X. publicata, ita legitur: *Non intelliguntur suspensæ Indulgentiæ Altarium privilegiatarum pro Defunctis, neque aliæ concessæ eo modo pro Defunctis; verum illæ suspensæ habeantur, quæ possunt sibi consequi Vivi, ut eas possint concedere Animabus Purgatorii per modum suffragii.* Similes fuerunt Notificationes, quæ per Annum Sanctum tempore Innocentii XII. celebratum publicatæ fuerunt. Et Pontifex Benedictus XIII. in sua Notificatione, quæ die 10. Jan. 1725. publicata est, eidem pariter sententiæ, ac normæ sese conformavit. Verum cum Pontificis illius Benedicti Benefactoris Nostri, præcipua pietate prædici, mirificus erga Purgatorii Animas esset devotionis sensus, quemadmodum ex sermonibus super Purgatorio ab ipso Typis editis clarum fit, sub die 9. Februarii ejusdem Anni aliam Notificationem publicavit, quam in Historia Annorum Jubilæi ab Alfano *pag.* 564. in lucem edita videre est; ac deinde sub die 28. Aprilis ejusdem pariter Anni Breve expedivit, quod a P. Theodoro in suo sæpius citato de Indulgentiis Tractatu *par.* 1. *pag.* 375. impressum reperitur, in quo declaravit, Indulgentias Vivis concessas cum Facultate Defunctis applicandi sub revocatione ab ipso per Annum Sanctum facta, minime comprehendi, quoad illam tamen dumtaxat partem, quæ Animarum Defunctorum suffragium respicit. Et licet regula sit, quod Indulgentiæ Vivis concessæ, per modum suffragii Mortuis applicari non possunt, nisi id in concessione exprimatur; adjecit quod Anno Sancto durante, ut Purgatorii Animæ opportunis suffragiis nequaquam destitutæ remanerent, possent a Vivis Indulgentiæ in ipsarum beneficium applicari, etiamsi in concessione Facultas, ut eædem pro defunctis applicari possent, expressa non esset. Quapropter & Nos in Constitutione Nostra tanti Pontificis exemplum libenter secuti sumus.

In hac Nostra Constitutione: *Cum nos nuper*, quemadmodum hactenus dictum est, durante Anno Sancto, non solum Indulgentiæ suspenduntur, verum omnes Facultates, & Indulta absolvendi a Casibus reservatis etiam in Bulla Cœnæ, secundum id, quod in §. *Ceteras omnes* legitur. Quam regulam in suspensione Indulgentiarum tenuimus, eamdem & in suspensione Facultatum, & Indultorum servavimus; cum præcipue Facultates, & Indulta expresserimus, quæ sub revocatione minime comprehendi intelleximus; unde sequitur, illa, quæ excepta non sunt, comprehensa remanere. In generali Facultatum, & Indultorum suspensione alio tempore dubitatum fuerat, num Facultates comprehenderentur, quæ Prælatis Regularibus ratione proprii Officii, ac muneris competunt, absolvendi scilicet Regulares eorum subditos a casibus reservatis, & super aliquibus impedimentis dispensandi, quemadmodum apud P. Viva *de Jubilæo quæst.* 4. *artic. ultim. paragrapho* 4. Constantinum *de Jubilæo Anni Sancti part.* 3. *cap.* 7. *pag.* 250. & Pasqualigum *quæst.* 160. videre est, Nos, ad ambiguitatem omnem tollendam, inter Facultates a suspensione exceptas, illas excepimus: *Superiorum Ordinum Regularium, quæcumque ipsis in Regulares pariter sibi subjectos a Sede Apostolica prædicta tributæ fuerunt.*

Verum cum Regulares non solis Indultis, & Facultatibus gaudeant super suos subditos Regulares, sed quidam eorum contendant, habere se Facultates, & Indulta sibi a Sede Apostolica concessa, nec umquam revocata, absolvendi a casibus eidem Sedi reservatis sæculares personas, & Vota commutandi, aliasque varias res concedendi, quas hic commemorare minime opus est; alia gravis controversia in medio remanet, num eædem Facultates sub suspensione Indultorum, & Facultatum, quæ per Annum Sanctum fit, comprehensæ remaneant. In qua quidem controversia aliqui opinantur, Facultates absolvendi a casibus reservatis, Vota commutandi, etiamsi collatæ non sint intuitu, aut occasione Indulgentiarum, suspensas remanere. Quidam alii vero distinguunt inter Facultates absolvendi collatas per occasionem, aut intuitu Indulgentiarum, & Facultates aliis de caussis attributas; & primas, non autem secundas, per Annum Sanctum suspensas remanere affirmant, quemadmodum apud Viva *loco cit.* item apud Constantinum *loco pariter citato pag.* 246. *& seqq.* Vanranst. *cit. Opuscul. de Indulgent. quæst.* 5. & apud alios complures videre est, quos hic nominare inutile foret.

Qui primæ adhærent opinioni, quod videlicet Facultates, & Indulta sive intuitu, & occasione Indulgentiarum, sive ob alias rationes concessa, suspensa remaneant, argumentum desumunt ex amplo modo, quo suspensivæ Bullæ conceptæ sunt; item ex eo, quod quædam Facultates, & Indulta a generalitate suspensionum excipi solent; sicut videri potest apud Sorbum, & Rodriguez, quorum sententiæ a Pasqualigo *cit. quæst.* 160. referuntur. Pro hujus autem sententiæ comprobatione magnam habet vim Pontificis Julii III. factum, quod narratur; qui Pontifex, cum per Annum Jubilæi Facultatem absolvendi a Casibus Sedi Apostolicæ reservatis Confessariis illis, qui eam habebant, suspendisset; pro speciali gratia Patribus Societatis Jesu concessit, ut per integrum vertentis tunc Anni Sancti cursum gaudere possent Privilegio absolvendi a casibus Summo Pontifici, & Apostolicæ Sedi reservatis, quod ipsis a Paulo III. non quidem intuitu, aut occasione Indulgentiarum, sed ob alias rationes elargitum fuerat. Ex quo sequitur dicta Privilegia ab ipso Pontifice sub suspensione, quam per Annum Sanctum fecerat, comprehensa fuisse. Factum ab Orlandino in Historia Societatis Jesu refertur, & Phœbei *Tractatu de*

Anno Jubilæi part. 2. cap. 10. pag. 162. Victorelli *in Historia Jubil. Pontific. par. 3. pag. 371.* Alsani *in Historia Anni Sancti pag. 311. & seqq.* Ricii *Tractatu de Jubil. cap. 38.* testimoniis comprobatur.

Qui secundæ opinionis partes tuentur, considerant, Romanos consuevisse Pontifices, quasdam Facultates concedere ad faciliorem Indulgentiarum consecutionem, & ad impedimenta removenda; atque has solas esse, quæ per Annum Sanctum suspensæ intelliguntur; cum ad has suspendendas eos potissimum ducat desiderium, quod habent, ut Fideles ad acquirendas Indulgentias Romam se conferant; verum nequaquam remanere suspensas Facultates absolute, ac non ratione Indulgentiarum, neque ipsarum caussa concessas. Ita, post alios complures, contendit Quarti *in Tract. de Jubil. cap. 3. punct. 2. pag. 219.* Porro Navarrus Bullam Indulgentiarum suspensivam a Gregorio XIII. per Annum Jubilæi publicatam cum exponeret, quamvis facilis ei ad Pontificem aditus pateret, apud quem, & gratia, & existimatione valebat; narrat tamen (*de Jubil. & Indulg. notab. 33. num. 2.*), se, ne illi sæpius molestus esset, egisse cum Præsule tum temporis Datario, viro perito, & qui Pontificiam mentem apprime callebat; eumque interrogasse, num sub generali suspensione Facultates, & Indulta ex aliis caussis, & non ratione, aut per occasionem Indulgentiarum Concessa, comprehenderentur; atque hoc, quod sequitur, responsum tulisse: *Intentionis Sanctissimi Domini Nostri fuisse suspendere solas, & omnes Indulgentias Plenarias, & omnia earum quærendarum caussa Concessa, & Indulta; ita quod nulla Indulgentia, quæ non esset Plenaria, nec ulla Facultas, quæ non esset caussa Indulgentiæ Plenariæ quærendæ concessa, censeatur suspensa.* Alia item similis Clementis VIII. declaratio a Cardinali de Lugo *de Pœnit. disput. 20. sect. 8. num. 145.* refertur.

In hac Controversia, num Breve generalis suspensionis omnium Indulgentiarum, & Facultatum absolvendi a Casibus Sanctæ Sedi reservatis per Annum Sanctum illas tantummodo Facultates comprehendat, quæ respectu Indulgentiarum conceduntur, an vero ad illas etiam extendatur, quæ sine ullo Indulgentiarum respectu concessæ sunt; Nos semper arbitrati sumus, atque arbitramur, diversitatem sententiarum ortam esse, atque oriri ex diversitate verborum, & clausularum, quibus Brevia suspensionis concepta sunt; & ex eo, quod qui scripsit, non animadverterit, suspensiones minime esse uniformes, & quod sub una suspensione comprehendi possunt omnes Facultates absolvendi a casibus reservatis; sub alia vero aliquæ tantum, & non aliæ comprehendi possunt. In Decretali Sixti IV. *Quemadmodum*, qui, sicut supra etiam indicatum est, primus fuit, qui per Annum Sanctum Indulgentias, & Facultates absolvendi a casibus reservatis suspendit, subjecta verba leguntur: *Omnes, & singulas Plenarias, etiam adinstar Jubilæi, &c., deputandi Confessores cum potestate absolvendi etiam in casibus Sedi Apostolicæ reservatis, Facultates, Concessiones, & Indulta a Nobis, & eadem Sede, vel illius auctoritate concessas. . . . suspendimus &c.* Hæc eadem formula a Successoribus illius Alexandro VI., Clemente VII., & Julio III. adhibita fuit in Constitutionibus, in quibus Anni Sancti Jubilæum indixerunt. Nimis generalia verba sunt, neque ulla datur ansa restringendi suspensiones ad Facultates absolvendi, ratione Indulgentiarum, concessas, cum Facultates comprehendere debeat aliis etiam de caussis impertitas. Quare nemini mirum videri debet, si Pontifex Julius III., qui eamdem adhibuerat, Patribus Societatis Jesu potestatem concessit, ut per totum illum, quem ipse celebrabat, Annum Sanctum, a casibus reservatis absolverent, utentes privilegio, quod eisdem a Paulo III. concessum fuerat, quodque ipse prius sub amplitudine suæ suspensionis comprehenderat, quemadmodum etiam paullo ante dictum est.

Hujusce porro formulæ amplitudo ad Gregorium usque XIII. perduravit, qui in suspensione Indulgentiarum, & Facultatum, quam per Annum Sanctum a se celebratum fecit, in hunc, qui sequitur, modum eamdem restrinxit: *De Apostolicæ potestatis plenitudine suspendimus . . . . omnes, & quascumque plenarias, etiam adinstar Jubilæi, & earum caussa, Facultates, Concessiones, & Indulta quæcumque a Nobis, & a dicta Sede, ejusque auctoritate quibuscumque Ecclesiis &c.* Digna observatione verba sunt, *& earum caussa*, cum ab ipsis derivetur, eas dumtaxat Facultates sub Brevi suspensivo comprehensas fuisse, quæ per respectum ad Indulgentias concessæ fuerant; quod quidem, & explicationem a Pontificis Datario editam, & Navarri sententiam, sicut & supra indicatum est, mirifice comprobat.

Restrictiva Gregorii XIII. formula a Clemente VIII. nequaquam servata fuit, qui antiquam rursus amplitudinem assumpsit: *Omnes, & singulas Indulgentias, etiam perpetuas, & peccatorum remissiones, & Facultates, & Indulta absolvendi etiam a casibus Sedi Apostolicæ reservatis . . . . suspendimus.* Hanc autem eamdem rationem Successores illius tenuerunt, qui verba, *& earum caussa*, unde restrictiva oriebatur, omiserunt. Cardinalis de Lugo *loco supra citato* contendit, solum suspensionem Facultatum, quæ ratione Indulgentiarum concessæ sunt, non autem earum, quæ propter alias caussas impertitæ fuerunt, admittendam esse, etiamsi in Brevi suspensivo Clementis VIII. verba, *& earum caussa*, desiderentur, affirmans, ita ab eodem Clem. fuisse declaratum: *Sed idem Pontifex interrogatus dixit, eamdem fuisse intentionem suam, & ad tollendum dubium edita fuit iterum eadem Bulla, additis eisdem verbis*, idest, *earum caussa*. Nos mutationis hujusce nullum documentum, aut indicium habemus; &, posito quod subsisteret, argumento esset, quod nisi in suspensivo Brevi insint verba, *earum caussa*; sub illius amplitudine Facultates absolvendi, tam in ordine ad Indulgentias, quam aliis de caussis concessæ, comprehensæ intelliguntur. Verba *earum caussa* in Brevibus suspensivis Urbani VIII. aliorumque Successorum etiam omissa sunt. Et quamquam supradictus Cardinalis de Lugo in sententia sua persistens, affirmet, quod Breve Urb. VIII. secundum explicationem alteri Brevi Clementis VIII. datam intelligendum sit; animadvertendum tamen est, quod non ita Urbanum declarasse ait, sed ita Cardinalem ipsum opinatum esse: *Quare cum iterum de hoc dubitaretur, æque dixi, non fuisse revocatam Regularium Facultatem.* Et sane cum Regesta Anni Sancti Pontificis Urban. VIII. diligenter evoluta, ac perlustrata sint, nullum inventum est monumentum, quod hanc, de qua agimus, materiam respiciat. Præterea diligenter perlecta sunt Regesta Congregationum, quæ per Jubilæi Annum a Clemente X. celebratum habitæ fuerunt, atque ex ipsis hoc collectum est, eos, qui in illis interveniebant, ejus sententiæ fuisse, ut deficientibus in Brevi suspensivo verbis, *& earum caussa*, Facultates absolvendi, tam in ordine ad Indulgentias, quam aliter concessæ, revocatæ intelligerentur. Et sane maximo studio contenderunt, ut a Summo Pontifice declararetur, sicuti declaratum fuit, ut durante etiam Anno Sancto possent Regulares uti privilegiis proprios subditos absolvendi a casibus reservatis, quod profecto non fecissent, nisi credidissent, sub suspensione Pontificis Clementis etiam Facultates absolvendi, non respectu Indulgenriarum concessas, comprehensas fuisse, cum hujusmodi essent eæ, quas in favorem Regularium præservari postulabant.

Pater Constantini in suo *de Anno Sancto* pluries laudato Tractatu *part. 3. cap. 7. pag. 246.* valde apposite, & ad rem dicit, rem omnem a mente, atque intentione Pontificis pendere. Nos in Constitutione Nostra verba, *& earum caussa*, quemadmodum Gregorius XIII. fecit, non inseruimus. Neque porro in altera Constitutionis Nostræ editione ea verba supplevimus, quemadmodum Cardinalis de Lugo a Clemente VIII. factum affirmat. Persuasum Nobis est, magnam esse vim generalitatis verborum; ideoque protestamur, quod, salvis Facultatibus expresse, ac nominatim exceptis, suspensæ remaneant, durante Anno Sancto, aliæ Facultates absolvendi a casibus Apostolicæ Sedi etiam *in Bulla Cœnæ* reservatis, sive Indulgentiarum caussa, & intuitu, sive ob alias caussas concessæ sint. Et quamquam hoc ad aperiendam, & manifestandam mentem Nostram circa id, de quo agitur, sufficiens esse deberet; nihilominus opportunum, atque expediens esse existimavimus in altera Constitutione Nostra, quæ incipit *Convocatis*, repetere, quod omnes Facultates absolvendi, & dispensandi suspensæ sint, sive eæ Indulgentiarum caussa, & occasione, sive alio quovis titulo, & caussa concessæ fuerint, tum cum de earum Facultatum usu agitur extra Urbem, non tamen Romæ; & item quando agitur de earumdem usu in Sæculares extra Urbem, non tamen quando agitur de illarum usu sive extra Urbem, sive in ea in Regulares Subditos eorum Prælatorum, & Superiorum Regularium, quibus eædem Facultates legitime competere dignoscuntur, quemadmodum etiam superius §. 24. indicatum est.

III.

De Apostolica Constitutione, quæ incipit Convocatis, *signata sub die 25. Novembris 1749.*

§. I.

NOn nostrum hic consilium est de Annis Jubilæi historiam contexere, cum id jam præstitum ab aliis multis sit, & etiam per occasionem Anni Sancti, a Pontifice Benedicto XIII. celebrati, a supra citato P. Alsani Ordinis Prædicatorum. Minime etiam proinde immorabimur in referendo, quomodo a Decessoribus Nostris Pœnitentiarii Minores deputari, & quo numero cœperint, aliique deinde ipsis adjuncti in Basilicis SS. Apostolorum Petri, & Pauli, S. Joannis, & S. Mariæ Majoris, ad eorum omnium audiendas Confessiones, eosdemque ab ipsorum peccatis absolvendos, quicumque ad easdem visitandas accederent Plenariam Indulgentiam consecuturi. Nihil præterea dicemus etiam de deputatione, quæ temporis successu a Cardinali Urbis Vicario fieri cœpit aliorum Confessariorum, qui pro majori Pœniten-

tium

tium commodo in propriis Ecclesiis Confessiones audire possent. Tam Minorum Pœnitentiariorum in Basilicis, quam adjunctorum, quemadmodum item Sacerdotum, qui a Cardinali Vicario eliguntur, deputationem Nos introductam invenimus, atque eam aliis duobus præcedentibus Jubilæi Annis, quos Romæ celebrari vidimus, in more habitam, & receptam Nos vidisse dicere possumus. A Cardinali Pœnitentiario, ex Oraculo Pontificio opportunæ Facultates dabantur Pœnitentiariis Minoribus Basilicarum tam ordinariis, quam adjunctis; eodemque Oraculo a Cardinali Vicario aliquæ Confessariis, quos deputabat, Facultates impertiebantur. Ex hoc autem quædam confusionis, ac perplexitatis species oriebatur, licet variæ identidem Instructiones pro recto usu Facultatum eisdem respective concessarum publicarentur, ac variis Notificationibus solverentur dubia, quæ non semel proponebantur. Nos illud curavimus, ut in unica Constitutione, in ea nimirum, de qua nunc agimus, omnia simul complecteremur. In hac itaque Facultates enuntiavimus, quas Pœnitentiariis Basilicarum minoribus, atque iis, qui tum in ipsis, tum in aliis Urbis Ecclesiis adjunguntur, concedimus, instructiones item pro recto earumdem usu; Facultates, quæ Confessariis a Cardinali Vicario deputatis dantur, & quorumdam dubiorum, quæ alias proposita sunt, declarationes, ut uno, quod ajunt, ictu oculi unusquisque omne id, quod ad adimplendum in futuro Anno Sancto Pœnitentiarii, vel Confessarii, ut supra, deputati ministerium, necessarium est, videre possit. Quare illud unice restat, unumquemque Pœnitentiarium, vel Confessarium deputatum hortari, eique, ut facimus, injungere, ut quantum unicuique eorum conceditur attente legant, ne in propriæ animæ, ac animarum suorum Pœnitentium præjudicium præscriptos auctoritatis limites excedant.

§. II. *De Facultatibus concessis in Constitutione* Convocatis *pro imminente Anno Sancto Pœnitentiariis in ordine ad* Absolutiones *a peccatis, & censuris incursis.*

Duæ in hoc, quod proponitur, themate notabiles res Nobis videntur; una, quæ respicit Pœnitentes; altera, quæ pertinet ad peccata.

Magna ea controversia est, cum aliqui Regulares, tempore Jubilæi Anni Sancti, sive alias dum Jubilæum conceditur, & Pœnitentibus Facultas datur eligendi Confessarium ab Ordinario approbatum, possint confiteri Confessario Sæculari, vel Regulari alterius Ordinis, ab Ordinario pro Confessionibus Sæcularium audiendis approbato, idque sine Superiorum suorum licentia; cum aliquot Religiosæ Communitates, sive Religiones, Privilegia a Summis Pontificibus eisdem concessa habeant, ut non obstante Facultate, quæ occasione Jubilæi conceditur, confitendi Confessario ab Ordinario approbato, vetitum tamen id sit eorum Alumnis, nisi ad id expressus Superiorum suorum Regularium assensus concurrat. Hujusmodi Privilegium a Leone X. Minimis concessum dicitur, ab Alexandro VI. Cisterciensibus, a Sancto Pio V. Prædicatoribus, a Sixto V. Barnabitis. Amplum illud est, quod Gregorius XIII Societati Jesu concessit in Bulla, cujus initium: *Decet Romanum Pontificem*, ubi declarat, *non esse, nec fore umquam mentis nostræ, aut Sedis Apostolicæ, ut personæ Societatis absque expresso Superiorum ejusdem Societatis licentia, utantur Facultatibus, quæ in Jubilæis, Bullis Cruciatæ &c. hactenus concessæ sunt, aut in posterum concedentur, etiamsi in illis expresse indulgeatur, ut omnes Regulares, etiam Mendicantes, hujusmodi Facultatibus uti possint*. Atque hujus Privilegii alii Regulares Ordines participes se debere esse per viam communicationis contendunt, quemadmodum citatus P. Constantini probe animadvertit in suo Tractatu de Jubilæo par. 3. c. 5. §. Secondo che.

Quæstio hæc opere, quod *de Privilegiis Religiosorum* inscribitur, accurate discussa est; quem librum Canonicus quidam Regularis Lateranensis pridem defunctus conscripsit, & P. Eusebius Amort Canonicus item Lateranensis notis diligentibus, & accuratis illustratum novissime in lucem edidit: ibi, *de potestate Regularium eligendi sibi Confessarium num.* 17. *pag.* 750. In prædicto Opere fuse comprobatur, quod a suis Canonicis Regularibus tempore Jubilæi, etiam sine Superiorum suorum licentia eligi possit Confessarius vel Sæcularis, vel Regularis alterius Ordinis ab Ordinario approbatus. P. Viva in Tractatu suo pluries a Nobis allegato *de Jubilæo quæst.* 6. *artic.* 1. de hac quæstione generaliter agit, seque opinionis Regularium libertati contrariæ asseclam facit, opinionem vero, quæ ipsis favet, inter probabiles tantum haberi vult. Natalis Alexander *de Indulgentiis cap.* 3. *regul.* 17. nullam se videre rationem testatur, quare hujusmodi libertas tempore Jubilæi auferri Regularibus possit. Cardinalis Lugo inter Bullam Cruciatæ, & Jubilæum distinguit, dicens, haudquaquam vigore primæ eligi posse a Regularibus Confessarium ab Ordinario approbatum pro Sæcularibus, sine Superiorum suorum Regularium licentia; quod item a compluribus Summis Pontificibus Decessoribus Nostris, & a Nobis in Constitutione Nostra, 100. §. 7. *Bull. Tom.* 1. cujus initium *Apostolica Indulta* stabilitum est; cum Cruciatæ Privilegium, sit Privilegium permanens, quod, si in Religiosis Ordinibus suum haberet vigorem, damno eisdem esset; posse vero a Regularibus eligi supradictum Confessarium vigore Jubilæi, quod Privilegium brevi temporis intervallo durat, quod in favorem est omnium, quodque nemini nocet. Alii vero docent, huic controversiæ locum non esse, quando Regulares conferunt se ad confitendum Pœnitentiariis Minoribus Basilicarum Urbis, sive per Annum Sanctum, sive extra annum Sanctum, tum quia ita palam ab ipsis fit, absque ulla Superiorum suorum licentia, quod tacitam infert Summorum Pontificum permissionem; tum quia, cum hi Pœnitentiarii a Romanis Pontificibus ad omnium Catholicorum sive Sæcularium, sive Regularium Confessiones excipiendas in Basilicis collocati sint, ii Religiosi, qui ad confitendum eisdem accedunt, ad confitendum Sacerdoti a proprio Pastore deputato accedunt, cum Romanus Pontifex Supremus omnium Christi ovium, omniumque Pastorum, earumdem Pastor sit. Eos, qui ita docent, Auctores Rotarius in *Theolog. Moral. Regular. tom.* 3. *lib.* 1. *punct.* 2. *num.* 18. colligit, eorumque sententiæ subscribit. Diffuse id a P. Siro, qui in Lateranensi Basilica tot Annos Pœnitentiarii munus obivit, comprobatur in suo Tractatu *de Facultatibus Minorum Pœnitentiariorum Basilicarum Urbis part.* 1. *c.* 1. *dub.* 6. Nos vero nihil eorum juri detrahentes, verum, ut dici solet, *jura juribus addendo*, ad unicum dumtaxat finem, ut tutiores semper conscientiæ reddantur, inter Facultates, quas, hoc Anno Sancto vertente, Pœnitentiariis Basilicarum concedimus, etiam illam expressimus, ut possint scilicet absolvere *quascumque personas sibi confitentes, etiam Regulares, cujuscumque sint Ordinis, Congregationis, & Instituti, etiamsi ex præscripto Superiorum, vel suarum Constitutionum etiam a Sede Apostolica approbatarum, vel aliàs ex Indulto, Decreto, aut Præcepto Apostolico extra propriam Religionem peccata sua confiteri prohibeantur*.

Atque hæc sunt, quæ ad Pœnitentes pertinent. Quod vero respicit peccata, in Ephemeridibus Joannis Burcardi Cappellæ Pontificiæ Cæremoniarum Magistri, tempore Alexandri VI. in Annalibus Bzovii, & in pluries citata Alfani Historia de Annis Sanctis, *Lib.* 8. *de Anno Sancto* 1500. *Pag.* 244. *num.* 7. 8. & 9. postulationes registratæ sunt, quas S. Petri Pœnitentiarii Pontifici Alexandro VI. occasione Anni Sancti, qui tunc celebrabatur, obtulerunt; inter quas illa registrata est, ut possent absolvere *a peccatis omnibus quantumcumque enormibus*; Pontifex vero in sua Constitutione, quæ incipit *Cum in principio*, eam cum exceptione quatuor casuum concessit, idest conjurationis contra Pontificis Personam, ejusque statum; adulterationis litterarum, & commissionum Apostolicarum; translationis armorum, aliarumque rerum vetitarum ad loca, & regiones Infidelium; & injectionis manuum violentarum in Cardinales, Episcopos, aliosque Prælatos, & Superiores Ecclesiasticos. Eamdem exceptionem a Pontifice Clemente VII. per Annum Sanctum, quem ipse celebravit, eisdem Basilicæ Vaticanæ Pœnitentiariis factam legimus in Constitutione, quam penes Nos habemus, cujus initium *Pastoris æterni*. De prædictis casibus, ac de aliis etiam, mentio est in Constitutione Pauli II. quæ incipit, *Etsi Dominici Gregis*, inter Extravagantes communes sub titulo *de Pœnitentiis, & Remissionibus*; quod quidem quibusdam occasionem credendi, ac scribendi præbuit, non posse Pœnitentiarios Minores Basilicarum per Annum Sanctum a prædictis casibus absolvere. Nos vero ad difficultatem omnem de medio tollendam, aliorum etiam Decessorum Nostrorum exemplo adhærentes, in Constitutione Nostra, de qua in præsens agimus, *num.* IV. Pœnitentiariis prædictis auctoritatem dedimus absolvendi a censuris etiam *in Bulla Cœnæ* Summo Pontifici, & Sedi Apostolicæ reservatis, & insuper *ab omnibus peccatis, & excessibus quantumcumque gravibus, & enormibus*. Præterea vero *num.* XXXIII. illæsas, & in suo vigore per Annum Sanctum alias etiam Facultates remanere declaravimus, quæ ipsis a Cardinali Majori Pœnitentiario concessæ sunt, aut concedentur.

Nequaquam vero, quemadmodum inferius dicetur, concessa umquam intelligitur auctoritas absolvendi ab hæresi ad extrinsecum deducta, etiamsi verba Indulti generalia, ac generalissima sint, nisi hæresis expresse, & individualiter nominetur. In Facultatibus a Nobis, per Annum Sanctum, Pœnitentiariis concessis, casus hæresis ad extrinsecum deductæ expresse *num.* VII. nominatur; ubi tamen Facultas absolvendi a censuris propter hæresim formalem externam incursis intra certos limites restringitur, quos Pœnitentiarius attente animadvertere debet, ne faciat id, quod faciendi auctoritatem non habet.

De Confessario, qui expers remanet auctoritatis absolvendi personam complicem in peccato turpi, & inhonesto contra sextum Præceptum, etiam tempore Jubilæi, inferius dicetur. Hoc interim punctum de Facultatibus absolvendi a peccatis, & censuris, quas Pœnitentia-

riis Minoribus per Annum Sanctum conceduntur, concludimus, eosdem admonendo, & hortando, ut Nostram legant Constitutionem de Facultatibus Majoris Pœnitentiarii, & Officio Pœnitentiariæ; cum ex ejus lectione facile intelligere possint, non obstante amplitudine verborum concessionis, ac etiam quidquid ipsis communicatum fuerit a Cardinali Majori Pœnitentiario, aut in posterum communicetur, interdictum ipsis esse totum id, quod eidem Cardinali in Constitutione interdicitur. Exempli gratia, si Cardinalis Major Pœnitentiarius non potest absolvere *in occultis etiam in foro conscientiæ* eos, qui, vivente Romano Pontifice circa Successoris electionem tractatus inierint, suffragia comparaverint, aut pactiones fecerint; nec eos, qui Astrologia Judiciaria, vel per se, vel per alios, de statu Reipublicæ Christianæ, sive de vita, aut morte Romani Pontificis pro tempore existentis, inquisierint; multo minus eos Pœnitentiarius Minor absolvere poterit. Constitutio incipit: *Pastor bonus*, & ordine 95. est in Bullario Nostro *tom.* I. quæ si rite legatur, & ponderetur, magnam Pœnitentiariis Minoribus in hujusmodi rebus lucem allatura est; quibus præterea notum facimus, ut, si quando aliquis ex prædictis casibus eisdem occurrat, ad Cardinalem Majorem Pœnitentiarium recurrere non prætermittant, cui a nobis opportuna, & necessaria remedia demonstrabuntur, ac præscribentur.

§. III. *De Facultatibus Minorum Pœnitentiariorum circa Vota, contentis in Constitutione* Convocatis.

DUm Jobilæi Annus a Prædecessore Nostro Alexandro Papa VI. celebratus fuit, quemadmodum apud Bzovium *ad Annum Christi* 1500. *num.* 5. videre est, inter alias petitiones, quas Pœnitentiarii Minores Pontifici obtulerunt, ea, quæ sequitur, ordine undecima est: *Commutatio omnium Votorum, dempto Continentiæ, aut Religionis solemni*. Licet autem tunc temporis id illis concessum fuerit, certum tamen est, subsequentibus temporibus nihil aliud facultatis ipsis tributum esse, quam ut omnia Vota simplicia, etiam Apostolicæ Sedi reservata, in alia pia opera commutare dispensando possent.

Quod idem est, ac si dicatur, ipsos potestatem dispensandi in Votis sollemnibus Castitatis, Paupertatis, & Obedientiæ in sollemni Religiosa Professione, sive in Ordinis Sacri susceptione emissis, minime habere. Hæc autem sola sollemnia Vota sunt, quum alia omnia Vota, licet publice facta, simplicia Vota sint, secundum Bonifacii VIII. Decretalem, *cap. unic. de Voto, & Voti redemptione, in sexto*; & communem Auctorum sententiam *apud Pontas in Verbo Votum, in princip.* posse vero e contrario omnia alia simplicia Vota, licet S. Sedi reservata, in alia pia opera, dispensando commutare.

Sanctus Thomas 2. 2. *quæst.* 88. *artic.* 12. *ad tertium* duorum dumtaxat simplicium Votorum Summo Pontifici reservatorum mentionem facit, *Continentiæ, & Peregrinationis Terræ Sanctæ*; idcirco autem duorum prædictorum tantum Sanctum Doctorem mentionem fecisse putandum est, quia suo forsan tempore illa duo solum reservata Sanctæ Sedi fuerant. Crevit postea simplicium Votorum numerus, quæ Pontifici sunt reservata; ea autem, sicut unicuique probe notum est, Vota sunt Religionem ingrediendi, perpetuam continentiam servandi, peregrinationis ad Sanctam Urbem Jerusalem, ad Sanctuarium Sancti Jacobi de Compostella, item ad Urbem Romam visitandi gratia Basilicas Sanctorum Apostolorum Petri, & Pauli; sive id ex consuetudine ortum sit, sive ex subsequenti Canonica dispositione Sixti Papæ IV. registrata in cap. *Et si Dominici cap.* 5. *de Pœnit. & remiss. inter Extravagant. communes*. Alii sunt, qui inter Vota Summo Pontifici reservata, Votum adjungunt visitationis Sanctæ Domus Lauretanæ, verum hujusce rei nulla probatio occurrit. Alii denique in hac Classe omnia perpetua Vota reponunt; id quod errori locum præbere potest, nisi aliquid addatur; propositio enim intelligi debet de solo Voto perpetuo, quo quis Episcopatum acceptans, obligationem suscipit animarum sibi commissarum curam retinendi, juxta Responsum Innocentii III. *in cap. nisi cum pridem, de renuntiatione*, ac probatiorum Theologorum Doctrinam, quemadmodum apud Sylvium *in* 2. 2. *D. Th. quæst.* 8. *artic.* 12. *conclus.* 2. videre est.

Super eo, quod hactenus dictum est, nulla, quod sciamus, extitit Controversia. Controversia autem, quæ alias excitata est, ea fuit, num videlicet Pœnitentiarius, qui facultatem absolvendi *a* Votis simplicibus habet, etiam de quinque Sedis Apostolicæ reservatis loquendo, possit hac auctoritate uti, quando Vota juramento confirmata sunt. Quod quidem alii eum posse crediderunt, docente Sancto Thoma 2. 2. *quæst.* 89. *artic.* 8. arctius esse vinculum Voti, quam juramenti, ac proinde, cum Pœnitentiarius auctoritatem habeat absolvendi *a* Voto, dici debere, eumdem habere etiam auctoritatem absolvendi a Voto per juramentum confirmato. Alii autem contra sentiunt; quia, cum in Voto per juramentum confirmato, duo diversa vincula insint, alterum, quod oritur ex Voto, alterum quod ex juramento; qui habet auctoritatem solvendi unum, non habet item auctoritatem alterius dissolvendi, nisi individualiter eidem concedatur; cujus rei argumentum desumitur ex eo, quod qui per vim coactus Votum fecit, non tenetur illud adimplere; verumtamen ad idem implendum obligatur, si ipsum juramento confirmaverit; similique ratione, si quis promisit solvere usuras, non tenetur eas solvere, cum tamen ad earum solutionem adstringatur, si promissionem juramento confirmaverit: juxta Decretalem: *Debitores, de Jure jurando*.

Eorum Auctorum nomina, qui tam pro una, quam pro altera stant opinione, videri possunt in Leandro *part.* I. *Tractat.* 5. *de Sacramento Pœnitentiæ disput.* 14. *quæst.* 101. Azorius porro *Institut. moral. tom.* I. *lib.* 11. *cap.* 10. *quæst.* 2. utriusque opinionis fundamenta refert, atque ad extremum illi adhæret, quæ habenti auctoritatem absolvendi *a* Votis, potestatem denegat id faciendi, tum cum Vota juramento confirmata sunt. P. Sirus *de Facult. Minor. Pœnitent. part.* I. *cap.* 6. *dub.* 4. Facultatem ad commutanda Vota concessam, Vota etiam Jurejurando confirmata comprehendere affirmat. Nos autem ad omnem controversiam removendam, inter Facultates Pœnitentiariis Minoribus pro Anno Sancto concessas, §. 8. hujusce Constitutionis nostræ, illam etiam auctoritatem dedimus, non solum ut possent Vota simplicia, etiam S. Sedi reservata, in alia pia Opera, dispensando, commutare; verum & illud adjecimus, ut id ipsum circa illa Vota facere possent, quæ Jurejurando confirmata sunt: *Omnia, & singula simplicia Vota etiam Sedi Apostolicæ reservata, etiam jurata, commutare, dispensando, possint in alia pia opera*; quod quidem a Nobis etiam in citata Constitutione: *Pastor bonus*, super Facultatibus Cardinalis Majoris Pœnitentiarii, factum est, in qua agendo de auctoritate, quæ ipsi concedebatur, Vota simplicia S. Sedi reservata in alia pia Opera, dispensando, commutandi, verba, quæ sequuntur, adjecimus: *tametsi privato juramento confirmata*. Pro exemplo nobis fuit circa præmissa, id quod a Prædecessore Nostro Gregorio Papa XIII. erga PP. Societatis Jesu præstitum fuit. Horum Confessariis Ordinariis ab eorumdem Superioribus deputatis, & ab Ordinariis approbatis Paulus III. Facultatem commutandi Vota concesserat, iis exceptis, quæ S. Sedi reservata erant; cum vero dubitatum esset, num prædicta Facultas Vota comprehenderet juramento confirmata; Gregorius XIII., salva Pauli III. exceptione, auctoritatem etiam ad Vota jurata extendit, sicut in Compendio Privilegiorum eorumdem *in verb. Commutatio* §. 1. videre est.

Operæ pretium est hic animadvertere, quod Facultates, de quibus hactenus pertractatum est, non sunt Facultates commutandi simpliciter, & absolute, verum *commutandi dispensando*; cum commutatio, & dispensatio, res inter se diversæ sint. Nam dispensatio obligationem Voti tollit, sine ulla alia subrogatione; at simplici commutatione non extinguitur obligatio Voti, verum materia Voti transfertur in aliam materiam, quæ ipsi subrogatur. P. Sirus in suo Opere superius allegato *part.* I. *cap.* 6. *dub.* 2. observat, totum id, quod Pœnitentiario Facultatis attribuitur, in commutatione mixta cum aliqua dispensatione consistere; quodque, sicut sola, ac simplex commutatio subrogationem exigeret in materiam majorem, aut saltem æqualem, sic commutatio mixta cum dispensatione, capax est alicujus moderatæ inæqualitatis inter materiam Voti, & materiam subrogatam: *Ut principale*, scribit præfatus Auctor, *ponitur* Commutare, *& ut accessorium jungitur* Dispensando, *ita ut esse debeat essentialiter commutatio, quæ de sui natura est in majus, vel in æquale, & per accessoriam dispensationem a rigore naturæ suæ aliquantisper recedat: ergo moderata & non exorbitans, debet esse inæqualitas materiæ subrogatæ in commutatione Voti; cum accessoria dispensatio sequi debeat naturam sui principalis, scilicet commutationis, ejus naturam non multum immutando; ne quod accessorie ponitur, locum habeat principalis, nempe plus dispensando, quam commutando, quod esset contra intentionem Pontificis, qui facultatem dat Pœnitentiario, ut possit dispensando commutare, non commutando dispensare*.

Permultum ad rem, de qua agimus, duo illa faciunt exempla, quorum alterum Pontificis est Alexandri III. in sua Decretali: *Venientis, de Voto*, in qua valde gravibus de caussis Clericum dispensat, qui Voto se obstrinxerat Hierosolymam proficiscendi ad Christi Domini Sepulcrum invisendum; Votum tamen in Eleemosynas commutans, eique injungens, ut per totum vitæ suæ tempus propriis sumptibus *tam in victu, quam in vestitu* pauperem aleret, dummodo tamen ejus facultates ad onus hoc ferendum non impares essent. Alterum vero est Innocent. III. in Decretali: *Magnæ, eod. Tit.* in qua Episcopum Trecensem ab adimplendo Voto dispensat, quod, licet improvide, fecerat Hierosolymam se conferendi, eidem injungens, *ut omnes expensas, quas fuerat in eundo, morando, & redeundo facturus, alicui Reli-*

giofo

gioso committat in necessarios usus Terræ illius, idest Terræ Sanctæ, *sine diminutione qualibet transferendas*; tum autem labori, quem in itinere sustinere debuisset, aliorum laborum augmentum subrogans, quos, ut pro servitio gregis sui susciperet, mandavit: *Labores etiam laboribus recompenset, sollicitius instando vigiliis, devotius vacans orationibus, & jejuniis fortius se exercens, ac super grege suo vigilans sollicitudine Pastorali.*

Verba ista, quæ non simplicem tantum commutationem, verum *commutationem cum dispensatione conjunctam* indicant, non solum ad bonam regulam super dispensatione, & commutatione Votorum in alia pia Opera, utilia sunt; sed etiam difficultati, quæ oriri poterat, quæque alias inter Auctores exorta est, occasionem præcludunt; quæ quidem difficultas ex eo originem habuit, quod vel solum verbum *commutatio*, vel solum verbum *dispensatio* adhibitum sit; cum alii quidem contenderent, quod potestas commutandi Vota non ferat secum potestatem super ipsis dispensandi, cum commutatio, ac dispensatio sint actus, quemadmodum dictum est, omnino distincti; alii vero docerent, quod nec ex facultate quidem concessa super Votis dispensandi, alia commutandi potestas deduci possit; cum de potestate delegata agatur; quæ semper intra præcisos limites in litteris Delegationis præscriptos restringi debet. Ita cum aliis multis Pignatellus *in suo Tract. de Anno Sancto cap.* 19. *dub.* 2. & 3. ratiocinatur. Neque tandem defuere, qui de Anno Sancto agentes; docuerunt, concessam intelligi Facultatem commutandi, ac dispensandi in Votis, etiamsi neutra expressa foret. Verum hujusmodi opiniones communiter reprobatæ, ac rejectæ sunt, quemadmodum apud P. Viva *de Jubilæo quæst.* 12. *art.* 1. *num.* 2. & apud Constantinum *de Jubilæo Anni Sancti part.* 3. *cap.* 1. §. Potrebbe, *cum multis aliis seqq.* videre est. Quibus etiam præclusa opportune via est per nominata sæpius a Nobis verba *commutare dispensando* in supradicto §. 8. *ac sequentibus* insertas.

§. IV. *De Facultatibus super* Dispensationibus, *quæ continentur in Constitutione*: Convocatis.

Qui aliqua Canonicis Juris, ac Moralis Theologiæ vel mediocri cognitione imbutus est, duas hasce controversias procul dubio non ignoraverit; quarum una est, num sub nomine Censuræ comprehendatur Irregularitas, quæ oritur ex delicto; altera vero, utrum qui censuram incurrit, idest aut excommunicationem, aut suspensionem, aut interdictum, cum sit in Minoribus Ordinibus constitutus, susceptos Ordines sollemniter exercens, incurrat irregularitatem. Oritur prima quæstio ex intelligentia Decretalis: *Quærenti, de verbor. significat.* ubi interrogatus Summus Pontifex, quid sub censuræ nomine comprehendatur, respondit, quod comprehenditur interdictum, suspensio, & excommunicatio; quo non obstante, Gonzalez *in commentar. ad dict. textum* contendit, quod sub nomine censuræ etiam irregularitas ex delicto comprehendatur. Contrariam tamen sententiam tuentur Suarez, Molina, Trullengus, Filliucius, Reginaldus, aliique complures. Altera vero controversia oritur ex Decretalibus, quæ leguntur sub tit. *de Clerico excommunicato, deposito, vel interdicto ministrante*, in quibus etiamsi legatur, quod qui ligatus excommunicatione minori celebrat, graviter peccat, sed non incurrit irregularitatem; quæ tamen incurritur ab eo, qui excommunicatione majori ligatus, Sacerdos cum sit, celebrat, vel in ordine Subdiaconatus, vel Diaconatus constitutus, Subdiaconi, aut Diaconi functiones exercet, dummodo sciat, se incurrisse in censuram, aut non ignoret ignorantia crassa, supina, aut erronea; nulla tamen ex iis est, quæ de Clerico excommunicatione majori excommunicato, non in Sacris Ordinibus, sed in Minoribus constituto, loquatur, & quæ eum irregularem declaret, si susceptos Ordines sollemniter exercet. Navarrus, Avila, cum aliis multis ejus sententiæ sunt, quod in prædicto casu Irregularitas non incurratur. Contra vero Pirhing. *ad lib.* 5. *Decretal. tit.* 27. §. 6. Anacletus *ad eumdem titulum Decretal. num.* 21. & 22. & Fagnanus *in cap.* Si quis Presbyter *a num.* 2. *usque ad fin. de Clerico excommunicato ministrante*, eumdem Irregularitatem incurrere affirmant; atque hic quidem postremus, talem esse Pœnitentiariæ, & Congregationis Concilii sententiam adjungit.

Ex hisce controversiis dubia duo exoriri poterant: primum, utrum cum Pœnitentiariis *num.* IV. Facultas absolvendi *a quibuscumque sententiis excommunicationis, aliisque Ecclesiasticis censuris* attributa sit, concessa etiam ipsis intelligeretur auctoritas absolvendi *in occultis*, & quoad forum conscientiæ, ab irregularitatibus *ex delicto* contractis, excepta tamen illa semper, quæ provenit ex homicidio voluntario; quoniam juxta quorumdam opinionem irregularitates *ex delicto* sub Censuræ nomine comprehenduntur. Alterum autem, num, cum data esset Minoribus Pœnitentiariis Facultas absolvendi Sacerdotes, & alios in Sacris Ordinibus constitutos, ab irregularitate contracta *ob violationem censurarum*, pro illis etiam data intelligeretur, qui sunt in minoribus Ordinibus constituti.

Gonzalez in Commentariis ad citatam Decretalem *Quærenti, de verbor. significat.* Licet opinionis eorum assecla sit, qui sub Censuræ nomine irregularitatem ex delicto comprehendi volunt; attamen protestatur, quod si per Jubilæum Facultas datur absolvendi ab omnibus censuris, non illa intelligitur concessa absolvendi ab irregularitate *ex delicto*, quum hæc speciali mentione digna sit, & difficilius remitti consueverit. Ad omnes hasce disputationes evitandas, duæ classes constitutæ sunt, altera Censurarum, altera Irregularitatum. In priori verbum *absolutionis* adhibitum est, in posteriori vox *dispensatio*, cum hæc propria loquendi forma sit ex Sacro Concilio Tridentino desumpta *sess.* 24. *cap.* 6. *de Reform.* Ex quo quidem satis manifestum fit, quod, quidquid sit de ea controversia, num sub nomine censuræ irregularitas *ex delicto* comprehendatur, cum Nos censuras ab irregularitate separaverimus, cumque, respectu irregularitatis, Pœnitentiariis minoribus non nisi Facultatem dederimus dispensandi ab irregularitate *ob violationem censurarum*, idque per vocem *dumtaxat*, hinc alia omnis irregularitas, sive ex delicto, sive ex defectu, excluditur. Et quamquam ibi non nisi Sacerdotes, & in Sacris Ordinibus constituti nominentur; unusquisque tamen per se satis intelligere potest, si, eo concesso, quod est majus, concessum intelligitur quod minus est, nequaquam vetitum esse Pœnitentiariis, quibus data est facultas dispensandi, cum Sacerdotibus aut in Sacris Ordinibus constitutis, super occulta irregularitate *ob violationem censurarum* contracta, quo minus eadem facultate utantur cum Clericis, qui in minoribus Ordinibus sunt constituti.

Sequuntur aliæ Facultates dispensandi in foro conscientiæ, & in casibus occultis, quæ Minoribus Pœnitentiariis occasione Jubilæi conceduntur. Quod vero ad hasce pertinet, nihil aliud hic inculcandum est, nisi ut ab eisdem attente consideretur, quam ipsis, & quibus terminis conclusam concedatur, ne de ministerio suo in præjudicium animarum suorum Pœnitentium male gesto ante Dei Tribunal rei fiant.

Facile evenire potest, ut Advenæ, qui consequendi caussa Indulgentiam Anni Sancti sese Romam contulerunt, sive ob magnam paupertatem, sive alia urgenti de caussa, tamdiu morari non possint, ut quindecim visitationum Basilicarum numerum compleant; quemadmodum fieri etiam potest, ut Romani, aut alii Urbis incolæ, sive ob morbum, sive ob aliud legitimum impedimentum, easdem Basilicas per vices triginta visitare non possint. Hac de caussa n. XX. Constitutionis Nostræ novissime indicatæ, Pœnitentiariis Minoribus auctoritas est attributa, quoad Advenas, quindecim visitationes Basilicarum ad tres saltem reducendi, aut visitationes ipsas in alia pia opera commutandi; quo autem ad Romanos, certosque Urbis incolas, sequenti num. XXI. concessa ipsis auctoritas est triginta visitationes in alia pia opera commutandi, quæ ab impeditis adimpleri possint, ipsorum Pœnitentiariorum conscientiam onerando, ne prædictis Facultatibus abutantur.

Hujusmodi autem auctoritas, tum quoad Romanos, tum quoad Advenas, ad visitationes Basilicarum restringitur, ac proinde ad alia opera injuncta, nec potest, nec debet extendi, exempli gratia ad Confessionem, ad Communionem, aut etiam ad preces, quæ a Basilicarum visitatione separari possunt: Quapropter controversiæ illi, ac disputationi, quæ inter Doctores habetur, non est amplius locus, num videlicet in Jubilæis, injuncta Confessionis, & Communionis opera etiam quoad personas Sacræ Communionis capaces, in alia pia opera commutari possint. De hac controversia tractant Cardinalis de Lugo *Disput.* 27. *de Pœnitent. sect.* 7. *num.* 118. *tom.* 1. Leander *de Sacram. Pœnit. tract.* 5. *quæst.* 95. La Croix *lib.* 6. *part.* 2. *de Indulg. num.* 1442. Constantinus in suo de Anno Jubilæi Tractatu *part.* 3. *cap.* 4. *pag.* 204. *& seq.* animadvertit, quod cum Facultas commutandi ad visitationes Basilicarum restringatur, non solum ea ad commutationem aliorum operum injunctorum, sicut modo innuimus, extendi non potest; verum ulterius quod commutatio ipsa, nequaquam fieri debet in alia opera, licet pia, ad quæ pœnitens ex alio titulo esset obligatus. Quæstio sane inter Scriptores est, utrum quis Indulgentiam consequi possit, opera aliqua faciendo, ad quæ ex alio titulo obligatur. Exempli gratia, utrum, cum inter opera injuncta eleemosyna præscripta sit, sufficiat ad consequendam Indulgentiam, pro eleemosyna tantum pauperi dare, quantum quis eidem jam dare teneretur ratione justitiæ; sive posito, quod quis, vigore alicujus Testamenti, aliquid in subsidium pauperum erogare teneretur, an is, hujusmodi faciendo eleemosynam, possit eam habere pro implemento illius, quæ inter opera sibi ad consequendam Indulgentiam injuncta comprehensa foret. In hac quæstione, sicut in ceteris omnibus, alii affirmant, alii negant; quemadmodum apud Ben-

zonium *de Anno Jubilæi lib. 5. dub.* 30. videre est. Sed illa verior opinio esse videtur, quod acquiri nequeat Indulgentia per opus, ad quod præstandum ex alio titulo quis obligatur, nisi qui Indulgentiam concedit, nominatim dicat, quod per prædictum opus acquiri possit; id etiam sæpe contingit, cum inter injuncta opera trium dierum jejunium præscribitur, ac dies nominatim indicando, exempli gratia dicitur, quod esse debeant tres dies quatuor temporum Septembris. Ita cum aliis multis Passerinus *de Indulgentiis quæst.* 41. distinguit, cum quo P. Theodorus *de Indulgentiis tom.* 1. *cap.* 10. *art.* 6. concordat. Verùm, etiamsi id in ipsis, quas expressimus, rerum circumstantiis locum habeat; non tamen ad præsentem rem nostram applicari potest, in qua de commutatione visitationum Basilicarum in alia pia opera sermo est; cum hæc commutatio non possit fieri in alia pia opera, ad quæ pœnitens ex alio titulo obligaretur. Agitur enim de subrogatione; & cum constanti regula habeatur, id quod subrogatur, ejusdem qualitatis, ac naturæ esse debere, cujus est opus ipsum, cui fit subrogatio; sequitur inde, quod, quoniam visitatio Basilicarum non erat opus, ad quod præcepto ullo quis obligaretur, sed novum onus ad consequendam Indulgentiam impositum, ejusdem speciei ac naturæ esse debet etiam opus, quod in locum ipsius subrogatur.

Ita sapienter differit Constantinus *loco citato*, qui quidem illud etiam adjungit, nequaquam licitum esse Pœnitentiariis, salva eorum conscientia, numerum visitationum Basilicarum imminuere, aut in alia pia opera commutare, nisi impedimentum vere adsit, aut moralis impotentia visitationes prædictas faciendi.

Universam hanc materiam S. Caroli Borromæi monito absolvamus, quod in suis Instructionibus ad Confessarios §. 16. habetur: ipsa Sancti Cardinalis verba apponimus, quæ quidem ad propositum nostrum, tam quoad Facultates super dispensationibus, quam quoad eas, quæ commutationes Votorum respiciunt, sufficientia fuissent, nisi diversitas, ac multiplicitas sententiarum inter scriptores, rem Nos fusius persequi coegisset: *Confessarius, qui aliquod Privilegium, Facultatem, & Auctoritatem habet illorum Vota commutandi, qui sibi confitentur, nequaquam illa commutet, nisi in majora alia pia opera, & quæ Deo gratiora sint, aut saltem æqualia, diligentem rationem habens expensarum, laborum, aliarumque incommoditatum, quas sustinuissent, si Vota sua adimplessent. Præterea si Facultates habent per Jubilæa, aut Privilegia Litteris Apostolicis concessa, absolvendi a peccatis licet enormibus, & pœnis, ac censuris Ecclesiasticis, illud tamen advertant, non habere se potestatem dispensandi cum illis, qui in irregularitatem incurrerint, nisi in prædictis Litteris Apostolicis expressa hujusce rei mentio fiat.*

§. V. *De Monitis in contentis constitutione* Convocatis, *quæ necessaria sunt Pœnitentiariis Minoribus, ut Facultatibus sibi concessis rite utantur.*

Inter Monita, quæ num. XXIII. incipiunt, primum pertinet ad Sacerdotem, qui pro audiendis Confessionibus approbatus, confessionem excipit personæ secum complicis in peccato turpi & inhonesto contra sextum Decalogi præceptum, eamque absolvit. Alio tempore inter Auctores controversia erat, utrum hujusmodi absolutio valida foret, & communis opinio stabat pro ejusdem validitate, cum nulla esset lex, quæ illius invaliditatem induceret. Quæstio item erat, num absolutio licita esset; atque opinio communis ad licitum propendebat; quoties non minus Pœnitens, quam Confessarius commissum peccatum abhorrerent, neque novi consensus periculum subesset.

Episcopi animarum sibi commissarum boni regiminis studiosi, considerantes, rem hanc, quidquid de ea abstracte, & in cathedra dici possit, in praxi minime bonam, sed potius perniciosam esse, cœperunt in Synodis subtrahere Confessariis, licet a se approbatis, jurisdictionem absolvendi personas sibi complices in peccato contra sextum Decalogi præceptum commisso. Postea vero, cum Deo placuisset, Nos sine nostro ullo merito ad Summum Pontificatum evehere, Nobiscum instanter agere non destiterunt, ut generali Constitutione huic inconvenienti opportuna remedia adhiberemus.

Facti hujusce historia a Nobis in nostro Tractatu *de Synodo lib.* 7. *cap.* 14. refertur. Tunc publicata fuit a Nobis Apostolica Constitutio, quæ incipit: *Sacramentum Pœnitentiæ*, 20. *Bull. tom.* 1. in qua quemcumque Confessarium omni auctoritate, ac jurisdictione absolvendi personam complicem in peccato turpi & inhonesto contra sextum Decalogi præceptum privavimus, adeo ut absolutio ab eodem data nulla, atque invalida remaneat, tamquam ab eo data, qui a Nobis jurisdictione ad absolvendum necessaria in eo casu privatus est.

Casum articuli mortis, & in quo nullus alius esset Sacerdos, qui personæ moribundæ confessionem audire posset, excepimus: exinde vero aliam Constitutionem, cujus initium: *Apostolici muneris* 120. *Bullar. tom.* 1. publicavimus, in qua explicantes casum articuli mortis, & in quo nullus, præter Sacerdotem complicem, adesset, qui pœnitentem personam moribundam absolvere posset, adjunximus, quod in dictis circumstantiis posset complex absolvere, etiamsi alius esset Sacerdos, cui tamen si moribundus confiteretur, posset exinde infamia, aut scandalum in Sacerdotis complicis, aut personæ pœnitentis præjudicium redundare; dummodo infamia esset vera, & scandalum etiam esset verum, & non Sacerdotis complicis prætextus esset. Huic porro onus imposuimus omnem diligentiam adhibendi ad infamiam, & scandalum removendum. Præterea non minus Sacerdoti complici, qui vel extra mortis articulum confessionem excipit Pœnitentis, eumque absolvit, vel qui in articulo mortis absolvit, cum alius Sacerdos non desit, sive qui, cum alius sit Sacerdos, sibi fingit; quod si Pœnitens illi confiteatur, infamia, aut scandalum inde oriturum sit, & ideo ejus confessionem excipit, atque eum absolvit, Excommunicationis majoris pœna a Nobis in citatis Constitutionibus imposita fuit, cujus absolutionem Nobis solis, ac Successoribus nostris reservavimus.

Cessant itaque per has leges a Nobis editas quæstiones illæ veteres, num absolutio a Sacerdote complice Pœnitenti socio in peccato contra sextum Decalogi præceptum data, valida, an invalida, licita, an illicita sit. Et quia quo tempore citatam nostram Constitutionem; *Sacramentum Pœnitentiæ* condidimus, consideravimus, quod cum occasione Jubilæorum ampla Confessariis Facultas detur excipiendi confessiones, & a quolibet enormi peccato absolvendi, institui quæstio potuisset, num forsan pro tempore Jubilæi restituta esset Confessario complici Facultas socium Pœnitentem absolvendi; in dicta Constitutione declaravimus, quod cum ipse a Nobis jurisdictione complicem absolvendi privatus sit, adeoque ob id tamquam Confessarius legitimus, & approbatus haberi non debeat, hinc est quod in quocumque Jubilæo censendus est in eodem gradu remanere, inhabilitatus nimirum, & exutus auctoritate complicem in peccato turpi, & inhonesto absolvendi. Atque ad hæc respicit primum ex Monitis, de quibus hic agimus.

Una cum Monitis Instructio pro Pœnitentiariis prosequitur; In hac vero, generali regula præmissa, qua præscribitur, non posse Pœnitentiarios uti Facultatibus, quæ ipsis per Annum Sanctum conceduntur, nisi cum iis Pœnitentibus, qui serium Jubilæi acquirendi consilium, & propositum habent, & qui ad injuncta opera pro ejusdem consecutione adimplenda parati sunt; ad alia duo puncta stabilienda gradus fit, quorum alterum est, quod non possunt ullam, aut commutationem, aut dispensationem concedere extra Sacramentalis Confessionis actum, aut extra eas Basilicas, & Ecclesias, in quibus ad audiendas confessiones destinati sunt; alteram, ne intuitu laudabilis propositi, quod Pœnitens habeat adimplendi opera injuncta, ac Jubilæum consequendi, salutarem pœnitentiam eidem in confessione imponere prætermittant.

Quod ad generalem regulam attinet, satis clara ratione innititur, quod in ea constitutum est: etenim si omnes, quæ tribuuntur Facultates, ad Jubilæi consecutionem directæ, ac veluti ipsius præparatio sunt, clare inde consequitur, illarum usui minime locum esse, nisi cum eo, qui & ad consequendum Jubilæum præparatus sit, & certum habeat propositum adimplendi opera ad ejusdem acquisitionem injuncta: *Gratia non conceditur, nisi in ordine ad hunc finem, & per modum præparationis ad effectum Jubilæi; ergo, qui non habet animum implendi, & obtinendi Jubilæum, non potest gaudere Facultate.* Verba sunt Suarez *de Relig. tom.* 2. *lib.* 6. *cap.* 16. *num.* 6. de commutatione votorum agentis; qui quidem paullo post quæstionem illam examinans, an scilicet in pristinum redeat vinculum Voti Jubilæi tempore commutati, tum cum Pœnitens, licet quando confessus fuit, ad accipiendum Jubilæum dispositus, ac paratus esset, omittit postea opera ad ejusdem consecutionem injuncta adimplere, de qua re posterius agetur; docet *ibi num.* 11. quod, si in commutatione illarum non inest pactum injuncta ad Jubilæi consecutionem opera adimplendi, implicitum tamen pactum interdicit, *Dico, licet non probetur pactum explicitum, sufficienter probari implicitum quasi intrinsece, & ex natura rei, inclusum in tali actione seu ministerio, ut recte, & fideliter fiat; nec videtur dubium, quin hæc sit præsumpta intentio Pontificis talem Facultatem concedentis.*

Verum, si clarum est id, quod in præmissa regula continetur, non ita tamen dici poterat, ante Declarationem nostram, de priori illa lege, qua Pœnitentiarii astringuntur, ut propriis Facultatibus in actu Sacramentalis Confessionis, non autem extra ipsum, utantur. In Facultatibus, quæ tempore Jubilæi Pœnitentiariis attributæ sunt, multa continentur; videlicet absolutio a peccatis reservatis, & censuris, auctoritas Vota dispensando commutandi, potestas denique dispensandi in aliis etiam materiis extra Vota, sicuti nuper dictum est. Sane quod attinet ad absolutionem a casibus reservatis, manifestum qui-

quidem est, ipsam extra Sacramentalem Confessionem dari non posse. De absolutione autem a Censuris, dubitatum est inter Auctores, num ea extra Sacramentalem Confessionem dari posset. Sanchez id eo casu fieri posse existimavit, cum in concessione Facultatis apposita non est Clausula *coram Confessionibus diligenter auditis*, aut alia, quæ huic æquivalens sit, quemadmodum in ejusdem Operibus videre est *lib. 8. de Matrimon. disp. 34. num. 30.* Alii vero tutiorem opinionem sequentes, putarunt, non posse extra Sacramentalem Confessionem dari absolutionem a Censuris, cum Facultas absolvendi a Censuris detur, tamquam prævia dispositio ad absolutionem a peccatis; & hæc sententia est Suarez, Vasquez, Filliucii, Navarri, cujus sententiam sequitur Viva *de Jubilæo quæst. 10. num. 4.* Quod vero ad commutationem Votorum spectat, Constantinus in suo de Anno Jubilæi Tractatu *part. 3. cap. 3. pag. 192.* contendit, eamdem per Anni Sancti Jubilæum dari posse ab eo, qui Facultatem habet, etiam extra Sacramentalem Confessionem, cum in Notificationibus per præteritos Annos Sanctos publicatis non legerit clausulam *earum Confessionibus diligenter auditis*; cumque nequaquam eidem videatur, commutationem Votorum ullam ad Pœnitentiale Forum relationem habere, neque ea natura sua, neque ea voluntate concedentis commutandi Facultatem. Alii denique illius clausulæ *auditis Confessionibus* nullam omnino rationem habent; & quamvis ea apposita fuerit post Facultatem absolvendi a casibus reservatis, & a censuris, atque etiam post auctoritatem Vota commutandi, & quasdam dispensationes concedendi, ideoque omnes res præcedenter expressas comprehendere debere videatur; docent tamen, eamdem ad solam absolutionem a casibus reservatis, sive ad absolutionem a censuris referri debere, pro quibus specialis ratio militat ex earum natura desumpta; numquam vero ad commutationes Votorum, aliasque dispensationes, pro quibus locum non habet ratio, quæ propria est absolutionis a casibus reservatis, & a censuris. Ita sute Bonacina *Oper. Moral. tom. 2. disp. 4. circa secundum Decalogi præceptum quæst. 2. punct. 4. §. 2. num. 16.* Leand. *part. 1. tract. 5. de Sacram. Pœnit. disp. 14. de Indulg. quæst. 97.* Diana in *edit. coord. tom. 7. tract. 1. res. 300. num. 7.* Giribaldus *Tract. 7. de Sacram. Pœnit. cap. 21. de Jubilæo dub 6. num. 42. & seqq.* ratiocinantur. Nos vero ad omnem difficultatem tollendam, in Instructione injunximus, non posse a Pœnitentiariis ullas absolutiones, commutationes, ac dispensationes dari *extra actum Sacramentalis Confessionis*; idque Nobis, & congruum esse, & materiæ gravitati, ac moderni qualitati conveniens visum est, atque præterea omnem controversiæ ansam eripit, & conforme est praxi Pœnitentiariæ nostræ Apostolicæ, quemadmodum in Thesauro *de pœnis Eccles. par. 1. cap 22.* videre est.

Alterum subsequitur punctum, quod respicit salutarem pœnitentiam a Confessario imponendam cuicumque personæ, quæ illi confitetur ad hoc, ut se ad Jubilæi acquisitionem disponat. Non hic de celebri illa quæstione agitur, quæ inter Theologos est, num ad consequendum Indulgentiæ fructum, sufficiens sit, rite primum confiteri, mox impositam a Confessario pœnitentiam adimplere, & injuncta Opera exacte, ac fideliter exequi; an ulterius opus sit, animum habere promptum, ac paratum ad dandam Divinæ Justitiæ, pro eo quantum facultas erit, per alia pœnalia opera, satisfactionem. Præsens quæstio ulterius etiam progreditur, dum ipsam Pœnitentiam respicit, quæ a Confessario imponitur illi, cujus excipit Confessionem ad Jubilæum consequendum præparatoriam; nec enim defuerunt, qui contenderint a Confessario, occasione Jubilæi, non solum leviores pœnitentias imponi posse Pœnitenti, quem animo comparatum agnoscat ad consequendam Plenariam Indulgentiam, verum etiam pœnitentiæ ejusdem impositionem omitti. Talis sententia est Cardinalis de Lugo *de Pœnit. disp. 27. sect. 2. n. 30.* Dianæ *in edit. coordin. tom. 1. tract. 6. resolut. 10. numer. 2.* & aliorum complurium. Alii inter pœnitentias satisfactorias, ac pœnitentias medicinales distinctionem fecerunt, docentes, quod Pœnitens, qui Jubilæum consecutus est, non teneatur ad exequendas pœnitentias satisfactorias, obligetur tamen ad solas medicinales, quemadmodum apud Viva *de Jubilæo quæst. 5. art. 2.* apud Constantinum *Tract. de Anno Sancto par. 1. cap. 4. §. il seconda*, & Leandrum *part. 1. tract. 5. disp. 9 quæst. 82.* videre est. Alii porro Pœnitentem a medicinalibus etiam pœnitentiis a Confessario injunctis eximunt, dummodo ad evitanda peccata absolute necessariæ non sint, in quo quidem rerum statu obligatio ipsas adimplendi non ex auctoritate Confessarii, sed ex Jure naturali provenit, sicut apud Cardinalem de Lugo *de Pœnit. disp. 27. sect. 2. num 21. & pluribus seqq.* Leandrum *tom. 1. tract. de Sacram. Pœnit. quæst. 172.* & Dianam in *edit. coord. tom. 5. tract. 1. resol. 201. num. 4.* Contra prædictas assertiones non defuere Theologi, qui fuse scriberent, inter quos Juvenin *Tract. Hist. Dogmat. de Sacram. assert. 13. quæst. 4. cap. 4.* Pontas in *Diction. Moral. in verb. Jubilæum cas. 10.* ac novissime P. Amort *in Histor. Indulg. in quæst. pract. pag. 467.* & *seqq.* qui ad hanc materiam quidquid facit, summo cum studio, ac diligentia congessit. Cum autem illius diligentiam P. Gregorii de Valentia testimonium effugerit, qui certe inter eos, qui Rigoristæ dicuntur, minime recensendus est, Nos illud hic apponemus. Præfatus Valentia. *tom. 4. disp. 7. quæst. 20. de Indulg. punct. 3. pag. 1603.* ita scriptum reliquit: *Notandum, neque per hanc Indulgentiæ formam, scilicet de injunctis Pœnitentiis, neque per ullam aliam quamvis amplam, & generalem, relaxari obligationem, qua, propter integritatem Sacramenti, tenetur Confessarius salutarem pœnitentiam Pœnitenti injungere, & Pœnitens eam implere, &c. Primo ex eo, quod illa obligatio est Juris Divini &c. Secundo ex eo, quod truncaretur alioqui Sacramentum Pœnitentiæ quadam sua integrali parte, qualis est nimirum Jure Divino satisfactio ipsius Pœnitentis. Tertio id confirmatur ex communi sensu, & usu Ecclesiæ, siquidem nec in plenissimis etiam Indulgentiis solet negligi a Confessariis, & Pœnitentibus Sacramentalis satisfactio, & pœnitentia; immo expresse ab ipsis Pontificibus solet tunc etiam requiri.*

Super prima Quæstione, sicut etiam super qualitate satisfactionis, sive pœnitentiæ a Confessario imponendæ, quantum sufficere existimavimus, in Encyclica Epistola Nostra diximus, quam ad Patriarchas, Archiepiscopos, & Episcopos super præparatione ad Annum Sanctum dedimus in Arce Castri Gandulfi *die 26. Junii Anni vertentis*, atque ad illam Nos referimus. Unum tantum modo reliquum erat, ut super impositione pœnitentiæ a Confessario non omittenda diceremus, quoniam Pœnitens, qui Indulgentiam consecutus erat, non teneri dicebatur ad eamdem adimplendam. Cum autem Nobis hujusmodi ratio laxior visa esset, in Instructione, de qua *nu.* XXVI. agitur, mentem Nostram declaravimus, statuentes, salutarem pœnitentiam a Confessario injungendam esse Pœnitenti, etiamsi hic ad recipiendum Jubilæum præparatus sit, ex quo sane Pœnitentis obligatio exoritur eamdem adimplendi: *Omnia sua peccata confiteatur fideliter, & injunctam sibi pœnitentiam studeat pro viribus adimplere*: verba sunt Concil. Lateranensis, dum de Sacramentali Confessione loquitur in celebri Decretali: *Omnis utriusque sexus, de Pœnitentiis, & Remissionibus*; & sane propter necessariam correlationem, quæ inter auctoritatem imponendi pœnitentiam, & obligationem ejusdem adimplendæ intercedit; difficillima perceptu res Nobis visa est, eum posse dici, aut esse, *vere Pœnitentem*, sicut ille debet esse, qui Plenariam Indulgentiam consequi cupit, si hujus prætextu, eximere se velit a pœnitentia illa adimplenda, quæ ipsi in Sacramentali Confessione a Confessario injuncta est.

Ulterius procedit Instructio, nonnulla opportune statuendo circa absolutionem a censuris, tum eorum, qui sine licentia, ac prava intentione se in Clausta Monialium introducunt, tum Regularium Virorum, qui ad malum finem mulieres intra suas Religiosas Domus pariter ducunt, illorum præterea, qui absque Licentia Libros prohibitos legunt, & circa Votorum quorumdam dispensationem; Nos vero, quibus nil aliud in præsenti propositum est, nisi controversias indicare, quas tollere curavimus, eo potissimum consilio, ne sopitæ jam res iterum in quæstionem redeant, id nunc declarabimus, quod, quando Pœnitentiariis Facultates conceduntur absolvendi a censuris occultis propter damnum alicui datum incursis, adjecta conditione, ne eisdem utantur, hoc est, ne Pœnitentem ab hujusmodi censuris absolvant, nisi is *parti læsæ* satisfecerit, aut saltem ante absolutionem, jurejurando spondeat, se eidem satisfacturum; Nos sub nomine *partis læsæ* non intelligimus, sicut a quibusdam intellectum est, Judicem, verum illum, qui damnato passus est, quemadmodum rite a Viva *de Jubilæo quæst. 10. art. 2.* a Giballino *de Censuris disquisit. 9. quæst. 4. num. 7.* & a Salmanticensibus *in Cursu Theologico-Morali tom. 2. tract. 10. de Censuris cap. 2. punct. 2. num. 20.* animadversum est. Quod vero attinet ad commutationem Votorum, in quibus de tertii præjudicio agitur, quæ quidem Pœnitentiariis interdicitur, apposite sane scribit Suarez *to. 2. de Religione lib. 6. cap. 5. & præsertim num. 7.* Circa Vota perseverantiæ, quæ a quibusdam fiunt, dum aliquam Congregationem ingrediuntur, quæque naturam assumunt contractus, & reciprocæ obligationis inter ipsos, & Congregationem, quæ eosdem recipit, a quibus Pœnitentiarii dispensare non possunt, valde ad rem loquitur P. Sirus *in suo manuscr. Op. super Bull. Innoc. XII. respic. Facult. Majoris Pœnit.* qui etiam in eodem Opere *de Votis pœnalibus agit*.

§. VI. *Facultatibus contentis in Constitutione*: Convocatis, *pro Confessariis a Cardinali Vicario destinatis, quoad absolvendum a peccatis, & censuris, item pro Votorum commutationibus, & dispensationibus.*

Illud, quod Nos hic monendum habemus, est, ut hi Confessarii seriem suarum Facultatum attente legant, ne earum limites excedant; præterea, ut qua parte cum illis concordant, quæ Pœnitentiariis sunt attributæ, le-

gere, & observare non prætermittant id, quod super eisdem paullo ante disseruimus; quantum vero ad *Dispensationes* attinet, non aliam se Facultatem habere probe meminerit, quam dispensandi, aut commutandi in alia pia opera visitationes Basilicarum, quam & Pœnitentiarii habent. Quamobrem legendum ipsis erit id, quod super hac eadem re, respectu Pœnitentiariorum *ad num.* 52. *&* 53. dictum est.

§. VII. *De quibusdam declarationibus contentis in Constitutione* Convocatis *quoad præsens Jubilæum, ac primum de Declarationibus, quæ respiciunt Personas, quæ illud consequi volunt.*

CElebris Joannes de Anania, qui anno 1458. vivere desiit, parvum *de Jubilæo* Tractatum conscripsit, in cujus fine Quæsita aliquot proposuit, inter quæ ea legimus, quæ sequuntur: num Jubilæum juvet Episcopo, qui, non obtenta prius a Summo Pontifice licentia, ejus consequendi gratia Romam proficiscitur: num juvet Parocho, qui sine Episcopi sui venia discedit: num Monacho, qui sine Abbatis sui permissu abit: num Viro, qui sine assensu Uxoris; non denique Uxori, qui sine Mariti licentia Romam venit? Eorumdem dubiorum examen circa annum 1599. a sæpius nominato Benzonio *de anno Jubilæi lib.* 5. *a dub.* 14. *ad dub.* 18. continuatum est. Ac decisum tandem fuit, minime supradictis personis licere, sine prævia Superiorum suorum licentia, Patrias suas relinquere, ac Romam proficisci ad consequendum Jubilæum Anni Sancti; ac sine ipsa venientes peccare: Verum cum Romam pervenerint, si hoc peccatum una cum aliis omnibus vero cum dolore confessi fuerint, ac quantum ad consequendam Indulgentiam præscriptum est, præstiterint, eam consequi. Eadem mens, & sententia est Quarti *in tract. de Jubilæo Anni Sancti pag.* 67. *cap.* 1. *punct.* 6. *dub.* 1. *& seq.* illud tantummodo adjungit, non posse quidem Uxorem sine Viri venia, & consensu venire; posse tamen Virum venire sine consensu Uxoris, dummodo ejusdem absentia nec diuturna, nec gravis incommodi, aut detrimenti Uxori, & familiæ futura sit; ac jure quidem contra Religiosos, & Animarum Pastores exclamat, qui sine necessariis licentiis, gratia obtinendi Jubilæum Anni Sancti, iter Romam suscipiunt, cum generalis invitatio, quæ a Summo Pontifice omnibus fit, intelligi debeat, illos tantummodo comprehendere, qui licite, & cum requisitis conditionibus venire possunt. Hujusmodi rationibus, ac sententiis adhæret Constantinus *in suo Tract. de Anno Sancto par.* 2. *c.* 4. *pag.* 103. *& seq.* Nos in supra citata *Encyclica Epistola Nostra die* 26. *Junii* vertentis Anni super præparatione ad Annum Jubilæi edita, prædictis punctis secundum rationes, ac sententias nuper adductas, responsum fecimus. Ad eam igitur Epistolam Nos referimus, ex cujus tenore necessario prima declaratio *n.* XLIII. expressa deducitur, quod Personis Romam ad hoc Jubilæum consequendum venire volentibus non intelligitur data veniendi libertas, sine obtento alias necessario suorum respective Superiorum consensu.

Pontifex Bonifacius VIII. in sua pluries nominata Decretali: *Antiquorum, inter Extravagantes Communes de pænitentiis, & remissionibus,* visitationem Basilicarum Romanis per triginta vices, Peregrinis vero, & Advenis per vices quindecim præscripsit: *Si fuerint Romani, ad minus triginta diebus continuis, seu interpolatis, & saltem semel in die; si vero Peregrini fuerint, aut Forenses, simili modo diebus quindecim ad Basilicas easdem accedant.* Hæc eadem verba in alia Decretali Clementis VI. quæ incipit: *Unigenitus, ibi sub eodem titulo*, reperiuntur. Eadem loquendi forma a Pontifice Clemente VII. adhibita est in Indictione Jubilæi, quam fecit per suam Bullam, cujus initium: *Inter sollicitudines*, die 17. Decembris 1524. expeditam. Progressu temporis, verbo *Romani* aliud adjunctum fuit: *vel Urbis incolæ*, aliud vero *Forenses* omissum fuit, quemadmodum in Constitutione Gregorii XIII. quæ incipit: *Dominus, ac Redemptor*, videre est: *Triginta continuis, vel interpolatis diebus semel saltem in die, si Romani, vel Urbis incolæ fuerint; si vero Peregrini, quindecim diebus devote visitaverint*, & in aliis compluribus.

Quamvis verbum *Romani* nulli controversiæ locum dare posse videretur, res tamen contra fuit, nam cum Romanus sit non ille solum, qui Romæ natus est, & in Urbe moratur, verum etiam ille, qui licet Romæ natus, alio domicilium transtulit; quæstio fuit, num hic Anno Jubilæi Romam veniens, per triginta, an per quindecim vices Basilicas visitare deberet. Navarrus *de Jubilæo, & Indulgentiis nu.* 42. *pag.* 163. ejus sententiæ fuit, quod vices quindecim sufficerent, cum in hoc casu domicilium origini prævalere debeat, & ea maxime ratione, quod Romanus, qui alibi domicilium habet, Romam veniens, idem itineris, ac laboris incommodum subit, ac Advena, & Peregrinus. E contrario Benzonius *de Anno Jubilæi lib.* 5. *dub.* 3. eum ad triginta visitationes obligatum existimavit: *Turpe est enim*, ait ipse, *virum Romanum vel avaritiæ, vel accidiæ, seu torporis vitio laborare, præsertim in eo Anno, in quo Urbs tota gaudio, jubilatione, munificentia, atque singularissima festivitate refulget.* Præterea autem dubium illud propositum fuit, num sub *Romani* nomine ad effectum, de quo agitur, etiam ille, qui in proximis Urbi locis habitat, comprehensus intelligeretur.

Dispensationibus porro super voce *Romani*, aliæ super verbis: *vel Urbis incolæ*, successerunt. Navarrus *loco citato num.* 43. ait, sub nomine *incolæ* in præsenti casu eum intelligi debere, qui annum Romæ moratur, aut saltem tamdiu moratur, ut Romæ incola dici possit. Quarti, & Constantinus practice differunt. Horum prior *pagin.* 126. *& seqq.* sub nomine *incolæ Urbis* eum intelligi debere vult, qui Romæ minime natus, neque ex ea oriundus est, verum in ea domicilium contrahit, ac proinde Curiales, Procuratores, Advocatos, Aulicos, ad triginta visitationes obligatos esse, atque huic item oneri subjacere debere Scholares, Mercatores, Litigantes, qui majorem anni partem Romæ morantur, cum hi omnes in Urbe, si non verum domicilium, at quasi domicilium contraxerint. Alter vero *pag.* 119. *& seq.* considerans, Peregrinis quindecim tantum visitationum numerum præscribi ratione incommodi in itinere suscepti, Romanis vero, & Romæ degentibus numerum majorem triginta visitationum, eo quod prædictum incommodum, ac laborem non sustinuerint; affirmat, omnes quotquot itineris incommodo caruerunt, triginta visitationum oneri subjacere debere; contra vero a graviori onere exemptos esse, & ad levius tantum, scilicet quindecim visitationum onus obligari omnes illos, qui supradictum itineris incommodum passi sunt.

In Constitutione nostra: *Peregrinantes*, in qua Jubilæi Annum indiximus, ea, quæ sequuntur verba adhibuimus: *Per triginta continuos, aut interpolatos dies &c. si Romani, vel Incolæ Urbis; si vero Peregrini, aut alias externi fuerint, per quindecim saltem hujusmodi dies devote visitaverint.* Prædicta autem verba in hac novissima Constitutione nostra *num.* XLIV. exponentes, diximus, idque nunc etiam repetimus, sub nomine *Romanorum* omnes illos venire, qui Romæ nati sunt, & Romæ degunt, sive qui in suburbano districtu nati pariter sunt, atque ibi habitant, in eo scilicet tractu, ad quem se protendunt vineæ intra quintum ab Urbe lapidem; hæc est enim legalis notio, & intelligentia hujusce vocabuli *Romanus*, quemadmodum valde apposite Spondanus *in Epitome Annal. Card. Baronii ad ann.* 1. *in princip.* animadvertit: *Jurisconsulti responderunt, eos, qui in continentibus Urbis nati sunt, Romæ natos intelligi; Romam enim esse etiam qua continentia ædificia essent; nec Romam muro tenus existimari, ex consuetudine quotidiana posse intelligi; cum diceremus Romam nos ire, etiamsi extra Urbem habitaremus.* Diximus etiam, ac modo hic iteramus, sub nomine *incolarum Urbis* omnes illos censeri, qui Romam advenerunt animo ibi majorem anni partem commorandi, itemque omnes illos, qui Romæ alicujus muneris aut negotii caussa sive alicujus officii, ac ministerii ibidem acquirendi desiderio & expectatione morantes, si non verum ac rigorosum domicilium, saltem quasi domicilium contrahunt. *Deus plebis Israel elegit patres nostros, & plebem exaltavit, cum essent incolæ in terra Ægypti, & in brachio excelso eduxit eos ex ea*: legitur *in Actis Apostolorum cap.* 13. *num.* 17. Atque ii, qui latini sermonis proprietatem optime tenent, *incolas* illos esse affirmant, qui, cum alibi nati sint, locum incolunt, in quo sibi habitationem delegerunt, licet loci ejusdem cives, aut indigenæ non sint; in quorum numero idcirco Caussidici, Procuratores, Advocati, Aulici, Scholares, Mercatores, Litigantes, aliique id genus homines recensendi sunt, quod etiam probe animadversum fuit ab antiquo Glossatore Decretalis *Antiquorum, inter Extravagantes communes, de Pænitentiis, & remissionibus, in verbo, Forenses,* cujus hæc verba sunt. *Quid de Curialibus existentibus in Curia Papali; respondet Sixtus Papa, illos facere debere triginta dies. Et est ratio, quia isti nec vere peregrinantur, nec vere sunt forenses, sed ut moraturi in Curia accedunt.* Igitur omnes ii, quos supra nominavimus, per triginta vices Basilicas visitare tenentur. Eidem visitationum numero illos etiam obligatos fore declaravimus, & nunc declaramus, qui alia, quam Jubilæi consequendi, caussa Romam advenerint; omissa enim controversia, num hi possint sub *incolarum Urbis* nomine comprehendi, manifestum est, quod, cum ipsi itineris incommodum alia de caussa passi sint, non aliter ad Jubilæum consequendum se comparare poterunt, quam si triginta Basilicarum visitationes expleverint. Idem decrevimus de illis, qui consequendi Jubilæi gratia Romam venientes, amplius sex mensibus in eadem commorantur, cum iis liceat sine gravi incommodo per dicti temporis spatium ad triginta vices visitationem Basilicarum adimplere. Verbum illud *Forenses*, a proximis Decessoribus Nostris prætermissum, Nos etiam omisimus, quod quidem, juxta loquendi morem medio ævo usitatum, nihil aliud, quam exteros significare poterat, ut probe Lucas Holstenius *Collectionis Labbeanæ Concilior. tom.* 8. *pag.* 138. animadvertit,

dum

dum verba Synodi Romanæ sæculo nono sub Leone IV. habitæ exponit: *Tantam superfluitatem Presbyterorum forensium*. Antiquo verbo *peregrini* usi sumus, qui illi sunt, qui iter suscipiunt caussa visitationis Sacrorum Liminum, & sacræ Indulgentiæ consequendæ: *Advena sum, & peregrinus apud vos*: legitur in Genesi cap. 23. Verbo autem *peregrini*, aliud adjecimus *exteri*, quod non minus secundum rectum latini idiomatis usum, quam, quod magis interest, secundum propriam in Divinis Scripturis loquendi rationem, advenam, aut alienigenam significat; unde Exodi cap. 23. legitur: *Per nomen externorum Deorum non jurabitis, neque audietur ex ore vestro*; & Numerorum c. 1. *Quisquis externorum accesserit, occidetur*; & capite tertio: *Externus, qui ad immolandum accesserit, morietur*. Atque, ut ad propositum nostrum revertamur, declaravimus, ac declaramus, sub *peregrinorum*, aut *exterorum* nomine omnes alios comprehendi, qui sub nomine *Romanorum*, aut *incolarum Urbis*, secundum explicationem paullo ante datam, minime comprehenduntur.

§. VIII. *De declarationibus contentis in Constitutione*: Convocatis, *circa opera injuncta*.

Optandum omnino esset, & melius, ac tutius procul dubio foret, si antequam visitatio Basilicarum inciperetur, fructuosa præmitteretur Confessio, ut visitationes ipsæ in statu gratiæ fierent, atque iteraretur confessio, si quis, visitationibus inceptis, in lethale aliquod peccatum prolaberetur. In Actis Ecclesiæ Mediolanensis p. 7. edit. Mediolanens. 1599. pag. 1031. magni Sancti Caroli Borromæi ita legitur: *Ante omnia autem unicuique sedulo curandum est, ut conditiones a Sanctitate Sua in litteris concessionis ipsius Jubilæi expressas diligenter observet; quoniam minime illud consequeretur, qui easdem non observaret. Harum prima est, ut vere contritus, & confessus sit, quod unusquisque facere debet antequam visitationes Ecclesiarum incipiat, pro majori securitate Sancti Jubilæi acquirendi. Ob eamdem caussam, si quis postquam confessus esset, & Ecclesiarum visitationes incepisset, in mortale aliquod (quod Deus avertat) peccatum prolaberetur, mortale peccatum confiteri debet, ac deinceps reliquum dierum numerum persequi, qui supererunt ad completum usque numerum dierum, quibus quatuor Ecclesiarum visitatio ab eo facienda erit.*

Hujusmodi porro agendi ratio a S. Antonino *in Summa part. 1. tit. 10. cap. 3. §. 5. in fin.* a Cardinali Bellarmino *de Indulg. lib. 1. cap. 13. Controversiar. tom. 2.* a Becano *in Summa tit. de Sacramentis cap. 28. de Indulgentiis quæst. 6.* Benzonio *de Anno Jubilæi lib. 5. dub. 3. §. Dico septimo*, & Pontas *in verb. Indulgentiæ cas. 13.* pro tuta agnoscitur, & approbatur. Quod vero & Nos id summopere cupierimus, & ex animo cupiamus, satis intelligi potest tum ex iis, quæ in supradicta Encyclica Epistola nostra scripsimus, tum ex iis, quæ fecimus, dum proxime præterita æstate publicas per Urbem Missiones haberi jussimus, tum denique ex his, quæ facimus, dum hoc Adventus tempore, usque ad Festum S. Thomæ, easdem Missiones per varias Ecclesias Urbis continuari curamus; quæ omnia ad eum tantummodo scopum, & finem diriguntur, ut a peccatoribus rite, & cum emendationis fructu Confessiones prius fiant, quam Porta Sancta aperiatur, ac proinde antequam Basilicarum visitationes fieri incipiant; nec illud etiam omittendo, quod desiderium hujusmodi nostrum, & ex ipsa Constitutione nostra: *Peregrinantes* satis deducitur, in qua visitationibus Ecclesiarum Confessio, & Communio præmittitur.

Verum nequaquam in hoc difficultatis summa versatur; sed præcipuum in eo dubium consistit, num videlicet, si forte a quopiam lethalis culpæ reo visitatio Basilicarum incipiatur, & continuetur, & sic ab eo hujusmodi opus fiat, quod bonum est eo bonitatis genere, quo esse possunt opera, quæ a peccatoribus fiunt; deinde vero idem rite, & recte confiteatur, & Sacram Communionem in statu gratiæ recipiat, proindeque in ultimo opere, quod ad Jubilæum consequendum adimplevit, in statu gratiæ sit; num, inquam, præcedentes Ecclesiarum visitationes pro sufficienti operum injunctorum implemento haberi, & censeri possint. Super hoc difficultatis puncto fuse differit Navarrus *de Jubilæo, notabili 19.* sed communior opinio est, visitationes etiam in statu peccati factas sufficere ad Indulgentiam consequendam, dummodo postremum opus, in quo acquiritur Indulgentia, in statu gratiæ perficiatur, cum temporalis pœna non remittatur, nisi peccato deleto; ac remissa æterna pœna, quod quidem per Pœnitentiam obtinetur. Ita insigniores Theologi in suis Theologicis operibus ratiocinantur, videlicet Suarez *in 3. part. D. Thomæ tom. 4. disp. 52. sect. 2. a. 7.* Valentia *tom. 4. disp. 7. quæst. 20. de Indulgent. punct. 5. §. Non tamen*. Cardinalis de Lugo *de Sacramento Pœnitentiæ disp. 27. sect. 6. numer. 83.* Sylvius *part. 3. D. Thom. tom. 4. in suppl. tert. part. quæst. 27. art. 1.* Estius *in 4. Sent. dist. 20. §. 8. per tot. & signanter vers. Ceterum, & seqq.* Juvenin *in Tract. de Sacram. disp. 13. de Indulg. quæst. 6. §. Ceterum*, aliique complures. Illi etiam, qui Morales Theologi dicuntur, in hac re concordi sententia sunt, quos inter Fillinccius *Oper. Moral. tom. 1. tract. 8. capit. 10. quæst. 2. num. 258.* Santarellus *variar. resol. quæst. 76. num. 15.* La Crois *lib. 6. part. 2. de Indulgent. num. 1410.* Bonacina *de Jubilæo quæst. 6. art. 2. numer. 4.*, item alii, qui ex professo de Jubilæo scripserunt, ex quibus Viva *in Histor. Indulg. inter. q. & res. pract. quæst. 32.* Amort *tom. 1. pag. 203. Ven. edit. ann. 1698.* atque illi etiam, qui Romæ Tractatus de Indulgentiis composuerunt, atque ediderunt, in quorum numero PP. Passerinus *de Indulg. quæst. 73. per tot. & præsertim num. 514.* Vanranst *in Opuscul. de Indulg. quæst. 6. num. 7. & seq.* ac Theodorus *in Tractatu de Indulg. lib. 1. cap. 8. art. 1. per tot.* Hæc autem, quæ communis opinio dici potest, suo & quidem valido fundamento non destituitur, quum Ecclesiarum visitationes, licet ab eo, qui in gratia non est, factæ, opera sint moraliter bona, quamquam æternæ vitæ non meritoria; licet enim opera inimici sint, illius tamen inimici sunt, qui se ad reconciliationem cum Deo comparat, atque disponit: hoc vero prioribus Ecclesiæ sæculis in publicis illis pœnitentiis adumbratum videtur, quæ ab illis fiebant, qui in graves, ac publicos excessus prolapsi erant, quidem antequam absolutionem ab ipsis obtinerent, & sic in eodem statu peccati, in adimplendis operibus, ac pœnitentiis sibi præscriptis se exercebant. Hoc autem semel constituto, quod in ultimo opere, quod ad consequendam Indulgentiam adimpletur, status gratiæ absolute necessarius sit, quodque non item absolute requiratur hujusmodi status; dum alia injuncta opera adimplentur, in sententiæ hujus confirmationem laudati Auctores publicam Fidelium consuetudinem advocant, ei satis notam, qui Indulgentiam concedit, & ab eodem non improbatam; cum fieri vix possit, ut sibi persuadeat, visitationes, quæ ad Jubilæum consequendum vel per triginta, vel per quindecim dies interpolatos fiunt, non nisi ab iis fieri, qui in gratia constituti sunt; neque vero a sententia sua removentur, ob eam caussam, quod in Jubilæi universalis Bulla visitationi Basilicarum Confessio, & Communio præmissa sit; huic etenim argumento respondent, ordinem verborum non adæquatam esse regulam pro ordine factorum, ac præterea adjungunt, in Indulgentiis sufficere auctoritatem in concedente, gratiam in recipiente, ac pietatem in caussa; pias autem esse Basilicarum visitationes, licet ab eo, qui in gratia constitutus non est, factæ sint; dummodo debitis cum circumstantiis adimpleantur, quum ad consequendam habitualem gratiam præparationes sint.

Atque hæc est summa eorum, quæ in sententiæ hujus comprobationem afferri solent ab iis, qui eamdem tuentur; a qua Nos, in præsenti minime recedendum ducimus, neque recedimus, quemadmodum ex iis, quæ ad *num. XLV.* novissimæ Constitutionis declaravimus, videre est. Quoniam, licet quo ad Nos, magis, ac magis semper in votis habeamus, ut visitatio Ecclesiarum in statu gratiæ fiat, ac proinde vel post fructuosam Confessionem, vel saltem post Contritionis actum; reputantes tamen non omnia quæcumque optamus posse semper contingere, humanamque fragilitatem commiserari opus esse; a fructu Indulgentiæ minime excludendos illos existimavimus, qui non præmissa Confessione, visitationem Ecclesiarum incipiunt, ac prosequuntur, dummodo quando opus ultimum perficiunt, in quo Indulgentia acquiritur, in statu gratiæ sint; ac dummodo visitationes ipsæ cum sensu devotionis adimpleantur. In Bulla: *Peregrinantes* legitur *devote visitaverint*; In Extravaganti: *Unigenitus* inest verbum *devotionis*; In alia: *Quemadmodum*, verbum *reverenter*; Navarrus autem *de Jubilæo sub num. 44.* eadem illa verba exponens, ita ait: *Per quæ significatur, visitationes has Ecclesiarum fieri debere bene, & quidem recte; nam licet, per asserta cum communi, non sit necessarium, ut fiant in statu gratiæ, necessarium tamen est, quod fiat actus boni moraliter.* Ad injunctum igitur visitationum opus adimplendum necesse est, ut visitatio fiat consilio, atque animo exhibendi honorem Deo, aut Sanctis ejus; ut tam in itinere, quod ad Basilicas habetur, quam in easdem ingrediendo, modeste incedatur, atque in hisce aliquis religionis actus exerceatur. Ex quo deduci potest, quod, si quis nullo pio fine, sed mera ductus curiositate visitaturus Ecclesias se confert, aut animi relaxandi, seu, quod dicitur, deambulationis habendæ gratia, iter conficit, Jubilæum minime consequitur. Illum vero omnino omittimus, de quo dicere supervacuum est, qui in actuali peccato mortali, animo, exempli gratia, alios ad peccandum inducendi, Ecclesias visitaret; ut, & hujusmodi, & alios similes casus indicando, differunt Vanranst *de Indulg. quæst. 7. a num. 15. ad num. 20.* Constantinus *part. 2. cap. 6. pag. 121.* Quarti *tract. de Jubil. pag. 146. & seq.* Viva *de Jubil. quæst. 8. art. 5. num. 3.* Pignatellus *de Anno Sancto dub. 21. cap. 8.* Amort *in quæstionibus practicis in fine Historiæ Indulgentiarum quæst. 72.* aliique complures.

Con-

Confessionis præceptum, prout a jure Divino statutum fuit, sola mortalia peccata comprehendit, nec ad venialia extenditur. Cum vero Ecclesia in Concilio Lateranensi certum confitendi tempus, quod est Pascha Resurrectionis, præscripserit, controversia est, num necessitati confitendi peccata mortalia, aliam adjecerit, ut venialia etiam peccata confiteri necessarium sit. Et quamquam communiter dicatur, nequaquam adjunctam esse necessitatem etiam venialia peccata confitendi ad implendum præceptum; non desunt tamen Auctores, qui pleni studio, ac zelo contrariam opinionem tuentur, ac docent, eum, qui non nisi venialia peccata habet, saltem in Paschate Sacerdoti se sistere debere, ut ei notum faciat, se, Divina opitulante gratia, nonnisi venialium culparum sibi conscium esse. Juevenin *de Sacramentis dissert. 6. cap. 3. art. 2.*, Du Hamel *tom. 7. tract. de Pœnitentia dissert. 3. cap. 2. num. 5. §. Quid vero dicendum*, Habert *tom. 8. de Pœnitentia cap. 9. quæst. 2.* Auctor additionis ad Pontas *tom. 1. in verb. Confessio cas. 51.* in editione latina, Auctor Theologiæ Moralis ad usum Seminarii Petrocoriensis *tom. 4. lib. 2. tract. 1. quæst. 9.* videri possunt. Nos hanc controversiam intactam relinquimus. S. Antoninus in Summa sua *tom. 1. tit. 10. cap. 3. num. 10. ultimæ impressionis Veronæ* expresse docet, rem dignam, ac laudabilem ad consequendam Indulgentiam fieri a Pœnitente, qui a lethalibus peccatis liber cum sit, venialia confitetur. Verum ad propositum nostrum ne id quidem sufficiens erat, quoniam controversiæ caput non circa utilitatem, sed circa necessitatem versatur. Quæstio enodanda illa est, quæ inter Theologos agitatur, utrum videlicet, cum ad Jubilæi consecutionem Confessio præscripta sit, etiam iis, qui peccata mortalia non habent, sed tantummodo venialia, præscripta intelligatur. Apud Sancta, rellum *quæst. 76. variar. resol. num. 2. & seq.* & in cursu morali Salmaticensium *tom. 1. tract. 6. cap. 7. punct. 3. n. 34.* Auctores tam pro affirmativa, quam negativa parte collectos videre est. Ipsi vero, se affirmativæ opinioni, quam quidem tutiorem asserunt, adhærere profitentur, Cardinalis autem de Lugo *disp. 27. de Sacramento Pœnitentiæ sect. 7. num. 101.* ac Leander *part. 1. tract. 5. disp. 14. q. 76.* negativam partem sequuntur, ea nixi ratione, quod, quando de Confessione sermo est, de mortalium peccatorum Confessione semper intelligatur. Cum vero non desit auctoritas injungendi Confessionem etiam venialium, quemadmodum probe Cardinalis de Lauræa *in 4. sentent. tom. 2. de necessit. Sacram. Pœnit. disput. 24. art. 2. §. 4.* & Clericatus *de Sacrament. Pœnit. decis. 50. num. 7.* advertunt, quod textu Pontificis Clementis V. in Clementina, quæ incipit: *Ne in agro, de statu Monachorum*, comprobatur, ubi Monachis onus saltem in mente confitendi imponi, etiamsi probabiliter posset, ac deberet existimari magnam ipsorum partem non nisi venialia peccata habere; cum etiam certum sit, quod, dum ad Jubilæi consecutionem facienda præscribuntur opera, quæ ex natura sua mera consilii opera, ac supererogatoria essent, velut exempli gratia jejunium per aliquot dies, ab Ecclesiastico præcepto non præscriptos, sive devota Basilicarum visitatio, quemadmodum in præsenti Anni Sancti Jubilæo fit; præscribi etiam venialium peccatorum Confessio iis potest, qui mortalia non habent, etiamsi extra hujusmodi circumstantias, atque in abstracto loquendo, peccata venialia confitendi obligatio non adesset. Ita Nos fecimus, ac num. XLVI. novissimæ Constitutionis declaravimus, ad Jubilæum consequendum, etiam ab eo, qui nonnisi peccata venialia habeat, confessionem peragendam fore. *Posset autem Papa, si vellet, expressis verbis injungere, ut qui Indulgentiam consequi vellet, venialia peccata confiteretur, sicut injungit alia opera supererogationis, neque tamen hoc esset facere venialia materiam necessariam Confessionis, sed cum alias venialia sint congrua materia Confessionis, illam quoque exigeret, si vellet, in acquisitione Indulgentiæ*: quæ Benzonii verba sunt *de Anno Jubilæi lib. 5. cap. 15. dub. 6.*

Ne multa, quæstioni illi, quæ inter Theologos fit, utrum, quando ad consequendam Indulgentiam Confessio præscribitur, ille, qui non nisi peccata venialia habet, ad confitendum obligetur, tunc locus est, cum Confessio tamquam dispositio ad statum gratiæ pro Jubilæi consecutione necessarium requiritur; non autem quando Confessio inter præscripta opera comprehenditur, quemadmodum nunc a Nobis factum est, dum eamdem, ut onus injunctum ad consequendam Indulgentiam imposuimus; sicut etiam Pasq. *quæst. 63.* Viva *de Jubilæo quæst. 8. art. 3. §. dices*, & Constantinus *de Anno Sancto part. 2. cap. 5. pag. 106.* apposite animadvertunt.

Hanc ita decisam quæstionem alia solvenda difficultas excipit, quæ circa illum versatur, qui cum & confessus jam sit, & per vices aliquot Basilicarum visitationes fecerit, in novum aliquod mortale peccatum prolabitur; de hoc siquidem inter Doctores disputatur, quid illi ad consequendum Jubilæum faciendum sit; teneatur ne factas jam visitationes iterare, an vero ei satis sit ante postremam visitationem contritionis actum elicere, an demum ad confitendum commissum peccatum obligetur. Quidam contritionis actum sufficientem esse existimarunt, ex eo quod in Jubilæi Bulla unica tantum confessio præscribatur, quæ in proposito casu supponitur adimpleta, atque item ex eo, quod per contritionis actum rite conceptum status gratiæ ad consequendam Indulgentiam necessarius acquiritur. Ita Cardinalis de Lugo *de Sacr. Pœnit. disp. 27. sect. 7. num. 102.*, ac Leander *part. 1. Oper. Moral. tr. 5. de Sacram. Pœnit. disp. 14. de Indulg. quæst. 79.* ratiocinantur; qui etiam aliorum Auctorum, qui secum sentiunt, auctoritatem adducunt. Verum, cum ab aliis, ac præsertim a Suar. *disp. 52. sect. 3. num. 7.* a Filliuc. *tit. 1. tr. 8. cap. 6. num. 147.* a Quarto *pag. 109.* & a Constantino *part. 2. cap. 5. in fin.* consideretur, quod Confessio in Bulla præscripta, refertur ad Indulgentiam, & quod consequenter Confessio mortalium peccatorum usque ad terminum, quo Indulgentiæ fructus obtinetur, commissorum requiritur, jure ac merito docent, quod ille, qui confessus est, & Basilicarum visitationes incœpit, si ante ultimam visitationem in mortale peccatum incidit, confiteri debet; quodque contritionis actus ad consequendum Jubilæum minime sufficiens est: Ad repetendam item Confessionem illum etiam obligari addunt, qui peccati alicujus in Confessione prius facta, per innoxiam oblivionem non enunciati, reminisceretur. Atque huic Nos solidiori sententiæ *num.* XLVII. adhæsimus, Peccatorem ab onere iterandi visitationes Basilicarum jam factas absolventes, alteri tamen oneri obnoxium relinquentes, ut prius confiteri debeat, quam postremam compleat Basilicarum visitationem. Dictum est, Nos eum ab onere visitationes jam factas iterandi liberasse, cum quæstio circa hanc obligationem tunc solum locum habeat, quum admittitur opinio, quæ statum gratiæ tamquam necessarium eo tempore, quo injuncta opera adimplentur, requirit, non autem quando necessitas status gratiæ reducitur ad novissimum opus, in quo Indulgentia obtinetur, quemadmodum Benzonius *de Anno Jubilæi lib. 5. cap. 15. dub. 9.* probe animadverterit.

In præsenti Anni Sancti Jubilæo, sicut supra indicavimus; & sicut etiam in Bulla *Peregrinantes* sancitur, inter injuncta opera, Sanctam etiam Communionem enumeravimus. Cum vero quidam sint, qui per eorum ætatem, ac naturalem mentis captum, ad Confessionem tantum, non autem ad Communionem admittuntur, aditum aperiri prævidimus disputationi, num scilicet hi, quos diximus, Jubilæi consequendi capaces sint; quæ quidem Quæstio ab Auctoribus in omnibus aliis Indulgentiis, in quibus pro opere injuncto Communio præscribitur, tractata est. In hac controversia quorumdam opinio fuit, quod, quum hi, de quibus agitur, Communionis minime capaces sint, etiam consequendi Jubilæi incapaces remaneant, cum nihil vel impotentia, vel legitimum quodvis impedimentum prosit illi, qui nequit, vel impeditur, præscriptum ad Indulgentiæ consecutionem opus adimplere. Ita Lavorius *part. 1. c. 21. de Jubilæo n. 31.* ratiocinatur; quin ullum nec ipse, nec alii, qui ejusdem partis sunt, præsidium agnoscunt in Facultate, quam forte Confessarius haberet, injuncta opera commutandi in favorem illius, qui ea exequi impeditur; tum quia hujusmodi Facultas commutationem Sanctæ Communionis non comprehendit; tum etiam quia eadem ad illos restringatur, qui casu aliquo impediuntur, ut sunt Moniales, in carcere detenti, ægroti; qui Basilicas visitare nequeunt, vel pauperes, qui eleemosynam impertiri non possunt, quando inter opera injuncta eleemosyna comprehensa est; ideoque ad illos extendi non posse, qui non per accidens, sed ex dispositione juris, ad præstandum id, quod in Jubilæi Bulla præscribitur, incapaces sunt. Atque hæc Passerini *de Indulg. quæst. 46.* Cardinalis de Lugo *de Sacram. Pœnitentiæ disp. 27. sect. 7. num. 118.*, Vanransl *de Indulg. quæst. 7. nu. 32.* sententia est. Nec vero ex altera parte defuere, qui se mentis Summorum Pontificum interpretes sponte facientes, contenderunt, injunctum opus Communionis ad illos minime extendi, qui per ætatem communicandi incapaces sunt, cum conditio hæc, quoad istos, *de jure*, impossibilis sit; aut supponi debere, dari a Pontifice Confessariis Facultatem in aliud pium opus Communionem commutandi, etiamsi id expresse non dixerit. Horum nomina apud Passerinum *loco nuper citato* videre est. Nos vero ad hujusmodi controversiam, ac difficultatem tollendam, *num.* XLVIII. Confessariis Facultatem dedimus Communionem in aliud pium opus commutandi pro pueris illis, qui ad primam Communionem nondum admissi sunt, quique ex Parochi, vel Confessarii judicio, ad eum capacitatis gradum non pervenerunt, ut Anni Sancti decursu ad primam Communionem admitti possint.

Pauca alia in Constitutione *Convocatis* sub capite declarationum supersunt, & quæ ad tollendas controversias aliis temporibus excitatas, magis magisque semper faciunt. Prima est sub *num.* XLIX. non opus esse in visitatione Basilicarum, ad Indulgentiam consequendam, per Portam Sanctam ingredi, aut egredi; cum id in nulla Constitutione præscriptum sit, licet hujusmodi ingressus, & egressus pro opere supererogationis æstimandus sit, quod etiam a Passerino *de Indulg. q. 55.* Quarti *Tract. de Anno Sancto*

pag. 62.

pag. 62. Pignatello *eodem Tract. dub.* 30. *cap.* 8. opportune animadversum est.

Altera autem respicit casum, in quo per Anni Sancti progressum, aliquod, ut quandoque fieri consuevit, Indultum publicetur pro minuendo præfixo visitationum Ecclesiarum numero. Dubium hic igitur erat, num, si quis jam Basilicas visitasset, posset uti visitationibus jam factis, easdem computando in numero Visitationum, quæ in Indulto præscriptæ essent. Alia præterea dubitatio erat, utrum, si ante Indulti publicationem numerum visitationum in eodem præscriptarum jam complesset, Indulto uti posset, nullam præterea aliam visitationem faciendo. Omnes hæ difficultates *numer.* L. sublatæ sunt, ea scilicet declaratione, quæ ibidem habetur, quod qui visitationes Basilicarum per aliquot vices fecit, antequam Indultum publicaretur, visitationibus jam factis uti potest pro complemento numeri, qui in Indulto præfigitur; itemque, quod qui ante publicationem Indulti, visitationum numerum in ipso præfixum jam complevit, gaudere Indulto potest, dummodo aliam quatuor Basilicarum visitationem faciat, eamque unico die totam perficiat; quod quidem etiam a supra laudatis Auctoribus, Passerino *de Indulgentiis quæst.* 47. Quarti *Tract. de Anno Sancto pag.* 133. *& seq.* ac Pignatello *de Anno Sancto cap.* 8. *dub.* 2. *& seq.* indicabatur.

Tertia est illa, de qua hic pauca subjungimus. In Constitutione nostra: *Peregrinantes*, Basilicarum visitationem devote fieri debere, præcipitur, & ad consequendam Indulgentiam, pias Omnipotenti Deo preces adhibendas esse pro Sanctæ Ecclesiæ exaltatione, hæresum extirpatione, Catholicorum Principum concordia, & Christiani Populi salute, ac tranquillitate; verum nequaquam hic, sicut nec in aliis quidem Decessorum Nostrorum Constitutionibus, in quibus Anni Sancti indicti sunt, vocales ne, an mentales hujusmodi preces esse debeant, explicatur; ex quo quidem aliis temporibus Controversiarum caussa exorta est. Viva *de Jubilæo quæst.* 8. *artic.* 5. *dub.* 7. mentalem sufficientem esse existimavit; Constantinus *par.* 2. *art.* 7. *pag.* 128. mentalem quidem sufficere probabile esse dicit, verum vocalem esse tutiorem: Quarti *pagin.* 178. alterutram satis esse affirmat; Cardinalis de Lugo *de Pœnitent. disp.* 27. *sect.* 7. *num.* 3. & Amort *in quæst. pract. in mater. Indulg. quæst.* 74. mentali vocalem addere tutius esse ajunt. Vanranst *de Indulg. quæst.* 7. *num.* 29., nec solam mentalem, neque solam quidem vocalem, si *notabiliter modica* sit; sufficientem esse dicit: Et contra nimiam hanc orationis modicitatem tam ipse etiam Viva, quam reliqui superius citati Auctores exclamant; licet enim oratio brevis cum sensu ferventis pietatis adhibita, præscripto ac legi Constitutionis *Peregrinantes* satisfacere possit: plerumque tamen orationis brevitas ex modico pietatis studio, aut parum propenso ad res spirituales animo, sive tædio, negligentiaque proficisci solet. Nos itaque ab istorum considerationibus nihil recedentes, ad *num.* LI. declaravimus, vocalem orationem pie adhibitam ad consequendam Indulgentiam sufficientem esse; laudandum eum, qui spiritu ac mente orat, dummodo tamen vocales aliquas preces orationi illi adjungat.

§. IX. *De iterata acquisitione Jubilæi, & aliis declarationibus circa Facultates concessas pro Anno Sancto vertente.*

Vetus illa quæstio fuit, num qui tempore Anni Sancti per triginta vices (quantum omnino ad Indulgentiam consequendam præscriptum est) Basilicas devote visitasset, confessus præterea etiam fuisset, ac Sanctam recepisset Communionem, ac ideo se Indulgentiæ fructum consecutum esse confidere posset, iterum ipsum consequi valeat, visitationem Basilicarum ad præscriptum numerum iterando, iterumque confitendo, & communicando. Hujusmodi controversia a Joanne de Ananaia in parvo de suo de Anno Sancto Tractatu indicata, atque ab aliis postea iterum resumpta fuit. Filliucii *tom.* I. *tract.* 8. *cap.* 10. *de Jubilæo num.* 261. opinio in eam propendebat partem, ut operibus injunctis repetendis Jubilæum denuo acquireretur; verum postea, ratus a Congregatione Concilii *Anno* 1620. rem contra decisam esse, ab hac sententia discessit; Vanraost *de Indulgentiis quæst.* 6. *num.* 15. Jubilæum iterum acquiri non posse contendit, etiamsi opera injuncta adimpleantur. Navarrus *de Jubil. & Indulg. notab.* 32. *sub num.* 46. nihil in Bullis Anni Sancti iteratæ Jubilæi acquisitioni contrarium reperiri considerans, partes illius opinionis amplectitur, quæ in favorem illorum est, qui opera injuncta repetunt; Navarro Benzon. *de Anno Jubilæi lib.* 5. *cap.* 15. *dub.* 23. subscribit; Et hæc communis sententia dici potest, quemadmodum apud Vivam *de Jubilæo quæst.* 6. *art. ult.* Constantinum *de Anno Sancto part.* 2. *cap.* 6. *quæst.* 9. *pag.* 123. Quarti *de Jubilæo Anni Sancti pag.* 53. *& seq.* videre est. Constantinus porro ita a Pontifice Urbano VIII. declaratum fuisse refert, & Congregationis Concilii declarationem a Filliuc. nominatam minime authenticam esse affirmat. Nos autem de hac alias proposita Controversia mentem nostram *num.* LII. declarare opportunum existimavimus. Etenim considerantes minime hic agi de duarum hebdomadum Jubilæo, verum de Jubilæo, quod annum integrum perdurat; non de operibus injunctis agi, quæ pluries in die adimpleri possunt, quemadmodum fit, quando Plenaria Indulgentia illis conceditur, qui certis, ac præscriptis diebus certam Ecclesiam visitaverint; in quo quidem statu rerum, etiamsi pluries in die Ecclesiæ illius visitatio fiat, unica tantum Indulgentia acquiri potest, juxta Decretum Congregationis Indulgentiarum a san. Mem. Innoc. P. XI. expresse approbatum, ac *die* 7. *Martii* 1678. rite ac secundum legis formulas promulgatum, in quo ita legitur: *Semel dumtaxat in die plenariam Indulgentiam in certos dies Ecclesiam visitantibus concessam, vel aliud pium opus peragentibus, lucrifieri*; verum de visitationibus agi numero non paucis Basilicarum, quæ inter se distitæ ac distantes sunt, quæ quæ non nisi multis ac distinctis diebus fieri possunt, minime dubitavimus declarare, posse pluries per Annum Sanctum, injuncta opera iterando, Sanctam Indulgentiam acquiri. Diximus, injuncta opera iterum repetendo, acquiri denuo posse Indulgentiam. Verum quoniam in Jubilæo Indulgentiæ adjuncti sunt alii favores, & gratiæ; in eadem Constitutione, atque *eodem* §. declaravimus, illum, qui semel illarum particeps factus est prima vice, qua Jubilæum consecutus fuit, iterum earum participem fieri non posse, si post primam Jubilæi acquisitionem, iterum in censuris incurrerit, aut casus reservatos commiserit, vel novis Votorum commutationibus, aut Dispensationibus indigeat.

Quum in dicta Constitutione: *Convocatis*, de iis actum est, quæ Pœnitentiariis Basilicarum Minoribus concessa sunt; ad *numer.* VII. expressa mentio facta est Facultas absolvendi ab hæresi ad extrinsecum deducta; illam tamen Facultatem intra certos limites restringendo, qui *in supra citato* §. indicati sunt. Sed quoniam inter Facultates Confessariis a Cardinali Vicario per Annum Sanctum specialiter deputatis datas, ad *num.* XXXVI. ampla Facultas absolvendi a Censuris *in Bullæ Cœnæ* reservatis concessa est, ex quo aliqui contenderant, posse etiam deduci Facultatem absolvendi ab Hæresi ad extrinsecum deducta, de qua in dicta Bulla Cœna Domini mentio fit; declarare opportunum putavimus, sicut in *num.* LIII. declaramus, id minime subsistere; cum hujusmodi Facultas expresse semper nominari debeat, nec umquam vigore cujusvis verborum amplitudinis concessa dici possit; quemadmodum statutum fuit a Decessore Nostro Alexandro VII. in Decreto, quod in Congregatione Sanctæ Inquisitionis coram se habita condidit; *Sanctissimus Dominus Noster Alexander Papa VII. sub. die* 23. *Martii* 1656. *inhærendo declarationibus alias a Prædecessoribus suis factis, ad removendam omnem dubitandi occasionem, & ne circa id in posterum ullo tempore hæsitari contingat, cum crimen hæresis præ ceteris gravissimum speciali nota dignum sit, decrevit, Facultatem absolvendi ab hæresi, in Jubilæis, vel aliis similibus concessionibus non censeri comprehensam, nisi expressis verbis concedatur Facultas absolvendi ab hæresi.* Tam de controversia ante Decretum agitata, quam de eadem per Decretum prorsus sublata, fuse a Nobis actum est in quadam Notificatione, dum Bononiæ resideremus, publicata, quæ numero quarta est tam in Italica, quam in Latina editione.

Dictum superius fuit, eum, qui Facultates habet, quæ per Annum Jubilæi conceduntur, eisdem non nisi cum illis Pœnitentibus uti posse, qui sinceram habent Jubilæi consequendi voluntatem, quique ex hoc animo injuncta ad ejusdem consecutionem opera adimplendi ad confitendum accedunt. Illud reliquum erat dubium eruendum, num videlicet: si is qui antea in animo sibi proposuerat omnia, quæ ad hunc finem necessaria sunt, adimplere, consilium mutet, nec præscripta opera adimpleat, in censuras, a quibus absolutus fuit, recidat, ac obtentæ ab eo Votorum commutationes, ac Dispensationes abolitæ intelligantur. Verum, quoniam absolutio a censuris in caussa, de qua agitur, minime quidem *cum reincidentia*, sed absolute data est, ac datur, idcirco in eadem Constitutione *Convocatis num.* LIV. declaravimus, illum nequaquam censuris, a quibus solutus fuerat, innodatum, aut gratiæ commutationum, ac dispensationum obtentarum expertem remanere. Ita post allegatos Auctores antiquiores, Giribaldus *tract.* 7. *de Sacram. Pœnit. cap.* 21. *dub.* 4. & Viva *de Jubilæo quæst.* 11. *art.* 4. ratiocinantur. Et quamquam prædictorum Auctorum prior a mortali peccato illum eximat, qui, mutato consilio, ea non adimplet, quæ ad Jubilæi consecutionem reliqua erant; alterius tamen sententia, quæ, adhibita Suarez, Valquez, & Filliucii auctoritate, eumdem lethalis culpæ reum facit, subsisteoti ratione fulta est, ex eo scilicet, quod in materia gravi contravenerit intentioni ac menti illius, qui Facultates Confessariis concessit; quas quidem ille, tamquam medium ad Jubilæum consequendum, est impertitus; Pœnitens

nitens vero, in actu, quo absolutionem a censuris recepit, ac favores & gratias per occasionem Jubilæi datas in se admisit, ad reliqua injuncta opera exequenda sese obligavit; quemadmodum etiam superius animadversum fuit.

§. X. De Facultatibus caeterorum Confessariorum Urbis, qui in numero Pœnitentiariorum non sunt, neque ex iis, qui a Cardinali Vicario per Annum Sanctum specialiter deputantur.

PRæter Pœnitentiarios Basilicarum ordinarios, atque illos, qui eisdem per occasionem Anni Sancti adjunguntur, ac præter Confessarios etiam a Cardinali Vicario per Annum Sanctum deputatos, alii item ordinarii Confessarii Romæ sunt, de quibus in Bulla *Convocatis* actum est; ut sint qui ceteros coadjuvare, & suam pro sollicita Pœnitentium, qui hoc Anno Sancto Romam adventuri sunt, expeditione, præstare operam possint.

Hi vero ordinarii duplicis generis sunt. Alii Regulares sunt, qui a Superioribus suis, ad Regularibus Prælatis ad subditorum Regularium audiendas Confessiones deputantur. Alii autem Regulares insuper a Cardinali Vicario pro sæcularium Confessionibus excipiendis approbationem habent. Atque hisce postremis in Constitutione: *Convocatis num.* XLI. omnes respectu Pœnitentium Regularium Collegarum suorum, Facultates attributæ sunt, quæ Confessariis a Cardinali Vicario Romæ per Annum Sanctum deputatis sunt concessæ, ac insuper adjuncta eisdem auctoritas est supradictos ab irregularitate dispensandi, quos propter censurarum violationem, dummodo occulta sit, incurrissent; idque per integrum Anni Sancti cursum; ea tamen conditione, ut prædicti Regulares a Cardinali Vicario pro audiendis sæcularium Confessionibus approbati, dicta facultate absolvendi ac dispensandi, non nisi erga ante nominatos Regulares suos, uti possint; qui quidem Regulares, si quando opus fuerit, ad eosdem, non vero ad alios, qui a Superioribus suis tantummodo ad excipiendas Regularium Confessiones deputati sunt, recurrere possunt.

Alii porro ex Sæculari Clero ordinarii Confessarii reperiuntur, qui cum sola quidem Cardinalis Vicarii approbatione, ac licentia Sæcularium Confessiones excipiunt, verum qui minime ab eodem specialiter per Annum Sanctum deputati sunt. Atque his quidem nihil datur, nihilque aufertur, si aliquam forte absolvendi, aut dispensandi legitimam facultatem habeant. Idem vero plane quoad Regulares, qui cum Cardinalis Vicarii approbatione Secularium audiunt Confessiones, a Nobis dicitur, quum respectu sæcularium, aut eisdem addere, aut aliam quamcumque, quam ex alio titulo habeant, legitimam facultatem demere mens Nostra non sit. Nam constitutio nostra: quæ incipit: *Cum Nos nuper*, solos Confessarios qui sunt extra Urbem, comprehendit; quorum Facultates, Anno Sancto durante, remanent suspensæ, sive ex intuitu, & occasione Indulgentiarum, sive ex alia qualibet disparata, ac minime Indulgentias respiciente caussa, concessæ forent; quemadmodum alibi in hac eadem epistola comprobatum est; eadem autem Constitutio: *Cum Nos nuper*, Confessarios non comprehendit Urbis Romæ, in qua sane ad excolendam per Annum Sanctum Domini vineam magno operariorum numero opus est.

Illud modo advertendum, ut hujusmodi Confessarii super Facultatibus, quas habere se arbitrantur, rectum examen instituant; cum eæ a privilegiis legitimis, non revocatis, quæque in usu sint, proficisci debeant, juxta Decretum sanctæ memoriæ Clementis XI. die 3. Maji 1711. pro Confessariis Urbis conditam, & per bon. mem. Cardinalem Petram *tom. 5. Constitut. Apostol. ad Constit. 19. Sixti IV. numer. 14. pag. 572. Romanæ editionis*, typis editam.

Habetis igitur, dilecti Filii, quæcumque exponere vobis necessarium judicavimus; at, graviorum controversiarum, quæ aliis temporibus excitatæ, per Constitutiones occasione hujus Jubilæi editas de medio tollantur, earumque solutionum compendium quoddam a Nobis elaboratum præ oculis habentes, ministerium vestrum accurate & exacte, quod maxime optamus, implere valeatis; ad quem etiam finem adjumentum Vobis allaturam arbitramur Encyclicam alteram Epistolam nostram die 26. Junii Anni vertentis datam de Præparatione ad Annum Sanctum, quam itidem ut legatis, & consideretis, etiam atque etiam monemus. Neque vero mirum quidquam Vobis videri debet, si in hac Epistola nostra, quam in præsens exhibemus, recentibus Auctoribus plerumque usi sumus, nequaquam similes Patrifamilias, qui profert de Thesauro suo *nova, & vetera*; etenim, cum controversiæ ut plurimum a recentibus Auctoribus, atque ab iis, qui de Anno Sancto scripserunt, excitatæ sint; iisdem Nos etiam plerumque uti necessitas coegit. Interim autem Paterna Vos caritate complectentes, Apostolicam Vobis Benedictionem ex animo impertimur.

BULLA TRIGESIMA.

Porta Sancta quatuor Basilicarum aperiendæ denuntiantur. Ad Ostiensis, Lateranensis, & Liberianæ Basilicæ portas Pontificio nomine recludendas deputantur tres Cardinales Legati.

Allocutio habita in Consistorio secreto Feria 2. die 1. Decembris 1749.

Extat sub num. XXIII. Tom. III.

Venerabiles Fratres.

NEmo vestrum ignorat, die sollemni Ascensionis Domini, quem jam peregimus, in Vaticana Basilica futuram Anni Sancti celebritatem primo fuisse promulgatam, quemadmodum in alio præcedenti Consistorio Vobis fuerat indicatum. Jam prope tempus imminet ad eamdem celebritatem secundo indicendam, quod in quarta Adventus Dominica fieri consuevit; cujus quidem rei monumenta ab Alexandri VI. Prædecessoris Nostri Pontificatu repetuntur, qui Jubilæum initio decimi sexti sæculi celebravit. Porro secundam hanc publicationem non semel in limine Basilicæ Sancti Petri in Vaticano, alias vero in limine hujus Palatii Apostolici in Quirinali peractam fuisse, rerum Scriptores commemorant. Nos Jubilæum ex Quirinali secundo indicemus, ut Nobis incommodum, & Vobis etiam minuatur. Sed neque id peragi sineremus, nisi occurrerent exempla Clementis X. & Innocentii XII. Prædecessorum Nostrorum, qui Jubilæum in limine hujus Quirinalis Palatii secundo promulgarunt.

Hac secunda Jubilæi indictione peracta, in pervigilio Natalis Domini, in Basilicis Sancti Petri, Sancti Pauli, Sancti Joanis in Laterano, & Sanctæ Mariæ Majoris, Portæ Sanctæ recludentur. Equidem hoc loco minime contendemus, reseratas etiam fuisse Portas Sanctas, cum Bonifacius VIII. Prædecessor noster primum Jubilæum rite celebravit; nullum enim hujusce rei documentum ex eodem primo Jubilæo desumi potest, neque ex aliis, quæ deinde Clemens VI. Bonifacius IX. Martinus V. Nicolaus V. & Sixtus IV. Prædecessores Nostri peregerunt. Quamobrem sollemnis Portæ Sanctæ aperitio pro Jubilæo auspicando ad Alexandrum VI. Prædecessorem Nostrum merito referenda videtur, qui hanc eamdem celebritatem in quadam sua Constitotione clare, aperteque commemorat. Accedit, quod Burcardus Magister Cæremoniarum ejusdem Pontificis, totius rei, quemadmodum gesta fuit, ritum, ac narrationem in suis Diariis descriptam reliquit.

Illud asserere certo possumus; ritum aperiendæ Portæ Sanctæ, tam Jubilæo inchoando aptissimum esse, tum pietati excitandæ magnopere accommodatum. Etenim Fidelibus in mentem revocatur publicæ pœnitentiæ consuetudo, & publice penitentium disciplina, quæ priscis temporibus in Ecclesia vigebat. Siquidem nonnulli ab ingressu Ecclesiæ prohibebantur, aliis vero toti Missæ Sacrificio præsentes adesse minime licebat, donec Episcopo, seu Pastori, probatum perspectumque esset, illos plene satisfecisse iis omnibus, quæ a Sacris Canonibus præscribebantur. Hi autem Canones multum temporis, multaque exposcebant pro criminum publicorum expiatione, antequam Ecclesiæ aditus pœnitentibus hujusmodi pateret. Plura quoque requirebantur, ut ipsis integro Missæ Sacrificio interesse, & Corporis, ac Sanguinis Christi Domini participer fieri concederetur. Ineunte Jubilæi Anno Pontifex universum terrarum Orbem ad pœnitentiam invitat, & hortatur. Opera quædam pietatis, ac religionis indicit, ab illis perficienda, qui plenariam Indulgentiam lucrari peroptant. Portas Sanctas Basilicarum initio Jubilæi universalis illis omnibus recludit, qui conscientiæ suæ labes animo vere detestantur, & indicta pietatis opera libenter suscipiunt, omnique studio adnituntur, ut ejusdem Indulgentiæ fructus assequantur; summaque benignitate, atque amore permotus idem Pontifex, etiam illis Portam Sanctam petere decernit, qui pravis sæculi cupiditatibus dissolvi, suisque criminibus salutari pœnitentia expiandis operam conferre incipiunt, & ad sacram Indulgentiam rite obtinendam aspirant.

Romanus Pontifex Basilicæ Vaticanæ Portam Sanctam recludere in pervigilio Natalis Domini semper consuevit, nisi forte corporis ægritudine impediretur, quemadmodum Innocentio XII. felicis record. evenit. Nam Cardinalis Bullionius Episcopus Portuensis, loco Pontificis, uti Nos ipsi perspeximus, Basilicæ Vaticanæ Portam Sanctam aperuit, cum eodem tempore Cardinalis Cybo Episcopus Ostiensis, ac Veliternus, & Sacrii Collegii Decanus, gravi morbo teneretur. Si Deus Optimus Maximus sospites & incolumes Nos servabit, in pervigilio Natalis Domini proxime imminentis ad Vaticanum accedemus, ut illius Basilicæ Portam Sanctam aperiamus.

Idem

Idem in aliis Basilicis per Cardinales Legatos nostros eodem pervigilio perficietur. Porro in his Legatis seligendis diversa diversis temporibus obtinuit disciplina. Memoriæ proditum est, constitutum fuisse ab Alexandro VI. quemdam Archiepiscopum familiarem suum, qui Portam Sanctam Basilicæ S. Pauli suo nomine reseraret; verum deinceps Cardinales ad hanc rem gerendam delectos semper fuisse, non est dubitandum.

Illud quoque certissimum est, nullo umquam tempore contigisse, ut Portæ Sanctæ Basilicarum S. Joannis in Laterano, & Sanctæ Mariæ Majoris per alium Cardinalem, quam per Archipresbyterum suum reclusæ fuerint; ita ut, cum Clemens VII. & Julius III. universale Jubilæum celebrarent, & tum forte Cardinalis Decanus Episcopus Ostiensis ac Veliternus Archipresbyteri dignitatem in Basilica Sancti Joannis Lateranensis obtineret, ad eamdam Basilicam S. Joannis pro Sancta Porta aperienda Cardinalis Decanus se contulerit, aliamque Basilicæ Sancti Pauli reseraverit alius Cardinalis, qui Casinensis Ordinis patrocinium gerebat. Porro, cum id posteriori tempore numquam evenerit, Cardinalis Episcopus Ostiensis ac Veliternus, & Sacri Collegii Decanus, hoc munere semper perfunctus est aperiendæ Portæ Sanctæ in Basilica Sancti Pauli, quemadmodum Cardinales Archiresbyteri in suis quique Basilicis idem peregerunt. Nec his profecto aversatur, quod vel tempore Innocenti XII. qui universale Jubilæum indixit, Cardinalis Bandinis Panciaticus ritum Portæ Sanctæ aperiendæ in Basilica Sancti Pauli exercuit, tamquam Ordinis Casinensis Patronus, vel quod, indicto a Benedicto XIII. de Nobis optime merito, universali Jubilæo Anni Sancti, Cardinalis Fabritius Paulutius Portam Sanctam Basilicæ S. Pauli reclusit; tempore siquidem Innocentii XII. uti dictum est, Summus ipse Pontifex ægrotabat, ægrotabat quoque Cardinalis Collegii Decanus, & cum Procedanus in Basilica Vaticana Portam Sanctam aperiret, ad Cardinalem Ordinis Casinensis Protectorem delatum est munus Portam Sanctam aperiendi in Basilica Sancti Pauli, & tempore Benedicti XIII. cum Cardinalis Franciscus de Judice Decanus gravi morbo decumberet, Cardinalis Paulutius, qui Prodecani gradum obtinebat, loco Decani memoratam Portam Sanctam Basilicæ Sancti Pauli reclusit.

Equidem Cardinales Legati in pervigilio Natalis Domini designari solebant in Aula, quæ dicitur Paramentorum, cum Summus Pontifex ad aperiendam Portam Sanctam Basilicæ S. Petri se conferret. Attamen rem magis consentaneam, ac perhonorificam facere Nos arbitrati sumus, si antea, & in Consistorio, Cardinales iidem Legati declarentur.

Verum Ecclesiæ disciplinam, & consuetudinem in reliquis omnibus retinentes, eligimus, ac deputamus Legatum nostrum de Latere, ut Portam Sanctam Basilicæ Sancti Pauli nomine nostro aperiat, Cardinalem Thomam Rufum Episcopum Ostiensem ac Veliternum, Sacri Collegii Cardinalium Decanum, qui per tot annos Bononiam Patriam nostram, ejusque Comitatum, Civitatem quoque, ac Ducatum Ferrariensem, & Provinciam Romadiolæ, munere Legati a Latere præditus, magna cum laude administravit. Insuper eligimus, & constituimus Legatum Nostrum a Latere, ut Portam Sanctam Basilicæ Sancti Joannis in Laterano nomine nostro recludat, Cardinalem Nerium de Corsinis Diaconum Sancti Eustachii, qui ejusdem Basilicæ Archipresbyter illius Clero præsidet. Nepos ipse est Clementis XII. felicis recordationis, qui regia plane munificentia, & maximis sumptibus, eamdem Lateranensem Basilicam interius exteriusque exornavit. Postremo eligimus ac declaramus, Legatum Nostrum a Latere, ut Portam Sanctam Basilicæ Sanctæ Mariæ Majoris aperiat nomine nostro, Cardinalem Hieronymum Columnam Diaconum S. Angeli in Foro Piscium, qui Archipresbyteri Titulo Liberianæ Basilicæ Clero præsidet. Ipse quidem inter præclara Familiæ suæ lumina Martinum V. Prædecessorem Nostrum recenset, cujus nomen a Scriptoribus Ecclesiasticis tantopere commendatur, quique sæculo decimo quinto universale Jubilæum Anni Sancti indixit; enumerat quoque Cardinalem Marcum Antonium Columnam, qui Portam Sanctam Basilicæ S. Mariæ reseravit, cum Gregorius XIII. Prædecessor Noster universale quoque Anni Sancti Jubilæum promulgavit. Neque omittendus est Cardinalis Ascanius Columna, qui ad aperiendam Portam Sanctam Basilicæ Sancti Joannis Lateranensis delectus fuit, cum universale Jubilæum Anni Sancti Clem. VIII. Prædecessor Noster celebravit. Postremo occurrit etiam Cardinalis Hieronymus Columna senior, qui ejusdem Lateranensis Basilicæ Portam Sanctam reclusit, cum Innocentius X. dimidio sæculi decimi septimi celebritatem Anni Sancti peregit.

Itaque prædictis Cardinalibus Legatis Nostris a Latere facultatem impertimur, ut Portas Sanctas, quas superius commemoravimus, nostro nomine aperiant, & populo, qui præsens aderit, plenariam Indulgentiam simul cum Apostolica benedictione auctoritate nostra elargiantur. Ipsos Cardinales ab equitatus sollemni pompa dispensamus, qua ex Vaticano decedentes ad Portam Sanctam recludendam proficisci solebant. Itaque ad Basilicas singulis designatas se conferent ex propriis Ædibus, & suo quilibet nobili comitatu stipatus, curru devehetur. Hoc pacto res gesta fuit, cum Benedictus XIII. universale Jubilæum Anni Sancti auspicatus est.

Inter monumenta Prædecessorum Nostrorum descriptæ ad Nos pervenerunt Allocutiones, quas ipsi ad Annum Sanctum secundo indicendum in Consistoriis protulerunt coram Cardinalibus, ipsos hortantes, ut nihil omnino prætermitterent, quod pietatem concitare posset in illorum animis, qui ex omnibus Terræ partibus eo tempore Romam magna frequentia confluunt, ut universalis Jubilæi Indulgentiam adipiscantur; contenderent etiam omni studio religionis exempla illis præbere, qui a Communione nostra prorsus alieni, Romam Jubilæi tempore veniunt, ut vetusta profanæ antiquitatis monumenta admirentur, & simul accurate ac diligenter præsentes illorum mores potissimum perscrutentur, qui eminenti in dignitate constituti sunt, & quorum consiliis negotia totius Ecclesiæ universalis administrantur. Percelebris est sententia, quam Pius II. Prædecessor Noster usurpare solebat, quoties novos Cardinales renuntiaret: *Tales estote, quales esse debere Cardinales dijudicastis, antequam ipsi hoc culmen ascenderitis*. Id nobis tribuere, & accommodare non recusamus, & illa omnia præstare Nobiscum animo meditamur proximo Anno Jubilæi, quæ Pontificem decere maxime affirmaremus, si Nos ipsi hanc Apostolicam Sedem non teneremus. Idem Vobiscum constituite, Venerabiles Fratres, ut universalis Jubilæi tempore perficiatis ea omnia, quæ Cardinalium nomini, ac dignitati consentanea esse libere diceretis, si Vos ipsi Purpuræ honore decorati non essetis. Sed jam finem dicendi faciamus, quippe de virtute vestra dubitandum non est, cum Nos ipsi mirati simus vestram frequentiam, ac pietatem in Sacris Missionibus audiendis, quas in hac nostra Civitate fieri curavimus, ut animi Fidelium ad Annum universalis Jubilæi disponantur.

BULLA TRIGESIMA PRIMA.

Indulgentiæ Jubilæi Anni Sancti MDCCL. pro Monialibus, Oblatis, Tertiariis &c. necnon Anachoretis, Eremitis, Infirmis, & in carcere, aut captivitate detentis conceduntur,

Cum Facultatibus circa absolutiones, & votorum commutationes.

Extat hæc Bulla in Tom. III. Bullarii sub nu. XXIV. data die 17. Septembris, anno 1749. Pontificatus vero anno Decimo.

BENEDICTUS EPISCOPUS

Servus Servorum Dei.

Ad futuram rei memoriam.

PAterna caritas urget Nos, ut omnium Nostrorum Ecclesiæque Filiorum pia vota, non tam oblata Nobis benigne suscipere, quam animo vix concepta prævertere, eisque recluso Apostolicæ liberalitatis thesauro occurrere studeamus. Dum itaque frequentes ex omni Christiani Orbis Regione Fideles ad Nostram hanc Urbem, & ad Beatorum Apostolorum Limina, pro indicto a Nobis imminentis Anni Sancti Jubilæo consequendo, partim jam advenientes intuemur, partim venturos accipimus, ad complures alios utriusque sexus Christifideles mentis Nostræ oculos convertimus, qui non minori devotionis spiritu incensi, vel etiam animarum suarum necessitatibus impulsi, hujusmodi iter avide agrederentur, nisi eos aut susceptum sanctioris vitæ propositum certis locorum spatiis affigeret, aut ineluctabilis captivitas, vel corporalis infirmitas detineret. Horum Nos fidei, ac desideriis favere, nec non spiritualibus indigentiis consulere, simulque pias preces supplicationesque eorum omnium, inter quos Evangelicæ perfectionis sequaces animæ, lectissima portio Dominici gregis, connumerantur, Nostris, congregatæque Nobiscum Fraternitatis obsecrationibus, ad exorandam Omnipotentis Dei misericordiam, adjungere cupientes, præsentium Litterarum tenore opportunas rationes præscribere decrevimus, per quas tam Viri, quam Mulieres, in Eremis, Monasteriis, & Religiosis Domibus assidue vitam degentes, seu in custodiis, & carceribus detenti, aut morbis & infirmitatibus procul ab Urbe impediti, etiam ad ipsam Urbem non accedentes, neque sacras Apostolorum memorias, & Patriarchales ejusdem Urbis Basilicas respective visitantes, permissarum absolutionum, concessique a Nobis plenarii Jubilæi participes effici valeant.

Ut autem nemini dubium oriri possit, quænam personæ sub harum Litterarum providentia comprehendantur: in primis Moniales omnes, quæcumque sollemnia Religionis

gionia vota emiserunt, & in Monasteriis, sub perpetuæ Clausuræ legibus, sive Locorum Ordinariis, sive Regularibus Superioribus, sive Apostolicæ Sedi immediate subjectæ, vivunt; earum quoque Novitios, aliasque Virgines, seu Mulieres sæculares, Educationis, aut alia de caussa, cum opportunis licentiis in eisdem Monasteriis habitantes; item Monasteriorum hujusmodi Moniales, quæ aliquando ad eleemosynas colligendas ex eorumdem Clausura egrediuntur; nec non Oblatas in communitatibus viventes, quarum institutum ab hac Apostolica Sede approbatum existit, cum earum pariter Novitiis, Educandis, aliisque cum ipsis conviventibus, licet rigorosæ Clausuræ legibus adstrictæ non sint; Tertiarias quoque sub uno eodemque tecto collegialiter viventes, una cum earum Novitiis, Educandis, aliisque sæcularibus Personis in earum societate viventibus, quamvis rigorosam Clausuram non observent, earumque institutum, nec umquam ad hunc diem ab Apostolica Sede approbatum, aut confirmatum extiterit, neque pro approbato, præsentis concessionis vigore, in posterum haberi debeat; ac denique Puellas atque Mulieres in Conservatoriis degentes, quamvis nec Monialium, nec Oblatarum, nec Tertiariarum numero habeantur, neque Clausuræ legibus subjectæ sint, tam in Urbe, quam extra eam ubique locorum & gentium existentes, præsentis concessionis favoribus uti, frui, & gaudere posse volumus, & declaramus.

Item Anachoretas & Eremitas, non quidem eos, qui nullis Clausuræ legibus adstricti, sive collegialiter & in societate, sive etiam solitarii, sub Ordinariorum etiam regimine, certisque legibus aut regulis obtemperantes, vivunt, sed eos, qui in continua, licet non omnimode perpetua Clausura & solitudine, contemplativæ vitæ exercitiis dediti, alter ab altero seorsim degunt, etiamsi Monastici, aut Regularis Ordinis, & instituti Professores existant, uti Cistercienses aliquot, & Chartusienses Monachi, & Eremitæ Sancti Romualdi in more habent, sub hujus concessionis amplitudine volumus comprehensos.

Ad eos etiam utriusque sexus Christifideles, qui in captivitate apud hostes quoquo modo existunt; nec non ad eos, qui ubique locorum, ex civilibus, aut criminalibus caussis, in carceribus tam Episcoporum, aliorumque Ecclesiasticorum Superiorum & Tribunalium, quam Sæcularium Principum, & Magistratuum, & ad Regulares, qui in carceribus Claustralibus detinentur, vel quia nondum eorum caussæ expeditæ sint, vel quia tempus pœnæ eisdem impositæ non adhuc sit elapsum; quive, ex Superiorum quorumcumque præcepto, aliquem locum, aut Civitatem, carceris, & custodiæ, seu exilii, & deportationis loco habent, ac demum ad eos, qui in Triremibus, seu alibi, ad opus damnati, eique addicti reperiuntur, ejusdem præsentis concessionis gratiam misericorditer extendimus. Pro iis tamen, qui carceribus Tribunalis Sanctæ Inquisitionis inclusi ubicumque detinentur, ea, quæ paternæ providentiæ Nostræ opportuna videbuntur, per organum ipsius Inquisitionis Officii præscribere non omittemus.

Denique ad Infirmos pariter utriusque sexus, tam Laicos, quam Ecclesiasticos, sive Sæculares, sive cujuslibet Ordinis, Congregationis, & Instituti Regulares, qui nempe extra Urbem actu aliqua laborant corporis infirmitate, a qua, juxta Medici judicium, non ita tempestive liberari poterunt, ut intra ipsum Jubilæi annum ad Urbem conferre se valeant, vel qui, licet ex hujusmodi infirmitate convaluerint, non tamen sine gravi incommodo, & recidivæ periculo, Romanum iter conficere possent; quive etiam habitualiter infirma valetudine utuntur, adeo ut iter hujusmodi suscipientes, in actualem facile morbum, aliudve grave corporis incommodum incidere possent; ac demum ad senes septuagenario majores; quæcumque inferius præsentibus Litteris respective statuentur, spectare & pertinere volumus pariter, & declaramus.

Hos itaque omnes & singulos monemus, hortamur, & obsecramus in Domino, ut peccata sua in amaritudine animæ recolentes, totoque cordis affectu detestantes, salutari Pœnitentiæ Sacramento, & congruis satisfactionis operibus conscientias suas expiare curent; tum ad vivificum Divinæ Mensæ convivium, innocentiæ & caritatis stola ornati, reverenter accedant: Deumque Optimum Maximum, per Unigenitum Filium ejus, ac per merita Beatissimæ Virginis Mariæ, & Sanctorum Apostolorum Petri & Pauli, omniumque Sanctorum, juxta Nostram, Ecclesiæque mentem, enixis precibus orent pro ejusdem Sanctæ Ecclesiæ exaltatione, hæresum extirpatione, Catholicorum Principum concordia, & totius Christiani Populi tranquillitate & salute: in eumque finem alia, tum voluntaria, tum sibi in locum Visitationis quatuor Basilicarum Urbis ab Ecclesiasticis Superioribus, ut infra, injungenda Religionis, Pietatis, aut Caritatis opera, devote peragant, & exequantur.

Nos enim Venerabilibus Fratribus Episcopis, aliisque Locorum Ordinariis, per præsentes committimus, & demandamus, ut Monialibus, Oblatis, Tertiariis, aliisque superius expressis Puellis sive Mulieribus, tam sibi, quam Nobis & Sedi Apostolicæ immediate subjectis, in eorum Civitatibus, Diœcesibus, & Teritoriis existentibus, Anachoretis quoque & Eremitis, Carceratis, & morbo, seniove affectis, eorum jurisdictioni respective subjectis, atque etiam ab illa exemptis, quatenus Sæculares Personæ, aut extra Claustra forsan cum debitis licentiis Regulares existant; Regularibus autem Prælatis, & Superioribus, ut subditis sibi Monialibus, & si quæ sint Oblatæ, aut Tertiariæ ipsorum regimini subjectæ, & ab Ordinariorum jurisdictione exemptæ, earumque Novitiis, aliisque in earumdem Monasteriis, & Communitatibus, ut supra, degentibus extra Urbem, nec non Religiosis Anachoretis, sive Eremitis, aliisque Religiosis in Carceribus Claustralibus detentis, sive infirmis, & senibus septuagenario majoribus, congrua Religionis, pietatis, aut caritatis opera, æquabili disciplinæ, & indulgentiæ moderatione servata, sive per se ipsos, sive per prudentes Confessarios, designare & præscribere non omittant, quæ illi, & illæ, loco visitationum quatuor Basilicarum, & Ecclesiarum intra & extra Urbis Muros, a Nobis pro consequendo hujus Anni Sancti Jubilæo præscriptarum, juxta singulorum statum, conditionem, & valetudinem, ac loci, & temporis rationes, respective exequi & implere possint ac debeant; & quorum implementum Nos in earumdem Visitationum locum, ad effectum ipsius Jubilæi consequendi, auctoritate Apostolica, commutando subrogamus. Pro Monialibus autem, Oblatis, & Tertiariis quibuscumque hujus Almæ Urbis, earumque Novitiis, nec non Puellis, atque Mulieribus tam in prædictarum Monasteriis & Communitatibus, quam in Conservatoriis ipsius Urbis degentibus, & pro Carceratis in ejusdem Urbis Carceribus, volumus, ut ad Dilectum Filium Nostrum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalem nostrum in ipsa Urbe, ejusque districtu Vicarium in spiritualibus Generalem, ejusve Vicesgerentem dumtaxat, hujusmodi operum designationem, sive per se ipsos, sive per prudentes Confessarios facere, omnino spectet, atque pertineat.

Itaque de Omnipotentis Dei misericordia, & prædictorum Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus auctoritate confisi, ex concessa Nobis, licet immerentibus, Suprema ligandi atque solvendi potestate, omnibus & singulis præfatis Monialibus, Oblatis, Tertiariis, aliisque Puellis, sive Mulieribus in Monasteriis, ac Religiosis, piisque Communitatibus viventibus, Anachoretis, Eremitis, nec non utriusque sexus Captivis, & in carcere, sive in custodia detentis, atque infirmis, & senibus, vere pœnitentibus, & intra præsens Jubilæi Annum rite confessis, ac Sacra Communione refectis, Deumque Optimum Maximum, ut supra dictum est, orantibus, aliaque sibi in locum Visitationis prædictæ injungenda opera, in locis, in quibus extiterint, devote adimplentibus, atque etiamsi, eorumdem operum executione suscepta, ipsos ante integrum eorum implementum ex hac vita migrare contigerit, plenissimam omnium peccatorum suorum Indulgentiam, veniam, & remissionem, etiam duabus vicibus intra ipsius Anni Sancti decursum, si omnia præmissa opera injuncta iteraverint, per eorum singulos consequendam, non secus ac ipsi, & eorum quilibet, præmissa in hac Alma Urbe exequentes, & quatuor Basilicas ejusdem Urbis, pro quibus visitandis Jubilæum ipsum, & Indulgentia per Nos concessa fuit, eodem Jubilæi Anno, diebus ad id statutis, personaliter visitantes, consequerentur, & consequi possent, tenore præsentium, ac de Apostolicæ liberalitatis amplitudine, concedimus, & elargimur.

Eisdemque Monialibus, earumque Novitiis, ut, ad effectum præsentium, & pro prima vice dumtaxat, Confessarios Presbyteros sæculares, vel cujusvis Ordinis Regulares, a Locorum respective Ordinariis ad audiendas Monialium Confessiones approbatos quoscumque; ceteris autem supradictis Anachoretis, Eremitis, nec non Oblatis, Tertiariis, aliisque Puellis & Mulieribus in Monasteriis, & Religiosis, ac Piis Communitatibus, seu Conservatoriis conviventibus, & Christifidelibus captivitate, carceratione, aut custodia, Infirmitate, aut senectute impeditis, tam Laicis, quam Ecclesiasticis sæcularibus, & cujusvis Ordinis, Congregationis, & Instituti, etiam specialiter nominandi, Regularibus, ut ad effectum hujusmodi, & pro prima pariter vice dumtaxat, Confessarios Presbyteros sæculares, sive cujusvis etiam diversi Ordinis Regulares, ab Ordinariis similiter, in quorum Civitatibus, Diœcesibus, & Territoriis Confessiones hujusmodi excipiendæ erunt, ad Personarum sæcularium Confessiones audiendas approbatos quoscumque, eligere valeant; utque Confessarii sic electi, illorum Confessionibus diligenter auditis, eos, & eorum quemlibet a quibusvis peccatis, criminibus, & delictis, quantumcumque gravibus, & enormibus, etiam Sedi Apostolicæ reservatis, etiam in Bulla die Cœnæ Domini legi solita, contentis, absolvere, injuncta ipsis pœnitentia salutari, aliisque juxta Canonicas sanctiones, rectæque disciplinæ regu-

regulas injungendis, ac præsertim, quoad illos in carceribus detentos, quorum Criminales Causæ nondum conclusæ sunt, iisdem serio admonitis de obligatione, qua tenentur Judicibus super eorum delictis legitima auctoritate eos interrogantibus veritatem aperire; quodque hoc animi proposito carentes, absolutionem sacramentalem nullo fructu, quin potius majori animarum suarum damno, suscipiant; si autem cum hujusmodi veritatis fatendæ proposito, aliisque debitis dispositionibus, peccata sua rite confiteantur, absolutio, quam a Confessario obtinuerint, ipsis in foro interno utilis sane & salutaris exister, nullatenus vero in foro externo ad temporales promeritas pœnas evitandas prodesse poterit; utque præterea Confessarii a Monialibus, Oblatis, Tertiariis, aliisque Puellis, & Mulieribus supradictis ad præmissum effectum electi, iisdem Monialibus, intra Monasteria Clausuræ legibus subjecta sollemniter Professis, Vota quæcumque post Professionem emissa, & cum earum observantia Regulari compatibilia, dispensando commutare; Oblatis vero, Tertiariis, & tam istarum, quam prædictorum Monasteriorum Novitiis, ceterisque Puellis, sive Mulieribus sæcularibus in eisdem Monasteriis, & Oblatarum, aut Tertiariarum Domibus, & Communitatibus, nec non in Conservatoriis quibuslibet, Educationis, Convictus, aliave caussa & ratione, cum debitis licentiis commorantibus, omnia & quæcumque Vota, exceptis illis, quæ Nobis & Apostolicæ Sedi reservata sunt, etiam dispensando commutare, easque omnes & singulas, facta commutatione hujusmodi, ab emissorum Votorum, etiam juratorum, observantia absolvere possint, & valeant, dicta auctoritate Apostolica, & earumdem tenore præsentium, misericorditer in Domino concedimus, & indulgemus.

Non obstantibus Nostris super Indictione Jubilæi præsentis Anni in hac Alma Urbe, & super suspensione Indulgentiarum, & Facultatum eodem Jubilæi Anno vertente, nec non Prædecessorum Nostrorum de Indulgentiis non concedendis ad instar, aliisque Apostolicis, & in Universalibus, Provincialibus, & Synodalibus Conciliis editis Constitutionibus, Ordinationibus, & Reservationibus, etiam in eadem Bulla Cœnæ contentis, nec non quorumcumque etiam Mendicantium, & Militarium Ordinum, Congregationum, Societatum, & Institutorum, etiam Societatis Jesu, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, legibus, usibus, & consuetudinibus, etiam immemorabilibus, Privilegiis quoque, Indultis, & Litteris Apostolicis eisdem concessis, præsertim in quibus caveatur expresse, quod alicujus Ordinis, Congregationis, Societatis, & Instituti hujusmodi Professores extra propriam Religionem peccata sua confiteri prohibeantur. Quibus omnibus, & singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione, de illis, eorumque totis tenoribus, specialis, specifica, & individua mentio facienda, vel alia exquisita forma ad id servanda foret, hujusmodi tenores pro insertis, & formas pro exactissime servatis habentes, pro hac vice, & ad præmissorum effectum dumtaxat, plenissime derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Ceterum Venerabiles Fratres Episcopos, aliosque Locorum Ordinarios hortamur, ut, Nostræ & Apostolicæ Sedis benignitatis exemplo permoti, Confessariis a præmissis omnibus ad earumdem præsentium effectum respective eligendis, Facultatem absolvendi eosdem a casibus eisdem Ordinariis respective reservatis, impertiri non recusent.

Volumus autem, ut earumdem præsentium transumptis, sive exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis; & sigillo Personæ in Ecclesiastica Dignitate constitutæ munitis, eadem ab omnibus fides habeatur, quæ ipsis præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

BULLA TRIGESIMA SECUNDA.

Regulares Apostatæ ad suos Ordines cum pœnarum condonatione revocantur.

Extat hæc Bulla in Tom. III. Bullarii sub num. xxv. data die 12. Januarii anno 1750. Pontificatus vero anno Decimo.

BENEDICTUS EPISCOPUS

Servus Servorum Dei

Ad futuram rei memoriam.

PAstoris æterni vices, licet immeriti, gerentes in terris, paternæ caritatis Nostræ partes esse reputamus, ut Oves, quas Satanæ versutia a caulis Domini adduxit, ad easdem opportunis rationibus reducere, & ne in perpetuum pereant, quantum Nobis ex alto conceditur, providere studeamus.

Itaque in præsenti Anno Jubilæi, Anno scilicet remissionis & gratiæ, & quem ad totius Catholicæ Ecclesiæ consolationem, atque ædificationem, apertis, atque largiter prolatis spiritualium gratiarum dispensationi Nostræ divinitus creditarum thesauris, indiximus, & benedicente Domino, maximo cum animi nostri gaudio celebramus, pietatis nostræ viscera erga Regulares professionis suæ desertores aperire, eosque ad Christi ovile, suos videlicet cujusque Ordines, extra quos, Luporum rapacium insidiis, atque periculis expositi, misere vagantur, quantum Divina benignitas largiri dignabitur, ut ad salutarem vitæ normam, quam amplexi fuerant, velut postliminio reversi, vota sua Domino reddere studeant, revocare cupientes, ac fel. record. Urbani VIII. Clementis X. Innocentii XII. & Benedicti XIII. Romanorum Pontificum Prædecessorum Nostrorum, qui Annis Jubilæi tunc instantibus, seu currentibus, ejusmodi Regularium desertorum reductioni provide consuluerunt, vestigiis inhærentes, auctoritate Apostolica, tenore præsentium, misericorditer indulgemus, ac statuimus, & decernimus, ut Regulares Apostatæ, & Fugitivi, cujuscumque sint Ordinis, tam Mendicantium, quam non Mendicantium, Congregationis, Societatis, & Instituti etiam necessario exprimendi, qui citra Montes intra quatuor, ultra Montes vero intra octo menses, a publicatione earumdem præsentium Litterarum inchoandos, sua sponte ad suam quisque Religionem redierint, tunc pœnarum omnium ipsis propter Apostasiam hujusmodi inflictarum, vel infligendarum remissionem, atque impunitatem assequantur; ita tamen, ut debeant a suo quisque respective Superiore humiliter petere absolutionem, & coram eo culpam fateri, atque emendationem polliceri; & viceversa Superior benigne illos teneatur ab hujusmodi pœnis absolvere, & paterna caritate complecti; cui propterea, ad effectum præmissum dumtaxat, quatenus opus sit, omnem facultatem necessariam dicta auctoritate harum serie impertimur.

Non obstantibus quibusvis Apostolicis, seu in Universalibus, Provincialibusque Conciliis editis generalibus, vel specialibus Constitutionibus & Ordinationibus, ac quorumvis Ordinum, Congregationum, Societatum, & Institutorum, aliisque quibusvis etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, stilis, & usibus etiam immemorabilibus. Privilegiis quoque, Indultis, & Litteris Apostolicis etiam Ordinibus, Congregationibus, Societatibus, & Institutis hujusmodi, illorumque Generalibus, & aliis Superioribus, ac Personis quibuslibet, sub quibuscumque verborum tenoribus, & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, & insolitis clausulis, irritantibusque, & aliis decretis, etiam motu proprio, & de Apostolicæ potestatis plenitudine, ac Consistorialiter, & alias quomodolibet in contrarium præmissorum in genere, vel in specie concessis, & quantiscumque vicibus iteratis, approbatis, confirmatis, & innovatis; quibus omnibus & singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut alia aliqua exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores hujusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, & forma in illis tradita observata, exprimerentur, præsentibus pro plene & sufficienter expressis, & insertis habentes, illis in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Ut autem eædem præsentes Litteræ omnibus facilius innotescant, volumus illarum exempla ad dilectos Filios Nostros, & Apostolicæ Sedis Nuntios, ac Venerabiles Fratres Patriarchas, Archiepiscopos, Episcopos, aliosque Ecclesiarum Prælatos, & Locorum Ordinarios transmitti, qui illas quantocitius publicare studeant. Ipsarum vero præsentium Litterarum Transumptis, seu Exemplis etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo Personæ in Ecclesiastica Dignitate constitutæ munitis, eamdem omnino fidem in judicio; & extra illud ubicumque locorum haberi, quæ haberetur ipsis præsentibus, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Nulli ergo omnino hominum liceat, paginam hanc Nostrorum indulti, statuti, decreti, concessionis, derogationis, & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus, se noverit incursurum.

BULLA TRIGESIMA TERTIA.

Ad claudendas Portas Sanctas in exitu Anni Jubilei deputantur tres Cardinales de Latere Legati in Consistorio secreto Feria II. die 7. Decembris anno 1750.

Extat sub num. xxvi. Tom. III.

Venerabiles Fratres;

IN Consistorio secreto habito feria secunda die prima Decembris Anni mox elapsi, Vobis annuntiavimus, Nos in pervigilio Natalis Domini Portam Sanctam Basilicæ Vaticanæ esse reclusuros, prout, Deo adjuvante, reclusimus. In eodem Consistorio elegimus Nostros a Latere Legatos Cardinalem Thomam Rufum, Episcopum Ostiensem, & Veliternum, Sacri Collegii Decanum, ut nomine Nostro aperiret Portam Sanctam Basilicæ Sancti Pauli; Cardinalem Nerium de Corsinis Diaconum S. Eustachii, & Archipresbyterum Basilicæ Lateranensis, ut nomine Nostro dictæ Basilicæ Portam Sanctam recluderet; denique Cardinalem Hieronymum Columnam Diaconum Sancti Angeli in Foro Piscium, & Liberianæ Basilicæ Archipresbyterum, ut nomine Nostro Portam Sanctam prædictæ Basilicæ aperiret. Aperuerunt, & Plenariam Indulgentiam Popolo, qui præsens aderat, simul cum Apostolica Benedictione, auctoritate Nostra elargiti sunt. In Pervigilio imminentis Festivitatis Nativitatis Domini Nostri JESU CHRISTI, more solito, claudemus Portam Sanctam Basilicæ Vaticanæ. Nunc autem eosdem Cardinales, quos deputavimus de Latere Legatos, ut Portas Sanctas Basilicarum Sancti Pauli, Sancti Joannis in Laterano, & Sanctæ Mariæ Majoris nomine Nostro aperirent, eligimus, & deputamus in Cardinales de Latere Legatos, ut nomine Nostro unusquisque Portam Sanctam, quam aperuit, claudat; unicuique eorum auctoritatem attribuentes elargiendi populo præsenti Plenariam Indulgentiam una cum Apostolica Benedictione. Et quemadmodum ipsos in accessu ad aperitionem Portarum Sanctarum dispensavimus ab Equitatus sollemni pompa, qua ex Vaticano Cardinales de Latere Legati proficisci solebant, & concessimus, ut unusquisque ad suam Basilicam se conferret ex propriis Ædibus curru devectus, suoque nobili comitatu stipatus; hoc ipsum ut fiat, etiam nunc indulgemus, cum in imminenti Pervigilio Nativitatis Domini ad sibi designatam Basilicam unusquisque accessurus est, Portam Sanctam clausurus.

BULLA TRIGESIMA QUARTA.

Extensio Universalis Jubilæi in Urbe celebrati anno 1750. ad Universum Catholicum Orbem.

Extat hæc Bulla in Tom. III. Bullarii sub nu. xxvii. data die 25. Decembris, anno 1750. Pontificatus vero anno Undecimo.

BENEDICTUS EPISCOPUS

Servus Servorum Dei

Universis Christifidelibus præsentes Litteras inspecturis, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

BENEDICTUS Deus, Pater misericordiarum, & Deus totius consolationis, qui dedit Nobis elapsum Jubilæi Annum, secundum desideria cordis Nostri, per omnia felicem, faustumque transigere. Repleti sumus consolatione, superabundavimus gaudio, dum toto hujus Anni decursu, Dilectorum in Christo Nostrorum Ecclesiæque Filiorum fidem, religionem, pietatemque perspeximus. Vidimus confluenter ad hanc Urbem Nostram innumeros ex omni lingua, & populo, & natione, ex omni ordine, ætate, ac sexu, Christifideles, qui ipso suo adventu, & propriæ fidei fervorem, & amplitudinem Regni Dei testabantur. Eosdem vidimus ad sacra ejusdem Urbis Templa certatim accurrentes, in spiritu contrito, & humiliato, animarum suarum expiationi consulere, & sicut olivarum novellas in circuitu Mensæ Domini, vivifica Christianæ unitatis, & pacis Sacramenta percipere: Tum etiam impigro studio, & religiosa frequentia, ab una ad alteram sæpe procedentes Ecclesiam; nunc in Constantiniana Lateranensi Basilica, Salvatoris Nostri Clementiam, per merita ipsius Beati Præcursoris, ejusdemque Dilecti Discipuli, & Evangelistæ exorantes; nunc in Liberiana Æde in Exquiliis, gloriosæ Virgini Dei genetricis opem, atque præsidium implorantes; nunc Sacram Apostolorum Principis Confessionem in Vaticano; nunc via Ostiensi Doctoris gentium Martyrium osculantes, uberibusque lacrymis perfundentes, pro Ecclesiæ Catholicæ pace, & exaltatione, cunctorumque credentium incolumitate, & salute, unanimes ferventesque preces effundere. Quo spirituali gaudio auribus Nostris audivimus ejusdem Urbis vias, & fora; areas, & colles, piis precationibus, suavibus canticis, ac Divini Nominis laudibus personare! Quot esse commota sunt paterna viscera nostra, dum confertissimos vidimus Fidelium greges, Nostris pedibus circumfusos, in persona humilitatis Nostræ, Vicariam Christi potestatem venerari, ac Beati Petri Apostolatum, cujus Dignitas in indigno herede non deficit, effusis filialis obsequii significationibus prosequi! His populorum flagrantibus studiis Sacrorum præluxerunt exempla Pastorum, qui ad honorandam de more memoriam ejusdem Beatissimi Ecclesiæ Principis, hoc Anno potissime frequentes se contulerunt, & quorum Nos splendida corona stipati, sacros Conventus maxima cum dignitate, universæque Fraternitatis ædificatione, celebravimus. Quid vero dicemus de Venerabilibus Fratribus Nostris Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus, aliisque Curiæ Nostræ Proceribus, qui piorum operum assiduitate ceteris præeuntes, simulque Christianæ humilitatis exercitationibus infra quoscumque, licet abjectæ sortis, Fratres sese demittentes, Christi bonus odor facti sunt universæ Civitati, & omnibus, qui fuerunt in ea? Quid demum de totius dilectissimæ Urbis Cleri, ac Populi devotione narrabimus, cujus pietatis exempla, cujus charitatis officia erga advenas, & peregrinos, hoc Anno præsertim largiter, ac sedulo impensa, in universo mundo annuntianda fore non dubitamus? Benedicti Filii Nostri, Romanæ Urbis Cives & Incolæ, qui fecerunt hanc misericordiam cum Fratribus suis. Nos autem confitebimur Domino, quoniam benignus est, quoniam consolationes ejus lætificaverunt animam Nostram.

Sed præterea magna a Nobis spes jure ac merito concepta est, eumdem clementissimum Dominum, imploratam votis Nostris misericordiam suam Nobis ostensurum, idque demum Ecclesiæ suæ largiturum fore, quod tam concordibus studiosisque obsecrationibus a se postulari concessit: ut scilicet Ecclesiam ipsam Catholicam, & Regnum Filii sui, per totum terrarum Orbem, & sanctitate, & amplitudine exaltet; ut cunctis Mundum purget erroribus, ut inter Christianos Principes concordiam, & pacem confirmet; universamque Christi sui plebem ab omni mundana adversitate defendens, ad æternæ salutis portum dirigat, atque perducat. Quod ut ab eodem Deo Optimo Maximo fidentius petere audeamus, de prædictorum Fratrum Nostrorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium consilio, decrevimus, Universos Christifideles, qui ubique locorum & gentium unius Fidei Communione Nobis junguntur, in hujusmodi votorum societatem adscire, apertoque largius Indulgentiarum Thesauro, efficaciter invitare; sperantes fore, ut dum ad id assequendum, animarum suarum maculas per pœnitentiam eluendo, se comparabunt, ac pio devotionis effectu ferventes, debitaque erga Sedem Apostolicam observantiæ specimen in hoc ipso præseferentes, injuncta pietatis & religionis opera exercebunt; & singuli in semetipsis id, quod pro aliis postulabunt, obtineant; & quas pro Fratribus preces, supplicationesque offerent, eidem bonorum omnium largitori, innocentiæ & caritatis suæ merito commendent.

Itaque de Omnipotentis Dei misericordia, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus auctoritate confisi, ex suprema ligandi atque solvendi potestate, quam Nobis Dominus, licet indignis, contulit, omnibus & singulis utriusque sexus Christifidelibus, in quacumque Mundi parte existentibus, & in Apostolicæ Sedis gratia, & obedientia manentibus, etiam iis, qui forsan elapso Anno Romam venerunt, ibique, seu alibi, quavis ratione, hoc idem Jubilæum a Nobis concessum adepti sunt, vere pœnitentibus, & confessis, & sacra Communione refectis; qui intra sex menses, a die publicationis præsentium in qualibet Diœcesi faciendæ computandis, Ecclesiam ipsius Cathedralem, seu Majorem, aliasque tres ejusdem Civitatis, aut Loci, sive in illius Suburbiis existentes, ab Ordinariis Locorum, vel eorum Vicariis aliisve de ipsorum mandato, designandas, semel saltem in die, per quindecim continuos, vel interpolatos dies, sive naturales, sive etiam Ecclesiasticos, nimirum a primis Vesperis unius diei, usque ad integrum ipsius subsequentis diei vespertinum crepusculum, devote visitaverint, ibique pro Sanctæ Matris Ecclesiæ exaltatione, hæresum extirpatione, Catholicorum Principum concordia, & Christiani populi salute & tranquillitate, pias ad Deum preces effuderint, ut plenissimam ejusdem Anni Jobilæi omnium peccatorum suorum Indulgentiam, remissionem, & veniam semel consequantur, perinde ac si quatuor Basilicas, seu Ecclesias, intra & extra Urbem pro consequendo Jubilæo hujusmodi a Nobis designatas, statutis ad id diebus personaliter visitassent, & alia ad hoc requisita adimplevissent, misericorditer in Domino concedimus, & impertimur.

Navigantes vero, & iter agentes, ut, si post elapsos menses hujusmodi, ad sua se domicilia, seu alio ad certam stationem se receperint, suprascriptis peractis, & visitata totidem vicibus Ecclesia Cathedrali, vel Majori, aut Parochiali loci eorum domicilii, seu stationis hujusmodi, eamdem Indulgentiam consequi possint, & valeant;

leant;

leant: Nec non prædictis Locorum Ordinariis, ut cum Monialibus, Oblatis, aliisque Puellis, aut Mulieribus, sive in Monasteriorum Clausura, sive in aliis Religiosis, aut piis Domibus, & Communitatibus vitam ducentibus, Anachoretis quoque, & Eremitis, ac aliis quibuscumque tam Laicis, quam Ecclesiasticis Personis, Sæcularibus, vel Regularibus, in Carcere, aut Captivitate existentibus, vel aliqua corporis infirmitate, seu alio quocumque impedimento detentis, quominus supra expressas visitationes exequi possint, super præscriptis hujusmodi visitationibus tantummodo; cum Pueris autem, qui nondum ad primam Communionem admissi sint, etiam super Communione hujusmodi dispensare, ac illis omnibus & singulis, sive per se ipsos, sive per eorum, earumque Regulares Prælatos, aut Superiores, vel per prudentes Confessarios, alia pietatis, caritatis, aut religionis opera, in locum visitationum hujusmodi, seu respective in locum Sacramentalis Communionis prædictæ, ab ipsis adimplenda præscribere; atque etiam Capitulis, Congregationibus tam Sæcularium, quam Regularium, Sodalitatibus, Confraternitatibus, Universitatibus, seu Collegiis quibuscumque, Ecclesias hujusmodi processionaliter visitantibus, easdem visitationes ad minorem numerum, pro suo prudenti arbitrio, reducere possint ac valeant, earumdem tenore præsentium, concedimus pariter, & indulgemus.

Insuper iisdem Monialibus, earumque Novitiis, ut sibi, ad hunc effectum, Confessarium quemcumque ad excipiendas Monialium Confessiones ab actuali Ordinario Loci, in quo earum Monasteria constituta sunt, approbatum; Ceteris autem omnibus & singulis utriusque sexus Christifidelibus Laicis, quam Ecclesiasticis, Sæcularibus, & cujusvis Ordinis, Congregationis, & Instituti, etiam specialiter nominandi, Regularibus, licentiam concedimus, & facultatem, ut sibi ad eumdem effectum eligere possint quemcumque Presbyterum Confessarium, tam Sæcularem, quam cujusvis etiam diversi Ordinis, & Instituti Regularem, ab actualibus pariter Ordinariis, in quorum Civitatibus, Diœcesibus, & Territoriis Confessiones hujusmodi excipiendæ erunt, ad personarum Sæcularium Confessiones audiendas approbatum, qui intra dictum semestris spatium, illas, & illos, qui scilicet præsens Jubilæum consequi sincere, & serio statuerint, atque ex hoc animo ipsum lucrandi, & reliqua opera ad id lucrandum necessaria adimplendi, ad Confessionem apud ipsos peragendam accedant, hac vice, & in foro conscientiæ dumtaxat, ab Excommunicationis, Suspensionis, & aliis Ecclesiasticis Sententiis & Censuris, a jure, vel ab homine quavis de caussa latis, seu inflictis, etiam Ordinariis Locorum, ac Nobis, & Sedi Apostolicæ, etiam in Bulla die Cœnæ Domini legi solita, seu per alias quascumque Apostolicas Constitutiones quomodocumque reservatis, & a Sacris Canonibus fulminatis; nec non ab omnibus peccatis, & excessibus, quantumcumque gravibus & enormibus, etiam iisdem Ordinariis, ac Nobis, & sedi Apostolicæ, ut præfertur, reservatis, injuncta ipsis Pœnitentia salutari, aliisque de jure injungendis, absolvere, nec non Vota quæcumque, etiam jurata, ac Sedi Apostolicæ reservata (Castitatis, Religionis, & Obligatoriis, quæ a tertio acceptata fuerint, seu in quibus agatur de præjudicio tertii; semper exceptis; nec non pœnalibus, quæ præservativa a peccato nuncupantur, nisi commutatio futura judicetur ejusmodi, ut non minus a peccato committendo refrænet, quam prior voti materia) in alia pia & salutaria opera commutare; & cum Pœnitentibus hujusmodi in Sacris Ordinibus constitutis, etiam Regularibus, super occulta Irregularitate ad exercitium eorumdem Ordinum, & ad superiorum assecutionem, ob Censurarum violationem dumtaxat contracta, dispensare possint & valeant, eadem auctoritate, & Apostolicæ benignitatis amplitudine, concedimus & indulgemus.

Non intendimus autem per præsentes super aliqua alia Irregularitate vel publica, vel occulta, seu defectu, aut nota, aliave incapacitate, aut inhabilitate quoquomodo contractis, dispensare, vel aliquam facultatem tribuere super præmissis dispensandi, seu habilitandi, & in pristinum statum restituendi, etiam in foro conscientiæ, neque etiam ulli Confessario facultatem absolvendi Complicem in quolibet inhonesto contra sextum Præceptum peccato; aut Complici, Confessarium hujusmodi ad effectum præsentium eligendi licentiam impertiri, ut jam in aliis Nostris Litteris incipiens. *Sacramentum Pœnitentiæ*, Anno Incarnationis Dominicæ Millesimo septingentesimo quadragesimo primo, Kalendis Junii, Pontificatus Nostri Anno Primo editis, generaliter declaratum fuit; neque demum easdem præsentes iis, qui a Nobis, & Apostolica Sede, vel ab aliquo Prælato, seu Judice Ecclesiastico, nominatim excommunicati, suspensi, interdicti, seu alias in sententias, & censuras incidisse declarati, vel publice denuntiati fuerint, nisi intra tempus dictorum sex mensium satisfecerint, & cum partibus, ubi opus fuerit, concordaverint, ullo modo suffragari posse, aut debere.

Ceterum, si qui post inchoatum hujus Jubilæi consequendi animo, præscriptorum operum implementum, morte præventi, præfinitum Visitationum numerum complere nequiverint, Nos piæ promptæque illorum voluntati benigne favere cupientes, eosdem vere pœnitentes, & confessos, ac Sacra Communione refectos, prædictæ Indulgentiæ & remissionis participes perinde fieri volumus, ac si prædictas Ecclesias diebus præscriptis reipsa visitassent. Si qui autem, post obtentas, vigore præsentium, absolutiones a censuris, aut Votorum commutationes, seu dispensationes prædictas, serium illud, ac sincerum, ad id alias requisitum, propositum ejusdem Jubilæi lucrandi, ac proinde reliqua ad id lucrandum necessaria opera adimplendi, mutaverint, licet propter id ipsum a peccati reatu immunes censeri vix possint, nihilominus hujusmodi absolutiones, commutationes, & dispensationes ab ipsis cum prædicta dispositione obtentas, in suo vigore persistere decernimus, ac declaramus.

Ut autem hujus consilii Nostri, quod pro totius Populi Christiani salute & sanctificatione suscepimus, optatum consequamur effectum, maxima, post Deum, fiducia Nobis reposita est in Venerabilium Fratrum Nostrorum Ecclesiæ Dei Antistitum cooperatione & sedulitate. Itaque omnes Patriarchas, Primates, Archiepiscopos, aliosque Ordinarios Locorum Prælatos, sive Ordinariam localem jurisdictionem, in defectum Episcoporum & Prælatorum hujusmodi, legitime exercentes, gratiam & communionem Sedis Apostolicæ habentes, per nomen Domini Nostri, & Pastorum Principis Jesu Christi, & per Caritatem Ecclesiæ ipsius Sponsæ hortamur, rogamus, atque etiam Apostolica auctoritate ipsis injungimus, ut simul ac præsentium Litterarum exempla ad eorum manus pervenerint, non solum easdem sollemniter publicare, & in reliquis sibi superius injunctis exequi non prætermittant, verum etiam omni studio adnitantur, ut Fideles sub eorum regimine constituti, oblatam sibi occasionem reformationis, reconciliationis, & sanctificationis cum gaudio suscipiant; ac se Apostolicæ Sedis favoribus & gratiis dignos exhibentes, has ipsas in uberrimum animarum suarum, Ecclesiæque universæ fructum convertant. Quid jam ab ipsorum Antistitum zelo, in præparandis ad Universalis Jubilæi acquisitionem subjectis sibi plebibus, præstari optaverimus, dudum eisdem per Apostolica scripta ex hac Sede directa significavimus. Quid vero Nos ipsi hac Urbe nostra in eundem finem præstiterimus, ad eorum notitiam perlatum fuisse putamus. Quo demum pietatis fructu, quo religionis exemplo, in hac ipsa Urbe, benedicente Domino, celebrata fuerit ipsius Jubilæi sollemnitas, nullum Terræ angulum latere arbitramur. Merito igitur ab iisdem Ecclesiarum Pastoribus expectamus, & petimus, ut attendentes ad Petram, ex qua excisi sunt, suam cum Romana Ecclesia unitatem, & communicationem in hoc etiam ostendere gestiant, ut singuli in suis Civitatibus, & diœcesibus id efficere curent, quod ipsa Ecclesiastica Mater, pro totius Catholicæ Societatis profectu & incremento, pro Christiani Populi emendatione & salute, expetit, quod eadem Romana Ecclesia illustribus exemplis commonstrat & docet. Omnes itaque Pastoralis sollicitudinis curas in id impendant, ut commissos sibi Populos, in ejusdem disciplinæ puritate, Christianæque pietatis fervores concordes exhibeant, unusque per omnes Catholicas Ecclesias bonorum operum splendor appareat; ut omnium Fidelium consentientibus precibus exoratus Omnipotens Pater, Ecclesiam suam miseratione continuata emundet, defendat, amplificet; Supremos Principes, qui eius ordinatione in sublimitate sunt, cœlestibus benedictionibus cumulet; universosque credentes, per viam pacis, & per mandatorum suorum semitas, ad æternam salutem, quam Nobis Unigenitus ipsius Filius promeruit, gratiæ suæ munere perducat. Tunc demum gaudium nostrum plenum erit, ipsique Ecclesiarum Pastores de profectu Sanctarum Ovium una nobiscum exultatione gaudebunt.

Carissimos denique in Christo Filios Nostros, Imperatorem electum, ac Reges, & Principes omnes Catholicos, quorum plerique pro hujus Jubilæi ad eorum Regna, atque Dominia extensione suum Nobis desiderium significarunt, quum satis intelligere non dubitemus, ex hoc salutari opere in eorum Ditionibus exequendo, cum piæ conversationis augmento, sinceræ erga ipsos obedientiæ studium, in populis eorum Ditioni subjectis magis magisque firmatum iri, Divinæque, propitiationis auxilium, ad ipsorum Dominantium, eorumque Principatuum prosperitatem & pacem, efficacius implorari; idcirco eosdem omnes & singulos fidentius hortamur atque rogamus, ut omnia ad jumenta & auxilia præstent dictis Ecclesiarum Prælatis, ad hoc ut pium hujusmodi opus aptissimis mediis promovere, & ad optatum finem perducere valeant.

Præsentes quoque Litteras per omnia validas, & efficaces existere, suosque plenarios effectus, ubicumque per

dictos Ordinarios Ecclesiarum Præsules publicatæ, & executioni mandatæ fuerint, sortiri & obtinere, omnibusque Christifidelibus in Apostolicæ Sedis gratia & obedientia manentibus, in hujusmodi locis commorantibus, sive ad illa postmodum ex navigatione, & itinere se recipientibus, plenissime suffragari volumus, atque decernimus; non obstantibus de Indulgentiis non concedendis ad instar, aliisque Apostolicis, & in Universalibus, Provincialibus, & Synodalibus Conciliis editis Constitutionibus, Ordinationibus, & generalibus, seu specialibus absolutionum, seu relaxationum, ac dispensationum reservationibus, etiam in prædicta Bulla Cœnæ contentis; nec non quorumcumque, etiam Mendicantium, & Militarium Ordinum, Congregationum, Societatum, & Institutorum, etiam Societatis Jesu, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, legibus, usibus, & consuetudinibus, etiam immemorabilibus, Privilegiis quoque, Indultis, & Litteris Apostolicis eisdem concessis, præsertim in quibus caveatur expresse, quod alicujus Ordinis, Congregationis, Societatis, & Instituti hujusmodi Professores extra propriam Religionem peccata sua confiteri prohibeantur. Quibus omnibus, & singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione, de illis, eorumque totis tenoribus, specialis, specifica, & individua mentio facienda, vel alia exquisita forma ad id servanda foret, hujusmodi tenores pro insertis, & formas pro exactissime servatis habentes, pro hac vice, & ad præmissorum effectum dumtaxat, plenissime derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Volumus autem, ut earumdem præsentium Transumptis, sive Exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo Personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem ab omnibus fides habeatur, quæ ipsis præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

BULLA TRIGESIMA QUINTA.

De Jubilæi extensione ad universum Catholicum Orbem Epistola Encyclica ad omnes Patriarchas, Archiepiscopos, & Episcopos, aliosque Locorum Ordinarios gratiam, & communionem Sedis Apostolicæ habentes.

Posita in Tom. III. Bullarii sub num. 28. & data die 1. Januarii anno 1751. Pontificatus anno Undecimo.

BENEDICTUS PAPA XIV.

Venerabilis Frater, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

CElebrationem Magni Jubilæi in hac Alma Urbe, Domino adjuvante, complevimus, clausa per Nos ipsos juxta antiquam consuetudinem Porta Sancta Basilicæ Principis Apostolorum in Vaticano, quam ipsi quoque initio Anni Sancti solemni ritu aperuimus; quemadmodum aliarum Basilicarum Portæ, nimirum Sancti Pauli Via Ostiensi, Sancti Joannis in Laterano, & Sanctæ Mariæ Majoris, de mandato nostro, per S. R. E. Cardinales Legatos ad id per Nos deputatos, apertæ, & clausæ fuerunt. Multæ vero, justæque sunt Nobis caussæ, cur & Nobiscum animo lætemur, & maximas Omnipotenti Deo bonorum omnium datori gratias rependamus, dum quæ hac occasione in votis habuimus, impleta, quæque fieri mandavimus, diligentissime perfecta fuerunt. Jussimus opportuno tempore Vias per universam Ditionem nostram peregre advenientium commodo sterni, & complanari, idque accurate ac in tempore peractum fuit. Mandavimus rerum omnium, quæ ad victum pertinent, magnam copiam, tum in cunctis Ditionis prædictæ locis, tum maxime in Urbe comparari, quo scilicet ii, qui pro Jubilæi assecutione iter facerent, quosque propterea in Urbe commorari oporteret, necessaria quæque suis usibus invenirent pro justo pretio; contra quam evenire solet, ubi pro frequentia hominum extra ordinem confluentium, opportuna cibaria ante coacta non fuerint; & hoc etiam mandatum Nostrum diligenter curatum fuit. Cum autem anno superiore, antequam Jubilæum aperiretur, omnibus, ad quos pertinebat, studiose commendatum per Nos fuerit, ut Ecclesiæ Urbis restaurarentur, earumque nitori, atque ornatui, quantum fieri posset, ac Divini cultus ratio posceret, consuleretur; non satis explicare possumus, quam cumulate Nobis hac in parte satisfactum fuerit, quantaque animi nostri lætitia decorem Domus Dei undique fulgere conspexerimus. Jam vero invitationi nostræ, qua universos Christifideles ubique Terrarum constitutos, ad veneranda Sanctorum Apostolorum limina, & lucrandum Indulgentiæ Thesaurum excitavimus, incredibilis respondit confluentium multitudo, qui huc advenerunt ex remotissimis etiam Regionibus, ex Armenia, Syria, Ægypto, aliisque; ita ut longe superarit hominum concursum, qui pluribus aliis Jubilæi Anni fuisse memoratur, quemque Nos ipsi duobus proxime præcedentibus hujusmodi annis in Urbe vidimus. Ut autem peregrinantes non solum in Terris Dominio Nostro subjectis, sed etiam in aliorum Principum, & Rerumpublicarum Ditionibus, benigne susciperentur, atque ita exciperentur, ut renovata dici possent antiqua caritatis exempla, ob quæ Peregrinationes ad sacra Apostolorum limina ad hunc diem adeo celebrantur, quum Nos hortationes Nostras quaquaversum præmittere non omiserimus, nihil Nobis hac etiam in re desiderandum superfuit. Præterea Venerabiles Fratres omnium Ecclesiarum Antistites per Apostolica scripta hortati fuimus, ut Fideles eorum regimini subjectos, qui Romanum iter ea occasione susciperent, sedulo instructos esse curarent, tum de sacri Jubilæi natura, & utilitate, tum de recta illius assequendi ratione; hoc autem ab ipsis studiose impletum fuisse, ex eo cognoscere licuit, quod numquam alias Sanctarum Basilicarum visitationes tam magna frequentia, tamque perspicuis devotionis ac pietatis argumentis, quemadmodum elapso anno, peractas fuisse perhibetur: Porro innumeri fere Fideles, ut ex Pœnitentiariorum relatione accepimus, generalibus peccatorum confessionibus, cum magna sinceræ pœnitentiæ & compunctionis significatione, animas suas expiare studuerunt; alii autem magno numero, hæresi, quam profitebantur, rite & ex animo ejurata, ad Sanctæ Catholicæ Romanæ Ecclesiæ gremium feliciter redierunt.

Neque vero Romana pietas externorum pietate remissior apparuit. Cum enim & appropinquante Anno Sancto, & eo etiam vertente, sacras Missiones in Plateis, & Ecclesiis Urbis fieri jusserimus, incredibile est, quam magno concursu, & quam pia affectione Populus Romanus ad Prædicationem Verbi Dei animum intenderit. Atque hinc potissimum præclara illa prodierunt pœnitentiæ, & religionis exempla, quæ omnium ordinum Cives in peragendis piis Anni Sancti exercitationibus certatim ediderunt. Sane illi, quos, tamquam lucernas super candelabrum positas, majori bonorum operum luce splendere decebat, ita votis Nostris, & expectationi responderunt, ut maximam ex eorum pietate consolationem, plenumque gaudium Nos percepisse gloriemur. Etenim Venerabiles Fratres Nostros Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, ac Episcopos, & Curiæ nostræ Præsules, aliosque Urbis Proceres, ac Nobiles utriusque sexus; tum sacris Missionum prædictarum exercitiis assidue adstantes oculis nostris conspeximus; tum toto Anni Sancti decursu partim vidimus, partim audivimus, præscriptas Ecclesiarum Visitationes devote peragere, Peregrinorum Mensis humiliter ministrare, eorum pedes in publicis Hospitiis abluere, eosdemque interim non minus verbo, quam exemplo docere; publicis Ecclesiæ Functionibus assidue interesse; pauperum indigentias largis eleemosynis sublevare; sustentare suis facultatibus Locorum Piorum impensam, cui aliter pares esse non potuissent hujusmodi Locorum census, dum munus suum esse reputant, infinitæ Peregrinorum multitudini domicilium, cubilia, mensas, munifica liberalitate præbere. Quæ omnia quum in conspectu totius fere Catholici Orbis peracta fuerint, conticescere sane cogent homines impudentissimos, qui ab Ecclesiæ communione alieni, calumniari ausi sunt, Jubilæi in Urbe celebrationem nil aliud, quam scandalorum cumulum, & ad pecunias colligendas inventum, dici debere.

Jam vero sub ipsum Anni Sancti initium, Nos Prædecessorum Nostrorum exemplis inhærentes, edita Constitutione, quæ incipit, *Paterna caritas*, (*vid. sup. num.* XXIV. *pag.* 147.) non modo Monialibus, Anachoretis, Eremitis, atque in carcere, seu in captivitate detentis, sed etiam iis, qui propter corporis infirmitatem ad Urbem accedere prohiberentur, concessimus, ut Sacra Indulgentia, aliisque favoribus universali Jubilæo adnexis, extra Urbem compotes fieri possent, subrogatis in locum Visitationum Basilicarum ipsius Urbis, piis aliis operibus, eorum Præsulum, & Superiorum prudenti arbitrio præscribendis. Quod vero spectat ad eos, quibus neque Clausuræ lex, neque corporis infirmitas impedimento esset ad Romanum iter suscipiendum, non una fuisse dignoscitur Apostolicæ Sedis disciplina, in concedenda nimirum illis, aut deneganda facultate consequendi extra Urbem, Anno Sancto labente, Indulgentiam, aliosque favores Jubilæo adnexos; etiamsi ageretur de sublimioribus Personis, quarum par est peculiarem rationem haberi. Sane de Prædecessore Nostro Clemente Papa VI. legitur, quod ad concedendam Hugoni Regi Cypri Indulgentiam Anni Sancti, qui tum Romæ celebrabatur, adduci non potuit, quamvis ille ardenter eam expeteret, seque ab itinere Romam versus ineundo publicis quibusdam necessariis negotiis impeditum asseveret: *Licet enim* (inquit) *alii plures Principes, sicut Tu, etiam id devote petierint, Venerabiles Fratres Nostri attendentes, quod Indulgentia ipsa, sicut pro ipsarum animarum salute, sic pro honore Sanctorum ac veneratione concessa est, consentire quod daretur alicui, nisi easdem*

Basi-

Basilicas & Ecclesias visitarint, nullatenus voluerunt. Contra vero alter Prædecessor Noster Bonifacius Papa IX. Anni Sancti tempore concessit piis & Catholicis Principibus, Richardo Angliæ, & Joanni Lusitaniæ Regibus, ut Jubilæi Indulgentiam extra Urbem assequi possent, facta eorum Confessarii facultate præscribendi ipsis alia opera pia, quæ loco itineris ad Urbem, & visitationis Basilicarum ipsius Urbis, implere deberent. Invenimus etiam Sixtum Papam IV. Nostrum similiter Prædecessorem, dum Jubilæum Romæ celebraret, indulsisse Regi, & Reginæ Castellæ, ac Legionis, eorumque Consanguineis, Ducibus, & Baronibus, ut etiamsi Romam ad Sacras Basilicas invisendas non accederent, aliis quibusdam piis operibus adimpletis, Jubilæi Indulgentiam consequi valerent. Neque dissimiles sunt concessiones, quas a Prædecessore quoque Nostro Julio Papa III. Annum Sanctum pariter celebrante, favore Caroli V. Romanorum Imperatoris, ejusque Filii Philippi tunc Hispaniarum Principis nuncupari, aliorumque Principum, prodiisse cognovimus. Itaque Nos horum Pontificum proxime memoratorum vestigiis insistentes, minime recusavimus, postulantibus Carissimis in Christo Filiis Nostris Catholicis Regibus, aliisque Principibus, qui non valetudinis, aut ætatis vitio, sed aliis publicis de caussis impediti essent, quo minus Romam accederent, indulgere, ut per alia pia & salutaria opera, in locum hujusmodi itineris, & accessus, ipsis opportune præscripta, ad consequendam, etiam Anno Sancto vertente, sacri Jubilæi Indulgentiam, sese disponere possent.

Quemadmodum vero in hujusmodi Indultorum concessione, ut ex hucusque dictis apparet, Nos a Prædecessorum Nostrorum usu & disciplina minime recessimus, atque etiam in hujusmodi disciplinæ varietate mitiorem magisque benignam partem elegimus; ita nunc eamdem agendi rationem servare in animo habemus, dum, expleto Anni Sancti cursu, Jubilæi Indulgentiam atque tunc favores ad alias Catholici Orbis partes, in omnium Christifidelium utilitatem, etiam eorum, qui dicto Anno Romam non accesserunt, extendere & ampliare intendimus. Porro laudatus Prædecessor Noster Sixtus PP. IV. quum advertisset Anno Jubilæi 1475. a se celebrato, propter bellorum suscipiones, & male tuta itinera, non magnum in Urbe fuisse confluentium numerum; ut animarum Christifidelium, dissitarum præcipue Nationum, saluti consuleret, statuit, & indulsit, ut qui sequenti anno, a Kalendis Maii usque ad ipsius anni finem, Bononiam se contulissent, ibique quatuor ab ipso Pontifice designatas Ecclesias visitassent, eamdem Jubilæi Indulgentiam consequi possent, quæ anno præcedenti Romam accedentibus concessa fuerat; quapropter miram Peregrinorum multitudinem ex omni Orbis parte Bononiam ea occasione confluxisse, memoriæ proditum est. Alterius quoque supra memorati Pontificis Gregori XIII. extant Apostolicæ Litteræ, quibus post celebratum anno 1575. in Urbe Jubilæum, ad preces Sancti Caroli Borromæi tunc Archiepiscopi Mediolanensis, idem Jubilæum ad Civitatem & Populum Mediolanensem extendit, ejusdem Sanctissimi Præsulis arbitrio relinquens, ut ipsius Jubilæi lucrandi modum, & tempus, necnon Ecclesias, quæ in eum finem visitari deberent, pro sua prudentia statueret; id quod ab eo cum magna populi ædificatione præstitum fuisse, Ecclesiæ Mediolanensis Acta, & Scriptores de vita ejusdem Sancti Caroli agentes fuse testantur. Sed & præfatus Clemens VI., quem supra narravimus alienum fuisse a concedenda Jubilæi Indulgentia, durante Anno Sancto, his, qui ad Urbem non accessissent, transacto Anno Sancto 1350. Fratribus Ordinis Sancti Augustini, qui in proxime sequenti Festo Pentecostes, pro celebrando sui Ordinis Capitulo Generali Basileæ convenerant, eamdem Indulgentiam concessit, quam singuli eorum præcedenti anno Romam venientes consequi potuissent. Similes quoque Jubilæi extensiones favore quarundam Personarum, sive Communitatum, post Annum Sanctum 1060. a Prædecessore Nostro Bonifacio Papa IX. concessæ leguntur. De generalibus vero concessionibus, per quas, post Jubilæi celebrationem Romæ peractam, ejusdem beneficia ad universum Catholicum Orbem extensa fuerunt, plura extant exempla a Prædecessoribus Nostris, Alexandro VI., Gregorio XIII., Clemente VIII., aliisque etiam a Nostra ætate minus remotis, Urbano VIII., Innocentio X., Clemente X., Nobis relicta.

Quibus Nos permoti, similem generalem concessionem favore omnium Christifidelium ubique Terrarum existentium promulgare decrevimus. Cum autem id, anteactis temporibus, hac ratione plerumque fieri consueverit, ut scilicet unicuique Episcopo pro hujusmodi extensione supplicanti, concederentur Apostolicæ Litteræ in forma Brevis, quibus ad ipsius postulantis Civitatem atque Diœcesim dumtaxat extendebatur Jubilæum Anni Sancti; cumque proinde facile eveniret, ut aliqui aut rerum imperiti, aut de hoc non cogitantes, hujusmodi Litterarum expeditionem negligerent, quamvis illæ omnibus sine ullo prorsus sumptu, expediri consueverint, ideoque plures Civitates atque Diœceses, tanti spiritualis beneficii expertes remanerent; Nos quidem satius esse judicavimus, unica generali Constitutione, Indulgentiam Jubilæi universalis, cum aliis Privilegiis, atque favoribus in ipsa Constitutione indicatis, ad omnem, qua late patet, Ecclesiam extendere; quo & communis fiat omnibus rite expetentibus hujusmodi Thesauri acquirendi facultas, & Vobis, Venerabiles Fratres, seu vestris in Urbe negotiorum gestoribus, nulla supersit cura pro peculiarium, quas supra diximus, Litterarum expeditione.

Plures sane Constitutiones, seu Litteræ Apostolicæ a Nobis editæ sunt, occasione Jubilæi Anni Sancti. Prima Constitutio, quæ incipit: *Peregrinantes*, (*ut supra numer.* XVII. *pag.* 74.,) omnibus Catholicæ Ecclesiæ Filiis directa, Indictionem continet ipsius Universalis Jubilæi, elapso nuper Anno Sancto 1750. in Urbe celebrandi. In altera, cujus initium est: *Cum Nos nuper*, (*ut supra numer.* XVIII. *pag.* 81.) Prædecessorum Nostrorum morem sequuti, declaravimus, quæ Indulgentiæ, quæque Facultates, eodem Anno Sancto, suspensæ remanerent, & quæ in suo vigore perseverarent. Deinde Epistolam Encyclicam direximus ad omnes Patriarchas, Archiepiscopos, & Episcopos, cujus prima verba sunt: *Apostolica Constitutio*, (*ut supra numer.* XIX. *pag.* 82.;) atque in ea egimus de his, per quæ unusquisque ad consequendam Sacri Jubilæi Indulgentiam se comparare deberet. Mox aliam edidimus Constitutionem, quæ incipit: *Convocatis*, (*ut supra numer.* XX. *pag.* 92.,) in qua distincte a Nobis expositæ fuerunt Facultates, quas pro Anni Sancti decursu concedere intendebamus, tum Pœnitentiariis in Basilicis, & Ecclesiis Urbis constituendis, tum etiam Confessariis a S. R. E. Cardinale Nostro in Urbe Vicario deputandis; quo facto plures confusiones in hoc rerum genere alias exortæ, in antecessum sublatæ fuerunt. Addita quoque ibidem sunt monita quædam, a prædictis omnibus pro recto usu Facultatum sibi concessarum observanda. Post hæc, quum in evolvendis, non sine diuturno atque oneroso labore, Operibus Theologorum, qui *Morales* vocantur, innumeras deprehendissemus controversias, quæ ab iis varie agitantur, tum circa usum Facultatum, quæ Pœnitentiariis in Urbe deputatis pro Anno Sancto conceduntur; tum circa rationem & modum Indulgentiæ consequendæ; & quidem in earum tractatione advertissemus diversas omnino vias per hujusmodi Scriptores initas; operæ pretium duximus aliam Epistolam exarare; dictis Pœnitentiariis per Urbem constitutis, & Confessariis a Cardinale Vicario deputatis inscriptam, quæ Italico sermone prodiit, incipiens: *Fra le fatiche*, (*ut supra numer.* XXI. *pag.* 88.,) quæque nunc forsan in Latinum conversa est. In ea ostendimus, plerasque difficultates, quæ aliis temporibus excitatæ fuerant, & prævisas a Nobis, & simul, per opportuna verba in Nostris Constitutionibus ad eum diem promulgatis apposita, resolutas fuisse; cumque ageretur de rebus a voluntate Nostra unice pendentibus, eam quidem aperte declarare non omisimus, omnesque dubitandi caussas submovere, indicatis etiam rationum momentis, quibus singula a Nobis statuta innitebantur. Illud quoque animo occurrit, quod etiam a Prædecessoribus Nostris provide cogitatum fuisse animadvertimus, complures fore, qui pro Jubilæo assequendo, in ipsius Anni Sancti decursu, libenter ad Urbem venturi essent, nisi illis suscepti status ratio, aliudve ineluctabile impedimentum, hanc peregrinationem prohiberet; cujusmodi sunt Moniales Oblatæ, aliæque Virgines, ac Mulieres in Monasteriis, & Religiosis Domibus vitam degentes, item Anachoretæ, Eremitæ, Infirmi, senioque affecti, atque in carcere, seu in captivitate detenti; Quibus omnibus, ne piorum votorum fraudarentur effectu, opportune provisum a Nobis fuit per aliam Nostram superius citatam Constitutionem, cujus initium est: *Paterna caritas*, (*ut supra numero* XXIV. *pagina* 151.)

Denique quum id solummodo superesset, ut nempe Jubilæum Anni Sancti in Urbe nuper propositum, elapso jam Anno a Nativitate Domini 1750., quo supra diximus, indictum fuerat, ad reliquos omnes Christifideles, etiam qui ad Urbem præterito Anno minime accessissent, nec de suarum Regionum finibus egressuri essent, ex Apostolicæ liberalitatis abundantia extenderetur; id nunc a Nobis præstitum est per Nostram Constitutionem nuperrime editam, quæ incipit: *Benedictus Deus*, (*ut supra numer. præcedenti pag.* 262.), cui etiam hanc Nostram Encyclicam Litteram ad Vos, Venerabiles Fratres, directam adjungere opportunum judicavimus.

In hac igitur Constitutione statuuntur opera injuncta, quæ unusquisque pro Indulgentiæ consecutione exequi debet; præfinitur tempus, intra quod hujusmodi opera sunt adimplenda, enuntiantur Facultates, quæ Confessariis tribuuntur, ad hoc ut Fideles peccata sua in sacramentali Confessione ipsis aperientes, a censuris, & ab omnibus peccatis, & excessibus, quantumvis gravibus & enormibus, etiam Locorum Ordinariis, aut Sedi Apostolicæ reservatis, in foro conscientiæ absolvere possint. Ordinariorum arbitrio & prudentiæ permittitur, pro per-

personis suarum Diœcesum, quæ ab exequendis injunctis operibus impeditæ fuerint, & ex aliis justis caussis, opportunas eorum commutationes, aut reductiones concedere.

Denique id Nobis curæ fuit, ut dum eamdem Jubilæi gratiam, quæ Christifidelibus in Urbe præsentibus præterito Anno concessa fuerat, pro aliquibus ineuntis Anni mensibus, qui in Bulla indicantur, ad universum Catholicum Orbem extendimus, maximam servaremus similitudinem, quantum rerum natura ferebat; tam in operum injunctorum præscriptione, quam in concessione Facultatum, quibus Confessarii uti poterunt; ita ut illa quidem, quæ dicta fuerunt in præfata Epistola Encyclica, quæ incipit: *Apostolica Constitutio*, de sacramentalis Confessionis, & Communionis necessitate, deque dispositionibus, quæ ad ea Sacramenta digne ac fructuose percipienda afferri debent; item ea, quæ leguntur in Bulla incipiente: *Convocatis*, & in alia Epistola, cujus initium est: *Fra le fatiche*, circa modum visitandi Ecclesias, & circa preces in hujusmodi visitationibus Deo offerendas pro Jubilæi tunc Romæ indicti acquisitione, eadem omnia in præsenti ejusdem Jubilæi extensione locum habere censenda sint. Cum vero Facultates, quæ Pœnitentiariis pro Anno Sancto Romæ deputatis indulgeri solent, numquam generaliter concedi consueverint, etiam Jubilæi tempore, Confessariis extra Urbem constitutis, in hac sane Constitutione, quæ incipit: *Benedictus Deus*, Confessariis extra Urbem concessæ sunt ampliores illæ Facultates, quas propositi finis ratio expetere visa est, & Apostolicæ Sedis consuetudo tulit. In quarum tamen intelligentia & usu, si quod ullibi dubium oriri contingat, consuli poterunt eædem Litteræ Nostræ: *Convocatis*, aliæque Italicæ: *Fra le fatiche*; in quibus omnia ad hujusmodi dubiorum solutionem facientia aperientur. Licet enim in hac Bulla: *Benedictus Deus*, non omnia repetita sint, quantum ad Facultates pertinet, quæcumque in duabus prædictis Litteris continentur; nihil tamen in hac novissima Constitutione continetur, de quo in eisdem Litteris sermo habitus non fuerit.

Porro in pluries memorata Constitutione: *Convocatis*, data fuerat Pœnitentiariis per Ecclesias Urbis constitutis Facultas absolvendi etiam Regulares ex iis Ordinibus, in quibus viget prohibitio, ne aliis, quam proprii Ordinis Sacerdotibus approbatis, peccata sua confiteantur. In alia autem Constitutione: *Paterna caritas*, per quam indultum fuit Monialibus, Oblatis, Tertiariis, Anachoretis, aliisque impeditis, ut Jubilæum, ipso etiam Anno Sancto, extra Urbem consequi possent; prædictis Monialibus, earumque Novitiis facultatem concessimus eligendi sibi, ad Sacramentalem Confessionem pro dicti Jubilæi consecutione peragendam, Presbyteros Confessarios quoscumque, sive Sæculares, sive Regulares, sed tamen *a Locorum Ordinariis ad audiendas Monialium Confessiones approbatos*; reliquis autem Oblatis, Tertiariis, aliisque Mulieribus in Monasteriis, seu in Religiosis & Piis Domibus vitam degentibus, necnon Carceratis, Infirmis, ceterisque impeditis personis, tam Laicis, quam Ecclesiasticis, Sæcularibus, aut quorumcumque Ordinum Regularibus, etiam specifica mentione & expressione dignis, indulsimus, ut ad eumdem effectum sibi eligere possent quemcumque Confessarium Sæcularem, aut cujuslibet etiam diversi Ordinis Regularem, qui tamen approbatus esset ad audiendas personarum sæcularium Confessiones ab Ordinariis, *in quorum Civitatibus, Diœcesibus, & Territoriis, Confessiones hujusmodi excipiendæ essent*. Id etiam confirmatum voluimus in hac recenti Constitutione, per quam Jubilæum Anni Sancti ad alias Catholici Orbis partes extendimus, ut videre licet in §. *Insuper*, ubi Monialibus, earumque Novitiis facultas indulgetur eligendi *Confessarium quemcumque, ad excipiendas Monialium Confessiones, ab actuali Ordinario loci, in quo earum Monasteria constituta sunt, approbatum*; aliis vero Christifidelibus tam Laicis, quam Ecclesiasticis Sæcularibus, vel cujuscumque Ordinis, Congregationis, & Instituti, etiam specialiter nominandi, Regularibus, permittitur, ut ad supradictum effectum eligere possint *quemcumque Presbyterum Confessarium, tam Sæcularem, quam cujusvis etiam diversis Ordinis & Instituti Regularem, ab actualibus pariter Ordinariis, in quorum Civitatibus, Diœcesibus, & Territoriis, Confessiones hujusmodi excipiendæ erunt, ad personarum sæcularium Confessiones audiendas approbatum*; Deinde vero in §. *Præsentes*, contrariis quibuscumque Legibus, Constitutionibus, & Consuetudinibus derogatur, ac nominatim iis, quibus vetitum sit, ne quorumdam Ordinum Regulares extra proprium Ordinem sacramentaliter confiteri possint.

Eruditioni autem vestræ, Venerabiles Fratres, ignotæ non erunt innumeræ controversiæ, quæ inter Morales Theologos agitantur, tum circa Confessarium, quem quilibet eligere potest Jubilæi tempore, ubi hujusmodi electio permittitur in Litteris, quibus Jubilæum ipsum conceditur; tum etiam circa Ordinarium Loci, cujus approbatio necessaria est, ut aliquis in Confessarium tunc eligi valeat. Aliqui enim putarunt eligi posse Confessarium, etiam qui ab Ordinario Pœnitentis dumtaxat ad audiendas Confessiones approbatus fuerit. Alii non dubitarunt asserere, Apostolica adesse Privilegia quibusdam Personis concessa, quorum vigore Privilegiati hujusmodi, dummodo semel approbati fuerint ab aliquo Ordinario Præsule, licet non Ordinario illius Loci, in quo Confessiones excipiendæ sunt, nihilominus ubique in Confessarios eligi possint. Alii subtilius disputantes, dixerunt, derivandam quidem esse approbationem ab Ordinario Loci, in quo Confessiones excipiuntur; sed sufficere illam, quam Sacerdos aliquando habuerit ab eo Præsule, qui Ordinariam jurisdictionem in hujusmodi loco obtinuerit; licet non amplius idem ei loco præsit, vel quia morte sublatus fuerit, vel quia ad alterius Ecclesiæ regimen auctoritate Apostolica translatus sit. Hujusmodi ratiocinationum commenta ad varias hujus S. R. E. Cardinalium Congregationes non semel delata, sæpe etiam reprobata fuerunt; nec omiserunt ipsi Romani Pontifices in suis Apostolicis Constitutionibus, eadem contrariis Decretis configere, ut videre est in Bulla rec. mem. Prædecessoris Nostri Clementis Papæ X., quæ incipit: *Superna*, & in alia fel. record. Innocentii Papæ XIII. incipiente: *Apostolici Ministerii*, necnon in Nostra, cujus initium est: *Apostolica Indulta*, in Bullario Nostro impressa *Tom. 1. num.* 100. Et quidem in dictis Prædecessorum Constitutionibus apposita fuit derogatio contrariis quibuscumque Privilegiis, licet post Tridentinum Concilium forsan concessis; in Nostra vero hujusmodi derogatio extensa fuit ad alia quælibet Privilegia, etiam a dictis Prædecessoribus, & a Nobis ipsis ibidem non nominatim expressa. Quoniam vero in præmissis nulla mentio facta fuit de Universali Jubilæo, de quo tunc minime agebatur; ne forte hujusmodi reprobatæ sententiæ iterum in medium proferrentur, hac occasione, qua forsan contendi posset, eas maxime congruere ampliori Ecclesiæ liberalitati, qua, dum toto Terrarum Orbe ab ipsius Filiis celebratur universale Jubilæum, nonnisi post vigintiquinque Annos recurrens, Spirituales Thesauros aperit, & Pœnitentibus largiter applicari desiderat; ideo in hac recenti Constitutione Nostra, quæ incipit: *Benedictus Deus*, ejusmodi verba inseruimus, per quæ omnes contrariæ, & reprobatæ opiniones, etiam præsentis Jubilæi tempore, exclusæ remanent; quæ quidem verba, occasione alterius Jubilæi sive universalis, sive particularis adhibita, eumdem effectum similiter sunt habitura.

Cum autem Nos in hac novissima Constitutione agendo de Confessariis, quos Moniales, earumque Novitiæ eligere poterunt, facultatem eisdem concesserimus eligendi *Confessarium quemcumque ad excipiendas Monialium Confessiones ab actuali Ordinario Loci, in quo earum Monasteria constituta sunt, approbatum*, quæ verba superius etiam in hisce Litteris recitata fuerunt; quæsitum est ab aliquibus an liceat Monialibus hac occasione in Confessarium eligere ejusmodi Presbyterum, quem Ordinarius, non quidem peculiariter pro earum Monasterio, sed pro aliquo alio approbaverit. Super quo Nos animadvertentes, quod si Monialibus necesse esset Confessarium pro earum dumtaxat Monasterio approbatum eligere, frustraneum fere remaneret Privilegium hoc tempore eisdem concessum; facile adducti sumus, ut declararemus, licere Monialibus, earumque Novitiis, in hoc præsenti Jubilæo, ad effectum ejusdem Jubilæi consequendi, Confessarium eligere, ab actuali Ordinario loci, etiam pro alio Monasterio, vel *pro Monialibus in genere* approbatum, nec umquam ob demerita expresse reprobatum; quum Nos non magis ab opinionibus laxis, quam ab iis, quæ nimium & intolerabilem rigorem inducunt, alienos Nos esse profiteamur.

Et hæc quidem Vobis, Venerabiles Fratres, hac nostra Encyclica Epistola exponere opportunum duximus. Reliqua vero a singulis vestrum, in propria cujusque Civitate, ac Diœcesi sunt peragenda. Curandum scilicet est ab unoquoque vestrum, assiduisque precibus, & hortationibus adnitendum, ut Populus regimini vestro commissus, ad peccata sua sincero corde, plenaque voluntate detestanda adducatur, ac per sacramentalem Confessionem rite ac pie peractam, ad consequendum Jubilæi fructum sese disponat. Sane si Indictio Jubilæi ita fiet per Diœceses, ut nullis antea publicis precibus divinæ opis auxilium exoretur, ut neque Pastoris voce, neque scripto, ad pœnitentiam Populus excitetur; si, præviis opportunis institutionibus, Christiana plebs non edocebitur, qua ratione fructuosam peccatorum Confessionem peragere debeat, nec de Confessionis generalis utilitate, atque etiam certis in casibus de illius necessitate, admonebitur; si deinde Sacerdotes Confessarii competentem animarum vulneribus medicinam afferre non satagent; valde veremur, quod sine lacrymis scribere aut cogitare non possumus, ne Jubilæi celebratio inani specie animos detineat; at nihil solidi fructus reipsa in Populis operetur. Nos equidem, dum pro certo confidimus, complures peccatores in iniquitatibus antea demersos, elapsi Anni Sancti decursu, per infinitam Dei nostri misericordiam,

diam, e cœno emersisse, plurimosque Fideles Sacri Jubilæi fructum percepisse, hoc simul persuasum habemus, id maxime referendum esse Cælesti illi divinæ lucis radio, quo permoti fuimus, tum ad excitandum singulorum Episcoporum zelum, ut in suis quique Diœcesibus, eos, qui Romanum iter aggressuri erant, prædictis medus ad Jubilæi perceptionem præpararent; tum etiam ad agendum in Urbe ea omnia, quæ & anno præcedenti, & ipso Anno Sancto Jubilæi, egimus, & per alios fieri curavimus, ut opportunis instructionibus, & admonitionibus, ad veram pœnitentiam disponerentur omnes, & ad eam peragendam excitarent.

Neque vero alicui vestrum, Venerabiles Fratres, in mentem veniat, satis jam muneri suo se fecisse, dum superiore anno publicas preces fieri curavit, atque instructiones, catecheses, & conciones habuit, seu haberi jussit, ad instructionem eorum, qui Romam ad Jubilæum consequendum venturi erant, itaut minime necesse sit rursus ea omnia nunc peragere, quum ad ipsam Civitatem suam, atque Diœcesim, ejusdem Jubilæi beneficium extenditur. Non ita se gessit Sanctus Carolus Borromæus, Episcoporum exemplar, & splendidissimum lumen, qui quum antea Populum suum ad sacram peregrinationem ad Urbem suscipiendam, sermonibus, instructionibus, & concionibus præparasset, ac vehementer hortatus esset; cum etiam Romam ipse venisset, atque hic præclara illa pietatis, & religionis exempla edidisset, quibus dumtaxat inspectis, multi peccatores ad pœnitentiam statim conversi sunt; ad suam postmodum Ecclesiam reversus, obtentaque, ut supra diximus, a Gregorio Papa XIII. post Annum Sanctum, extensione Jubilæi pro sua Mediolanensi Diœcesi, minime contentus fuit his, quæ pro disponendis subditis suis ad Romam iter suscipiendum, & ad Jubilæi fructum, per implementum operum injunctorum in Urbe, consequendum, præstiterat; sed, quum dictam extensionem publicaturus esset, eodem, quo antea, religionis zelo incensus, publicas denuo preces indixit, conciones ad Populum habuit, evulgavitque instructiones plenas doctrinæ, ac pietatis, quæ in Actis Ecclesiæ Mediolanensis habentur; denique nihil eorum omisit, quæcumque utilia, aut necessaria putavit, ut Populum suum ad pœnitentiam adduceret, eumque ad percipiendum Jubilæi fructum disponeret.

Non levis momenti res nunc agitur, Venerabiles Fratres, Ecclesiæ Thesaurus referatur, Plenariæ Indulgentiæ assequendæ via cunctis Fidelibus aperitur, simulque amplissimæ remittendorum criminum Facultates Sacramenti Pœnitentiæ Ministris tribuuntur. Et quamvis beneficia, quæ initio nonnisi centesimo quoque anno generaliter concedi solebant, modo post singulos vigintiquinque annos concedantur; longe tamen plures, ut fert humana conditio, erunt, quibus ætas non sufficiet, ut eorum compotes iterum fieri possint, quam qui post alios vigintiquinque annos adhuc superstites, ad ea consequenda aspirare valeant. Opera injuncta ejusmodi sunt, ut ne laxioribus quidem, & mollioribus nimis aspera & gravia videri possint; præsertim si cogitabunt, duobus circiter sæculis ante Pontificatum Bonifacii VIII., a quo Jubilæum Anni Sancti formam accepit, Plenariam hujusmodi Indulgentiam cupientibus, injungi consuevisse, ut in Palæstinam, pro ea regione ab Infidelium manibus recuperanda pugnaturi sese conferrent: *Quicumque pro sola devotione, non pro honoris, vel pecuniæ adeptione, ad liberandam Ecclesiam Dei Hierusalem profectus fuerit, iter illud pro omni pœnitentia reputetur.* Verba sunt Prædecessoris Nostri Urbani Papæ II. in Concilio Claromontano anno MXCVI. habito. Super quibus verbis Venerabilis Servus Dei, Joseph Maria Cardinalis Thomasius, quem in hac potissimum materia libenter citamus, quum olim eidem clarissimo Viro Collegæ fuerimus in Officio Consultoris Congregationis Cardinalium Indulgentiis propositæ, ita scriptum reliquit. *Hanc Plenariam Indulgentiam, in qua opus injunctum gravissimum erat sumptibus, incommodis, laboriosissimis itineribus, & imminentibus vitæ periculis, ut potius videri possit commutatio pœnitentiæ, quam hujus absoluta relaxatio &c. hanc, inquam, Plenariam Indulgentiam pro Terra Sancta, alii postea Summi Pontifices semper confirmarunt. Nec alia mihi occurrit Indulgentia Plenaria usque ad medium decimiquarti Sæculi, in quo Bonifacius VIII. illam elargitus est pro anno Jubilæi MCCC.* Hæc doctus ille piusque Cardinalis, in quodam Opusculo manuscripto, quod brevi forsan in lucem prodibit, inter alia ejus Opera, quorum accuratissima Editio hoc tempore adornatur.

Hæc omnia in mentem vobis revocare opportunum duximus, ut zelum vestrum excitaremus, ne quid intentatum relinquatis, quo adduci valeant Populi vestræ curæ, fideique concrediti, ad sinceram pœnitentiam, ad perfectam peccatorum Confessionem, veramque emendationem vitæ, atque ita ad consequendam in Patriis Regionibus Plenariam Jubilæi Indulgentiam, licet elapso Anno ad Urbem quacumque de causa non accesserint, sese disponant. Huic denique Epistolæ nimis jam in longum productæ finem imponimus, rogantes vos & obsecrantes in Domino Jesu, ut sæpe cogitetis, quem locum vobis dederit Cælestis Militiæ Imperator in magna illa Legione, quam ipse ad exstirpandos de Mundo errores, universosque gloriæ suæ hostes debellandos, ad stabiliendum justitiæ, & veritatis Regnum, & ad salvandas Animas, comparavit atque instituit. Mementote, præclaras semper ab hac Legione victorias, Dei omnipotentis auxilio, reportatas fuisse, quoties illius Duces, ac Milites constanti animo, ac strenua Ecclesiastici pectoris virtute dimicarunt. Galliarum quondam Regiones per unum Hilarium ab Arianorum contagione liberatæ fuerunt. Eorumdem erroribus Hispaniæ per annos prope trecentos miserandum in modum involutæ, per Leandrum & Isidorum ex iis tandem emerserunt. Augustinus in Africa Manichæorum, Donatistarum, Pelagianorum conatus repressit, ac fregit. Ambrosius Italiam pestifera Hæresum labe afflatam præservavit. Athanasius, Basilius, Gregorius, Catholicam Religionem in Ægypto, & in Oriente, unde Hæretici magno numero exorti universum Orbem corrumpere moliebantur, suis laboribus, periculis, scriptis conservarunt. Chrysostomus Græciam, & Asiam a perfidiæ sordibus repurgavit. Usque ad recentiora descendamus exempla, videte quanta præstiterit in Indiis Xaverius, quanta in Regionibus Nostris Carolus Borromæus, & Franciscus Salesius, quantum per eos, aliosque Sacerdotali virtute præditos Viros, Catholicæ Fidei puritas, Ecclesiasticæ disciplinæ nitor, Christianæque pietatis studia, incrementum acceperint. Horum intuentes exempla, sectamini virtutes, & Pastoralis sollicitudinis zelum in vobis exprimite, oblatamque vobis occasionem, ad salvandas a perditione Animas, ad reformandos Populi mores, ad piorum operum consuetudines inducendas aptissimam, libenter arripite.

Hoc credite, Venerabiles Fratres, magnam esse apud Christianos Populos vim Religionis Divinæ, ardoremque pietatis in cordibus Fidelium Spiritus Sancti virtute diffusum, si Sacerdotum opera congruis foveatur alimentis, & opportunis temporibus excitetur, in magnas caritatis flammas erumpere. Id probe intellexerunt, Deo inspirante, plerique Catholici Reges, ac Principes, qui pia Subditorum suorum desideria animo complectentes, demissas Nobis preces pro hujus Jubilæi extensione ad Ditionum suarum Provincias exhiberi mandarunt. Quorum voluntati quum Nos, collaudata eorum eximia pietate, plenissimo affectu obsecundare non distulerimus, vestrum est, Venerabiles Fratres, eorum studiis simul, ac Nostris Ecclesiæque votis, operam vestram adjungere: & hoc potissimum tempore, dum pro eorumdem Christianorum Principum prosperitate, & salute unusquisque vestrum publicas Ecclesiæ vestræ preces Omnipotenti Deo offeretis, Gregis vestri sanctificationem, semper quidem curæ vestræ concreditam, nunc autem peculiaribus quoque eorum sollicitudinibus vobis commendatam, vestris prædicationibus, exemplis, laboribus promovere. Nos autem, in præclari operis adjumentum, vobis, Venerabiles Fratres, Cælestis auxilii gratiam, Christianisque plebibus regimini vestro subjectis pacem Dei precamur; vobisque, & illis Apostolicam Benedictionem ex animo impertimur.

BULLA TRIGESIMA SEXTA.

Nova concessio, & præfinitio Indulgentiarum pro Fratribus, & Sororibus Tertii Ordinis Sæcularis Sancti Francisci Assisiensis.

Extat hæc Bulla in Tom. III. Bullarii sub num. 41. data die 15. Martii anno 1751. Pontificatus vero anno Undecimo.

BENEDICTUS EPISCOPUS

Servus Servorum Dei

Ad futuram rei memoriam.

AD Romanum Pontificem inexhausti Ecclesiæ thesauri dispensatorem pertinet Indulgentiarum a Prædecessoribus suis, diversis temporibus, atque rationibus concessarum incertitudinem, ac dubia, & controversias super iis excitatas atque vigentes, indeque ortas fidelium animarum perturbationes, suprema sua auctoritate, juxta probatam Apostolicæ Sedis consuetudinem, & Sacri Tridentini Concilii mentem, per opportunas declarationes, certasque concessiones tollere, ac removere, ut Ecclesiasticæ pacis firmitati, simulque animarum saluti, & profectui, ac providæ earumdem Indulgentiarum distributioni consulatur.

Olim siquidem Romani Pontifices Prædecessores Nostri Tertium Ordinem Sæcularem, de Pœnitentia nuncupatum, Beati Francisci Assisiensis institutione, sub Regulis ab ipso præscriptis feliciter coalescentem, Apostolica benignitate complexi, ejusdemque Fratres, atque Sorores specialibus favoribus, & spiritualibus gratiis ditare volentes, ut uberiora Religionis, & Pietatis incrementa susciperent, præter alias Indulgentias, ac peccatorum

remissiones ipsis directe concessas, etiam generali communicatione in quibuslibet gratiis, privilegiis, & Indulgentiis, omnibus & singulis tam Mendicantium, quam non Mendicantium Ordinibus Regularibus, eorumque personis quomodocumque a Sede Apostolica indultis, eorumque omnium, & singulorum ad prædictos Fratres, atque Sorores extensione, cumularant,

Quamquam vero felicis recordationis Prædecessur Noster Paulus Papa V., opus reformationis, & moderationis Indulgentiarum a recolendæ quoque memoriæ Clemente Papa VIII. altero Prædecessore Nostro, tunc suo, feliciter inchoatum, pari cum diligentia, & studio prosecutus, Apostolicis Litteris, quarum initium est: *Romanus Pontifex* die vigesima tertia Maii Anni millesimi sexcentesimi sexti, in forma Brevis editis, omnes, & singulas Indulgentias, & peccatorum remissiones Præfatis Regularibus Ordinibus, eorumque personis, quocumque modo antea concessas abrogaverit, & revocaverit, easque, novis ex integro in ipsorum favorem indultis, ad modum & terminos in earumdem Litterarum tenore expressos reduxerit; cum tamen præcedentibus annis a Congregatione tunc existentium Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium Indulgentiis, & Sacris Reliquiis præposita, declaratio quædam sequentis tenoris emanaverit, videlicet: *In generali revocatione Indulgentiarum, quæ in Brevi*: Romanus Pontifex *Pauli V. habetur, non comprehendi personas, quæ substantialia Religionis vota non emittunt, intra, vel extra Claustra degentes*, eaque specialibus Litteris in simili forma Brevis a Venerabilis memoriæ Innocentio Papa XI. Prædecessore quoque Nostro die decima Octobris Anni millesimi sexcentesimi Octobris Anni millesimi sexcentesimi octogesimi sexti confirmata fuerit; cumque etiam aliæ prodierint Romanorum Pontificum Constitutiones, quibus Indulgentiæ, & Gratiæ speciales tam præfato Tertio Ordini directe concessæ, quam per communicationem cum Ordinibus Mendicantium, & non Mendicantium, ad eumdem extensæ, confirmari videbantur; hinc factum est, ut super subsistentia Indulgentiarum, & Gratiarum hujusmodi, quæ in duabus Litterarum Apostolicarum collectionibus, Bullariis nuncupatis, per Rodericum, & per Confectium vulgatis, juxta antiquam earum intelligentiam descriptæ leguntur, plures diversis in locis quæstiones, & controversiæ inter Fratres ejusdem Ordinis agitari cœperint, atque etiam in judicium adduci; prout earumdem inconcussam firmitatem, vel respective abrogationem, acrius sustineri, aut ex contraria parte in dubium contigit revocari.

Et quidem prædicta Bullaria, pro eo, quod pertinet ad communicationem omnium Indulgentiarum singulis Ordinibus indultam, nequaquam attendenda esse, dictumque Tertium Ordinem ea tuto sequi non posse, jam in acerrimo partium conflictu decretum, & definitum extitit a prædicta Cardinalium Congregatione, Indulgentiis, & Sacris Reliquiis præposita, die quinta Februarii Anni millesimi septingentesimi trigesimi quarti. Quæ etiam Anno sequenti, in ejusdem controversiæ progressu, sub die quinta Octobris declaravit, per revocationem Pauli V. sublatas dici debere Indulgentias illas, quæ Regularibus personis, ac præfato Tertio Ordini communes erant, seu promiscue antea concessæ fuerant; necnon eas, quibus ejusdem Tertii Ordinis Fratres per viam communicationis, ante ipsam revocationem, fruebantur. De iis autem, quæ ipsis tam antea, quam post directe concessæ asserebantur; itemque de iis, quas, post sæpedictam revocationem, per viam communicationis cum Ordinibus Regularibus, sive per extensionem, se obtinuisse contendebant, tam multa adhuc examinanda supererant, ut nonnisi post maturam discussionem singularium Litterarum, & concessionum hujusmodi, judicari posse visum fuerit, an, & quæ veræ, legitimæ, ac subsistentes, an vero aliquæ revocatæ, aut etiam falso præsumptæ, vel per subreptionem, & obreptionem obtentæ dici deberent.

Cumque proinde multiplices adhuc incertitudines, & confusiones hac in re adesse dignoscantur; novissime vero ad Congregationem Venerabilium Fratrum S. R. E. Cardinalium contra hæreticam pravitatem Generalium Inquisitorum delata fuerint nonnulla Folia, & Summaria Indulgentiarum ejusdem Tertii Ordinis, typis impressa, ac late vulgata, in quibus complures referuntur Indulgentiæ, quarum concessiones apocryphas esse, aut revocatas, aut incertas, & contra mentem Sedis Apostolicæ perperam interpretatas agnitum fuit; ideoque eadem Cardinalium Inquisitorum Congregatio Nobis proposuerit, valde expedire pro præfatorum Fratrum, & Sororum securitate ac beneficio, & ad confusiones, ac deordinationes ejusmodi penitus tollendas, ut, juxta id, quod laudatus Prædecessur Paulus V. pro omnibus Ordinibus Regularium providе, ac opportune præstitit: Nos etiam omnes, & singulas Indulgentias, & peccatorum remissiones prædicto Tertio Ordini Sæculari Sancti Francisci, sive directe, sive per communicationem, sive alio quovis modo hactenus concessas annullaremus, & revocaremus, & alia particulares eidem concederemus.

Nos, matura super hoc consultatione præhabita, ac Fratribus, & Sororibus præfati Tertii Ordinis Sæcularis de Pœnitentia, sub cujuscumque Ordinis Regularis Sancti Francisci directione, ac regimine, tam in cujuslibet hujusmodi Ordinis Conventibus, sive alias collegialiter, quam etiam in domibus privatis seorsim viventibus, spirituale solatium, & juvamen afferre cupientes, Motu proprio, & certa scientia, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine; infrascriptas Indulgentias, & peccatorum remissiones de novo duximus concedendas.

Omnibus igitur utriusque Sexus Christifidelibus, qui dictum Ordinem Sæcularem Sancti Francisci, de Pœnitentia nuncupatum, in posterum ingredientur, die primo eorum, vel earum ingressus, si vere pœnitentes, & confessi, Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum sumpserint; Plenariam.

Nec non eisdem nunc, & pro tempore existentibus Fratribus, & Sororibus, vere pœnitentibus, & confessis, ac Sacra Communione refectis, qui in Festis Sancti Francisci Assisiensis Confessoris die 4. Octobris, & Sanctæ Claræ Virginis, nec non Sancti Titularis eorum Ecclesiæ, sive Oratorii, aut Cappellæ, & in die Dedicationis Sanctæ Mariæ Angelorum secunda Augusti, a primis Vesperis usque ad occasum solis, suam Ecclesiam, vel Oratorium, aut Cappellam hujusmodi devote visitaverint, & ibi pro Christianorum Principum concordia, hæresum extirpatione, & Sanctæ Matris Ecclesiæ exaltatione, pias ad Deum preces effuderint, singulis diebus, quibus id egerint, etiam Plenariam.

In cujuslibet vero mortis articulo, si pariter vere pœnitentes, & confessi, ac Sacra Communione refecti, vel, quatenus id facere nequiverint, saltem contriti Sanctissimum Jesu Nomen ore, si potuerint, sin minus corde devote invocaverint, Plenariam similiter omnium peccatorum suorum Indulgentiam, & remissionem misericorditer in Domino concedimus, & impertimur.

Item eisdem Fratribus, & Sororibus, qui suam Ecclesiam, vel Oratorium, vel Cappellam diebus Stationum, in Missali Romano descriptis, devote visitaverint, &, ut præfertur, oraverint, ut easdem Indulgentias consequantur, quas præfatis diebus, visitantes Ecclesias Urbis, & extra eam consequuntur, perinde ac si ipsas Urbis Ecclesias personaliter visitarent, concedimus pariter, & indulgemus.

Eisdem quosque vere pœnitentibus, & confessis, ac Sacra Communione refectis, in Festis Impressionis Sacrorum Stigmatum ejusdem Sancti Francisci, nec non Sancti Ludovici Galliarum Regis, & Sanctæ Elisabeth Reginæ Portugalliæ, & Sanctæ Elisabeth Hungaræ pariter Reginæ, necnon Sanctæ Margheritæ de Cortona, atque in duodecim aliis Anni feriatis, vel Dominicis diebus per ipsosmet eligendis, ac a Superioribus Ordinis approbandis, ut supra visitantibus, &, ut præfertur, orantibus, quo die præfatorum id egerint, septem Annos, & totidem Quadragenas.

Quoties vero Missis, & aliis Divinis Officiis in Ecclesia, seu Oratorio, vel Capella hujusmodi pro tempore celebrandis, & recitandis, seu Congregationibus publicis, vel privatis ejusdem Tertii Ordinis ubivis faciendis interfuerint, ac pauperes hospitio susceperint, vel pacem inter inimicos composuerint, seu componi fecerint, vel procuraverint, vel etiam, qui corpora Defunctorum, tam Fratrum, & Sororum hujusmodi, quam aliorum, ad sepulturam associaverint, aut quascumque Processiones de licentia Ordinarii faciendas, Sanctissimumque Eucharistiæ Sacramentum, tam in Processionibus, quam cum ad infirmos, seu alias quocumque, & quandocumque pro tempore defertur, comitati fuerint, vel impediti, Campanæ ad id signo dato, semel Orationem Dominicam, & Angelicam dixerint, aut quinquies Orationem, & Salutationem eamdem pro necessitatibus Sanctæ Matris Ecclesiæ, sive pro Animabus Defunctorum Fratrum, & Sororum hujusmodi recitaverint, aut devium aliquem ad viam salutis reduxerint, & ignorantes Præcepta Dei, & quæ ad salutem sunt, docuerint, aut quodcumque aliud pietatis, vel caritatis opus exercuerint; toties, pro quolibet prædictorum operum exercitio, centum dies de injunctis, seu alias quomodolibet debitis pœnitentiis in forma Ecclesiæ consueta relaxamus.

Ceterum, omnes, & singulas Indulgentias, & peccatorum remissiones, Fratribus, & Sororibus Tertii Ordinis Sancti Francisci de Pœnitentia, sub directione & regimine cujuslibet Ordinis Regularis ejusdem Sancti Francisci, tam in cujuslibet dicti Ordinis Conventibus, sive alias collegialiter, quam in Domibus privatis seorsim viventibus, tam directe, & immediate, quam promiscue, & æque principaliter, sive alio quocumque modo per communicationem cum omnibus, & singulis Ordinibus Regularibus Mendicantium, & non Mendicantium, tam vigore Privilegiorum, & Literarum Apostolicarum, quam vivæ vocis oraculo, aut alias quovis modo per quoscumque Romanos Pontifices Prædecessores Nostros, ac Nos, & Apostolicam Sedem hactenus concessas, confirmatas, approbatas, & innovatas, prædictis motu, scientia, auctoritate, & tenore, revocamus, cassamus, annullamus, & abro-

& abrogamus, & ad præsentium nostrarum Litterarum præscriptum reducimus, & moderamur.

Præsentes autem Litteras, & tam revocationem hujusmodi, quam concessiones superius expressas, etiamsi dicti Tertii Ordinis Fratres, aut Sorores, seu alii quicumque in præmissis interesse habentes, vel habere quomodolibet prætendentes, eisdem non consenserint, nec ad ea vocati, aut auditi fuerint, nullo umquam tempore impugnari, seu de voluntatis Nostræ defectu, aut subreptionis, aliove quolibet vitio notari, vel adversus eas aperitionis oris, restitutionis in integrum, aliudve juris, vel facti remedium impetrari posse, sed semper & perpetuo firmas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios effectus sortiri, & obtinere, & ab iisdem Fratribus, atque Sororibus, aliisque, ad quos pertinet, in omnibus & per omnia observari; sicque, & non aliter per quoscumque Judices Ordinarios, & delegatos, etiam S. R. E. Cardinales Indulgentiis, & Sacris Reliquiis præpositos, aliosque, etiam de Latere Legatos, & Apostolicæ Sedis Nuntios, de præmissis judicari, interpretari, ac definiri debere decernimus; atque irritum & inane, si secus a quoquam cujuslibet auctoritatis præsidio scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Quocirca Venerabilibus Fratribus Ecclesiarum Episcopis, aliisque Locorum Ordinariis, necnon prædictis Apostolicæ Sedis Nuntiis, & Sancti Officii Inquisitoribus, harum serie, & dicta auctoritate committimus, & mandamus, ut nullas alias Indulgentias, seu peccatorum remissiones, præter præmissas, per eosdem Fratres, atque Sorores, seu alios quoscumque, tamquam prædicto Tertio Ordini Sæculari specialiter, & intuitu eorum Instituti competentes, vulgari, nuntiari, aut proponi permittant; sed ipsarum præsentium tenorem per ipsos fideliter, ut par est, observari faciant; contumaces, atque rebelles, si qui forte adversus eas venire præsumpserint, omnibus juris remediis, appellatione postposita, compescendo.

Non obstantibus prædictis Pauli V. & Innocentii XI. aliisque quibuslibet Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon de jure quæsito non tollendo, aliisque Nostris, & Cancellariæ Apostolicæ Regulis, ac ejusdem Tertii Ordinis Sæcularis, etiam confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis Statutis, & Consuetudinibus, Privilegiis quoque, Indultis, & Litteris Apostolicis præfato Tertio Ordini, ejusque Domibus, Collegiis, Superioribus, & personis, atque etiam cuilibet Ordini Regulari Sancti Francisci, ejusque Superioribus, in contrarium præmissorum quomodolibet, etiam post prædictam Pauli V. revocationem, concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus, specialis, specifica, & expressa, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio, seu quævis alia expressio habenda foret, tenores hujusmodi præsentibus pro expressis habentes, pro præmissorum effectu dumtaxat, illis alias in suo robore permansuris, specialiter, & expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Volumus autem, ut præsentium Transumptis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & Sigillo alicujus personæ in Dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem fides habeatur, quæ præsentibus ipsis Originalibus Litteris haberetur, si forent ostensæ.

BULLA TRIGESIMASEPTIMA.

Basilicæ Lateranensis Indulgentiæ confirmantur; illæ vero quæ Ecclesiis ipsius filiabus, seu ipsi aggregatis hactenus communicatæ fuerunt, suspenduntur, & interim eisdem aliæ Indulgentiæ, & gratiæ spirituales conceduntur, seu respective communicari permittuntur.

Extat hæc Bulla in Tom. III. Bullarii sub num. 45. data die 7. Maji an. 1751. Pontificatus vero anno Undecimo.

BENEDICTUS EPISCOPUS

Servus Servorum Dei.

Ad perpetuam rei memoriam.

Assiduæ sollicitudinis debitum Nobis una cum Universæ Ecclesiæ regimine impositum agnoscentes, in id potissimum vigilantiæ nostræ studia conterimus, ut quæ salubriter a Prædecessoribus nostris Romanis Pontificibus constituta sunt, ab omnibus, præsertim in Alma Urbe Nostra, & ab iis, quorum specialis cura Nobis imminet, observentur, & impleantur, prout Ecclesiasticæ disciplinæ integritati, ac Personarum, rerumque rationibus convenire in Domino judicamus.

Dudum siquidem, postquam fel. record. Prædecessor Noster Clemens Papa VIII. die 7. Septembris anno 1604. providam ediderat Constitutionem, quæ incipit: *Quæcumque a Sede Apostolica*, per quam, ad tollendas pravas quasdam consuetudines, quæ irrepserant in usu facultatum a Sede Apostolica concessarum nonnullis Regularium Ordinibus, ac Sæcularium Christi-fidelium Archiconfraternitatibus, & Congregationibus, tam in Urbe prædicta, quam in aliis Christiani Orbis partibus institutis, erigendi videlicet, instituendi, ac etiam sibi aggregandi Confraternitates, & Congregationes, eisque communicandi Privilegia, Indulgentias, Facultates, aliasque spirituales Gratias, & Indulta sibi respective concessa, facultates prædictas moderando, opportunas leges, certamque formam, & modum in hujusmodi erectionibus, institutionibus, seu aggregationibus, & respective communicationibus observando præscripserat, aliaque decreverat, & constituerat, quæ in ejusdem Clementis Litteris prædictis in forma Brevis expeditis latius continentur.

Quum procedentibus annis recolendæ quoque memoriæ Prædecessor Noster Paulus Papa V. accepisset, Basilicæ Lateranensis Capitulum, & Canonicos, diversas ubique constitutas Ecclesias, vel Cappellas, seu Altaria, vel Oratoria, eidem Basilicæ submittere, subjicere, adnectere incorporare, ac in Basilicæ prædictæ membra recipere solere, eisdemque non minus, quam aliis Ecclesiis, Cappellis, Altaribus, seu Oratoriis, & Piis Locis in Solo Lateranensi ædificatis, & constructis, varias Indulgentias, Facultates, aliasque Gratias, Indulta, & Privilegia concedere, dictæ Constitutionis a Clemente VIII. editæ forma, propterea quod ejusdem Basilicæ jura, & Privilegia sub illius dispositione minime comprehensa esse contenderent, non servata.

Hinc idem Paulus Prædecessor, volens hujusmodi Clementis Constitutionem ab eisdem Lateranensis Ecclesiæ Capitulo, & Canonicis, non secus ac ab aliis quibuscumque jus, & facultatem communicandi Indulgentias habentibus, illisque utentibus, sine discrimine, ut par erat, observari, peculiaribus editis Litteris sub Annulo Piscatoris die 23. Novembris anni 1610. ipsam prædictam Clementis Constitutionem, cum omnibus ejus clausulis, & Decretis, ad prædictæ Basilicæ Capitulum, & Canonicos, ad effectum videlicet, ut nullas exinde in posterum Indulgentias, nisi ejusdem Constitutionis forma servata, & Apostolica dumtaxat auctoritate, communicare possent, expresse extendit; & ab ipsis, perinde ac si eorum expressa mentio in dictis Clementis Litteris facta fuisset, perpetuis futuris temporibus, sub pœnis in eisdem Litteris contentis, inviolabiliter observari præcepit; volens nihilominus, ut Indulgentiæ, peccatorum remissiones, gratiæ, & privilegia per dictum Capitulum & Canonicos, ad eum diem, vigore Indultorum eis a Sede Apostolica concessorum, hujusmodi Ecclesiis, Cappellis, Altaribus, Oratoriis, & Locis Piis, concessa, & communicata, in suo robore permanerent.

Quum tamen hujusmodi Indultorum frequens quidem in Litteris Apostolicis mentio, & confirmatio appareret; sed de eorumdem vero tenore, ob temporum antiquitatem, & varias a dicta Lateranensi Ecclesia, ejusque Capitulo passas vicissitudines, certa scientia minime haberetur; proindeque plenaria dictarum Clementis VIII. & Pauli V. Litterarum executio prævium altioris indaginis judicium requirere videretur; hinc factum est, ut, & veterum concessionum, sive communicationum hujusmodi renovationes a prædictis Capitulo, & Canonicis fieri perrexerint juxta formam ab ipsis antiquitus usitatam; & quum deinceps piarum personarum, sive Universitatum preces eisdem pro novis Ecclesiarum, Altarium, aliorumque Locorum Piorum erectionibus, seu submissionibus, & incorporationibus oblatæ fuerunt, simul etiam a Romanis pro tempore Pontificibus licentia impetrari consueverit, ut Indulgentiarum communicatio ab ipsis pro ea vice, non obstantibus Clementis, & Pauli Prædecessorum prætatorum Constitutionibus hujusmodi, juxta eamdem veterem formam concedi posset.

Sed quum in hujusmodi communicationis forma, & in subscripto Indulgentiarum Summario, præter alia præfati Clementis VIII. Constitutioni parum consentanea, illud etiam animadversum fuerit, quod scilicet complures Indulgentiæ speciales, quæ ex justa Romanorum Pontificum erga præfatam Lateranensem Basilicam liberalitate, ob ejus præcellentem in Universo Catholico Orbe Dignitatem, ipsi Basilicæ concessæ fuerunt, ad omnes extenderentur Ecclesias, Cappellas, Altaria, Oratoria, & Loca Pia eidem quoquo modo subjecta, & incorporata, contra præsumptam ipsorum concedentium mentem, & contra probatam Apostolicæ Sedis in Indulgentiarum dispensatione disciplinam; adeo ut nonnulli etiam Episcopi, pro commissa sibi a Concilio Tridentino adversus irregulares Indulgentiarum promulgationes inspectione, & vigilantia, officii sui debitum reputaverint earum publicationi se opponere; indeque plures ortæ fuerint lites, & controversiæ, quæ Congregationis Venerabilium Fratrum Nostrorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium Indulgentiis, & Sacris Reliquiis præpositæ zelum excitarunt, ut, opportuna tandem ratione, & Apostolica auctoritate, hujusmodi deordinationibus remedium afferri debere judicaret.

Nos, omnibus visis, atque perpensis, quæ coram dicta Cardinalium Congregatione, præfatis Capitulo, & Canonicis

nicis pluries auditis, agitata fuerunt, quum nondum in clara luce positum conspexerimus, an, & quæ facultas eisdem Capitulo, & Canonicis circa Indulgentiarum hujusmodi communicationem, & extensionem ad Ecclesias, & alia Loca pia, quæ inter Basilicæ prædictæ membra connumerantur, a Prædecessoribus Nostris Romanis Pontificibus concessa fuerit; ad memoratas lites, & controversias interea sedandas, aliasque opportune præcavendas, utque dictorum Capituli, & Canonicorum, nec non Rectorum, Administratorum, ac Officialium dictarum Ecclesiarum, aliorumque Piorum Locorum hujusmodi, & respective Ordinatiorum Locorum, & quorumcumque Christifidelium quieti, & securitati, ac spiritualibus profectibus paterne consulamus, Motu proprio, & certa scientia, infrascriptas Leges, & Ordinationes circa præmissa, præsentium Litterarum tenore, & Apostolica auctoritate duximus statuendas.

In primis videlicet; omnes, & singulas Indulgentias, & peccatorum, seu pœnarum remissiones, & relaxationes, aliasque gratias spirituales tam pro vivis, quam pro defunctis, dictæ Basilicæ Lateranensi a Prædecessoribus Nostris Romanis Pontificibus concessas, quæ jamdudum, ipsis Romanis Pontificibus scientibus, & consentientibus, publice in eadem Basilica proponi consueverunt, etiamsi de illarum primæva concessione certa monumenta nunc non appareant, prædictis Motu, scientia, tenore, & auctoritate approbamus, & confirmamus, eidemque Basilicæ, perinde ac si per præsentes ex integro ipsi concederentur, sine ulla contradictione competere declaramus, atque decernimus.

Quo vero ad eas Indulgentias, & remissiones, seu relaxationes hujusmodi, quæ a prædictis Capitulo & Canonicis hactenus quibuslibet Ecclesiis, Altaribus, Cappellis, Oratoriis, Confraternitatibus, aut Locis Piis ejusdem Basilicæ membris, eidemque subjectis, & incorporatis, ubicumque existentibus, quorumlibet Indultorum, Privilegiorum, aut Facultatum vigore, sive generaliter, & ad instar, sive specialiter, & nominaliter, & nominatim communicatæ fuerunt, sive etiam ex directa Romanorum Pontificum Prædecessorum Nostrorum concessione ad illas, & illa extensæ dici possent, quæcumque illæ sint, Nos eas omnes, & singulas, simili Motu, auctoritate, & tenore, interim suspendimus, & tamdiu effectu carere volumus, & decernimus, donec, prolatis authenticis Indultorum, Privilegiorum, & facultatum hujusmodi monumentis, de certa prædictorum Romanorum Pontificum Prædecessorum Nostrorum voluntate, & concessione, quoad communicationes, & extensiones hujusmodi, Nobis, vel Successoribus Nostris, seu dictæ Congregationi constiterit.

Interea tamen, easdem Ecclesias, Altaria, Cappellas, Oratoria, Confraternitates, & Loca Pia dictæ Basilicæ membra, hactenus erecta, seu eidem subjecta, & incorporata, ubicumque existentia, Nos infrascriptarum Indulgentiarum, & gratiarum spiritualium, quæ usque ad statutum suspensionis prædictæ terminum valituræ sint, muneribus ditare decrevimus.

Omnibus nimirum utriusque sexus Christifidelibus, qui illas, & illa in Ascensionis Domini Nostri Jesu Christi, Nativitatis S. Joannis Baptistæ, Sanctorum Apostolorum Petri, & Pauli, S. Joannis Evangelistæ, & Dedicationis ejusdem Lateranensis Basilicæ diebus Festis, vere pœnitentes, & confessi, ac Sacra Communione refecti, a primis Vesperis usque ad occasum Solis dierum hujusmodi, devote visitaverint, ibique pro Sanctæ Matris Ecclesiæ exaltatione, hæresum extirpatione, & Christianorum Principum concordia, pias ad Deum preces effuderint, quolibet ex diebus prædictis, Plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam, & remissionem misericorditer in Domino concedimus, & impertimur.

Iis vero, qui in reliquis Sanctorum Apostolorum Festis, nimirum Andreæ, Jacobi, Thomæ, Philippi & Jacobi, Bartholomæi, Matthæi, Simonis & Judæ, ac Mathiæ, vere pœnitentes, & confessi præmissa peregerint, septem annos, & totidem quadragenas.

Qui autem illas, & illa a Dominica prima Adventus, usque ad festum Nativitatis Domini Nostri Jesu Christi, & a feria IV. Cinerum, usque ad festum Resurrectionis Dominicæ, vere pœnitentes, & cum proposito saltem confitendi, visitaverint, ibique, ut supra, oraverint, singulis diebus, quibus id egerint, quatuor annos, & totidem quadragenas; in reliquis autem singulis anni diebus, centum dies de injunctis eis, seu alias debitis pœnitentiis, in forma Ecclesiæ consueta relaxamus.

Denique ut ii, qui in diebus Stationum ejusdem Ecclesiæ Lateranensis in Missali Romano descriptis, videlicet Dominica prima Quadragesimæ, Dominica Palmarum, feria V. in Cœna Domini, Sabbato Sancto, Sabbato in Albis, feria III. Rogationum, & Sabbato in Vigilia Pentecostes, aliquam ex dictis Ecclesiis, aliisque superius expressis, cum dicto pœnitentiæ affectu, & confessionis proposito visitaverint, ibique, ut præfertur, oraverint, Indulgentias stationales, quas visitantes dictam Ecclesiam Lateranensem iisdem diebus consequuntur, ipsi quoque, perinde ac si eamdem Ecclesiam personaliter visitarent, consequi possint, & valeant, similiter concedimus, & indulgemus.

Quocirca Dilectis Filiis Capitulo, & Canonicis prædictæ Ecclesiæ Nostræ Lateranensis per præsentes injungimus, & mandamus, ut omnes & singulos dictarum Ecclesiarum, Altarium, Cappellarum, Oratoriorum, Confraternitatum, & Locorum Piorum ubique existentium respective Rectores, sive Administratores, aut Officiales, sive Ministros, de suspensione hujusmodi, simulque de præmissarum Indulgentiarum & Gratiarum interea, ut præfertur, duratura concessione, per Nos factis, quamprimum instructos reddant per eorum Litteras missivas, cum adjunctis præsentium Nostrarum Litterarum Transumptis, seu Exemplis; quibus, etiamsi Typis descripta fuerint, eorumdem sigilli impressione, ac Secretarii subscriptione munitis, eamdem omnino fidem, quæ ipsis præsentibus haberetur, ubique habendam fore decernimus; ad hoc ut ipsi Rectores, Administratores, Officiales, atque Ministri dictas Indulgentias, & gratias spirituales, servatis omnibus ex Concilii Tridentini, & ex prædicti Clementis VIII. aliorumque Romanorum Pontificum præscripto, in Indulgentiarum promulgatione, atque etiam in Eleemosynarum perceptione, earumque erogatione servandis, promulgare, & proponere valeant.

Iisdemque Capitulo & Canonicis mandamus pariter, & injungimus, ut renovationum Litteras, quas deinde favore hujusmodi Ecclesiarum, Altarium, aliarumque præmissorum, durante suspensione hujusmodi, expedient, ita reforment, ac moderentur, ut Indulgentias dumtaxat superius a Nobis concessas, & quidem expresse, ac nominatim, facultate sibi per præsentes a Nobis impertita, nec ullas alias quomodocumque, eadem suspensione durante, illis communicent.

In novis autem aliarum Ecclesiarum, Cappellarum, Altarium, Oratoriorum, Confraternitatum, aliorumque Piorum Locorum erectionibus, incorporationibus, quas in posterum ab ipsis Capitulo & Canonicis fieri contingat, volumus, atque præcipimus, ut, juxta memoratam superius Pauli V. declarationem, præter alia in hujusmodi actibus observanda, providas quoque Leges circa Indulgentiarum communicationes a præfato Clemente VIII. Prædecessore in dicta ipsius Constitutione, quæ incipit: *Quæcumque*, latas, atque sancitas, juxta sequentem modum, omnino observent; ut scilicet in singulis Civitatibus, Oppidis, vel Locis, unam dumtaxat ex hujusmodi Ecclesiis, seu Cappellis, Altaribus, Oratoriis, Confraternitatibus, aut Locis Piis quomodocumque nuncupatis, dictarum Indulgentiarum communicationis munere ditare possint, dummodo Ecclesia, aut Oratorium ipsis subjectum, seu illa Ecclesia, in qua Cappella, vel Altare prædictum extiterit, Regularium, aut Monialium non sit, nec Ecclesia, Cappella, Altare, Oratorium, Pius Locus, aut Confraternitas hujusmodi ulli alteri Ecclesiæ, aut ulli Ordini, Religioni, Instituto, Archiconfraternitati, & Congregationi, a qua Indulgentiarum communicationem, seu participationem obtineat, aggregata sit, aut subjecta; & dummodo ejusdem Ecclesiæ, Cappellæ, Altaris, seu Oratorii celebritas, vel Confraternitatis, aut Loci Pii institutum, & Christianæ pietatis, & Caritatis officia, quæ exercere consuevit, Ordinarii Loci Testimonialibus Litteris apud eos commendentur. Facultatem tamen indulgendi, prout alias in certis casibus ab Apostolica Sede benigne indulgeri consuevit, ut in una, eademque Civitate, aut Oppido, duabus Ecclesiis, seu Cappellis, vel Altaribus, Oratoriis, Confraternitatibus, aut Locis Piis, ubi speciales id circumstantiæ suadeant, hujusmodi Indulgentiarum communicatio a dictis Capitulo, & Canonicis concedi possit, prædictæ Cardinalium Congregationi per præsentes tribuimus, & impertimur.

Porro hujusmodi Ecclesiis, Cappellis, Altaribus, Oratoriis, Confraternitatibus, & Locis Piis, supra expressæ Indulgentiæ, & gratiæ spirituales tantum, & non aliæ, suspensione hujusmodi durante, a dictis Capitulo, & Canonicis, & quidem nominatim, facultate sibi per præsentes Nobis impertita, aliisque servatis, quæ in dicta Clementis Prædecessoris Constitutione, præsertim circa gratuitam Litterarum expeditionem, atque in Decretis a dicta Congregatione die 6. Martii anni 1608. & die 10. Aprilis anni 1720. editis, statuta sunt, communicari valeant. Ab illarum vero, eorumque Rectoribus, Administratoribus, Officialibus, & Ministris, in earumdem Indulgentiarum publicatione, necnon eleemosynarum receptione, & erogatione, aliæ similiter Leges, in Tridentini Concilii Decretis, & in supradictis Clementis VIII. Litteris, aliisque Romanorum Pontificum, & Apostolicæ Sedis Constitutionibus, atque Decretis præscriptæ, sub pœnis ibidem adversus transgressores respective statutis, inviolabiliter serventur, & impleantur.

Præsentes autem Litteræ, atque omnia, & singula in ipsis contenta, atque statuta, etiam ex eo, quod Capitulum, & Canonici prædicti, aliique in præmissis interesse habentes, seu habere prætendentes, eisdem non consenserint, nec ad ea vocati, aut super singulis præmissis forsan auditi fuerint, aliave qualibet de caussa, nullatenus impu-

impugnari, seu de voluntatis nostræ, aliove quovis defectu redargui possint; sed a prædictis omnibus, & aliis quibuscumque, ad quos pertinet, seu pro tempore pertinebit in posterum, in omnibus, & per omnia observentur, & respective iis, quorum favorem concernunt, seu concernent in futurum plenissime suffragentur. Sicque, & non aliter per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Palatii Apostolici Auditores, & Apostolicæ Sedis Nuntios, seu Nostros, ejusdemque Sedis, etiam de Latere Legatos, aliosque S. R. E. Cardinales, eorumque Congregationes, in præmissis judicari debeat, & interpretari. Nos enim his omnibus, & singulis aliter judicandi, & interpretandi facultatem interdicimus, & abrogamus per præsentes, atque etiam irritum, & inane decernimus, si quid secus circa præmissa per quoscumque, quavis auctoritate, scienter, vel ignoranter fieri, vel attentari, aut respective judicari, & interpretari contigerit.

Non obstantibus præmissis Clementis VIII. & Pauli V. quatenus præsentes iisdem per omnia conformes non inveniantur, nec non fel. rec. Sixti Papæ V. quarum initium est: *Si cunctas*, atque etiam de jure quæsito non tollendo de Indulgentiis non concedendis ad instar, aliisque Apostolicis Constitutionibus, & Ordinationibus, dictæque Congregationis die 11. Junii Anni 1679. ac 27. Maji 1732. & 23. Februarii 1734. editis Decretis, & Resolutionibus; Privilegiis quoque, Indultis, & Litteris Apostolicis dictæ Basilicæ, illiusque Archipresbytero, Capitulo, & Canonicis forsan concessis, atque etiam pluries confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus, specialis, specifica, expressa, & individua, non autem per clausulas generales, mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum tenores, ac si de verbo ad verbum exprimerentur, & insererentur, præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, & insertis, & formas pro observatis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat, & ad præmissorum effectum, harum serie specialiter, & expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Nulli ergo omnino hominum liceat, hanc paginam nostrarum declarationis, suspensionis, concessionis, impertitionis, relaxationis, indulti, mandati, statuti, decreti, derogationis, & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus, se noverit incursurum.

BULLA TRIGESIMA OCTAVA.

Indulgentiarum nova concessio pro personis sæcularibus utriusque sexus tam Tertio Ordini S. Francisci de Paula adscriptis, quam Cordigeris ejusdem Sancti Funiculum benedictum deferentibus.

Extat hæc Bulla in Tom. III. Bullarii sub num. 56. data die 18. Februarii anno 1752. Pontificatus vero anno Duodecimo.

BENEDICTUS EPISCOPUS

Servus Servorum Dei

Ad perpetuam rei memoriam.

INexhausti Ecclesiæ Thesauri administrationem, & dispensationem, Dei voluntate Nobis commissam, summa, qua decet, fide, ac diligentia gerere satagentes, dubia quæque, & incertitudines circa Indulgentias, & spirituales Gratias a Romanis Pontificibus Prædecessoribus Nostris, piis maxime Personarum Cœtibus concessas, ne Christi-fidelium animi nutantes in incerta ferantur, ac ob id eorum languescat caritas, & fides, declarare, ac etiam quandoque, novis ex integro factis concessionibus, de medio tollere non omisimus; & quoties id ipsum similes caussæ Nobis fidenter expositæ suadere dignoscuntur, eamdem viam insistentes, spiritualibus piorum Institutorum profectibus, & Christi-fidelium devotioni consulere non recusamus.

Cum itaque dilectus Filius Julius Malmusius Presbyter Ordinis Sancti Francisci de Paula Minimorum nuncupatorum expresse Professus, ejusdemque Ordinis Modernus Procurator Generalis, seu Zelosus nuncupatus, Nobis nuper supplicaverit, ut indulgentias, & peccatorum remissiones Personis utriusque sexus Sæcularibus, tam *Tertiariis* nuncupatis, quam aliis Cingulum laneum dicti Sancti Francisci gerentibus, *Cordigeris* nuncupatis, competentes, quemadmodum Nos ipsi superiori anno ad præfiniendas Indulgentias Fratrum, & Sororum Tertii etiam Ordinis Sæcularis S. Francisci de Assisio nuncupati peculiaribus nostris Litteris incipientibus: *Ad Romanum Pontificem*, sub datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem Idibus Martii, Pontificatus Nostri anno undecimo præstitimus, præfinire etiam, & edicere dignaremur; Nos dicti Julii supplicationem non modo congruam, sed etiam necessariam quodammodo agnoscentes, ex quo videlicet Ven. Dei Famulus Innocentius Papa XI. Prædecessor Noster in generali Decreto super Indulgentiis die 7. Martii anni Domini 1678. per ipsum edito, inter apocryphas Indulgentias, nonnullas etiam recensendas judicavit, quæ in aliquibus tunc impressis Foliis afferebantur iis concessæ, qui Cingulum prædicti Sancti Francisci de Paula gerentes, *Cordigeri* dicuntur; ipsius Julii precibus annuentes, Tertiariorum tamen seorsim a Cordigeris hujusmodi ratione habita, circa Indulgentias, tam illis, quam hisce deinceps competituras, harum nostrarum Litterarum tenore, ut infra, stabilire in Domino judicavimus.

Sane præter Regulam Fratribus sui Ordinis, Minimis nuncupatis, nec non Monialibus, præstitutam, idem Sanctus Franciscus de Paula, exemplum forsan prædicti Sancti Francisci de Assisio præ oculis habens, aliam quoque utriusque Sexus Sæcularibus Personis, Tertiariis, ut præfertur, nuncupatis, aptatam edidit Regulam, ab Alexandro VI. & Julio II. Romanis Pontificibus etiam Prædecessoribus Nostris, ut accepimus, approbatam. Cui quidem Regulæ, ac Tertio Ordini Sancti Francisci de Paula omissis iis, quæ de aliis illustribus Personis enarrantur, adscriptum olim & aggregatum fuisse novimus S. Franciscum Salesium Episcopum Genevensem; de quo hæc habentur in ejus Vita per Augustum etiam Salesium illius ex Fratre Nepotem conscripta Lib. ix. pag. 405. *Cinctus est igitur in Monasterio Divi Andreæ ab Antonio Biliaco Superiore, & in Fratrum numerum relatus &c. Deinceps cum ex Minimis aliquos inter eumdem offenderet, Cingulum illud trahens ex pergula: Videte, inquiebat, num ego Frater vester sim; atque re vera, non solo nomine, sum Minimus.*

Hisce igitur utriusque sexus Sæcularibus Personis prædictam Regulam Sancti Francisci de Paula pro Tertiariis conditam professuris, & in Tertium Ordinem hujusmodi ingressuris, die eorum & earum ingressus, si vere pœnitentes, & confessi, Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum sumpserint, Plenariam; nec non iisdem nunc, & pro tempore existentibus ejusdem Tertii Ordinis Fratribus, & Sororibus, vere pœnitentibus, & confessis, ac Sacra Communione refectis, qui in Dedicationis S. Michaelis Arcangeli, ac in ejusdem S. Francisci de Paula, & dicti Sancti Francisci Salesii, nec non Commemorationis Sanctorum Omnium die prima Novembris festis diebus, a primis Vesperis usque ad occasum Solis dierum hujusmodi, Ecclesiam aliquam Ordinis Fratrum Minimorum prædictorum, vel in ejus defectum, in Civitate, vel loco, ubi ipsi tunc degent, aliam quamcumque hujusmodi Civitatis, vel loci Ecclesiam devote visitaverint, & inibi pro Christianorum Principum concordia, hæresum extirpatione, & Sanctæ Matris Ecclesiæ exaltatione pias ad Deum preces effuderint; singulis præfatis diebus, quibus id egerint, etiam Plenariam; in cujuslibet vero eorum mortis articulo, si vere pariter pœnitentes, & confessi, ac sacra Communione refecti, vel quatenus id facere nequiverint, saltem contriti, Sanctissimum Jesu Nomen, ore, si potuerint, sin minus corde, devote invocaverint, Plenariam similiter omnium peccatorum suorum Indulgentiam, & remissionem misericorditer in Domino concedimus, & impertimur.

Iisdemque tam in Civitatibus, & locis, ubi dictæ Ecclesiæ Fratrum Ordinis Minimorum existunt, quam alibi ubivis commorantibus, qui singulis Quadragesimalibus, & aliis Anni diebus, in quibus Stationes Ecclesiarum Urbis & extra illius muros sitarum occurrunt, prout in Missali Romano descriptæ sunt, aliquam primodicti Ordinis, si ibi fuerint, alioquin aliam ejusdem Civitatis, vel loci, ubi eos pro tempore residere, vel morari contigerit, Ecclesiam devote visitaverint, &, ut præfertur, oraverint, ut easdem Indulgentias consequantur, si iisdem Stationum temporibus, & diebus, singulas Ecclesias dictæ Urbis, & extra illius muros, hujusmodi, pro iisdem Stationibus, & Indulgentiis consequendis destinatas, personaliter visitarent, concedimus, & indulgemus.

Ipsis quoque vere pœnitentibus, & confessis, sacraque Communione refectis, qui in festis Nativitatis Domini Nostri Jesu Christi, Resurrectionis Dominicæ, & Pentecostes, ac Nativitatis, Annuntiationis, Purificationis, & Assumptionis Beatissimæ Virginis Mariæ, Apparitionis S. Michaelis Archangeli, necnon Sanctorum Apostolorum Petri & Pauli, Andreæ, Jacobi, Joannis, Thomæ, Philippi & Jacobi, Bartholomæi, Matthæi, Simonis, & Judæ, & Mathiæ, aliquam Ecclesiam, ut supra, visitaverint, ibique, ut præfertur, oraverint, quo die præfatorum id egerint, septem annos, & totidem quadragenas de injunctis eis, vel alias quomodolibet debitis pœnitentiis in forma Ecclesiæ consueta relaxamus.

Quo vero ad alios supradictos ejusdem S. Francisci de Paula *Cordigeros* nuncupatos, qui non quidem Regulam Tertii Ordinis ipsius Sancti Francisci profitentur, sed Cingulum, seu Funiculum laneum ab aliquo ex Fratribus primodicti Ordinis Professis, seu alio quocumque, ad id Superioribus Regularibus deputato, benedictum, sibique cinctum deferunt: etsi de hac Institutione nullum extet authenticum monumentum, & pie solummodo credatur,

prædi-

prædictum Sanctum Fundatorem adhuc in humanis agentem, Personis utriusque sexus, devota ad eum affectione, & obsequio recurrentibus, licet in prædicto Tertio Ordine nequaquam professis, Cingulum, seu Funiculum laneum a se benedictum, ac illi similem, quem ipse deferebat, dare solitum fuisse. Certum porro est, subsequentibus temporibus pium hunc morem magis magisque invaluisse; cumque Romani Pontifices Prædecessores Nostri hac de re edocti, ac Ecclesiarum Præsules id ipsum in suis Civitatibus, & Diœcesibus factitari non ignorantes, numquam piæ huic Institutioni obsistendum, aut adversandum judicaverint; Nos sane nullum eidem obstaculum, aut impedimentum afferre intendimus, sed ad omnem tollendam confusionis occasionem, quemadmodum iis, qui supradictum Tertium Ordinem Sancti Francisci de Paula profitentur, proprias Indulgentias harum serie impertiti fuimus; ita & alterius Instituti Personis, quæ simpliciter Cingulum, seu Funiculum prædictum deferunt, Cordigerique nuncupantur, ipsarum præsentium tenore, proprias quoque, ac certas ab ipsis lucrandas Indulgentias assignare decrevimus.

Ceteris igitur utriusque sexus Christifidelibus, etiamsi Tertium Ordinem prædictum professi non fuerint, qui Cingulum, seu Funiculum laneum, quem vocant Sancti Francisci de Paula, a modernis & pro tempore existentibus Ordinis Minimorum Superioribus, vel ab alio Presbytero ejusdem Ordinis Professore, seu alio quocumque ab iisdem Superioribus deputato benedictum, & ab eis susceperint, ea die, qua vere pœnitentes, & confessi, ac Sacra Communione refecti, primo id egerint, Plenariam. Præterea eisdem utriusque sexus Cordigeris vere quoque pœnitentibus, & confessis, ac Sacra Communione refectis, qui in festo prædicti Sancti Francisci de Paula, a primis Vesperis usque ad occasum Solis, Ecclesiam aliquam Fratrum Ordinis Minorum, vel in ejus defectum aliam quamcumque Civitatis, vel Loci, ubi eos pro tempore degere contigerit, devote visitaverint, ibique, ut præfertur, oraverint, etiam Plenariam. Item eisdem, dum in articulo mortis constituti, vere pœnitentes, & confessi, ac Sacra Communione refecti, vel, quatenus id facere nequiverint, saltem contriti, Sanctissimum Jesu Nomen corde, si ore non potuerint, devote invocaverint, itidem Plenariam omnium peccatorum suorum remissionem, & Indulgentiam concedimus, & impertimur: necnon, ut quisquis eorum, & earum, præfatum Cingulum, seu Funiculum benedictum deferens, semel in die, si in honorem Domini nostri Jesu Christi, & Sanctorum Apostolorum ejus, pias, ut præfertur, preces effuderint, quo die id egerint, centum dierum Indulgentiam consequatur, concedimus pariter, & indulgemus.

Deinde tam primodicti Tertii Ordinis, quam alterius pii Instituti prædicti Personis Sæcularibus utriusque sexus, quoties ipsi, & quilibet eorum Missis, & aliis Divinis Officiis in Ecclesiis celebrandis, & recitandis devote interfuerint, ac pauperes hospitio susceperint, vel pacem inter inimicos composuerint, seu componi fecerint, vel procuraverint, vel etiam, qui corpora Defunctorum ad sepulturam associaverint, aut quascumque Processiones de licentia Ordinarii faciendas, Sanctissimumque Eucharistiæ Sacramentum, tam in Processionibus, quam cum ad infirmos, vel alias quocumque & quandocumque pro tempore defertur, comitati fuerint, vel impediti, Campanæ ad id signo dato, semel Orationem Dominicam, & Salutationem Angelicam dixerint, aut quinquies Orationem, & Salutationem eamdem pro necessitatibus Sanctæ Matris Ecclesiæ, sive pro Animabus Defunctorum, tam ejusdem Tertii Ordinis, quam Cordigerorum præfatorum recitaverint, aut devium aliquem ad viam salutis reduxerint, & ignorantes præcepta Dei, & quæ ad salutem sunt, docuerint, aut quodcumque aliud pietatis, vel caritatis opus exercuerint; toties pro quolibet prædictorum operum exercitio, sexaginta dies de injunctis eis, seu alias quomodolibet debitis pœnitentiis in forma Ecclesiæ consueta relaxamus.

Eisdemque non solum Tertiariis, sed etiam Cordigeris, ut omnes, & singulas Indulgentias, & peccatorum, seu pœnarum remissiones, & relaxationes hujusmodi, ab ipsis, ut præfertur, respective consequendas, etiam pro Animabus Christi-fidelium Defunctorum, quæ Deo in caritate conjunctæ ex hac luce migraverint, per modum suffragii applicare possint, misericorditer in Domino concedimus, & indulgemus.

Ceterum alias omnes, & singulas Indulgentias, & peccatorum remissiones Personis utriusque sexus tam prædicto Tertio Ordini Sancti Francisci de Paula adscriptis, quam Cordigeris præfatis, sive directe, & immediate, sive promiscue, aut alio quocumque modo, etiam per communicationem cum Minimorum prædictorum, & aliorum Mendicantium Fratrum Ordinibus, tam vigore Privilegiorum, & Litterarum Apostolicarum, quam vivæ vocis oraculo, aut alias quovis modo per quoscumque Romanos Pontifices Prædecessores Nostros, ac Nos, & Apostolicam Sedem hactenus concessas, confirmatas, approbatas, & innovatas, eisque hucusque competentes, seu per eos prætensas, earumdem præsentium tenore revocamus, cassamus, abolemus, annullamus, & abrogamus.

Præsentes autem Litteras, tam quoad concessiones superius factas, quam quoad revocationem, & abolitionem hujusmodi, etiamsi eidem Tertio Ordini Sancti Francisci de Paula adscripti, & Cordigeri præfati, seu alii quicumque in præmissis interesse habentes, vel habere quomodolibet prætendentes, eisdem non consenserint, nec ad ea vocati, aut auditi fuerint, nullo umquam tempore impugnari, seu de voluntatis nostræ defectu, aut subreptionis, obreptionis, aliove quolibet vitio notari, vel adversus eas aperitionis oris, restitutionis in integrum, aliudve juris, vel facti remedium impetrari posse: sed semper, & perpetuo firmas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri & obtinere, ac iis, quorum favorem concernunt, in omnibus, & per omnia plenissime suffragari, & respective ab iis, ad quos pertinet, inviolabiliter observari; sicque, & non aliter, per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam S. R. E. Cardinales Indulgentiis, & Sacris Reliquiis præpositos, aliosque etiam de Latere Legatos, & Apostolicæ Sedis Nuntios, de præmissis judicari, interpretari, ac definiri debere decernimus, atque irritum, & inane si secus a quoquam cujuslibet auctoritatis præsidio scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Quocirca Venerabilibus Fratribus nostris Ecclesiarum Episcopis, aliisque Locorum Ordinariis, necnon prædictæ Apostolicæ Sedis Nuntiis, & Sancti Officii Inquisitoribus, harum quoque serie, & dicta auctoritate committimus, & mandamus, ut nullas alias Indulgentias, seu peccatorum remissiones, præter præmissas, per quoscumque, tamquam prædicto Tertio Ordini Sancti Francisci de Paula, & Cordigeris hujusmodi, specialiter, & intuitu eorum Instituti, competentes, vulgari, nuntiari, aut proponi permittant; sed ipsarum præsentium tenorem per ipsos fideliter, ut par est, observari faciant; & siqui forte contumaces, vel rebelles fuerint, aut quovis modo præsentibus contradixerint, omnibus juris remediis, appellatione postposita, compescant.

Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon Nostra, & Cancellariæ Apostolicæ Regula de jure quæsito non tollendo, ac ejusdem Tertii Ordinis Sancti Francisci de Paula, ac, si quæ sit, prædictorum Cordigerorum, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus: Privilegiis quoque, Indultis, & Litteris Apostolicis prædicto Tertio Ordini Sancti Francisci de Paula, & Personis ei adscriptis in contrarium præmissorum forsan concessis, confirmatis, & innovatis: Quibus omnibus & singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione, de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, & expressa, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio, seu quævis alia expressio habenda foret, tenores hujusmodi præsentibus pro expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, specialiter, & expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Volumus autem, ut præsentium Transumptis, etiam impressis, ac pro tempore existentis Procuratoris Generalis, seu Zelosi dicti Ordinis, vel alicujus Notarii publici manu subscriptis, & alicujus Personæ in Dignitate Ecclesiastica constitutæ, vel pro tempore etiam existentis Correctoris Generalis ejusdem Ordinis sigillo munitis, eadem fides adhibeatur, quæ præsentibus ipsis haberetur, si forent ostensæ.

DE EXTREMA UNCTIONE.

BULLA UNICA.

De Dogmatibus, & Ritibus ab Italo-Græcis tenendis, atque servandis.

Ex ea, quæ extat in Tom. I. Bullarii sub num. 57. publicata anno 1742. die 2. Julii, Pontificatus vero anno secundo.

§. V.

De Sacramentis Pœnitentiæ, & Extremæ Unctionis.

I. NUlli per Sacerdotes, vel Confessarios, pro satisfactione pœnitentiæ, unctio aliqua solummodo injungatur.

II. Infirmis vero, juxta verbum Jacobi Apostoli, unctio exhibeatur extrema.

III. Nec refert, utrum eadem Extrema Unctio per unum, vel plures Presbyteros fiat, ubi hujusmodi viget consuetudo; dummodo credant, & asserant, illud Sacramentum, servata debita materia, & forma, ab uno Presbytero valide & licite confici.

IV. Idem Sacerdos materiam adhibere, formamque pronuntiare respective debet; ac propterea, qui ungit, idem dicat formam respondentem, nec alius ungat, & alius formam pronuntiet.

V. In casu necessitatis Presbyteri Græci Catholici possunt Latinos absolvere; utantur tamen forma absolutionis in Concilio Generali Florentino præscripta; postea vero, si voluerint, dicant orationem illam deprecativam, quam pro forma hujusmodi absolutionis dicere tantum consueverunt.

VI. Extra vero casum necessitatis, si quos ex Presbyteris Albanensibus peritos, & ad confessiones omnium audiendas idoneos Ordinarius Latinus judicaverit, ut non solum Græcos, sed etiam Latinos ad se accedentes possint absolvere, id eorumdem Ordinariorum prudentiæ, & arbitrio relinquitur.

VII. Sacerdotes quoque Conjugati, aliique, quibus Parochiarum cura, vel Ecclesiarum Parochialium regimen per Episcopos suos committitur, licite, & libere possint Parochianorum suorum confessiones audire, ipsisque pœnitentiam injungere pro peccatis; quia cui licet, vel conceditur, quod est majus, competit quoque, nec negari convenit, quod est minus.

VIII. Ecclesiarum Parochialium regimini præficiant Ordinarii Latini, si habere possunt, eos, qui in Seminariis Italo-Græcorum erectis, altero quidem Panormi, altero autem in Calabria in Oppido Sancti Benedicti Ullano, vel in Collegio Græcorum in Urbe, trium ad minus annorum spatio versati sunt, studiisque litterarum incubuere; dummodo cetera ad curam animarum exercendam requisita non desint, atque Episcopis ejusdem Seminarii Præsidis, seu respective Rectoris litteras exhibeant, quæ de recta eorum vitæ ratione, deque in Græcis, Latinisque scientiis progressu testimonium ferant.

IX. Liberum tamen sit ipsis Episcopis, Viros alios idoneos Coadjutores, & Cooperatores Parochis Græcis, si opus fuerit, adjungere in audiendis confessionibus, & pœnitentiis injungendis, ac ceteris, quæ ad salutem pertinent animarum; ipsisque in his per eorum Diœceses absque Sacerdotum ipsorum præjudicio, & gravamine, committere vices suas, cum propter occupationes multiplices, & occasiones varias, possit contingere, ut nequeant per easdem Diœceses officium suum exequi per ipsos.

X. Numquam Monacis Græcis, seu Calogeris, Animarum cura committatur, nisi ex necessitate, vel alia justa caussa.

XI. Presbyteri Sæculares Græci ex Albania, vel aliis Orientis partibus advenientes, abjuratis Schismate, & erroribus, atque in fide Catholica bene instructi, in Parochialibus, seu Curatis Ecclesiis Græcorum institui possunt.

XII. Tollendus abusus, ubi est, ut vir, atque uxor simul, & eodem tempore eidem presbytero confiteantur.

XIII. Aqua ex ritu Græco in die Epiphaniæ, vel primo die mensis benedicta, conservetur in Ecclesia, ut illa Fideles adspergantur.

SYNO-

SYNOPSIS
OMNIUM INSTITUTIONUM,
ATQUE DOCTRINARUM,
QUÆ A SANCTISSIMO DOMINO NOSTRO
BENEDICTO XIV.

In suis vel Edictis, vel Synodo Diœcesana editæ fuerunt in ordine ad Pœnitentiam, & Extremam Unctionem prout in hoc Volumine continentur.

DE PŒNITENTIA.

I. Quamvis nihil adhuc definitum sit ab Apostolica Seda de Attritione mere servili ad Sacramentum Pœnitentiæ sufficianti, aut de amoris saltem initialis necessitate; quinimmo sub pœna Excommunicationis latæ Sententiæ Sedi Apostolicæ reservatæ præceptum fuerit die 5. Maji an. 1667. ab Alexandro VII. ne auderent alterius Theologi alterotram taxare sententiam: plurimi nunc tamen tenent Auctores, monendos potissimum Confessarios, ut Pœnitentes ad veram, perfectamque Contritionem hortentur, & excitent. Ita quippe fieri præcipit Rituale ipsum Romanum jussu Pauli V. editum: *opportunas correptiones, ac monitiones, prout opus esse viderit, paterna caritate adhibeat, & ad dolorem, & contritionem efficacibus verbis adducere conetur.*

Videre hoc poterit in Synodo Diœcesana lib. VII. c. XII. & in hoc Volumine *appositum ad n. 74. dub. 9. c. 4. de Contritione, prout est pars Sacramenti Pœnitentiæ.* fol. 19

II. Præceptum Confessionis obligat in articulo, vel probabili periculo mortis.

Vide Notificationem positam sub num. 2. Tom. 2. & in hoc Volumine apposita ad n. 10. Dub. 3. cap. 5. fol. 22

III. Medici obligantur a Conciliis, præsertim Lateranense, auctoritate Pii V. aliorumque Pontificum confirmato, ut de Sacramentali Confessione facienda Ægrotos moneant in quocumque morbo, etiam antequam ullum extremi discriminis indicium appareat.

Extat Notificatio posita in Tomo II. sub num. 2. in hoc Volum. apposita ad nu. 14. Dub. 3. cap. 5. fol. 22

IV. Est præceptum tam Divinum, quam Ecclesiasticum obligans omnes, ac singulos Christi-fideles ad Sacramentalem Confessionem semel saltem in anno ineundam.

In Notificatione posita sub num. 18. lib. 1. apposita in hoc Volum. ad num. 21. Dub. 4. Cap. 5. fol. 25

V. Plures Theologi, Catechismus Romanus, S. Carolus Borromæus, pluresque Synodi Episcopales, quos Gonetius refert, gravem obligationem agnoscunt in Pœnitente, contra nonnullorum opinionem, circumstantias, quæ inter camdem speciem notabiliter aggravant peccatum, manifestandi.

Vide Cap. 6. Lib. 6. Synodi Diœcesana in hoc Volumine apposit. ad num. 12. Dub. 1. Cap. 8. fol. 35

VI. Confessarii cavere debent ne Pœnitentem inducant ad Complicis nomen in Sacramentali Confessione pandendum.

Ex Synodi Diœcesanæ cap. 6. Libri 6. in hoc Volum. ad num. 116. Dubium 3. Cap. 8. fol. 43

VII. Pœnitentia deneganda non est in articulo mortis cuivis nefario, ac scelestissimo peccatori, contra aliquorum Theologorum sententiam, qui veram pœnitentiam apertis indiciis testetur.

Vide Notificationem positam sub num. 2. Tomi 2. appositam in hoc Vol. ad n. 41. Dub. 5. Cap. 9. fol. 52

VIII. A Confessariis singulis sedulo perlegendi Canones pœnitentiales, non ut in injungendis Peccatoribus pœnitentiis ad usum eos revocent, sed ut ex eorum notitia aliqualem proportionem inter diversas peccatorum species servare queant. Plurimum siquidem expedire poterit si Confessarius ab horum lectione edoctus, Pœnitenti significare possit, quanta pœnitentia fuisset illi tunc temporis pro peccatis confessis injungenda, & quanto benignius Sancta Mater Ecclesia nunc agat, ut facilius postmodum a peccatorum consuetudine abstineat, & majora impleat, quam ei Sacerdos injungere nunc attentaverit.

Vide in Synodi Diœcesana Capite 62. lib. 7. in hoc Volum. apposi. ad n. 95. c. 12. fol. 69

IX. Sub pœna Suspensionis ab audiendis Confessionibus ipso facto incurrenda præcipitur, in Bononiensi potissimum Diœcesi, ne Confessarii, qui pro satisfactione in Sacramentali Confessione Missas celebrandas Pœnitentibus irrogant, sibi, vel suis Ecclesiis stipendia pro earumdem celebratione capiant.

Lege Notificationem positam sub num. 4. Tom. 5. in hoc Volumine apposit. ad nu. 95. cap. 12. fol. 70

X. In nullo casu, etiam maximæ necessitatis, deficiente Sacerdote, fieri debet Laico Sacramentalis Confessio, quæ nullam nec Sacramenti, nec utilitatis vim potest habere: sicuti invalida, nedum illicita, declarata fuit a Clemente VIII. Confessio facta Sacerdoti per internuntium, ut ex ejus Constit. 87. Bullar. Tom. 3. Certissimum proinde dogma Ecclesiæ Catholicæ, solos Sacerdotes posse Pœnitentiæ Sacramentum administrare, & a peccatis absolvere, contra VVicleffum, Lutherum, & Henricum VIII. asseritur, & probatur.

Videre hoc est in Synod. Diœces. cap. 15. in hoc Volum. apposit. ad num. 6. dub. 1. cap. 13. fol. 72

XI. Ad implendum mandatum Concilii Lateranensis, quod jubet, ut semel saltem in anno omnis utriusque sexus Fidelis peccata sua confiteatur *proprio Sacerdoti*, sufficit, ut quis cuilibet Sacerdoti ab Episcopo approbato confiteatur. Nomine enim *Sacerdotis proprii* non solus Parochus, sed aptius, ac proprius Episcopus intelligitur, a quo sine ulla limitatione, qui Confessiones legitime excipiant designantur.

Hoc Recolitur Ex Synod. Diœces. cap. 54. lib. 7. in hoc Volum. apposit. ad num. 41. dub. 5. cap. 13. fol. 77

Et ex Notificat. 18. lib. 1. in hoc Volum. ibidem. fol. 77

XII. Ut quis legitime Confessiones possit excipere debet esse necessario ab Episcopo ejus Loci approbatus, non obstantibus quibuscumque privilegiis. Hinc ab Alexandro VII. damnata fuit hæc propositio: *qui Beneficium Parochiale habent, possunt sibi eligere in Confessarium Sacerdotem non approbatum ab Ordinario.* Quapropter quinque potissimum præceptis Benedictus XIV. in sua Bononiensi Diœcesi hanc suam tuetur auctoritatem:

I. Ne quis excipiat Confessiones, nisi sit ab Ordinario approbatus, licet etiam in aliena Diœcesi sit Parochus.

II. Quod hæc approbatio danda sit nemini, nisi prævio examine, sit vel Regularis in dignitate constitutus, vel Sæcularis in Sacra Theologia, aut Canonico Jure laureatus. Ab hoc tamen onere liberabuntur probi, & docti, ut tales cogniti, & Parochi alterius Diœcesis.

III. Facultas ipsa in solius anni limite concludenda, quo peracto erit ad libitum proroganda ab eodem Ordinario.

IV. In Prorogatione hujus facultatis in Ordinarii erit arbitrium ad examen quemcumque Sacerdotem rursum vocare.

V. Examina ipsa coram se ipso tantummodo (*huic tunc Ecclesiæ Archiepiscopus præerat*) vel recentium Confessariorum, vel aliorum, quibus primo hæc facultas erit proroganda, sint ineunda.

Hæc omnia ex Notific. 19. Tom. 4. in hoc Volum. apposit. ad num. 1. dub. cap. 19. fol. 84

XIII. Sacerdotes Animarum curam habentes non indigent Episcopi approbatione ad Confessiones audiendas.

Hoc idem in Notificat. 19. Tom. 4. §. 14. in hoc Volumine apposita ad num. 3. dub. 1. cap. 14. fol. 84

XIV. Neque Doctores, neque Magistri in Theologia, vel jure Canonico sunt ipso jure approbati ad Confessiones excipiendas, sed subjici debent Ordinarii ipsius auctoritati.

Vide prælaudatam Notificat. sub §. 8. in hoc Volum. ad num. 9. dub. 2. cap. 14. fol. 85

XV. Perperam contendunt aliqui, facultatem audiendi Confessiones, quæ nullo temporis spatio definita fuit, non posse adimi Regularibus, nisi legitima caussa obvenerit, quæ ad Confessiones ipsas pertineat: damnata quippe fuit ab Alexandro VII. die 30. Januarii 1650. illa propositio: *Non possunt Episcopi limitare, seu restringere approbationes, quas Regularibus concedunt ad Confessiones audiendas, neque ulla ex parte revocare.*

Idipsum videre est in prælaudata Notificat. §. 9. in hoc Volum. apposita ad num. 22. ejusd. cap. dub. 3. fol. 87

XVI. Licet per Congregationis Decretum die 14. Decembris

bris 1658. emanatum, Regularibus quibuscumque ab Episcopo, seu Loci Ordinario approbatis accedere ad Domos Saecularium morbo laborantium, iisque Poenitentiae Sacramentum administrare, dummodo exceptae Confessionis attestationem relinquant in eadem domo, qua certior Parochus fiat de Confessione eadem peracta.

Lege Cap. 42. lib. 7. §. 7. Synodi Dioecesanae in hoc Volum. apposit. ad num. 33. dub. 4. cap. 14. fol. 89

XVII. Sacerdotes vel Saeculares, vel Regulares sint, nec tempore Jubilaei possunt Confessiones excipere in aliqua Dioecesi, quando in alia, non vero in ipsa sint approbati, vel elapso tempore praescripto ad Sacramentum hoc administrandum.

Adest Notificatio posita sub nu. 17. lib. 4. in hoc Volum. apposit. ad num. 40. dub. 6. cap. 14

XVIII. Parochus potest suorum Confessiones audire, etiam in aliena Dioecesi, quamvis ab Ordinario Dioecesis illius nullam habuerit facultatem.

Hoc videre erit in Notificat. supracitata 17. lib. 4. in hoc Volum. apposita ad n. 50. dub. 8. c. 14. fol. 92

XIX. Episcopos posse sibi, suoque judicio atrociora quaedam crimina relaxanda reservare, est dogma catholicum; ait enim Tridentinum Concilium *Can. 11. de Sacram. Poenit. si quis dixerit Episcopos non habere jus reservandi sibi casus, nisi quoad externam politiam, atque ideo casuum reservationem non prohibere quominus Sacerdos a reservatis vere absolvat; anathema sit.* Expedit tamen, & magis multis decet de caussis, ut Episcopi ipsi hanc auctoritatem exerceant in aedificationem, & in Synodo potius, quam extra.

Legere hoc poteris extensius in Synodi Dioecesanae Cap. 4. lib. 5. in hoc Vol. apposit. ad n. 6. dub. 1. c. 15. fol. 95

XX. Episcopi non debent esse plus aequo faciles ad reservationes multiplicandas, quamvis ipsorum auctoritas a Tridentino Concilio indefinite extendatur *ad atrociora, & graviora* crimina, tam notoria, quam occulta. Verum in reservatione peccatorum attendendum illud, in quo Sacra Congregatio Episcoporum, & Regularium negotiis praeposita die 9. Januarii 1601. Locorum Ordinarios monendos praescribit: *ne Locorum Ordinarii, quibus jus hoc reservandorum Casuum competit pluribus, quam opus sit, reservationibus subditis, aut Confessariis in animarum salute procuranda cooperantibus sint onerosi, monentur, omnes, & paucos, eosque tantum, quos ad Christianam disciplinam retinendam, animarumque sibi creditarum salutem, pro cujusvis Dioecesis statu, & qualitate necessario reservandos esse judicaverint, reservent.* In primis cavere debent Episcopi, ne peccata mere interna, quantumvis gravia sibi reservent.

Ex Synod. Dioeces. Cap. 5. lib. 5. in hoc Volum. apposit. ad num. 14. dub. 2. c. 15. fol. 98

XXI. Resolvitur adeo agitata quaestio de Episcoporum auctoritate absolvendi a crimine haeresis, quando peccatum est occultum, vigore facultatis eis a Tridentina Synodo concessae, & multorum Patrum, qui Conciliis vel Rothomagensi, vel Turonensi, aliorumque Procuratorum, & Capitulorum testimonio clarissime ostenditur virtute Bullae Coenae vetitum esse Episcopis uti facultate a Tridentino facta occultos haereticos, sine speciali Pontificis venia, restituendi Ecclesiae.

Idipsum ex Synod. Dioeces. Cap. 32. lib. 7. in hoc Vol. apposit. ad num. 29. dub. 1. §. 1. cap. 15. fol. 100

XXII. A Sacra Congregatione Episcoporum, ac Regularium negotiis praeposita Decretum fuit die 9. Januarii 1601. nullam Regularibus competere facultatem absolvendi a casibus, *quos sibi Locorum Ordinarii hactenus reservarunt, vel in posterum sibi reservabunt*, quod Clementis VIII. auctoritate postmodum confirmatum fuit. Hoc idem intelligitur de Confratribus Confraternitatum, & signanter Rosarii, & Crucesignatorum, vel Canonici Poenitentiarii uti *ex Lib. 15. Decret. pag. 621.* Itidem ne mens Pontificum, ac Sacrae Congregationis hac in parte ab illis eludatur, qui cum incidant in casum in Dioecesi aliqua reservatum, ad aliam, in qua non est reservatus, se conferunt, sic Sacra ipsa Congregatio die 16. Septembris anno 1649. decrevit (*lib. Decret. 18. pag. 677.*) *absolutionem poenitentibus indultam, qui fraudolenter, aut sub eo fine in aliam Dioecesim se transtulerunt, non sustineri.* Quam declarationem postmodum Clemens X. sic roboravit: *Posse Regularem Confessorem in ea Dioecesi, in qua est approbatus, confluentes ex alia Dioecesi a peccatis, in ipsa reservatis, non autem in illa, ubi idem Confessor est approbatus, absolvere, nisi eosdem poenitentes noverit in fraudem reservationis ad alienam Dioecesim, pro absolutione obtinenda, migrasse.*

Vide Cap. 5. Lib. 5. Synodi Dioecesanae in hoc Volumine apposit. ad num. 72. dub. 11. cap. 16. fol. 119

XXIII. Necessarium est, ut qui eliguntur ad Sacramentum Poenitentiae administrandum Theologiam Moralem maxime calleant. Sic enim in Proverb. cap. 24. monet Spiritus Sanctus: *praepara opus tuum, & diligenter exerce agrum tuum* ad quod conducere maxime videbitur I. si ab Episcopis facultas Confessionum audiendarum certis limitibus concludetur: II. si ad explicandos conscientiae casus frequenter conventus habebuntur. Ad hoc autem ut utiliter conventus hi fiant, optimum erit, si semel saltem in quolibet mense discutientur, meliori, qua fieri poterit, norma; sic enim in Synodo Barberina: *latino sermone utantur, suamque opinionem validis rationibus, ac praestantium Scriptorum auctoritatibus firmatam memoriter pronuntient, quam pariter integra pagina scriptam, & cujusvis manu obsignatam, Secretario singuli tradent, cum coetus dimittetur.* Et adhuc clarius post ultimum Romanum Concilium: *Ad disquisitionem casus &c. devenient, & duo saltem verba facient, qui forte ducentur ex urna, ubi descripta, & totidem complicata chartulis erunt illorum nomina, qui ad coetum convenire debent, ut parati omnes accedant.*

Haec omnia ex Notific. 12. Tom. 2. in hoc Volum. apposit. num. 11. dub. 2. cap. 17. fol. 121

Hisce Coetibus non solum convenire, sed & stare usque ad finem singulis praecipitur, qui ad hos conventus tenentur, & sunt: omnes ii, qui vel Saeculares, vel Regulares curam Animarum exercent; Sacerdotes etiam cooptati inter Canonicos Metropolitanae, vel alicujus Ecclesiae Collegiatae: Canonicus Poenitentiarius; & ea Regularium Monasteria, quae cum non habeant numerum Religiosorum praescriptum ab Innocent. X. jurisdictioni Episcoporum subjiciuntur; necnon ceteri omnes, qui ad excipiendas Confessiones fuerunt designati.

Recoluntur haec omnia ex altera Notificat. 15. tom. 5. in hoc Volumine. fol. 123

DE INDULGENTIIS.

XXIV. Indulgentiae nihil prosunt ei, qui lethalis culpae vinculo tenetur: Dei vero gratia cum piis praescriptis operibus haud necessario est jungenda, sed tunc solum communiter censetur requiri, cum quis Indulgentiam ipsam consequi statuit.

Haec ex Notificat. 7. Tom. 3. in hoc Volum. apposit. ad nu. 99. dub. 10. cap. 20. fol. 144

XXV. Quoad pia Opera injuncta, Jejunium quod fieri solet tempore quadragesimali feria quarta, sexta, ac Sabato, etiam in hebdomada Passionis, vel Majori, satis est pro lucranda Indulgentia, licet iidem dies aliter jejunio obligentur. Eleemosyna vero, quae impendi debet pro immunitate a cibis quadragesimalibus, subrogari non potest pro ea, quae ad lucrandam Indulgentiam praecipitur. Similiter Communione, quae fieri debet ad Paschale praeceptum adimplendum, acquiri non potest Indulgentia, nec una Communione utrique praecepto potest satisfieri; sed qui post Paschalem Communionem, & Confessionem lethalem culpam admiserit ad Poenitentiae Sacramentum rursus accedere debet, cum Indulgentiam adipisci deliberat. Cum tamen controversia fuerit utrum Confessio ad Indulgentias lucrandas requiratur pro disponendis ad Dei gratiam animis, an vero illa tamquam opus necessarium praescribatur: gravissimi nihilominus Scriptores, inter quos Bellarminus qui S. Antonini, Adriani, Card. Cajetani, & Navarri utitur auctoritate, hortantur ad Confessionem peragendam pro Indulgentia, & quamvis nullum lethale crimen admissum fuerit, tamen peccata levia Sacerdoti exponere, vel etiam lethalia, quae jam alias Poenitentiae Sacramento detersa fuerint, admonent.

Circa dubia an peccatorum Confessio tamquam praescriptum opus necessaria sit, vel tantum requiratur, ut animi ad gratiam, atque Indulgentiam accipiendam praeparentur: respondetur, examinanda sedulo verba, quibus Indulgentiae promulgantur.

Indulgentiarum dispensatione intelligitur, Pontifices saepius recludere spirituales thesauros, & variis temporibus nunc limitatam, nunc plenissimam poenarum remissionem impertiri, quas Peccatores vel in hac vita, vel in Purgatorio luere deberent.

Ex Notificatione 13. tom. 3. in hoc Volum. fol. 145

XXVI. Quoad vero modum, quo Indulgentiae ipsae applicari possunt Defunctis, concluditur concedi, & prodesse per modum tantum suffragii, quod satis dicendum est, ut Anima, si placitum Deo sic fuerit, e Purgatorii cruciatibus eripiatur.

Hoc idem pariter ex Notificatione 15. tom. 3. in hoc Vol. fol. 146

DE SACRAMENTO EXTREMAE UNCTIONIS.

XXVII. Extrema Unctio est verum Sacramentum Novae Legis, institutum a Christo Domino, insinuatum apud Divum Marcum, & promulgatum per Apostolum Jacobum: quod definitum fuit a Concilio Tridentino Sess. 14. cap. 2. In hoc Concilio adhibuerunt Patres verbum illud *insinuatum*, ut tam Institutionem, quam figuram hujus Sacramenti comprehenderent; tempore praesertim, quo, cum Apostoli nondum essent Sacerdotes, & aegroti nondum Baptismum suscepissent, & inde aliorum essent

essent incapaces Sacramentorum, eos promiscue inungebant, non ut Sacramentum administrantes, sed ut aliorum sanitati consulentes.

Id ipsum ex Synod. Diœces. Cap. 7. lib. 7. in hoc Vol. apposit. ad n. 1. De Sacramento Extremæ Unctionis. fol. 152

XXVIII. Materia remota Extremæ Unctionis est *Oleum*, scilicet liquor expressus ex baccis Olivarum. Quamvis autem de hoc Oleo dicatur, quod esse debeat saltem ex Ecclesiæ præcepto simplex, & sine ulla mixtione; admittitur tamen communiter, nihil hujus Sacramenti validitati detrahi, si Oleo Infirmorum aliquid Balsami admisceatur, modo admixtio non sit tanta, ut destruat exteriorem Olei speciem.

Ex Synod. Diœces. cap. 26. lib. 7. §. 3. in hoc Volum. apposit. ad n. 10. dub. 2. fol. 153

XXIX. Benedictio, & Consecratio Olei pro Cathecumenis, & Infirmis solis competit Episcopis, quod decretum fuit a S. Fabiano Pontifice, vel a Sæculo III. Itidem decreta fuit dies, quo confici debent nempe *in Cœna Domini*, necnon & locus, scilicet Ecclesia Cathedralis cum determinato ritu, uti videre est in Rituali Romano *tit. de Offic. in Feria 5. Cœna Domini &c.*

Vide Notif. 14. tom. 4. in hoc Volum. apposit. ad num. 11. dub. 2. fol. 154

XXX. Benedictio autem, & Consecratio in materia Extremæ Unctionis est necessaria ex Institutione Christi; quamvis ad ejusdem validitatem Oleum, etiam a simplici Sacerdote benedictum sufficere ostendatur, exemplo potissimum Ecclesiæ Orientalis, & Græcorum.

Ex Synod. Diœces. cap. & lib. supracitato §. 4. in hoc Vol. fol. 154

XXXI. Vetus Oleum, cum novum consecratum fuerit, comburendum esse, habetur ex Pontificali Romano, ex Concilio Provinciali Mediolanensi S. Caroli Borromæi *part. 2. tom. 1.* & Clericato de Extrema Unctione *decis. 105. n. 16.* & ex *Canon. 122. de Consecrat. dist. 4.*

Insuper Oleo jam consecrato non consecratum superaddi, eoque supremam unctionem Ægrotantibus administrari, quamvis absolute non improbetur (dummodo quod superinfunditur Oleum consecrati copiam non exsuperet) tamen hoc tunc solum permittitur, cum, acceptο Oleo præscriptis temporibus, deesse illud incipiat, priusquam recens ab Episcopo consecretur.

Hæc omnia ex Notif. 14. tom. 4. in hoc Volum. apposita ad n. 17. dub. 2. fol. 155

XXIX. Utrum septem Unctiones relate ad septem Corporis partes, cum prolatione formæ sint de Sacramenti substantia, magna adhuc est controversia, & nulla hactenus hac de re ab Apostolica Sede prodiit definitiva sententia; illud tamen advertendum a Parochis, quod quotiescumque prudenter timeant ægrotum decessurum, priusquam omnes absolvantur quinque sensum unctiones, unicum tunc inungere debent sensum, universalem formam pronuntiando; & consultius agent, si caput solum, a quo omnium sensuum nervi descendunt sub eadem universali forma inungent.

Lege Synodi Diœcesanæ Caput 18. lib. 7. in hoc Volumine apposit. ad n. 30. dub. 3. fol. 157

XXX. Formam Sacramenti Extremæ Unctionis non fuisse a Christo Domino institutam certis verbis præscriptam, ab omnibus jam ad mittitur. Tridentinum Concilium præscripsit, clariusque Romanum Rituale explicavit quænam sit in Ecclesia Latina pro hoc Sacramento adhibenda forma, modo tamen deprecativo. Quatenus autem ad quæstionem, utrum necessario hæc forma debeat esse deprecativa, ita ut indicativo modo pronuntiata irritum reddat Sacramentum; cum nihil ab Ecclesia definitum habeamus, sufficiens erit Parochis præscribere, ut formam in Rituali præscriptam semper adhibeant, quam sine gravi flagitio non poterunt privata auctoritate mutare.

Ex Synod. Diœces. cap. 17. libr. 7. in hoc Vol. apposit. ad num. 37. dub. 4. fol. 158

XXXI. Ministri Sacramenti Extremæ Unctionis sunt Sacerdotes legitime ordinati, ut ex Concilio Tridentino *Sess. 14. Can. 4.* non autem omnes Christiani contra Novatores, quidquid contra facere videatur perperam intellecta Innocent. I. Epistola ad Decentium. Ait quippe Concilium loco allato: *si quis dixerit Presbyteros Ecclesiæ, quos B. Jacobus adducendos esse ad Infirmum inungendum hortatur, non esse Sacerdotes ab Episcopo ordinatos, sed ætate seniores in quavis Communitate; ob idque proprium Extremæ Unctionis Ministrum non esse solum Sacerdotem; anathema sit.*

Legere hoc est in capit. 19. Synod. Diœces. lib. 7. in hoc Volum. apposit. ad num. 37. dub. 5. fol. 159

XXXII. Non refert utrum eadem Extrema Unctio per unum, vel per plures Presbyteros fiat, ubi potissimum hujusmodi viget consuetudo, dummodo credant, & asserent illud Sacramentum, servata debita materia, & forma, ab uno Presbytero valide, & licite confici. Idem tamen Sacerdos materiam adhibere, & formam pronuntiare respective debet, ac præterea qui ungit, idem dicat formam respondendentem, nec alius ungat, ac alius formam pronuntiet.

Vide locum superius allatum Synodi Diœces. §. 8. in hoc Volum. ad num. 41. dub. 5. fol. 160

XXXIII. Id ipsum adhuc fusius in §. 4. ejusdem Synodi in confirmationem illius praxis: Sacramentum Extremæ Unctionis valide, & aliquando etiam licite, potest administrari a pluribus Sacerdotibus, quamvis non sit amplius in Latina Ecclesia usu receptum: *quod in hoc Vol. invenies post n. 42. dub. 5.* fol. 160

XXXIV. Solus Parochus est ordinarius Minister Extremæ Unctionis, & sine Parochi licentia nemini licet Sacramentum Ægrotantibus ministrare. Si tamen adsit periculum mortis, & absit Parochus, vel alio quovis negotio impediatur; cuilibet Sacerdoti illud administrare licebit quoniam ad sui validitatem potestas jurisdictionis, sicut in Sacramento Pœnitentiæ, minime requiritur.

Hoc idem ex prælaudato Synodi Capite, §. 7. in hoc Volum. ad num. 44. dub. 5. fol. 161

XXXV. Pueris perpetuo amentibus, & Furiosis Sacramentum Extremæ Unctionis est denegandum, quia nulla vel gravi, vel levi culpa potuerunt se adhuc contaminare, & Sacramentum istud ad abstergendas culparum reliquias fuit potissimum institutum. Debet autem administrari Adultis, qui aliquando rationis usum habuerunt, & postea in phrenesim, aut amentiam inciderunt, ut ex D. Thom. *in 4. distinct. 23. quæst. 2. art. 2. quæstiunc. 3.*

Item cuilibet administrandum Fideli, etiam subita morbi vi correpto, dummodo præsumi possit, futurum, ut, si potuisset, petierit: quod argumentari facile poterit ab ejusdem ordinaria pietate, fide, moribus, devotione &c.

Hoc adeo verum est, ut plurimi Theologi in eam devenerint opinionem, quod Sacerdoti Missam interrumpere fas sit, ut Extremam Unctionem administret Infirmo morti propinquo, cui nullum aliud Sacramentum potuit conferri, quoniam in hoc eventu ab unica Extrema Unctione potest ille, si sit sufficienter attritus, obtinere primam Gratiam justificantem.

Vide hæc omnia in prælaudata Synodo cap. 21. §. 13. lib. 7. apposit. in hoc Volum. ad n. 46. dub. 6. fol. 161

XXXVI. Pueris hoc Sacramentum est administrandum statim, ac rationis compotes judicantur, ac doli, & culpæ capaces, quemadmodum in Rituali Romano præscribitur: *Non administretur Pueris usum rationis non habentibus: secus de pueris periculose ægrotantibus, qui peccati mortalis, ac Confessionis sunt capaces, licet sint solum octo, aut novem annorum, & quamvis numquam communicaverint.*

Colligere hoc poteris ex citat. cap. 21. Synod. Diœces. apposit. in hoc Volum. ad num. 47. dub. 6. fol. 162

XXXVII. Sacramentum Extremæ Unctionis, cum *Sacramentum Exeuntium* nuncupetur, administrandum est cuilibet Fideli mortali morbo laboranti, itidemque & Senibus quandoquidem, qui præ decrepita ætate in dies morituri creduntur: verum negandum iis omnibus, qui cum sani sint corpore, probabile, aut etiam certum adeunt periculum vitæ: puta quia mare sunt transgressuri, prælium commissuri, aut ultimo supplicio plectendi, necnon feminæ partui propinquæ, nisi alia periculosa accesserit corporis ægritudo.

Id ipsum ex cap. 20. lib. 7. ejusdem Synodi Diœces. in hoc Volum. apposit. ad nu. 52. dub. 6. fol. 163

XXXVIII. Ut falsa convincitur illorum opinio quibus erat persuasum, tunc solum Infirmos Oleo Sancto liniendos, cum, desperata prorsus salute, extremum jam essent spiritum exhalaturi, propterea quia post receptam hanc Sacram Unctionem non amplius, si convalescerent, licere putabant Conjugatis ad conjugale opus revertere, vel carnes comedere, vel nudis pedibus incedere.

Per Michlinense itidem Concilium error illorum convincitur, qui ideo ab Extrema Unctione abhorrebant, quia per hanc Unctionem potestatem sibi adimi putabant Testamenta condendi; habetur quippe hujus Concilii decretum, quod hanc destruit legem.

Tandem nunc temporis eorum prejudicium tollendum manet, qui actum esse de vita cum putent, statim ac eis Sacra hæc unctio proponitur, ab ea ideo quammaxime abhorrent. Hortandi autem, & admonendi Fideles, ne Sacramentum hoc usque ad ultimum vitæ agonem differant, & quia non solum Animæ, sed & Corporis saluti prodesse solet, & quia alios debet producere optimos effectus (spei scilicet, fiduciæ, devotionis, virtutum, & aliorum hujusmodi, quæ per extensum Tridentinum Concilium enumerat. Ex quibus omnibus clare patet non expectanda in ungendis Infirmis ultima vitæ periodus, sed esse administrandum, priusquam Fideles ipsi sensibus, ac mente destituantur.

Hæc eadem tum ex Notif. 1. lib. 2. tum ex cap. 22. lib. 7. Synodi Diœcesanæ, in hoc Vol. apposit. ad n. 53. dub. 6. fol. 164

IN-

I N D E X
RERUM NOTABILIUM,

Quæ hac ſecunda Parte Secundi Tomi hujus Operis continentur.

Prior numerus Paginam, ſecundus Notas marginales deſignat.

A

ABBAS, ABBATISSA.

ABbates, & Prælati Ordinum Regularium poſſunt ſibi eligere Confeſſarium quemlibet Sacerdotem ſimplicem. fol. 84. 99
Abbatiſſæ Monialium non poſſunt ſibi eligere Confeſſarium non approbatum. ibid. 100

A B O R T U S.

Procurantes Abortum fœtus animati incidunt in caſum Bononiæ reſervatum. 106. 60
Incidunt etiam in excommunicationem Epiſcopo reſervatam. ibid.
Ab illa poſſunt abſolvere Regulares. 118. 69

A B S O L U T I O.

Abſolutio Sacramentalis conſiſtit in verbis humana voce prolatis. 8. 2
Non poteſt dari nutibus, ſcriptura, aut aliis ſignis externis. ibid.
Recte profertur illis verbis: *Ego te abſolvo a peccatis tuis*: ſufficiunt ex neceſſitate, *Abſolvo te.* ibid. 4
Quem ſenſum habeant illa verba. 9. 12
Eadem forma poteſt quis abſolvere a peccatis, & cenſuris. ibid. 18
Non poteſt abſolutio dari modo deprecativo. 10. 21
Quem effectum habeat, ſi inveniat peccata jam remiſſa. 9. 14
Invalida eſt abſolutio data ſub conditione de futuro. 10. 27
An ſit valida ſub illa conditione; *ſi Deus novit, te eras veſtiturum.* ibid. 30
Abſolutio regulariter dari non debet ſub conditione. 11. 35
Non poteſt dari per litteras, nec abſenti. ibid. 36
Quanta poſſit eſſe diſtantia, ut valida ſit abſolutio. 12. 43
Abſolutio non debet a Confeſſario denegari. 55. 36
Poteſt ex juſta cauſſa differri. ibid. 37
Peregrinus a quo poſſit abſolvi a caſibus reſervatis. 121. 124.
Abſolutio a caſibus reſervatis. Vide *Reſervatio.*
Vide *Caſus Reſervati.*
De Abſolutione danda Moribundo. Vide *Infirmus. Articulus Mortis. Occaſio proxima.*

A L C H Y M I S T Æ.

An debeant abſolvi. 24. 11
Hujus Artis profeſſores ſunt maxime ſuſpecti. ibid.
Indulgentiæ Altaris privilegiati, & aliæ pro defunctis non ſuſpenduntur in Anno Sancto. 146

ANNUS SANCTUS.

Quando incipiat, & deſinat Annus Sanctus. ibid. 2
Suſpenduntur omnes Indulgentiæ, & Indulta abſolvendi a caſibus reſervatis. ibid. 3
Non ſuſpenduntur Indulgentiæ Plenariæ Eccleſiarum Urbis. ibid. 4
Nec Indulgentiæ Altaris Privilegiati, nec aliæ pro Defunctis. ibid.
Nec Indulgentiæ, quas concedere ſolent Cardinales Legati, Nuntii Apoſtolici, & Epiſcopi in uſu Pontificalium, aut dum benedicunt Populo. ibid.
Suſpenduntur Indulgentiæ Eccleſiæ Sanctæ Mariæ Lauretanæ. 147. 5
Non ſuſpenditur Indulgentia Eccleſiæ Sanctæ Mariæ Angelorum in feſto Portiunculæ. ibid.
Remanet ſuſpenſa Indulgentia pro eo die extenſa ad alias Eccleſias Ordinis Minorum. ibid.
Suſpenduntur Indulgentiæ conceſſæ pro articulo mortis. ibid. 6
Suſpenduntur facultates abſolvendi a caſibus reſervatis. ibid. 7
Non ſuſpenduntur privilegia Regularium, nec ea, quæ competunt Epiſcopis. ibid.
Ad lucrandam Indulgentiam Anni Sancti debent viſitari quatuor Eccleſiæ Urbis, & quoties. ibid. 9
An ſit neceſſe ingredi per Portas Sanctas. ibid. 10

A P P R O B A T I O.

Approbatio Epiſcopi neceſſaria eſt pro audiendis Confeſſionibus. 84. 2
Regulares debent eſſe approbati, ut valide, ac licite poſſint hoc Sacramentum adminiſtrare. ibid. 2
Non indigent approbatione obtinentes Beneficium Parochiale. ibid. 3
Non eſt neceſſe, quod approbatio detur in ſcriptis, quamvis ſit magis conveniens. 45. 5
Debet dari gratis, non eſt tamen invalida, ſi non detur gratis. ibid.
Quid ſit approbatio. ibid. 6
Diſtinguitur a juriſdictione. ibid.
Sufficit approbatio externa ad valorem Sacramenti. ib. 7
Non ſufficit interna ſine externa. ibid.
Omnes, etiam Doctores, & Magiſtri in Theologia debent approbari. ibid. 8
Poteſt Epiſcopus illos admittere ſine examine. ibid. 10
Etiam Prælati Regulares indigent approbatione. ibid. 11
Poteſt approbatio negari, aut limitari. 86. 18
Non ſufficit in Regularibus approbatio petita, & non obtenta, quamvis ſit injuſte negata. ibid. 20
Approbatio ſemel data, etiam Regularibus abſque limitatione, poteſt ex juſta cauſſa ab Epiſcopo revocari, vel ſuſpendi. 87. 25
Non eſt licita talis revocatio facta ſine cauſſa. 88. 26
Limitate approbatus, nec etiam virtute Jubilæi, poteſt eligi ab omnibus. 90. 40
Confeſſarius debet eſſe approbatus ab Ordinario Diœceſis. 93. 59

ARTICULUS MORTIS.

Poteſt quilibet Confeſſarius abſolvere conſtitutum in articulo mortis ab omnibus Cenſuris, & Caſibus reſervatis. 116. 42
Diſcrimen inter abſolutionem a cenſuris, & abſolutionem a peccatis datam in articulo mortis. ibid. 43
Quid veniat nomine articuli mortis, & an diſtinguatur a periculo. 74. 14
An mulier gravida dicatur eſſe in probabili periculo mortis. ibid. 17
An peſte infecti. ibid.
An Banniti capitaliter. ibid.
Quinam alii cenſeantur eſſe in tali periculo conſtituti, ut poſſint a quolibet Sacerdote abſolvi a reſervatis. ibid.
An, præſente Parocho, vel alio approbato, poſſit ſimplex Sacerdos abſolvere. ibid. 18
Vide *Infirmus.*

A T T R I T I O.

Attritio, ut eſt pars Sacramenti, debet eſſe ſupernaturalis, nec ſufficit naturalis. 13. 7
Attritio, etiam cognita ut talis, eſt ſufficiens diſpoſitio in Sacramento Pœnitentiæ. ibid. 12
Sufficit etiam in articulo mortis. 14. 20
In praxi conſulenda, & procuranda eſt Contritio. ib. 24
Eſt ſufficiens attritio concepta ex metu pœnarum, ſi excludat voluntatem peccandi. ibid. 27
Debet procedere ex motivo univerſali. 15. 37
Poteſt eſſe ſufficiens, quamvis procedat ex motivo particulari. ibid. 38

B

B L A S P H E M I A.

BLaſphemia quid ſit. 99. 24
Blaſphemia hæreticalis quomodo differat a ſimplici. 100. 26
Blaſphemia de genere ſuo eſt peccatum mortale. ibid. 28
Sola blaſphemia hæreticalis eſt peccatum reſervatum in Diœceſi Bononienſi. ibid. 29

Scientia necessaria est in Confessario. ibid. 6
Quanta debeat esse scientia in Confessario. ibid. 7
An valida sit Confessio facta apud Confessarium ignorantem. 121. 10
Confessarius tenetur aliquando pœnitentem interrogare. 124. 17
Non tenetur adhibere exactissimam diligentiam. ibid. 21
Quid facere debeat, si cognoscat, pœnitentem non se accusare de aliquo peccato. ibid. 22
An debeat admonere pœnitentem, qui per ignorantiam est in statu malo. 125. 23
Tenetur sequi opinionem probabilem pœnitentis. 126. 33
Vide *Opinio probabilis*. *Defectus Confessionis*.
Vide *Minister Sacramenti Pœnitentiæ*.

CONFESSIO SACRAMENTALIS.

Confessio Sacramentalis quid sit, & a quo instituta. 21. 1
Non fuit a Nectario abrogata Confessio secreta, & auricularis. ibid. 5

CONFESSIONIS PRÆCEPTUM.

Datur præceptum divinum Confessionis. 21. 6
Obligat omnes, & solos Christifideles, qui post Baptismum in mortale sunt lapsi. 22. 7
Obligat saltem in articulo, & probabili periculo mortis. ibid. 10
Non obligat statim post commissum peccatum. 24. 15
Per se obligat pluries in vita. ibid. 17
Et quoties sumenda est Eucharistia respectu habentis peccatum mortale. 25. 19
Non est necessario præmittenda Confessio pro recipiendis aliis Sacramentis. ibid.
Datur præceptum Ecclesiasticum obligans omnes fideles ad Confessionem suorum peccatorum. ibid. 20
Hoc præceptum quoad substantiam est Divinum, & Ecclesiasticum quoad determinationem temporis. ibid. 21
Non potest tolli, seu abrogari ab Ecclesia. ibid. 24
Obligat omnes, & singulos baptizatos habentes conscientiam peccati mortalis. ibid. 25
Tenentur præcepto annuæ Confessionis, etiam qui tantum habent peccata interna. 26. 29
Non tenetur, qui solum habet venialia. ibid.
An possit Ecclesia præcipere Confessionem venialium. ibid. 31
Quo tempore obliget præceptum Confessionis. ibid. 34
Qui Confessionem omisit integro anno, an teneatur confiteri quam primum initio anni sequentis. 27. 38
Qui Confessionem omisit uno anno, an toties peccet, quoties, data opportunitate, non confitetur anno sequenti. ibid. 39
An teneatur bis confiteri anno sequenti. ibid. 40
Habens peccata mortalia tenetur anticipare Confessionem, si prævideat impedimentum pro reliquo tempore. ibid. 41
Præceptum Confessionis non impletur per Confessionem volantarie nullam. ibid. 43
An adimpleatur per Confessionem validam, sed informem. ibid. 44
An qui semel confessus est mortalia, teneatur iterum confiteri, si ante finem anni incidat in aliud mortale. 28. 46

CONFESSIONIS CONDITIONES.

Quas conditiones habere debeat Confessio Sacramentalis. 28. 1
An debeat fieri voce, vel possit fieri per nutus, signa, & scripturam. ibid. 3
An teneatur peccata scribere, qui non potest voce confiteri. ibid. 7
Regulariter Confessio debet esse secreta. ibid. 8
Nullus tenetur confiteri publice coram aliis. 29. 9
Nec etiam per Interpretem. ibid.
Quid faciendum tempore mortis. ibid. 10
Confessio non vitiatur ex fine solum venialiter malo. ib. 13
An peccet mortaliter, qui uni Confessario peccata mortalia, alteri venialia confitetur. ibid. 14
Mendacium, quando versatur circa materiam gravem invalidat Sacramentum, non vero si versetur circa materiam levem. ibid. 15

CONFESSIO REPETENDA.

Quando Confessio sit repetenda. 56. 1
Qui ex ignorantia, seu inadvertentia circumstantiam aliquam omisit, non tenetur totam Confessionem repetere. ibid. 4
Qui fecit Confessionem nullam, non tenetur post multos annos repetere Confessiones intermedias bona fide factas. 57. 7
Qui propter periculum mortis non fecit Confessionem integram, tenetur postea numerum, & species exprimere. ibid. 8
An sit repetenda Confessio facta ab excommunicato, antequam absolvatur ab excommunicatione. ibid. 10
An Confessio facta cum Confessario excommunicato. ibidem 12
An Confessio facta cum Confessario ignorante. ibid. 16
An sit repetenda Confessio, quando Sacerdos ob surditatem, animi distractionem, vel somnum, peccata non intellexit. 58. 19
Si pœnitens non adimplevit pœnitentiam, estque illius oblitus. ibid. 21
Qualiter sit repetenda Confessio. ibid. 23
An circumstantia omissa possit confiteri separatim a peccato. ibid. 27

CONSANGUINITAS.

Quid sit Consanguinitas. 106. 70
Qui carnaliter cognoscit consanguineam in primo, & secundo gradu incidit in casum Bononiæ reservatum. 107. 75
Non incurrit, qui cognoscit consanguineam in tertio, vel quarto gradu. ibid. 76

CONSUETUDO.

Consuetudo peccandi regulariter non est necessario in Confessione aperienda. 38. 54
Bene tamen si a Confessario interrogetur. ibid.
Consuetudo peccandi in quo differat ab occasione proxima peccandi. 55. 34
Habenti consuetudinem peccandi quando sit neganda, vel differenda absolutio. ibid. 35
Confessarius potest illi absolutionem differre sine consensu pœnitentis. 56. 39
Cavendum, ne majus damnum timeatur ex dilatione. ibid. 41.

D

DEFECTUS CONFESSIONIS.

Tripliciter potest contingere defectus in administratione pœnitentiæ. 126. 37
Quid debeat facere Confessarius, si defectus fuit circa valorem Sacramenti. ibid. 38
Quid, si error fuit circa integritatem materialem. ib. 40
Si error fuit cum damno Tertii, debet Confessarius pœnitentem admonere. 127. 42
Pœnitente non restituente, non tenetur Confessarius restituere de proprio, si solum omissive se habuit. ib. 43
Tenetur, si positive consulit non esse restituendum. ibid. 44

DELECTATIO MOROSA.

Delectatio morosa quid sit. 41. 96
An debeat explicari circumstantia personæ, de qua sumpta est delectatio morosa, quando illa non fuit specialiter intenta. ibid. 99
Datur discrimen inter desiderium, & simplicem complacentiam. ibid. 100
Religiosus peccat contra votum, si delectetur de copula cum muliere. 42. 103
Conjugatus peccat contra fidem Conjugis, si de alia muliere delectetur. ibid. 104
Qui desideravit habere copulam cum Matre, & Filia, non tenetur hanc circumstantiam aperire. ibid. 105
Qui unico actu desideravit plures feminas, an teneatur numerum aperire. ibid. 106

DOEMON.

Invocatio Dœmonis alia expressa, alia tacita. 103. 30
Quid utraque sit. ibid.
Ad tacitam invocationem reducuntur fere omnes species Superstitionis. ibid.
Dœmonis invocatio, sive tacita, sive expressa est gravissimum peccatum. 104. 38
Expressa Dœmonis invocatio est peccatum reservatum in Diœcesi Bononiensi. 99. 23
Quinam incidant in hanc reservationem. 105. 50

DISTINCTIO.

Distinctio specifica peccatorum unde sumatur. 31. 14
Quomodo in Confessione debeat distincte explicari numerus peccatorum. ibid. 15
Unde sumatur distinctio numerica peccatorum. 32. 25

Quot peccata committit, qui detrahit de Religiosa familia. ibid. 27
An debeat in Confessione explicari numerus personarum. ibid. 29
Qui unico ictu occidit plures, quomodo debeat suum peccatum explicare. ibid. 31
Peccata per interruptionem quomodo multiplicentur numero. ibid. 32
Plures actiones externæ quandonam constituant unum, aut plura peccata. 33. 40

DOLOR.

Dolor requiritur in Sacramento Pœnitentiæ, non solum ut prævia dispositio, sed ut pars Sacramenti. 12. 2
Redditur sensibilis per Confessionem. ibid. 3
Debet esse formalis, & expressus, nec sufficit virtualis, & implicitus. ibid. 4
Non sufficit, per se loquendo, dolere quod non doleas. ibid. 5
Dolor debet esse naturalis. 13. 7
Dolor naturalis non sufficit, nec ad valorem, nec ad effectum Sacramenti, quamvis invincibiliter putetur supernaturalis. ibid.
Cur in aliis Sac. sufficiat materia naturalis, & in Sac. Pœnitentiæ non sufficit dolor naturalis. ibid. 10
Contritio est optima dispositio ad Sac. Pœnit. ibid. 12
Sed etiam sufficit Attritio. ibid.
Sufficit, dolorem præcedere absolutionem. 17. 59
Non est necesse pro qualibet distincta Confess. elici novum, & distinctum actum doloris. 18. 63
Melius est repetere dolorem, repetita Conf. ibid. 65
Quanto tempore possit dolor confessionem, & absolutionem præcedere. ibid. 67
In Confessione venialium requiritur dolor formalis, & efficax. ibid. 69
Non est peccatum mortale fateri venialia sine dolore, quando quis simul confitetur alia mortalia, de quibus doleat. ibid. 71

DUELLUM.

Qui aliquem occidit in Duello incidit in casum Bononiæ reservatum. 106. 61
Incurrit in excommunicationem Summo Pontifici reservatam. ibid.

E

EFFECTUS.

Effectus ex opere pravo quando debeat explicari. 47. 152
Quid, si sit posita reservatio, aut censura, effectu secuto. ibid. 156

ELEEMOSYNA.

An sit necessaria pro consequendo Jubilæo. 141. 61
An illa teneantur facere Pauperes, vel indigeant commutatione. ibid. 62
An teneantur Religiosi, Superiore negante. 142. 66
Quænam quantitas sit necessaria. ibid. 67
Fieri potest ante, vel post Communionem. ibid. 68
An possit fieri per Famulum. ibid. 69
Quid, si Famulus Eleemosynam non distribuat. ibid. 70

EPISCOPUS.

In aliena Diœcesi an possit sibi eligere Confessarium non approbatum. 83. 93
Episcopi approbatio ad Confessiones audiendas. 84. 1
Vide *Approbatio*.
An approbatio semel data possit revocari. 87. 25
Peccaret Episcopus, si absque ulla caussa approbationem absolute, & sine limitatione datam revocaret. 88. 26
Non potest omnibus simul Religiosis unius Conventus facultatem audiendi confessiones adimere. ibid. 28
An possit iterum examinari Parochus. 93. 55
Episcopus potest sibi reservare casus in sua Diœcesi. 95. 2
An Episcopus ligetur reservatione. 111. 130
An possit aliquando absolvere a casibus Summo Pontifici reservatis. 112. 3. & 116. 50
Quinam veniant nomine Episcopi. 116. 50

ERROR.

Quid sit titulus coloratus. 80. 67
Error communis cum titulo colorato tribuit jurisdictionem. ibid. 68
Non sufficit Error paucorum putantium, Sacerdotem adhuc esse approbatum. 81. 69
Qui cognoscit errorem non potest Sacramentum pœnitentiæ ab illo petere. ibid. 70
Validum est Matrimonium celebratum coram Parocho habente titulum coloratum cum errore communi. ibid.
Non sufficit error communis sine titulo colorato. ibid. 72

EXAMEN.

Examen conscientiæ qualiter sit præmittendum Confessioni. 30. 1
Quanta diligentia sit necessaria pro discussione conscientiæ. ibid. 2
Non requiritur summa, & maxima diligentia, sed moralis. ibid. 3
Qui habet debilem, & labilem memoriam, an teneatur peccata scribere. ibid. 4
Non facile debet dimitti Rusticus accedens ad Confessionem sine sufficienti examine. ibid. 5

F

FORMA POENITENTIÆ.

Forma Sacramenti Pœnitentiæ consistit in verbis humana voce prolatis. 8. 1
Non potest dari scripto, aut nutibus. ibid. 2
Quænam verba sint de essentia formæ. ibid. 4
Sacerdos non solum declarat, pœnitentem esse absolutum a Deo, sed ipsum absolvit a peccatis. 9. 11
Quem sensum faciant illa verba, *Absolvo te*. ibid. 15
Potest illis verbis Sacerdos absolvere a peccatis, & censuris. ibid. 18
Extra casum necessitatis absolutio a censuris est semper præmittenda. ibid. 20
Non potest illa forma dari modo deprecativo. 10. 21
Quænam mutationes invalident formam Sacramenti Pœnitentiæ. ibid. 23
Vide *Absolutio*.

FUNAMBULI.

Funambuli quinam dicantur. 53. 10
Non esse absolvendos, tamquam existentes in occasione proxima peccati, volunt nonnulli. ibid.
Verius est, illos excusari a peccato, & posse absolvi. ibid.

FURTUM.

Quantitas furti non est necessario in confessione aperienda. 38. 58
An qui per furtum accipit a pluribus Dominis teneatur numerum Dominorum explicare. ibid. 59
Furtum factum in Ecclesia quando habeat rationem Sacrilegii. 44. 124

H

HOMICIDIUM.

Homicidium voluntarium est peccatum reservatum in Diœcesi Bononiensi. 105. 55
Quid importet tale Homicidium. ibid.
Quinam incurrant in hunc casum reservatum. ib. 58
Vide *Abortus*. *Duellum*.
Mandantes, & consulentes homicidium incidunt in casum reservatum. 106. 62
Non incurrit, qui alterum sine peccato occidit. ibid. 64
Nec Mater, aut Nutrix, si puerum suffocant in lecto. ibid. 65
Homicidium voluntarium factum in Ecclesia contrahit specialem malitiam Sacrilegii in Confessione explicandam. 44. 119

I

JACTANTIA.

An sit in Confessione explicandum peccatum, de quo quis se jactavit. 39. 65
Quid, si peccatum non sit commissum, an tunc debeat etiam explicari. ibid. 69
Si se laudavit de viribus, & dexteritate. ibid. 66

JEJUNIUM.

Jejunium pro consecutione Jubilæi requisitum non est Naturale, sed Ecclesiasticum. 142. 72
An jejunans illis diebus vesci possit ovis, & lacticiniis. ibid. 72
Quid dicendum pro tempore Quadragesimali, & pro locis, in quibus non est licitus usus ovorum extra Quadragesimam. ibid. 73

IGNO-

IGNORANTIA.

Ignorantia reſervationis an excuſet a reſervatione incurrenda. 110. 115

Ignorantia excuſat ab incurrenda reſervatione pœnali, non ſic ab incurrenda reſervatione medicinali. ib. 116

Verius eſt, ignorantiam numquam excuſare a reſervatione incurrenda, niſi quando excuſat a culpa. ib. 120

INCESTUS.

Quid ſit Inceſtus. 106. 69

Quinam incidant in reſervationem latam contra committentes Inceſtum. 107. 75

Non incidunt feminæ, nec mares ante pubertatem. ib. 77

INDULGENTIA.

Indulgentia quid ſit. 136. 1

Non remittit culpam, ſed pœnam temporalem. ibid. 2.

Condonat pœnas, applicando quantum ſufficit de Theſauro Eccleſiaſtico. ibid. 3

Non obſtat, Chriſtum abunde ſatisfeciſſe pro culpa, & pro pœna. ibid. 5

Indulgentia multiplex eſt. ibid. 7

Indulgentia ſeptem, decem, aut centum annorum, quid importet. 137. 10

Summus Pontifex ſolus poteſt primario, & jure Divino concedere quaſcumque Indulgentias. ibid. 11

Illas concedere non poteſt Concilium generale. ibid. 12

Epiſcopi poſſunt aliquas Indulgentias concedere. ibid. 13

Non poſſunt illas concedere Cardinales, ſi non ſunt Epiſcopi. ibid. 15

Nec Capitulum, Sede vacante. ibid. 16

Conceſſio facta ab Epiſcopo ultra quadraginta dies, an ſit valida. ibid. 17

Ad validam, & licitam conceſſionem Indulgentiæ requiritur cauſſa. 138. 20

Debet eſſe cauſſa pia, honor Dei, Eccleſiæ utilitas, & bonum commune. ibid. 21

Cauſſa debet eſſe aliquo modo proportionata, & adæquata Indulgentiæ concedendæ. ibid. 22

Suſcepturus Indulgentias debet eſſe homo viator, baptizatus, & ratione utens. ibid. 26

An Cathecumenis poſſit concedi, & prodeſſe Indulgentia. ibid. 27

Requiritur ſtatus gratiæ in recipiente, eo ſaltem tempore, quo Indulgentiam eſt conſecuturus. ibid. 30

An Confeſſio debeat præmitti reliquis Operibus. 139. 33

An ſi quis opera præſtet in peccato mortali, Indulgentia reviviſcat, remoto obice. ibid. 34

An Excommunicatus recipiat Indulgentiam. ibid. 36

Quænam opera ſint exequenda pro conſecutione Indulgentiæ. ibid. 38

Opus injunctum debet eſſe bonum, & honeſtum. ib. 40

Quid, ſi ſit vitiatum aliqua circumſtantia mala. ibid. 41

Quænam intentio requiratur in ſuſcipiente Indulgentias. 140. 43

An ſufficiat ſola intentio habitualis. ibid.

Ad lucrandam Indulgentiam, an ſufficiat facere Opera alias debita. ibid. 47

Eodem tempore, & eodem opere, an poſſit quis lucrari plures Indulgentias. ibid. 48

An poſſit quis ſæpius eamdem conſequi Indulgentiam. ibid. 51

An, & quatenus ſit neceſſaria Confeſſio Sacramentalis ad conſequendam Indulgentiam. ibid. 53

Non eſt neceſſaria, ſi illa non exprimatur in Bulla. ib.

Non eſt neceſſaria in illo, qui non habet conſcientiam peccati lethalis, etiamſi exprimatur in Bulla conceſſionis. 141. 56

Neceſſaria eſt Confeſſio actualis de peccatis mortalibus commiſſis, & nondum rite confeſſis. ibid. 58

Quid, ſi Confeſſio actualis in aliquo caſu ſit impoſſibilis. ibid. 59

Semel præmiſſa Confeſſione, non eſt amplius neceſſaria. ibid. 60

Vide *Eleemoſyna*. Vide *Jejunium*.

Si nullæ ſint determinatæ preces Deo fundendæ, ſufficiens erit quæcumque, etiam brevis Oratio. 142. 77

Viſitatio Eccleſiæ. ibid.

Quid, ſi Eccleſiam invenias clauſam, vel ob multitudinem non poſſis introire, ſufficiens erit pro conſecutione Indulgentiæ ante fores, & prope Eccleſiam orare. ibid. 78

Indulgentia conceſſa alicui Altari non obtinetur ab Orantibus ante fores Eccleſiæ. 143. 79

Non eſt neceſſe localiter moveri ad lucrandam Indulgentiam conceſſam quinque Altaribus. ibid. 80

An quinquies poſſit viſitari Altare, ſi unicum ſit in Eccleſia. ibid. 81

INDULGENTIA PRO DEFUNCTIS.

Indulgentia poteſt applicari, & prodeſſe Defunctis in Purgatorio exiſtentibus. 143. 82

Indulgentia non applicatur Defunctis per modum abſolutionis, ſed per modum Suffragii. ibid. 83

Quomodo differat Indulgentia per modum ſuffragii, & per modum abſolutionis. ibid.

Indulgentia applicata Defunctis exiſtentibus in Purgatorio an habeat certum, & infallibilem effectum. ibid. 84

Non eſt inutile ſæpe, & iteratis vicibus Indulgentias lucrari pro Defunctis. 144. 92

Qui lucratur Indulgentiam pro Defunctis non debet neceſſario eſſe in Gratia. ibid. 93

Vide *Altare*.

INDULGENTIÆ CESSATIO.

Indulgentia durat juxta concedentis intentionem. 144. 94

Si fuit abſolute, & ſimpliciter conceſſa, non exſpirat morte concedentis. ibid.

Ceſſat Indulgentia per revocationem factam ab eo, qui eam conceſſit, vel illius Succeſſore, aut Superiore. ib. 95

Ut revocatio ſuum habeat effectum, debet eſſe ſufficienter promulgata. ibid. 95

Ceſſat Indulgentia, ſi pereat res, vel locus, cui illa erat conceſſa. ibid. 97

Si Eccleſia paullatim deſtruatur, & reædificetur non ceſſat Indulgentia. ibid.

Quid, ſi totaliter deſtruatur, & reædificetur in eodem loco. ibid.

Indulgentia conceſſa alicui diei Feſto, an transferatur, cum transfertur dies Feſtus. ibid. 98

Non ceſſat Indulgentia per renuntiationem. ibid. 99

Non ceſſat, ceſſante cauſſa, propter quam fuit Indulgentia conceſſa. ibid.

Valor Indulgentiæ non pendet ab opinione probabili Doctorum, ſed a veritate. 148. 24

INFIRMUS.

An poſſit abſolvi Moribundus, qui ſolum in genere confitetur, ſe commiſiſſe peccata. 49. 20.

Non ſolum poteſt, ſed lege Caritatis tenetur Confeſſarius illum abſolvere. 50. 22

Debet abſolvi Moribundus, non ſolum qui ore confeſſus eſt, ſe peccaſſe, ſed etiam qui hoc nutibus, & ſignis manifeſtavit. ibid. 24

An debeat abſolvi, ſi hoc fecit in abſentia Sacerdotis. ibid. 29

An tunc requirantur Teſtes, qui teſtentur de voluntate pœnitentis, & quod confeſſionem petierit. ibid. 30

An ſit abſolvendus Moribundus ſenſibus deſtitutus, qui nec confeſſionem petiit, nec ſigna doloris dedit. 51. 35

Prima ſententia negat, poſſe tunc Moribundum abſolvi. ibid.

Secunda ſententia docet, poſſe, & debere in illa extrema neceſſitate abſolvi ſub conditione; quando erat ſolitus chriſtiane vivere, & ſemel ſaltem in anno confiteri. ib. 36

Hæc ſententia eſt valde probabilis in praxi, ſecura, & practicanda. 52. 40

Quid faciendum, ſi ſubito deficiat in actu peccaminoſo. ibid. 41

Vide *Articulus Mortis*.

INJURIA.

Qui ex odio malum proximo deſideravit, non tenetur explicare in confeſſione qualitatem mali deſiderati. 38. 60

An debeat in Confeſſione explicari qualitas contumeliarum, & detractionum, quæ fiunt de Proximo. 39. 63

Quandonam contumeliæ, & detractiones ſint plura peccata. ibid. 64. & 32. 27

An poſſit, & debeat abſolvi pœnitens, qui non vult proximo condonare injuriam. 54. 22

INTEGRITAS CONFESSIONIS.

Integritas Confeſſionis duplex eſt, alia formalis, alia materialis; quid utraque ſit. 30. 6

Integritas Confeſſionis qualiter ſit de jure Divino. 15. 7

Ad integritatem Confeſſionis ſpectant peccata mortalia poſt Baptiſmum commiſſa, & alias non confeſſa. ibid. 8

Omnia peccata mortalia debent eidem Sacerdoti confiteri. ibid. 9

Debent manifeſtari peccata quoad ſpeciem, & quoad numerum. 31. 15

Unde ſumatur, & cognoſcatur diverſitas ſpecifica peccatorum. ibid. 14

Qui non recordatur de numero certo peccatorum mortalium, debet in Confeſſione dicere numerum probabilem, addito *plus, minuſve*. ibid. 16

Quan-

Quantam latitudinem habeant ly *plus*, *minusve*. ibid. 18
Qui non potest probabilem numerum adinvenire, debet dicere tempus, quo fuit in peccato; addendo consuetudinem, quam habuit peccandi ter, vel quater in die, in hebdomada, aut in mense. ibid. 19
Meretrix potest confiteri, explicando tempus, quo fuit in peccato. ibid.
Idem valet de illo, qui passim fœminas sibi obvias turpiter concupiscit. ibid. 20
An sint explicandæ species, & numerus peccatorum venialium. ibid. 21
Caussæ excusantes ab integritate Confessionis. 48. 1
Excusat oblivio, seu naturalis inadvertentia, quando quis peccati alicujus non recordatur. ibid. 2
Excusat ignorantia invincibilis. ibid.
Item impotentia physica, sive se teneat ex parte pœnitentis, sive ex parte Confessarii. ibid. 3
In prælio, incendio, seu procella maris possunt plures simul absolvi, præmisso signo aliquo pœnitentiæ. ibid.
In celebri Festo, quamvis adsit magnus pœnitentium concursus, non potest dimidiari Confessio. ibid. 4
Excusat impotentia moralis, seu nimia difficultas, & quando hæc adesse censeatur. ibid. 5
Excusat si pœnitens, aut Confessarius laboret peste, & morbo contagioso, ob periculum illum contrahendi. ibid. 7
Aliqui excusant Infirmum ob difficultatem loquendi, vel ob debilitatem capitis. ibid. 8
Excusat grave scandalum, quod timeri potest. 49. 9
Excusat periculum frangendi sigillum Confessionis. ibidem 10
Qui fuit absolutus, non præmissa integra Confessione, cessante periculo, & caussa, tenetur peccata omissa manifestare in alia Confessione. ibid. 13
Ad hoc, ut licita sit Confessio non integra, requiritur necessitas Confessionis faciendæ. ibid. 15
Et justa caussa tacendi. ibid. 16
Non possunt plura peccata reticeri, quam postulet justa caussa, seu periculum probabiliter imminens. ibid.
Non tenetur quis habere Contritionem perfectam de peccato, quod tacet, sed sufficit habere Attritionem. ibid. 18
An teneatur confiteri quamprimum. ibid.

JUBILÆUM.

Quid sit Jubilæum. 146. 1
Usus Jubilæi est antiquissimus, & fere ab Apostolorum tempore deductus. ibid. 2.
Suspenduntur Anno Sancto omnes Indulgentiæ. ibid. 3
Vide *Anno Sancto*.
Ad consequendum Jubilæum Romanum in Anno Sancto quænam opera sint necessaria. 147. 9
Ad lucrandum Jubilæum extraordinarium, quænam opera sint necessaria. ibid. 11
Quomodo Ecclesia sit visitanda, Oratio facienda, & Jejunium præstandum. ibid. 12
Operum executio potest incipi statim, ac promulgatum est Jubilæum. ibid. 13
Nemo potest pro altero, sive vivo, sive defuncto, lucrari Jubilæum. ibid. 14
Omnia opera an debeant præstari in eadem hebdomada, & in eodem loco. ibid. 15
Qui lucratus est Jubilæum in prima hebdomada, secundum aliquos potest iterum lucrari in secunda, & a casibus reservatis absolvi. 148 19
Sed verius est oppositum. ibid. 20
An saltem possit iterum absolvi a reservatis. ibid. 21
Qui lucratus est Jubilæum in uno loco, an possit illud iterum lucrari in alio loco. ibid. 22
Qui tempore Jubilæi confitetur invalide, manet liber a reservatione. 115. 40
Confessarius limitate approbatus pro Viris, non pro Mulieribus, non potest virtute Jubilæi ab omnibus eligi. 90. 40
Absolutio a peccatis, & commutatio Votorum concedi potest, antequam præstentur opera in Bulla præscripta. 148. 26
Absolutus a reservatis non peccat, nec reincidit, si opera in Jubilæo præscripta non exequantur. ibid. 29. & 149. 31
Non est valida absolutio a reservatis data non habenti animum lucrandi Jubilæum. 149. 30
Qui tempore Jubilæi est oblitus peccati reservati, remanet liber a reservatione. ibid. 32
Hoc verum est, sive Confessio facta fuerit habenti facultatem ordinariam, sive delegatam. ibid. 33
Etiamsi postea quis non exequatur opera necessaria. ibidem 34.
Secus dicendum, si Confessio fuit voluntarie nulla. ibid. 35
Quid, si Confessionem omisit. ibid. 38
An possit absolvi ultimo die, qui non præstitit Opera. ibid. 39
Absolutio a censuris, & Commutatio votorum fieri potest extra Sacramentum Pœnitentiæ. 150. 44
Idem valet in dispensationibus Sacræ Pœnitentiariæ. ibidem 45
Operum commutatio fieri potest extra Sacramentum pœnitentiæ. ibid. 46
Absolvi potest, qui spe futuri Jubilæi commisit reservata. ibid. 48
An, durante tempore Jubilæi, quis possit pluries absolvi a reservatis. ibid. 49
Non est licita absolutio ab excommunicatione, aliisque censuris data, non satisfacta parte, si illa est possibilis. 151. 55
Est tamen valida. ibid. 57.
Si satisfactio est impossibilis, non solum valida, sed licita est absolutio. ibid. 61
Nec reincidit, si, data opportunitate, non restituat. 152. 64

JURISDICTIO.

Jurisdictio quid sit. 76. 30
Duplex est, alia Ordinaria, alia Delegata. ibid.
Summus Pontifex habet jurisdictionem Ordinariam in tota Ecclesia. ibid. 31
Episcopus illam habet Ordinariam in sua Diœcesi. ibid. 32
Vicarius Generalis eamdem habet jurisdictionem Ordinariam cum Episcopo. ibid. 33
Parochus habet jurisdictionem Ordinariam pro sua Parochia. ibid. 36
Eamdem habet Vicarius Capituli, Sede vacante. ibid. 35
Eamdem habent Generales Ordinum pro tota Religione. ibid. 37
Qui habet jurisdictionem Ordinariam, eam potest alteri delegare. ibid. 38
Jurisdictionem delegatam quinam habeat. 78. 49
Parochus an possit jurisdictionem delegare simplici Sacerdoti non approbato ab Episcopo. 79. 51
Qui habet jurisdictionem delegatam regulariter non potest alteri subdelegare. ibid. 53
Pœnitentiarius Episcopi potest in casu particulari delegare alteri jurisdictionem. ibid. 57
Jurisdictio delegata non exspirat per mortem concedentis. 80. 61
Error communis cum titulo colorato tribuit jurisdictionem. ibid. 67
Vide *Error*.
Jurisdictio an acquiratur per ratihabitionem. 82. 81
Vide *Ratihabitio*.
Jurisdictio dubia, seu tantum probabilis, an sufficiat pro ministrando Sacramento pœnitentiæ. 81. 76
Jurisdictio acquiritur per consuetudinem. 82. 86
Delegatus debet habere notitiam delegationis, & jurisdictionis sibi concessæ. ibid. 88
Jurisdictio extorta per dolum, & metum gravem, an sit valida. 83. 90

L

LAICUS.

Laicus in nullo casu necessitatis potest Confessiones audire, & Sacramentaliter absolvere. 70. 4
An possit Laicus moribundum absolvere ab Excommunicatione: alii negant, alii affirmant. 71. 6
Furtum factum in Ecclesia quando habeat malitiam Sacrilegii. 44. 124

LUXURIA.

Habens votum castitatis, si peccat cum Muliere habente votum, debet in Confessione explicare utrumque Votum. 40 80
Est explicanda circumstantia Voti, si te polluas tangendo Monialem, vel Religiosum. ibid. 82.
Debet explicari circumstantia copulæ consummatæ. ibid. 84
Quandonam sint explicandi tactus impudici. ibid. 85
In peccato Sodomiæ an debeat explicari qualitas personæ, cum qua committitur. 41. 89
Peccans cum Muliere mortua an debeat hanc circumstantiam explicare. ibid. 92
Vide *Delectatio morosa*.

M

MALEFICIUM.

Maleficium, est ars nocendi aliis ope, ac potestate Dœmonis. 105. 47

Malefi-

Maleficium aliud est amatorium, aliud veneficum; quid utrumque sit. ibid.
Differt a Magia proprie dicta. ibid.
Est peccatum gravissimum, quod sæpe conjungitur cum Hæresi, Idolatria, vel Apostasia a fide. ibid.
Strigæ pactum cum Dæmone ineuntes solent fidem abnegare, & Dæmones adorare. ibid.
Ipsarum crimen spectat ad Inquisitores, ad quos sunt deferendæ. ibid.
Cuilibet licitum est tollere, & comburere signa maleficiorum inventa. ibid. 48
Licitum est petere a Saga, & Malefico, ut maleficium solvat, quando solvi potest sine novo maleficio. ibidem 49
Etiamsi non sit soluturus sine novo maleficio. ibid.

MEDICUS.

Tenetur monere Infirmum de Confessione facienda. 22. 13
Non debet infirmum ultra tertium diem visitare, si sibi non constat de Confessione facta. ibid.
An id valeat in quocumque Morbo, vel solum in Morbo periculoso. ibid. 14
Quid, si Infirmus non vult confiteri, an debeat illum deserere. ibid.

MERETRICES.

An teneantur præcepto annuæ Confessionis, & an incurrant pœnas, si illud transgrediantur. 26. 28
Qualiter debeant sua peccata manifestare in Confessione. 31. 19

MINISTER POENITENTIÆ.

Solus Sacerdos potest esse Minister hujus Sacramenti. 70. 1
Homo in mortis articulo constitutus non tenetur confiteri Laico, Diacono, aut Clericis inferioribus, si deficiat Sacerdos. ibid. 4
In casu, quo Confessio fieret Laico, aut Clericis inferioribus, non possent illum Sacramentaliter absolvere. 71. 5
An Laicus, & Clericus inferior possint absolvere Moribundum ab Excommunicatione. ibid. 6
Requiritur in Sacerdote jurisdictio Ordinaria, vel delegata. 73. 9
Quid utraque sit. ibid. 8
Nec licite, nec valide potest simplex Sacerdos sine jurisdictione absolvere a mortalibus. 74. 12
In articulo mortis quilibet Sacerdos, etiam non approbatus potest absolvere Moribundum a peccatis, & censuris. ibid. 13
Item est in præsenti materia periculum mortis, & articulus mortis. ibid. 15
Tempore pestis dari potest absolutio a quolibet Sacerdote. ibid. 17
An simplex Sacerdos absolvere possit in articulo mortis in præsentia Parochi, vel alterius Sacerdotis approbati. ibid. 18
Non potest Sacerdos non approbatus absolvere a venialibus, & mortalibus aliàs rite confessis. 75. 28
Summus Pontifex habet jurisdictionem Ordinariam in tota Ecclesia. 76. 31
Episcopus illam habet in sua Diœcesi, & Parochus in sua Parochia. ibid. 32
Eamdem habet Vicarius Generalis Episcopi. ibid. 33
Et Vicarius Capituli, Sede vacante. ibid. 35
Generales Ordinum Religiosorum in tota Religione, Provinciales in Provincia, & Superiores locales in suo Monasterio jurisdictionem habent Ordinariam. ibid. 37
An possit absolvi, qui data opera discedit a suo Domicilio, ut declinet proprium Parochum. 78. 46
Episcopus, & Parochus an possint extra Diœcesim absolvere suum subditum. ibid. 48
Vide *Jurisdictio*.

MONIALES.

Tempore Jubilæi non possunt eligere quemlibet Confessarium ex approbatis ab Ordinario. 91. 43
An dicto tempore possint singulæ Moniales Confessarium nominare, & petere ab Episcopo. 92. 46
Confessarii Monialium exemptarum debent approbari ab Episcopo. 94. 68
Obscœnitates dicto, vel facto cum Monialibus sunt peccatum reservatum in Diœcesi Bononiensi. 108. 88
Incidunt in casum Viri accedentes ad Monasteria cum licentia falsa. ibid. 93
Pro Regularibus adest specialis prohibitio non accedendi ad Monasteria Monialium. ibid. 93

N

NOVITIUS.

NOvitius peccans contra castitatem non tenetur hanc circumstantiam fateri. 36. 34
An ligetur reservatione Episcopi, vel Superioris Regularis. 131. 133

NUMERUS.

Debet in Confessione manifestari distincte numerus peccatorum mortalium. 31. 15
Non sufficit in confuso dicere: pluries peccavi. ibid. 16
Qui non recordatur de numero certo suorum peccatorum, debet dicere numerum probabilem. ibid.
Qui non potest adinvenire numerum probabilem, debet dicere tempus, quo fuit in peccato. ibid. 19
Numerus peccatorum venialium non debet necessario in Confessioni explicari. ibid. 21
Vide *Integritas Confessionis*.

O

OCCASIO PROXIMA.

OCcasio peccati quid, & quotuplex sit. 52. 1
Quænam sit Occasio proxima, quænam remota. ibidem.
Existens in occasione remota peccandi licite potest absolvi. ibid. 2
Qui voluntarie manet in Occasione proxima, regulariter non est absolvendus, nisi illam dimittat. 53. 3
Quid, si Occasio non sit voluntaria. ibid. 4
Non est regulariter absolvendus, qui est in Occasione proxima concupiscendi feminam. ibid. 6
Potest absolvi, qui exercet artem licitam, quamvis sit illi Occasio peccandi. ibid. 8
Sartores, Mulieres, & Nautæ possunt absolvi. ibid. 9.
Funambuli an possint, & debeant absolvi. ibid. 10
Quid de Alchymistis. ibid. 11
Artifices Taxillorum, & Chartarum possunt absolvi. ibidem 12.
Quid de Confessario, Medico, & Chirurgo, qui ratione offici sæpe peccant, an debeant absolvi. ibid. 14
An possint absolvi homines, vulgo *Cantrabandieri*. 54. 17
Qui ignorat Doctrinam Christianam quando debeat absolvi. ibid. 20
Qui non vult proximo condonare injuriam. ibid. 22
Vide *Concubinarius*.
Qui habent consuetudinem morose agendi cum Amasiis an debeant absolvi. 55. 33
Non potest absolvi, qui dubiam peccandi occasionem relinquere non vult. 53. 7
Histriones, & Comœdiarii quando debeant absolvi. 54. 19
An possint absolvi adolescentes, qui versantur cum fœminis laborando, etiamsi sæpe ex tali occasione peccent. 55. 32
Sponsus, qui visitando Sponsam sæpe peccat, an debeat absolvi. ibid. 31

ODIUM.

Offensus, qui non vult proximo condonare injuriam non debet absolvi, si non deponat odium. 54. 22
An debeat in Confessione explicari malum proximo desideratum. 38. 60
Debet mala explicare pœnitens, si efficaciter vellet illa inferre. ibid.
Licitum est absolvere pœnitentem cum opinione probabili de jurisdictione Confessarii. 82. 79
Confessarius, audita Confessione, tenetur sequi opinionem probabilem pœnitentis. 126. 33
Discrimen Confessarii a Judice. ibid. 34
Debet Confessarius sequi opinionem probabilem pœnitentis, quamvis ipse illam speculative improbabilem existimet. ibid. 35
Peccaret Confessarius non absolvendo pœnitentem secundum suam opinionem probabilem. ibid. 36

P

PAROCHUS.

HAbens domum in confinio duarum Parochiarum, est illius Parochiæ, in qua patet porta principalis. 78. 43
Parochus Vagorum est ille, in cujus Parochia pro tempore versantur. ibid. 47
Parochus potest absolvere suum Subditum extra Diœcesim. ibid. 48

An pos-

An possit suam jurisdictionem delegare simplici Sacerdoti, 79. 51
An possit ubique Confessiones audire, etiam extra Dioecesim, ibid.
Virtute Jubilaei an possit eligi a Subditis alterius Dioecesis. ibid.
An possit Episcopus iterum examinare Parochos. ibid. 55
Parochus, qui copulam etiam incompletam habet cum sua Parochiana, incidit in casum reservatum. 107. 83
Tenetur audire Confessiones suorum Subditorum, 124. 13
Tenetur etiam cum periculo vitae, ibid. 16

PATRIMONIUM.

Incidunt in casum reservatum Clerici, qui cum patrimonio ficto ordinantur, & qui Patrimonium fictitium constituunt, pro Sacris Ordinibus. 108. 97
Non incurrit Subdiaconus, qui post renuntiatum patrimonium recipit Diaconatum. ibid. 98.
An teneatur in Paschate confiteri, qui habet solum venialia. 26. 29
An habens solum venialia debeat saltem se praesentare Parocho, ibid. 30

PECCATA.

Quaenam peccata sint materia remota Sacramenti Poenitentiae. 4. 2
An peccata commissa in actuali susceptione Baptismi sint materia Sacramenti Poenitentiae. ibid. 6
Quaenam peccata sint materia necessaria, & quaenam sint materia sufficiens. ibid. 10
Peccata dubia, an, & quomodo sint materia Confessionis, 5. 18
Si dubium sint negativum, debent peccata manifestari in Confessione sub dubio, 6. 21
Tenetur ad Confessionem, qui certus se peccasse mortaliter, dubitat se fuisse confessum. ibid. 25
Peccatum confessum, ut dubium, non debet iterum manifestari in Confessione, si postea cognoscatur esse certum, 7. 30
Qui facit Confessionem generalem, non tenetur manifestare omnia peccata jam rite confessa. ibid. 35
Nec tenetur distinguere jam confessa a nondum confessis. ibid. 37
Quid, si peccatum heri commissum, dicatur fuisse commissum Anno praeterito. 8. 41

PEREGRINUS.

A quo possit absolvi a casibus reservatis. 111. 124
Peregrinus habens peccatum reservatum in loco discessus, sed non in loco adventus potest hic absolvi a quolibet simplici Confessario. ibid. 125
Dummodo non discesserit a priori loco, & Peregrinationem susceperit in fraudem legis. ibid. 127
Si peccatum sit reservatum in loco, ubi quis confitetur, sed non in loco suae Patriae, non potest absolvi a simplici Confessario, ibid. 128

POENITENTIA UT SACRAMENTUM.

De Fide est, dari Sacramentum Poenitentiae institutum a Christo Domino, & distinctum a Baptismo. 1. 2
Quo tempore fuerit hoc Sacramentum institutum. ibid. 6
Quomodo definiatur hoc Sacramentum. 2. 10
Quaenam sint illius partes essentiales. ibid. 12
Omnes partes concurrunt ad producendam Gratiam. ibidem 15
Quasnam partes importet in recto. 3. 18
Est necessarium Adultis necessitate medii in re, vel in voto. ibid. 19
Votum non debet esse explicitum, sed sufficit implicitum. ibid. 21
Sacramentum includit Virtutem tamquam partem. 4. 25
In quo conveniant, & differant Virtus, & Sacramentum Poenitentiae. 3. 24
Quaenam sit materia remota Sacramenti Poenitentiae. 4. 2
Dari potest Sacramentum Poenitentiae validum, & informe, & qua ratione fieri possit. 16. 46
Probabilius est, non posse dari. 17. 51
Si daretur validum, & informe, revivisceret, posita sufficienti dispositione. 17. 57

PROPOSITUM.

Ad Poenitentiam, & Confessionem requiritur propositum non peccandi de cetero. 21. 75
Sufficit propositum virtuale. ibid. 76
An possit homo habere propositum vitandi omnia venialia. ibid. 79

Pueri tenentur confiteri cum perveniunt ad usum rationis, quamvis non teneantur statim communicare. 25. 26
Si transgrediantur hoc praeceptum, non debent puniri Censuris, ibid.

Q

QUADRAGESIMA.

PEccat lethaliter, & incidit in casum Bononiae reservatum, qui sine caussa, & sine licentia, Carnes, & Ova manducat in Quadragesima. 108. 99
In casu particulari sufficit licentia oretenus alicui concessa. ibid. 100
Incidunt in casum reservatum Medici, & Deputati, qui dolose licentias concedunt. ibid. 101
Excusantur Pueri ante usum rationis. 109. 103
Excusantur qui comedunt carnes ex necessitate. ibid. 105

R

RATIHABITIO.

IN Sacramento Poenitentiae non sufficit jurisdictio habita per ratihabitionem de futuro. 82. 81
Valet Baptismus ministratus cum ratihabitione de futuro, ibid. 82
Ratihabitio de praesenti, vel etiam de praeterito signo aliquo externo manifestata sufficit ad valide, & licite ministrandum Sacramentum Poenitentiae. ibid. 83.
Quaenam signa sufficiant ad manifestandum consensum. ibidem 84.

RECIDIVUS.

Recidivus, qui saepe labitur in eadem peccata, an debeat absolvi. 55. 35
An Confessarius debeat illi differre absolutionem per aliquod tempus. ibid. 37
Potest absolvi, quando Confessarius prudenter judicat, ipsum esse dispositum. ibid. 35

REGULARES.

An possint absque licentia Episcopi audire Confessiones Saecularium, qui sunt de familia, & inserviunt ipsorum Monasteriis. 86. 13
Possunt etiam illis ministrare Viaticum, & alia Sacramenta. ibid. 16
Non possunt Saecularium Confessiones audire sine licentia Episcopi, quamvis fuerit injuste negata. ibid. 20
An possint Episcopi limitare approbationem Regularium. 87. 22
Approbatio sine limitatione data non potest ab Episcopo sine caussa revocari. 88. 27
Non potest ab Episcopo negari approbatio omnibus Religiosis unius Conventus. ibid. 28
Nec omnes simul suspendi. ibid.
Pro Monialibus necessaria est approbatio renovanda singulis vicibus. 89. 29
Regulares semel simpliciter approbati non possunt sine caussa iterum vocari ad examen ab eodem Episcopo. ibidem 32
Regulares semel approbati in una Dioecesi non possunt ubique Confessiones audire, sed debent approbari in qualibet Dioecesi. 90. 35
An possint audire Confessiones sine licentia suorum Praelatorum. 94. 63
Pro Confessione Regularium sufficit licentia Praelatorum. ibid. 65
Tempore Jubilaei an possint eligere Confessarium alterius Ordinis. ibid. 71
Praelati Regulares a quibus casibus possint absolvere suos subditos. 116. 50
An possint illos absolvere a casibus Bullae Coenae, quando sunt occulti. 117. 57
Confessarii Regulares possunt aliquando absolvere Regulares ejusdem Ordinis a peccatis reservatis. ibid. 59
A quibus casibus possint absolvere Saeculares. 118. 64
Non possunt absolvere a casibus, quos Episcopi sibi reservant. ibid. 67
An possint absolvere a casibus reservatis Episcopo de jure communi. ibid.
Possunt absolvere a casibus Papalibus occultis. ibid. 68
A procuratione Abortus. ibid. 69
Non tamen a crimine Haeresis. 119. 72

RESERVATIO.

Quid importet casuum Reservatio. 95. 1
Quinam possint casus reservare. ibid. 2

Sum-

Summus Pontifex potest reservare casus in tota Ecclesia, & Episcopus in sua Diœcesi. ibid. 2
Possunt Abbates habentes jurisdictionem quasi Episcopalem. ibid.
Possunt Prælati Regulares in suis Religionibus. ibid.
An Parochi possint casus reservare. ibid.
Quænam peccata possint reservari. 97. 7
Peccata venialia an possint reservari. ibid.
Peccata mortalia mere interna possunt ab Ecclesia reservari. ibid. 8
De facto non consuevit Ecclesia illa reservare. ibid. 9
Peccata dubia non sunt reservata. ibid. 11
Peccata reservari possunt cum Censura, & sine Censura. 99. 15
Sublata excommunicatione Pontifici reservata, peccatum non est amplius reservatum. ibid. 17
Quænam peccata sint reservata in Diœcesi Bononiensi. ibidem 23
Absolvere a reservatis. Vide *Casus Reservati*. Vide *Regulares*.

S

SACRILEGIUM.

PEccatum commissum in loco Sacro quando habeat malitiam Sacrilegii. 44. 118
Occulta Sanguinis, vel Seminis effusio facta in Ecclesia habet malitiam Sacrilegii. ibid. 121
Tactus impudici non habent malitiam Sacrilegii. ibid. 123
Furtum factum in Ecclesia quando habeat rationem Sacrilegii. ibid. 124

SATISFACTIO SACRAMENTALIS.

Homo potest condigne satisfacere pro pœna suorum peccatorum. 59. 2
Quænam conditiones requirantur, ut Satisfactio sit condigna. ibid. 4
Debet esse opus liberum, & voluntarium. ibid. 5
Non requiritur, quod sit opus Consilii, & supererogationis. ibid. 6
An necessaria sit Dei promissio. ibid. 7
Quid sit satisfactio Sacramentalis. ibid. 8
Caussat ex opere operato remissionem pœnæ temporalis. 60. 9
Non semper remittit totam pœnam. ibid. 10
Non caussat augmentum Gratiæ. ibid. 13
Probabile est caussare quædam auxilia. ibid. 14
Valet, quamvis adimpleatur in peccato mortali. ibidem 16
Remittit pœnam, ablato obice. 61. 20
Potest adimpleri per actionem venialiter peccaminosam. ibidem 22
Debet adimpleri animo satisfaciendi. ibid. 27
Tenentur regulariter Confessarii aliquam pœnitentiam imponere. 62. 28
Imponenda est ante absolutionem. ibid. 34
Taxanda est rationabili, & prudenti arbitrio Confessarii. ibid. 36
Cuilibet sunt imponenda opera satisfactoria proportionata. 63. 40
Habenda est ratio gravitatis peccatorum, & facultatis pœnitentium. ibid. 41
Quænam opera sint imponenda. ibid. 43
Sunt imponenda opera externa, sed possunt etiam imponi actus interni. 64. 46
Potest Confessarius injungere Confessionem, & Communionem faciendam. ibid. 47
Potest injungere Officium mortuorum, & alias Preces fundendas pro defunctis. ibid. 49
Potest etiam privare Pœnitentem Sacra Communione. ibidem 53
Tenetur Pœnitens congruam, & discretam pœnitentiam acceptare sub lethali. ibid. 55
Tenetur sub lethali impositam, & acceptatam pœnitentiam adimplere. 65. 58
An sit peccatum grave omittere levem pœnitentiam impositam. ibid. 60.
Pœnitentia debet adimpleri tempore a Confessario statuto. ibid. 63
Non potest Pœnitens injunctam pœnitentiam sibi mutare. 66. 70
Quilibet Confessarius potest ex caussa pœnitentiam mutare. ibid. 72
Etiamsi fuit injuncta pro peccatis reservatis. ibid. 74
Requiritur justa, & rationabilis caussa, ut unus possit mutare pœnitentiam ab alio impositam. 67. 76
Mutatio facienda est in ipsa Sacramentali Confessione. ibidem 78
Etiam non iterata priori Confessione. ibid. 80
Facta commutatione, liberum est Pœnitenti eligere, quam voluerit. ibid. 81
Quænam caussæ excusent ab executione pœnitentiæ. ibidem 82
Pœnitentia a Confessario imposita non potest adimpleri per alium. 68. 88
An possit pœnitentia Sacramentalis compensari per alia opera satisfactoria, & per lucrationem Indulgentiæ. ibid. 91

SCANDALUM.

Quid, & Quotuplex sit. 37. 44
Circumstantia Scandali semper est in Confessione explicanda. ibid. 48
An debeat explicari peccatum, ad quod Proximus Scandalo inducitur. ibid. 49
An debeat explicari numerus personarum, quibus Scandalum datum est. 38. 51
An sit aperienda conditio personarum, quibus Scandalum dedisti. ibid. 53

SIGILLUM CONFESSIONIS.

Quid sit Sigillum Confessionis. 127. 1
Obligatio servandi Sigillum nascitur ex jure naturali, Divino, & Ecclesiastico. ibid. 2
Qui frangit Sigillum duo peccata committit. ibid. 5
Ad Sigillum per se primo, & principaliter tenetur Confessarius. 128. 7
Tenetur Interpres. ibid. 8
Tenetur etiam, qui casu, aut dolose alterius Confessionem audivit. ibid. 9
Tenentur Prælati, Superiores, ac Pœnitentiarii, a quibus petitur facultas absolvendi ab aliquo casu reservato. ibid. 10
An teneatur ad Sigillum, qui chartam invenit, in qua scripta sunt peccata. ibid. 12
An ipse Pœnitens teneatur ad Sigillum. ibid. 13
Ad Sigillum spectant ea omnia, quæ Sacerdoti manifestantur per ordinem ad Confessionem Sacramentalem. ibid. 14
Non nascitur obligatio Sigilli, quando quis narrat peccata ad petendum consilium. ibid. 15
Non nascitur obligatio Sigilli Sacramentalis, sed naturalis, quando quis dicit; *Hoc tibi dico in Confessione, seu sub Sigillo Confessionis*. . . . ibid. 16
Non oritur obligatio Sigilli ex Confessione ficta, & dolosa. ibid. 17
Oritur ex Confessione, etiam imperfecta, & incompleta, facta animo se accusandi, quamvis non sequatur absolutio. ibid. 18
Quænam peccata cadant sub Sigillo Confessionis. 129. 19
Cadunt circumstantiæ, & defectus, qui minuere possunt famam Pœnitentis. ibid. 21
Virtutes, revelationes, & similia dona Dei non sunt materia Sigilli Sacramentalis, sed naturalis, durante vita Pœnitentis. ibid. 22
An peccatum Complicis sit materia Sigilli. ibid. 24
Quomodo sit licitum Confessario loqui de auditis in Confessione. ibid. 25
Quomodo possit loqui cum Pœnitente. ibid. 27
Quid debeat respondere Confessarius, si interrogetur de auditis in Confessione. 130. 29
An possit, & teneatur præbere schedulam Confessionis, si Pœnitentem non absolvit. ibid. 31
An possit revelare peccata de licentia Pœnitentis. ibidem 35
Qualiter sit licitus usus notitiæ habitæ in Confessione. 131. 38
Non potest uti notitia Confessionis ad actiones externas, & externam gubernationem. ibid. 40
Non potest Superior removere subditum ab officio propter audita in Confessione. ibid. 41
Non potest negare suffragium illi, quem indignum cognoscit ex sola Confessione. ibid. 42
Quid debet facere Confessarius, si cognoscat, sibi parari insidias. ibid. 44

SOCIUS.

Non potest Confessarius absolvere Socium Criminis in peccato Carnali. 100. 109
An illum possit absolvere tempore Jubilæi. ibid. 111
An debeat illum absolvere existentem in periculo mortis. 110. 114

SOLLICITATIO IN CONFESSIONE.

Qualiter sit prohibita. 131. 1
Denuntiandi sunt Confessarii sollicitantes ad turpia, sive Mulieres, sive Masculos. 132. 6

Non sunt denuntiandi Sollicitantes ad alia crimina, ibid. 7
Debet denuntiari Confessarius, etiamsi femina non consentiat Sollicitationi, ibid. 9
Quid, si fœminam sollicitet per interpositam personam, ibid. 11
An sit denuntiandus, qui sollicitatus a femina, Sollicitationi consentit. ibid. 13
An Mulier Sollicitans Confessarium sit ipsa denuntianda. 133. 16
Quando Sollicitatio sit facta immediate ante, vel immediate post Confessionem, ibid. 18
An sit denunciandus, qui feminam insequitur domum redeuntem. ibid. 19
An sit denunciandus Confessarius, qui sollicitat in Confessionario extra occasionem Confessionis. ibid. 23
An in dubio Sollicitationis Confessarius sit denuntiandus, 134. 28
Quid, si laudet pulcritudinem feminæ penitentis. ibidem 29
Vel si tribuat munera. ibid. 30
Si in actu Confessionis tribuat Chartam provocativam ad venerem postea legendam. ibid. 32
Laicus fingens se Confessarium non est ex hoc capite denuntiandus, bene tamen ex alio capite. ibid. 35
Sacerdos sollicitans est denuntiandus, quamvis non habeat jurisdictionem. ibid. 38
Quænam causæ excusent a denuntiatione facienda. 135. 40
Persona sollicitata regulariter non debet absolvi ante factam denunciationem. ibid. 48

STUPRUM.

Quid intelligatur nomine Stupri. 107. 84
Qui defloravit Virginem consentientem incidit in casum Bononiæ reservatum. ibid.
Incidit etiam Sponsus, qui ante contractum Matrimonium, copulam habet cum Virgine Sponsa. ibid. 85
Requiritur, quod copula sit consummata intra vas. ib. 86

SUPERSTITIO.

Superstitio quid sit. 103. 31
Species Superstitionis quænam sint. ibid. 33
Idololatria est species Superstitionis. ibid.
Divinatio Superstitiosa quid sit. ibid. 35
Contingit aliquando per expressam Demonis invocationem, aliquando per pactum tacitum. 104. 36
Plures sunt species Divinationis. ibid. 39
Vana Observantia. ibid. 40
Ars Notoria. ibid. 41
Observantia Sanitatum. ibid. 42
Modus curandi vulnera medicamento Sympatico est superstitiosus. ibid. 43
Observantia futurorum eventuum. ibid. 44
Observantia Reliquiarum. ibid. 45
Magia, Maleficium. 105. 46
An sit licitum petere a Saga, ut solvat Maleficium. ib. 49

V

VENIALIA PECCATA.

AN sit necessaria Confessio venialium pro lucrando Jubilæo, quando quis non habet peccata mortalia. 26. 33

VOTUM.

Votum sollemne non differt specie a simplici. 35. 15
Regularis peccans contra castitatem tenetur circumstantiam voti explicari. ibid. 17
An teneatur explicare, qui violat Votum sæpius emissum. ibid. 24
Habens Votum Castitatis, si peccat cum alio habente Votum, debet utrumque explicare. 40. 80

Finis Secundæ Partis Tomi Secundi.